Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/ethicachristiana07patu

P. F. JOANNIS VINCENTII
PATUZZI
ORD. PRÆDICATORUM
IN VENETA CONGREGATIONE B. JACOBI SALAMONII
S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS

ETHICA CHRISTIANA
SIVE
THEOLOGIA MORALIS
Ex purioribus Sacræ Scripturæ divinæque traditionis fontibus derivata, &
S. THOMÆ AQUINATIS DOCTRINA
CONTINENTER ILLUSTRATA.

EDITIO NOVISSIMA
IN SEPTEM VOLUMINA DISTRIBUTA:
Addito nunc primum ejuſdem Auctoris Tractatu de Indulgentiis.

TOMUS SEPTIMUS
CONTINENS
TRACTATUS X. DE SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS
PARTEM SECUNDAM,
Ideſt de Pœnitentia, de Extrema Unctione, de Ordine Sacro, & de Matrimonio.



ALMA COLLEGE
239.02
LIBRARY
P278
Alma, California

BASSANI, MDCCXC.
PROSTANT
VENETIIS APUD REMONDINI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

INDEX

Tractatuum, Diſſertationum, & Capitum, quæ in hoc Tomo VII. continentur.

TRACTATUS DECIMI

DE SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS

PARS SECUNDA.

DISSERTATIO I.

De Virtute, & Sacramento Pœnitentiæ, ejuſque partibus generatim inſpectis.

CAPUT I.

De Virtute Pœnitentiæ.

DOCTRINA.

I. *PŒnitentiæ nomen quid generatim ſignificet.* Pag. 2.
II. *Pœnitentiæ definitio.* ibid.
III. *Pœnitentia eſt vera virtus.* ibid.
IV. *Et quidem ſpecialis, & ab aliis diſtincta.* ib.
V. *Pertinet ad virtutem juſtitiæ.* ibid.
VI. *Ejus objectum exponitur.* ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *PŒnitentiæ definitiones ab Hæreticis inductæ rejiciuntur.* 3
II. *Actus Pœnitentiæ ab ipſa eliciuntur, ſed a caritate imperantur.* ibid.
III. *Pœnitentia per plures actus procedit.* 4
IV. *Pœnitentia neceſſaria tum neceſſitate medii, tum præcepti neceſſitate.* ibid.
V. *Etiam ad venialium remiſſionem.* ibid.
VI. *Per Pœnitentiam delentur peccata, ut non amplius redeant.* ibid.
VII. *Tollit reatum culpæ, & pœnæ æternæ, at non ſemper pœnæ temporalis.* ibid.
VIII. *Opera bona mortificata per Pœnitentiam reviviſcunt.* 5

CAPUT III.

De Pœnitentia quatenus Sacramentum.

DOCTRINA.

I. *DAtam a Chriſto Eccleſia poteſtatem remittendi peccata, docent Scripturæ.* 5
II. *Confirmat perpetua Patrum traditio.* ibid.
III. *Nullum eſt crimen, quod Eccleſiæ poteſtate remitti non poſſit.* 6
IV. *Pœnitentia eſt verum Sacramentum.* 7
V. *Ejus definitio exhibetur, & explicatur.* ibid.
VI. *Ejus neceſſitas declaratur.* ibid.
VII. *Sacramenti Pœnitentiæ materia remota exponitur.* 8
VIII. *Et materia proxima ſtatuitur.* ibid.
IX. *In quo ſita ſit hujus Sacramenti forma.* ibid.
X. *Quænam ſint partes eſſentiales hujus Sacramenti.* ibid.
XI. *Quænam integrales tantum.* 9

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *QUando Chriſtus Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit.* 9
II. *Sacramentum Pœnitentiæ eſt a Baptiſmate plane diſtinctum.* ibid.
III. *Pluries ſuſcipi poteſt.* 10
IV. *Nullum eſt irremiſſibile peccatum.* ibid.
V. *Sacramentum Pœnitentiæ eſt neceſſarium vel in re, vel in voto, neceſſitate medii.* ibid.
VI. *Manuum impoſitio non eſt eſſentialis in hoc Sacramento.* 11
Reflexio. ibid.

DISSERTATIO II.

De Contritione prima Sacramenti Pœnitentiæ parte.

CAPUT I.

De Contritione generatim inſpecta.

DOCTRINA.

I. *QUænam ad veram Contritionem requirantur conditiones.* 12
II. *Contritio eſſe debet ſupernaturalis, & vera.* ibid.
III. *Nec non univerſalis.* 13
IV. *Neceſſaria eſt neceſſitate tum medii, tum præcepti.* ibid.
V. *Quando urgeat præceptum contritionis.* ibid.
VI. *Peccare peccato omiſſionis illum, qui diu differt contritionem, oſtendunt Scripturæ.* ibid.

VII. *Urgent Patres.* 14
VIII. *Conſentiunt nobiliores Theologi.* ibid.
IX. *Confirmant valida argumenta.* 15
X. *Proponuntur objecta.* ibid.
XI. *Solvuntur.* ibid.

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *NOn eſt vera Contritio, qua quis dolet de peccatis ob temporalia mala, ut a Deo inflicta.* 16
II. *Contritio omnia, & ſingula lethalia peccata deteſtari debet.* 17
III. *Contritio in quæ potiſſimum peccata ferri debeat.* ib.
IV. *Eſſe debet formalis, & implicita.* 18

CAPUT III.

De Contritione perfecta.

Doctrina.

I. *QUænam ſit Contritio perfecta, quæ ſtatim juſtificat.* 18
II. *Non eſt diſpoſitio neceſſaria ad Sacramentum Pœnitentiæ.* 19
III. *Datur juxta S. Thomam Contritio, quæ, licet cum caritate conjuncta, ante Sacramentum juſtificationem non confert.* ibid.
IV. *Confirmant Scripturæ teſtimonia.* 20
V. *Adprobat Tridentina Synodus.* ibid.
VI. *Prædicant Patres.* 21
VII. *Oſtendit Theologica ratio.* ibid.
VIII. *Quinam gradus caritatis requiratur ad juſtificationem, indicant Scripturæ.* 22
IX. *Proponunt Patres.* ibid.
X. *Oſtendit D. Thomas.* 23
XI. *Confirmant rationes.* ibid.
XII. *Intenſio doloris non ex ſenſu, ſed ex voluntate deſumenda.* ibid.
XIII. *Notandum.* ibid.

CAPUT IV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *COntritio perfecta dici poteſt cauſa juſtificationis.* 24
II. *Non tamen ex indole ſua, ſed ex ſola Dei miſericordia.* ibid.
III. *Doctrina, quæ contritionem perfectam ad Sacramentum Pœnitentiæ neceſſariam dicit, nulli ſubeſt cenſuræ.* 25
IV. *Contritio perfecta juſtificationem affert vi Sacramenti Pœnitentiæ in voto habiti.* ibid.
V. *Abſolutio Sacerdotis etiam in juſtificatis per caritatem ſuum effectum producit.* 26
VI. *Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ etiam in juſtificatis reſpiciuntur ut Sacramenta mortuorum.* 27
VII. *Nonnullæ falſa Probabiliſtarum doctrinæ recenſentur.* ibid.
VIII. *Dolorem contritionis tentare non debent Pœnitens, & Confeſſarii comparatione aliorum dolorum.* ibid.

CAPUT V.

De Contritione imperfecta, ſeu Attritione.

Doctrina.

I. *QUid ſit Attritionis dolor.* 28
II. *Nonnulla de timore delibantur.* ibid.
III. *Dolor ex timore gehennæ ſupernaturalis eſt bonus, & honeſtus.* ibid.
IV. *Non tamen ſatis excludere voluntatem peccandi docent Patres.* ibid.
V. *Quibus conſentit D. Thomas.* 29
VI. *Nec aliter docuit Tridentina Synodus.* ibid.
VII. *Attritionem non omnino excludere peccandi voluntatem argumentis oſtenditur.* 30
VIII. *Proponuntur objecta.* ibid.
IX. *Solvuntur.* 31
X. *Nec Attritio, quæ eſt ex amore ſpei, eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam.* ibid.
XI. *Aliquem caritatis amorem requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ docent Scripturæ.* 32
XII. *Inculcant Patres.* 33
XIII. *Oſtendit D. Thomas.* ibid.
XIV. *Favet & Concilium Tridentinum.* ibid.
XV. *Solvuntur objecta.* 34
XVI. *Theologicis rationibus confirmatur noſtra doctrina.* ibid.
XVII. *Adverſariorum momenta exponuntur.* 35
XVIII. *Refutantur.* ibid.

CAPUT VI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *TImor ſervilis ſolus non valet veram cordis converſionem operari.* 36
II. *Attritionem ſervilem ſufficere ad juſtificationem non declaravit Tridentina Synodus.* ibid.
III. *Neceſſitatem incoatæ dilectionis adſtruit Catechiſmus Romanus.* 38
IV. *Qui ſola Attritione ſervili ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, non prudenter ſe gerit, nec ſatis ſuæ conſulit ſaluti.* ibid.
V. *Non ſufficit ad juſtificationem in Sacramento obtinendam amor ille, quo Deus ex caritate diligitur, ſed non ſuper omnia.* 39
VI. *Dolor & comitari Confeſſionem debet, & abſolutionem præcedere.* 40
VII. *In Confeſſione venialium peccatorum neceſſarius eſt dolor.* ibid.
VIII. *Qui ſemel in anno confiteri non poteſt, tenetur contritionem elicere.* 41

CAPUT VII.

De Emendationis propoſito ad veram Contritionem neceſſario.

Doctrina.

I. *DOlor de peccatis eſſe debet cum propoſito conjunctus.* 41
II. *Propoſitum non peccandi debet eſſe univerſale.* ib.
III. *Firmum, & conſtans.* 42

IV. *Efficax.* ibid.
V. *Et ipſa peccandi pericula vitare debet.* ibid.
VI. *Et occaſiones.* 43
VII. *Implere, quæ tunc urgent præcepta.* ibid.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *PRopoſitum in Confeſſione eſſe debet formale, & explicitum.* 43
II. *Quando relapſus in peccata indicat deficientiam propoſiti.* 44
Reflexio. ibid.

DISSERTATIO III.

De Confeſſione.

CAPUT I.

De Inſtitutione, & neceſſitate Confeſſionis.

DOCTRINA.

I. *COnfeſſio peccatorum eſt a Chriſto inſtituta.* 46
II. *Non determinate tamen ſecreta, vel publica.* ibid.
III. *Confeſſionis perpetuum uſum fuiſſe in Eccleſia oſtenditur argumento præſcriptionis.* ibid.
IV. *Confirmatur argumento diſcuſſionis.* 47
V. *Confeſſio ſaltem ſecreta neceſſaria eſt neceſſitate medii, & præcepti.* ibid.
VI. *Quinam obnoxii ſint præcepto Confeſſionis.* 48
VII. *Quando urgeat Confeſſionis præceptum.* ibid.
VIII. *Ejus dilatio culpa etiam gravi non vacat.* ib.
IX. *Confeſſio eſt ore facienda.* 49

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *NUm Confeſſio publica aliquando urgeat.* 49
II. *Qui non valeat ore confiteri, eo, quo poteſt, modo confiteatur, oportet.* 50
III. *Sola vera, & realis impotentia loquendi excuſat a confeſſione orali facienda.* ibid.
IV. *Qui aliquod Sacramentum vel recipere debet, vel miniſtrare, ſibi conſcius lethalis peccati, Confeſſionem præmittere tenetur.* 51
V. *Urget præceptum Confeſſionis, quando reputetur medium idoneum, & neceſſarium ad gravem vincendam tentationem.* ibid.

CAPUT III.

De Veritate, & integritate Confeſſionis.

DOCTRINA.

I. *VEritas prima legitimæ Confeſſionis conditio.* 52
II. *Quando quis graviter circa lethale peccatum mentitur.* ibid.
III. *Quando circa ſolum venialia.* ibid.
IV. *Integritas materialis eſt in præcepto, quando haberi poſſit.* ibid.
V. *Neceſſaria eſt accurata, & ſollicita conſcientiæ diſcuſſio.* 53
VI. *Sufficit integritas formalis.* ibid.
VII. *Species peccatorum ſunt manifeſtanda.* ibid.
VIII. *Et eorum numerus.* 54
IX. *Et circumſtantiæ ſpeciem mutantes.* ibid.
X. *Nec non notabiliter aggravantes.* ibid.
XI. *S. Thomæ doctrina exponitur, & vindicatur.* 55
XII. *Peccata quoque dubia ſunt manifeſtanda, ſive dubium ſit juris;* ibid.
XIII. *Sive etiam ſolius facti.* 56
XIV. *Et peccata per oblivionem, etiam inculpabilem, omiſſa.* ibid.
XV. *Nec non effectus peccati.* ibid.
XVI. *Et peccandi conſuetudo.* 57

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *DEfectus examinis non excuſat ab integritate materiali Confeſſionis.* 58
II. *Quem certum numerum peccatorum pœnitens debeat confiteri.* ibid.
III. *Circumſtantiæ in Confeſſione aperiendæ enumerantur. Et* 1. Quis *explicatur.* ibid.
IV. *Exponitur circumſtantia* Quid. 59
V. *Et loci, ſive* Ubi. 60
VI. *Finis, & inſtrumentorum, ideſt* Quibus auxiliis, & Cur. ibid.
VII. *Modi, & temporis,* Quomodo, Quando. ib.
VIII. *Complicis quando reticenda, quando manifeſtanda Perſona.* ibid.
IX. *Quomodo cum ſcrupuloſis agendum.* 61
X. *Ad plenam, perfectamque Confeſſionem conditiones requiſitæ.* ibid.

CAPUT V.

De Cauſis excuſantibus ab integritate Confeſſionis.

DOCTRINA.

I. *IMpotentia phyſica ab integritate confeſſionis excuſat.* 63
II. *Et etiam impotentia moralis.* ibid.
III. *Quando hæc occurrat.* 64
IV. *Illicitæ dimidiandæ Confeſſionis cauſæ.* ibid.
V. *Ad Complicem celandum non licet Confeſſionem dimidiare.* ibid.
VI. *Reſervata peccata, & non reſervata ſunt eidem Confeſſario aperienda.* ibid.
VII. *Quomodo non liceat duplicem Confeſſarium habere.* 65
VIII. *Abſolvendus moribundus, qui poſtulavit Confeſſionem, licet confiteri non poſſit.* ibid.
IX. *Et quem Chriſtiane vixiſſe conſtat, licet nullum externum pœnitentiæ ſignum exhibeat, ut dicit S. Auguſtinus.* ibid.
X. *Confirmant nonnulla Ritualia.* 66
XI. *Probant nonnulli Theologi.* ibid.
XII. *Evincunt rationum momenta.* 67
XIII. *Objecta proponuntur.* ibid.
XIV. *Reſolvuntur.* ibid.

XV.

XV. *Publicis peccatoribus, & in actuali peccato morientibus quando ſit danda abſolutio.* 68

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Qui ex gravi culpabili negligentia in examine peccata omittit, graviter peccat.* 68
II. *Peccat ſacrilege, qui peccatum in Confeſſione ex pudore reticet.* 69
III. *Qui ſpecies tantum peccatorum exprimit, integre non confitetur.* ibid.
IV. *Pœnitentes moroſi, & ſcrupuloſi quomodo tractandi.* ibid.
V. *Peccata, Confeſſario dormienti dicta, ſunt repetenda.* ibid.
VI. *Abſolutio moribundis danda eſt ſub conditione.* 70
VII. *Non datur Confeſſio valida, & informis.* ibid.
Reflexio. 71

DISSERTATIO IV.

De Satisfactione.

CAPUT I.

De indole, neceſſitate, utilitate Satisfactionis.

DOCTRINA.

I. *Satisfactionis definitio traditur, & explicatur.* 73
II. *Satisfactio neceſſaria eſt, & utilis.* ibid.
III. *Juſti per Pœnitentiæ labores Deo ſatisfaciunt.* 74
IV. *Et quidem non ſolum de congruo, ſed & de condigno.* ibid.
V. *Satisfactio a Sacerdote impoſita partem conſtituit Sacramenti.* 75
VI. *Non tamen eſſentialem, ſed integralem.* ibid.
VII. *Utilis eſt etiam ad futura peccata præcavenda.* ibid.
VIII. *Pluribus modis Deo ſatisfacere poſſumus.* ib.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Opera ſatisfactoria eſſe debent pœnalia.* 76
II. *Quænam ſint opera pœnalia.* ibid.
III. *In peccato peracta pœnalia opera vim non habent ſatisfaciendi.* ibid.
IV. *Valent tamen ad præceptum, a Miniſtro impoſitum, implendum.* 77
V. *In gratia exiſtenti & remiſſionem pœnæ affert ſatisfactio, & gratiam ſanctificantem auget.* 78
VI. *Non valet Pœnitens pro uno peccato ſatisfacere, & non pro alio quoad reatum culpæ, & offenſæ; at quidem quoad reatum pœnæ temporalis.* ibid.

CAPUT III.

Antiquæ Eccleſiæ diſciplina de pœnalibus Satisfactionibus exponitur.

DOCTRINA.

I. *Antiqua Eccleſiæ diſciplina in Sacramento Pœnitentiæ ſeverior.* 79
II. *A primordiis Eccleſiæ ad medietatem ſecundi ſeculi nullum nondum tempus, vel gradus Pœnitentiæ conſtitutus.* ibid.
III. *Rigidior diſciplina adhibita uſque ad dimidium tertii ſeculi.* ibid.
IV. *Tertio ſeculo conſtituti Pœnitentium gradus, & efformati pœnitentiales Canones.* ibid.
V. *Primus gradus Pœnitentium. Fletus.* 80
VI. *Secundus gradus. Auditio.* ibid.
VII. *Tertius gradus. Subſtractio.* ibid.
VIII. *Quartus, & poſtremus gradus. Conſiſtentia.* ibid.
IX. *Epiſcopi poterant præfatorum graduum tempus vel protrahere, vel breviare.* ibid.
X. *Clerici majores veroſimilius publicæ Pœnitentiæ non ſubjiciebantur.* 81
XI. *Ex hac diſciplina exorti Canones Pœnitentiales.* ibid.
XII. *Quid ſignificent nonnullæ phraſes in laudatis canonibus adhibitæ.* ibid.
XIII. *Breviarium Canonum ex D. Caroli Inſtructionibus deſumptum.* ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Non omnino aboliti Pœnitentiales Canones.* 84
II. *Nec divinæ juſtitiæ rigor imminutus, nec Spiritus Eccleſiæ mutatus.* ibid.
III. *Publica Pœnitentia nec abolita eſt, nec abolenda; quomodo imponenda.* 85

CAPUT V.

De Pœnitentia a Sacerdote imponenda.

DOCTRINA.

I. *Duplex Pœnitentia, alia medicinalis, alia pœnalis.* 86
II. *Medicinales Pœnitentiæ quomodo præſcribendæ.* ibid.
III. *Pro Pœnitentiis pœnalibus ſervandæ Regulæ. Regula 1.* ibid.
IV. *Regula 2.* 87
V. *Regula 3.* ibid.
VI. *Regula 4.* 88
VII. *Regula 5.* ibid.
VIII. *Regula 6.* 89
IX. *Regula 7.* ibid.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. FAlſa rejicitur Caſuiſtarum doctrina. 90
II. Etiam pro venialibus, & mortalibus alias confeſſis eſt injungenda Pœnitentia. ibid.
III. Satisfactio neceſſario non eſt abſolutioni præmittenda. 91
IV. Qui opera ex præcepto debita omiſere, illis pro ſatisfactionis parte illorum impletio eſt injungenda. ibid.
V. Semel impoſitam ſatisfactionem Miniſter, qui impoſuit, mutare poteſt. 92
VI. Immo & alius ab eo diverſus. 93
VII. Quid agendum Confeſſario, qui imponendæ Pœnitentiæ, & Pœnitenti, qui impoſitæ obliviſcuntur. ibid.

CAPUT VII.

De Satisfactione a Pœnitente acceptanda, & implenda.

DOCTRINA.

I. PŒnitens tenetur ſatisfactionem acceptare, & implere. 94
II. Quomodo poſſit impoſitam ſatisfactionem recuſare. ibid.
III. Prompte pœnitentia implenda, & juxta tempus, & modum præſtitutum. 95
IV. Et quidem per ſe, non per alium. ibid.
V. Niſi Miniſter juſta de cauſa concedat. ibid.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. NOnnullæ laxæ ſententiæ indicantur. 96
II. Non licet ad gravem, ſed congruam Pœnitentiam declinandam a Miniſtro, abrupta confeſſione, recedere. 97
III. Non cenſetur commutare ſatisfactionem, qui juſſus jejunare juxta morem Eccleſiæ, ſponte in pane, & aqua jejunat. ibid.
Reflexio. ibid.

DISSERTATIO V.

De Sacramenti Pœnitentiæ miniſtro.

CAPUT I.

De Miniſtro Confeſſionis, & ſcientia requiſita ad judicis officium rite exercendum.

DOCTRINA.

I. SOlis Epiſcopis, & Presbyteris conceſſa abſolvendi a peccatis poteſtas. 100
II. Oſtenditur Scripturarum teſtimoniis, & traditione Eccleſiæ. ibid.
III. Scientia neceſſaria eſt Confeſſario. 101
IV. Quinam ea careant. ibid.
V. Quæ neceſſario noviſſe debet Confeſſarius. ibid.
VI. A Probabiliſtarum doctrinis abhorrere. 102
VII. Qualis, & quanta ſit ſcientia neceſſaria Confeſſariis. ibid.
VIII. Animi fortitudo Confeſſario neceſſaria. ibid.
IX. Nulla ſpe, vel timore, vel temporali reſpectu moveatur. ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. NUnquam Diaconis conceſſa poteſtas abſolvendi a peccatis. 103
II. Non ſemper defectus ſcientiæ in Confeſſario nullam reddit abſolutionem. ibid.
III. Non eſt neceſſe ad valorem abſolutionis determinatum judicium de qualitate, & quantitate peccatorum. 104
IV. Sufficit ad valorem abſolutionis notitia ſtatus Pœnitentis. ibid.
V. Non tenetur ſequi opinionem probabilem Pœnitentis. ibid.
VI. Num aliquando poſſit Pœnitentis opinioni ſe accommodare? ibid.

CAPUT III.

De juriſdictione in Confeſſario, ut Judice, requiſita.

DOCTRINA.

I. QUid ſit juriſdictionis poteſtas. 105
II. Neceſſaria eſt ad licite & valide abſolvendum. 106
III. Duplex eſt, alia ordinaria, alia delegata. ib.
IV. Quomodo delegata juriſdictio obtineatur. ibid.
V. Qui ordinariam habent juriſdictionem, ea uti poſſunt, & in aliena Diœceſi, non vero qui delegatam. 107
VI. In articulo mortis quilibet Sacerdos abſolvere poteſt. ibid.
VII. Nullus ſimplex Sacerdos ſine licentia Epiſcopi valide Confeſſiones excipere poteſt. 108
VIII. Adprobatus ab Epiſcopo alicujus Diœceſis poteſt etiam aliorum Epiſcoporum ſubditos ad ſe venientes abſolvere. ibid.
IX. Regulares ad ſuorum Concellitarum Confeſſiones audiendas Epiſcopi adprobatione non indigent. 109
X. Prælati delegatam juriſdictionem valent certis limitibus circumſcribere. ibid.
XI. Juriſdictio putativa aliquando ſufficit ad valide abſolvendum. ibid.
XII. Juriſdictio dubia, & probabilis non ſufficit ad valorem Sacramenti. 110
XIII. Nec probabilior, quando certa haberi poteſt. ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. PArochi nequeunt ſibi eligere in Confeſſarium Sacerdotem ab Epiſcopo non adprobatum, ſicut probabilius nec inferiores Prælati Regulares. 112

II.

II. *Simplex Sacerdos non valet nec a venialibus abſolvere.* ibid.
III. *Regularibus neceſſaria non eſt Epiſcopi licentia, ut aliorum Regularium Confeſſiones excipiant.* ibid.
IV. *Illicite Regulares excipiunt Confeſſiones Secularium ſola Epiſcopi conceſſione ſine ſuorum Superiorum conſenſu, & fortaſſis etiam invalide.* 113
V. *Regulares ſpeciali egent approbatione ad Monialium etiam ſibi ſubditarum Confeſſiones audiendas.* 114
VI. *Parochi non egent ulteriori adprobatione, niſi dimiſſa Parochia.* ibid.
VII. *Poſſunt Epiſcopi conceſſam Regularibus poteſtatem revocare.* 115
VIII. *Limitationes, & conditiones ab Epiſcopis appoſitæ quomodo intelligendæ.* ibid.
IX. *Non ceſſat delegata juriſdictio morte, vel tranſlatione Epiſcopi.* 116

CAPUT V.

De Caſuum Reſervatione.

DOCTRINA.

I. *IN quo poſita ſit Reſervatio caſuum.* 116
II. *Quinam poſſint hanc Reſervationem apponere.* ibid.
III. *Quomodo Regulares Prælati ſibi caſus valeant reſervare.* ibid.
IV. *Caſus Summo Pontifici reſervati.* 117
V. *Bulla Bened. XIV. auferentis poteſtatem abſolvendi complices.* ibid.
VI. *Et Epiſcopi quos caſus ſibi poſſunt reſervare.* ibid.
VII. *Nonnulla in Caſibus reſervatis notanda.* 118
VIII. *Peccata mere interna non ſunt reſervanda.* ibid.
IX. *Debent eſſe externa malitia mortalia.* ibid.
X. *Graviora, & atrociora.* 119
XI. *Et certa.* ibid.
XII. *Quodnam dubium a reſervatione liberet.* ibid.

CAPUT VI.

De Poteſtate abſolvendi a reſervatis.

DOCTRINA.

I. *A Reſervatis quinam poſſint abſolvere.* 119
II. *Quibus conveniat juriſdictio delegata.* 120
III. IV. *Quid conceſſum Epiſcopis a Tridentino.* ibid.
V. *Ampliſſima Regularium privilegia revocata, vel imminuta.* ibid.
VI. VII. VIII. *A quibus caſibus nequeunt abſolvere Regulares.* 121
IX. *Quibus Privilegiis gaudeant circa ſuos Religioſos.* ibid.
X. *A quibus nec ipſos valeant abſolvere.* 122
XI. *Num Prælati Regulares valeant ſuos ſubditos a cenſuris abſolvere.* ibid.

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *IGnorantia ſive Pœnitentis, ſive Confeſſarii reſervationem non tollit.* 123
II. *Impediti accedere ad Summum Pontificem abſolvi poſſunt ab Epiſcopis.* ibid.
III. *Ordo Eccleſiaſticus ſervandus etiam in articulo mortis.* ibid.
IV. *Quinam ſint Superiores Regulares, qui ſuos ſubditos valeant a reſervatis abſolvere.* 124
V. *Non licet abſolvere directe a non reſervatis, & indirecte a reſervatis.* ibid.
VI. *Inculpabiliter oblitus reſervata, ea pandere tenetur legitimo Miniſtro.* 125
VII. *Invalida eſt abſolutio a reſervatis data a non habente facultatem, licet inculpabiliter eam largiatur.* ibid.
VIII. *Quando reſervationi ſubſit, qui extra Diœceſim reſervantis crimen reſervatum committit.* 126
IX. *Confeſſarius delegatus pro reſervatis poteſtatis ſibi conceſſæ limites non tranſiliat.* ibid.

CAPUT VIII.

De forma in Sacramentali judicio adhibenda.

DOCTRINA.

I. *QUotupliciter exprimi poſſit abſolutionis forma.* 127
II. *Ex Inſtitutione Chriſti forma importat actum judicii.* ibid.
III. *Verba formæ non fuerunt a Chriſto determinata.* ibid.
IV. *Olim in Eccleſia Græca forma deprecativa in uſu fuit.* ibid.
V. *Et etiam nunc retineri probabile eſt.* 125
VI. *Validam eſſe plura oſtendunt argumenta.* ibid.
VII. *In Eccleſia Latina formulæ deprecativæ uſus obtinuit.* ibid.
VIII. *Qui tamen nec univerſalis, nec perpetuus fuit.* ibid.
IX. *Nunc ſolum obtinet forma indicativa.* 129

CAPUT IX.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *QUænam ſint verba formæ integre ex præcepto Eccleſiæ proferenda in Sacramento Pœnitentiæ.* 129
II. *Invocatio SS. Trinitatis non eſt de eſſentia formæ.* ibid.
III. *Nec probabilius verba* a peccatis tuis. 130
IV. *Bene quidem deſignatio ſubjecti per verbum* Te. ibid.
V. *Senſus formæ abſolutionis eſt effectivus.* ibid.
VI. *Non licet ſub conditione formam abſolutionis proferre.* 131
VII. *Abſolutioni a peccatis præmittenda abſolutio ab Excommunicatione.* ibid.

CA-

CAPUT X.

De Abſolutione neganda, & differenda.

DOCTRINA.

I. *ALiquando prudenter, & ſalubriter differtur abſolutio.* 131
II. III. IV. *Quibus, & quando.* 132
V. *Nulli ſit injuria, etiam piis hominibus, ſi quando differatur.* ibid.
VI. *Quando ſit neganda, vel differenda abſolutio. Regula I.* ibid.
VII. *Regula II.* VIII. *Regula III.* 133
IX. *Regula IV.* X. *Regula V.* 134
XI. *Regula VI.* XII. *Regula VII.* XIII. *Regula VIII.* 135.
XIV. *Regula IX.* 136

CAPUT XI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *PRudenter conſuetudinariis etiam prima vice differtur abſolutio.* 136
II. *Relapſis non eſt danda abſolutio, nec poſt qualemcumque emendationem.* 137
III. *Relapſus non ſemper validum præbet argumentum fictæ Pœnitentiæ.* 138
IV. *In occaſione proxima verſantur, qui in ea ſemper peccant, licet raro occurrat.* ibid.
V. *Occaſio proxima peccandi eſt abrumpenda, etiam cum periculo vitæ, famæ, & bonorum temporalium.* 139
VI. *Confeſſarius munus ſuum relinquere debet, ſi ſit illi occaſio peccandi.* ibid.
Reflexio. 140

CAPUT XII.

De Confeſſario Doctore, & Medico.

DOCTRINA.

I. *COnfeſſarius Doctoris, & Medici ſuſtinet officium.* 140
II. *Interrogare debet Pœnitentes* 141
III. *Quomodo interrogare debet ex S. Thoma.* ibid.
IV. *Quomodo ex S. Carolo.* ibid.
V. VI. *Pœnitentium ignorantiam pernicioſam expellere tenetur.* ibid. & ſeq.
VII. *Quomodo munus Doctoris, & Medici rite explere poſſit.* 142
VIII. *Confeſſionem, quam audire incœpit, perficere tenetur.* ibid.
IX. *Quando poſſit Pœnitentes opinioni ſe accommodare?* ibid.
X. *Crimen, & pœnæ Confeſſarii ad turpia ſollicitantis.* 143
XI. *Num qui ad alia crimina ſollicitant, ſint denuntiandi.* ibid.

CAPUT XIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *COnfeſſarius eſſe debet a culpa, & cenſura immunis.* 143
II. *Interrogare, & monere Pœnitentem peccatum ſuum celantem.* 144
III. *Quænam ſint faciendæ opportunæ interrogationes.* ibid.
IV. *In mulierum Confeſſionibus audiendis obſervanda.* ibid.
V. *Quinam rei ſint ſollicitationis ex parte modi.* 145
VI. *Quinam ex parte loci, & temporis.* ibid.
VII. *Quinam prætextu, & occaſione Confeſſionis.* ibid.
VIII. *Quinam teneantur ſollicitantes denuntiare.* ibid.
IX. *Pœnæ contra ſollicitantes latæ.* 146
X. *Qui falſo de ſollicitatione accuſant, excommunicatione feriuntur.* ibid.
XI. *Confeſſarius ſumma cura deligendus.* ibid.
XII. *Electus non facile mutandus.* 147

CAPUT XIV.

De Sigillo Confeſſionis.

DOCTRINA.

I. *PErpetuum fuit ſtatutum Sacramentale Sigillum.* 148
II. *Ad ejus cuſtodiam triplici titulo tenentur Confeſſarii.* ibid.
III. *Ex quacumque Confeſſione oritur Sacramentale ſecretum.* ibid.
IV. *Quænam ſub ſigillo cadant.* 149
V. *Quando loqui fas ſit de auditis in Confeſſione, & alio modo.* ibid.
VI. *Nec cum ipſo Pœnitente extra Confeſſionem loqui licet.* ibid.
VII. *Num concedenda ſchedula de peracta Confeſſione petentibus.* ibid.
VIII. *Non licet uti notitia Confeſſionis in externa gubernatione.* 150
IX. *Nec ad quodcumque damnum vitandum audita in Confeſſione pandere.* ibid.

CAPUT XV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *SIgilli violatio ſemper lethale peccatum eſt.* 151
II. *Sigillo tegendum quidquid oneroſam reddere poteſt Confeſſionem.* ibid.
III. *Nulla lege cogi poteſt Confeſſarius ad audita in Confeſſione dicenda.* ibid.
IV. *Præter Confeſſarium, & alii lege ſigilli tenentur.* 152
Reflexio. ibid.

DISSERTATIO VI.

De Cenſuris.

PARS PRIMA.

De Cenſuris in genere.

CAPUT I.

Definitio Cenſuræ traditur, ejuſque diviſio.

DOCTRINA.

I. C*Enſuræ definitio traditur.* 154

II. III. IV. *Ejuſque variæ diviſiones.* ibid.

CAPUT II.

De habentibus poteſtatem ferendi Cenſuras, & de modo ab eis ſervando.

DOCTRINA.

I. E*Ccleſiæ data eſt poteſtas ferendi Cenſuras.* 155

II. *Quinam poteſtate ordinaria ferre poſſint Cenſuras.* ibid.

III. *Prælati Regulares Cenſuras ferre poſſunt.* ibid.

IV. *Quinam poteſtate delegata valeant Cenſuras indicere.* ibid.

V. *Quæ forma ſervanda in ferenda Cenſura.* 156

VI. *Monitio quando, & quomodo præmittenda.* ib.

VII. *Quando denuntiatio ſit neceſſaria.* ibid.

CAPUT III.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. Q*Uænam ſint Cenſuræ minus proprie tales.* 156

II. *Cenſuræ aliæ validæ, aliæ invalidæ, aliæ juſtæ, aliæ injuſtæ.* 157

III. *Quando Archiepiſcopi, vel Epiſcopi ferre Cenſuras non poſſint.* ibid.

IV. *Poteſtas ferendi Cenſuras acquiritur conſuetudine, & præſcriptione.* ibid.

V. *Ferri non poteſt extra proprium Territorium.* 158

VI. *At in ſubditum, licet in aliam Diœceſim ſe recipiat.* ibid.

VII. *Cenſuram nemo poteſt ferre in ſeipſum, vel in propria cauſa, vel in æqualem, vel in ſuperiorem.* ibid.

CAPUT IV.

De Cauſis, & Subjectis Cenſurarum.

DOCTRINA.

I. C*Enſura ferri non poteſt, niſi ob culpam.* 158

II. *Nec per modum legis, vel ſtatuti, niſi in re gravi.* ibid.

III. *Quando Cenſuris ſubjaceant etiam mandantes, conſulentes, &c.* 159

IV. *Quid requiratur, ut quis ſit Cenſuris obnoxius.* ibid.

V. *Quando ad Cenſuram requiratur contumacia.* ib.

VI. *Quinam Cenſuris non ſubjaceant.* ibid.

CAPUT V.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. N*Um levis cenſura infligi poſſit pro veniali culpa.* 160

II. *Quando innocentes cenſuris ſubjiciantur.* ibid.

III. *Hortantes, & conſulentes ſubjiciuntur cenſuræ contra eos latæ.* ibid.

IV. *Quando mandantes.* ibid.

V. *Quando conſulentes.* 161

VI. *Quis poteſt a pluribus, & multiplicatis cenſuris gravari.* ibid.

CAPUT VI.

De cauſis a Cenſura excuſantibus.

DOCTRINA.

I. P*Lures cauſæ a Cenſura incurrenda excuſant.* 161

II. *Quando excuſat neceſſitas, & impotentia.* 162

III. *Quando ignorantia.* ibid.

IV. *Ignorantia invincibilis ſicut a culpa, ita & a pœna excuſat.* ibid.

V. *At minime ignorantia affectata.* ibid.

VI. *Num ignorantia vincibilis cenſuræ ab ea liberet.* ibid.

VII. *Num ignorantia vincibilis, quæ non excuſat a culpa, excuſat a cenſura.* ibid.

VIII. *Quomodo innocentia excuſat a cenſura.* 163

IX. *Appellatio quando cenſuram impediat.* ibid.

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. P*Ueri ante uſum rationis non ligantur cenſuris.* 163

II. *Quid agere debeat dubius de cenſuris.* ibid.

III. *Num Peregrini ligentur cenſuris locorum, per quæ tranſeunt.* 164

IV. *Valida, & legitima eſt ſententia cenſuræ inflicta ſecundum allegata, & probata.* ibid.

V. *Appellatio illegitima non ſuſpendit cenſuram.* 165.

VI. *Excuſat a cenſura beneplacitum illius in cujus favorem indicta eſt.* ibid.

CAPUT VIII.

De Poteſtate abſolvendi a Cenſuris.

DOCTRINA.

I. R*Egulæ generales de poteſtate abſolvendi a Cenſuris.* 166

II. *Regula I.* ibid.

III.

III. *Regula II.* ibid.
IV. *Regula III.* ibid.
V. *Regula IV.* 167
VI. *Regula V.* ibid.

CAPUT IX.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *ABſolutio a Cenſuris dari poteſt etiam extra Sacramentum.* 167
II. *Cenſura tollenda eſt per abſolutionem a Superiore dandam.* 168
III. *Abſolutio per vim, & metum extorta, vel fraude impetrata nulla eſt.* ibid.
IV. *Peccant, qui abſolutionem a cenſuris obtinere non ſollicitant.* ibid.
V. *Abſolvi quis poteſt a cenſuris etiam invitus.* ib.
Reflexio. 169

DISSERTATIONIS VI.

PARS ALTERA.

Quæ eſt de Cenſuris ſingillatim.

CAPUT I.

De Excommunicatione in communi.

Doctrina.

I. *DEfinitio traditur Excommunicationis, & diviſio in majorem, & minorem.* 170
II. *Bona, quibus privantur excommunicati, in triplici claſſe continentur.* ibid.
III. *Excommunicati alii tolerati, alii vitandi.* ib.
IV. *Excommunicati quando peccent Sacramenta miniſtrando.* 171
V. *Quibus, & quando Sacramenta valide ab iſtis adminiſtrentur.* ibid.
VI. *Quando peccent Sacramenta recipiendo.* ibid.
VII. *Repelluntur a celebratione, & aſſiſtentia divinorum officiorum.* ibid.
VIII. *Privantur ſuffragiis Eccleſiæ, & ſepultura in loco ſacro.* 172
IX. *Sunt inhabiles ad Beneficia obtinenda.* ibid.
X. *Omni juriſdictione privantur.* ibid.
XI. *Quinam excommunicati priventur civili communicatione publica.* ibid.
XII. *Et etiam privata.* 173
XIII. *Qui communicant in civilibus cum excommunicato vitando, non ſemper mortaliter peccant.* ibid.
XIV. *Et aliquando nec venialiter, nec minorem incurrunt excommunicationem.* ibid.
XV. *Quid ſit Excommunicatio minor.* ibid.
XVI. *Quinam, & qua de cauſa ſubjiciantur Excommunicationi.* ibid.

CAPUT II.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *NOn licet ab excommunicatis Sacramenta petere.* 174
II. *Qui cogunt celebrare coram vitandis excommunicatis, anathemate feriuntur.* ibid.
III. *Quando peccet excommunicatus non audiens Miſſam in die feſto, vel non communicans in Paſchate.* ibid.
IV. *Excommunicatus invalide obtinet Beneficium, nec facit fructus ſuos.* ibid.
V. *Beneficiarius excommunicatione perculſus non amittit Beneficium, ſed fructus reſtituere tenetur, at non ante ſententiam judicis.* 175
VI. *Reſignatio Beneficii ab excommunicato facta valida eſt.* ibid.
VII. *Ab omni canonica electione repelluntur excommunicati.* ibid.
VIII. *Pœnæ in ſepelientes excommunicatos vitandos in loco ſacro enumerantur.* 176
IX. *Subditi, & Vaſſalli cum Principe etiam excommunicato vitando ſubjectionis commercium ſervare poſſunt, & debent.* ibid.
X. *Corpus politicum feriri non poteſt excommunicatione.* ibid.

CAPUT III.

De Excommunicatione Canonis adverſus percuſſores Clericorum.

Doctrina.

I. *CAnon refertur Concilii Lateranenſis.* 176
II. *Quinam Clerici nomine deſignentur.* 177
III. *Quænam hujus Canonis pœnæ ſubjiciantur.* ib.
IV. *Quid ſit manus violentas inferre.* ibid.
V. *Quid ſignificent verba* ſuadente Diabolo. ibid.
VI. *Quotuplex diſtinguenda percuſſio.* 178
VII. *Quinam poſſint ab hac excommunicatione abſolvere.* ibid.
VIII. *Quinam excuſentur ab ea incurrenda.* ibid.

CAPUT IV.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *NOtorii Clericorum percuſſores ſunt vitandi.* 178
II. *Quinam Clerici privilegio Canonis non fruantur.* ibid.
III. *Jubentes, conſulentes percuſſionem Clerici Excommunicationi ſubjiciuntur.* 179
IV. *Et etiam non impedientes.* ibid.
V. *Ratam habentes ſuo nomine factam.* ibid.
VI. *A quo ſint abſolvendi Regulares, percutientes Clericum ſæcularem, vel alterius Ordinis Religioſum.* ibid.

CAPUT V.

De excommunicatione in Monomachos.

Doctrina, et Conſectaria.

I. *PUgnantes in duello ſubjiciuntur anathemati.* 179
II. *Licet mors, vel mutilatio non ſequitur.* ibid.
III. *Patrini quoque, & ſocii duellantium.* ibid.
IV. *Nec non adjutores, & conſulentes.* ibid.

V. *Et ſcripta, aut manifeſta vulgantes, ſcribentes, indicentes &c.* ibid.
VI. *Spectantes quoque de induſtria.* ibid.
VII. *Monomachi eccleſiaſtica ſepultura privantur.* ibid.
VIII. *Quænam ſit pugna inter duos huic pœnæ non obnoxia.* ibid.
IX. *Quando duelli ſpectatores non ſubjaceant excommunicationi.* ibid.
X. *Quinam ab excommunicatione poſſint liberare.* ibid.

CAPUT VI.

De Suſpenſione.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *SUſpenſionis definitio.* 181
II. *Ejus prima diviſio.* ibid.
III. *Aliæ diviſiones.* ibid.
IV. *Quando ſuſpenſus ab Ordine ſit & a juriſdictione ſuſpenſus.* ibid.
V. *Suſpenſus a juriſdictione, quæ Ordinis munia non valeat exercere.* 182
VI. *Suſpenſus abſolute a beneficio, ab omnibus, quæ obtinet, eſt ſuſpenſus.* ibid.
VII. *Et pariter omnibus fructibus beneficii privatur.* ibid.
VIII. *Quinam poſſint ſuſpenſionem indicere.* ibid.
IX. *Quomodo tollatur ſuſpenſio.* ibid.
X. *Pœna violantibus ſuſpenſionem indictæ.* 183
XI. *De depoſitione, & degradatione.* ibid.

CAPUT VII.

De Interdicto.

DOCTRINA.

I. *INterdicti definitio.* 183
II. *Ejus diviſio prima.* 184
III. *Altera diviſio.* ibid.
IV. *Tertia diviſio.* ibid.
V. *Qua de cauſa ferri poſſit Interdictum.* ibid.
VI. *Effectus Interdicti enumerantur.* ibid.
VII. *Quid divini Officii nomine intelligatur.* ib.
VIII. *Quænam Sacramenta miniſtrare Interdicti tempore vetitum ſit.* 185
IX. *Quibus denegetur Eccleſiaſtica ſepultura Interdicti tempore.* ibid.
X. *Pœnæ in violatores Interdicti exponuntur.* ibid.
XI. *A quibus auferri poteſt Interdictum.* 186
XII. *Ad Interdictum accedit ceſſatio a Divinis.* ibid.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *INterdictum generale perſonale non infert interdictum locale.* 186
II. *Quinam excipiendi in interdicto generali perſonali.* ibid.
III. *Notanda in Conceſſione Bonifacii VIII.* 187
IV. *Quid agendum indicta ceſſatione a Divinis.* ibid.

CAPUT IX.

De Irregularitate in communi.

DOCTRINA.

I. *IRregularitatis definitio.* 187
II. *Ejus diviſio.* ibid.
III. *Enumerantur irregularitatis ex delicto, & defectu.* 188
IV. *Effectus irregularitatis explicantur.* ibid.
V. *Num ignorantia excuſet ab irregularitate.* ib.
VI. *Quomodo tollatur.* ibid.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *IRregularitati nemo ſubjicitur, niſi in caſibus in jure expreſſis.* 188
II. *Quando irregularitas conſecutionem Beneficii impedit.* 189
III. *Irregularis Beneficium obtinens non facit fructus ſuos.* ibid.

CAPUT XI.

De Irregularitatibus ex delicto.

DOCTRINA.

I. *QUando ex homicidio neceſſario, vel volun-*
II. *tario oriatur irregularitas.* 189
III. *Num cooperantes homicidio irregularitati ſubjiciantur.* ibid.
III. *Quando ex homicidio caſuali oriatur irregularitas.* 190
IV. *Quinam diſpenſare poſſunt in irregularitate ex homicidio.* ibid.
V. *Quando incurritur irregularitas ex iteratione Baptiſmi.* ibid.
VI. *Quando quis ex prava Ordinum ſuſceptione irregularis efficiatur.* 191
VII. *Quando ex violatione cenſurarum.* ibid.
VIII. *Hæretici, & Apoſtatæ ſunt irregulares.* ib.

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *OCciſio ad defenſionem vitæ commiſſa irregularitatem olim inducebat.* 191
II. *Nonnullorum Caſuiſtarum falſæ Doctrinæ exponuntur.* 192
III. *Quinam irregularitati ſubjiciantur ob occiſionem in defenſione vitæ.* ibid.
IV. *Qui ante Confirmationem Ordines ſuſcipit, non eſt irregularis.* ibid.
V. *Nec qui violat præceptum non exercendi ſacros Ordines.* ibid.

CAPUT XIII.

De Irregularitatibus ex defectu.

Doctrina.

I. *Quando corporis vitio quis ſit irregularis.* 193
II. *Quando ratione deformitatis.* ibid.
III. *Diſcrimen inter defectus præcedentes, & ſubſequentes Ordines.* ibid.
IV. *Quis ab hac irregularitate diſpenſat.* ibid.
V. *Quænam ſint irregulares defectu ætatis.* ibid.
VI. *Quinam ex defectu libertatis.* 194
VII. *Illegitimi quando ſint irregulares.* ibid.
VIII. *Defectus rationis, ſcientiæ, & fidei, quando irregularitatem inducat.* ibid.
IX. *Bigamiæ ſpecies, ſive modi explicantur.* 195
X. *Quid ad eam conſtituendam requiratur.* ibid.
XI. *Inducit irregularitatem.* ibid.
XII. *Quis in hac irregularitate diſpenſet.* ibid.
XIII. *Num Prælati Regulares diſpenſare valeant.* 196
XIV. *Infamia irregularitatem inducit.* ibid.
XV. *Quinam ob infamiam irregulares ſint.* ibid.
XVI. *Quomodo hæc irregularitas tollatur.* ibid.
XVII. *Defectus lenitatis irregularitatem cauſat.* 197
XVIII. *Quando milites fiant irregulares.* ibid.
XIX. *Quando Medici, & Chirurgi.* ibid.

CAPUT XIV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quomodo computanda ætas ad Ordines requiſita.* 197
II. *Num infantes expoſiti ſint illegitimi.* 198
III. *Quando nati ante Matrimonium ex ipſo fiunt legitimi.* ibid.
IV. *Quando infirmitas ſuperveniens ordinatis irregularitatem inducat.* ibid.
V. *Bigamia etiam cum unica uxore habitando contrahitur.* ibid.
VI. *Quando Eccleſiaſtici ex defectu lenitatis ab irregularitate ſint immunes.* 199
Reflexio. ibid.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS

PARS SEXTA.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

DISSERTATIO UNICA.

CAPUT I.

Extremæ Unctionis definitio. Verum eſſe Sacramentum oſtenditur. Materia & forma ſtatuuntur.

Doctrina.

I. *Extremæ Unctionis definitio traditur.* 201
II. *Dignitas Sacramenti illi convenit.* ibid.
III. *Probatur argumento præſcriptionis.* ibid.
IV. *Et diſcuſſionis.* 202

V. *Materia eſt oleum olivarum.* ibid.
VI. *Et quidem benedictum.* ibid.
VII. *Ab Epiſcopo.* ibid.
VIII. *Unctio materia proxima.* ib.
IX. *Forma Sacramenti eſſe debet deprecativa.* 203
X. *In aliquibus tamen Eccleſiis olim adhibita indicativa.* ib.
XI. *Latinæ Eccleſiæ forma exhibetur.* ibid.

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Inſtitutum fuit a Chriſto Sacramentum Extremæ Unctionis.* 203
II. *Sine oleo ab Epiſcopo benedicto non eſt danda unctio extrema.* ibid.
III. *In quibus membris ſit unctio adhibenda.* 204
IV. *Non omnia formæ verba ſunt de eſſentia, ſed omnia de præcepto.* ibid.

CAPUT III.

De Miniſtro, & ſubjecto Sacramenti Extremæ Unctionis.

Doctrina.

I. *Soli Sacerdotes Miniſtri Extremæ Unctionis.* 204
II. *Unus ſufficit.* ibid.
III. *Non tamen licite a quolibet Sacerdote confertur.* 205
IV. *Infirmis dandum.* ibid.
V. *Quando ſit pueris miniſtrandum.* ibid.
VI. *Utrum dandum amentibus.* ibid.
VII. *Quibus etiam morituris non ſit concedendum.* ib.

CAPUT IV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Neceſſitate urgente licet cuilibet Sacerdoti Extremam Unctionem dare.* 206
II. *Non reprobatur mos Græcorum plures adhibendi Miniſtros.* ibid.
III. *Numquam data ſanis extrema unctio, nec in Latina, nec in Græca Eccleſia.* ibid.
IV. *Quando ſit mulieribus in partu periclitantibus danda.* ibid.
V. *Quando repentino morbo correptis, & ſenſibus deſtitutis.* 207

CAPUT V.

De Præcepto, & tempore recipiendi hoc Sacramentum, & de ejus iteratione.

Doctrina.

I. *Num Extremæ Unctionis ſuſceptio ſit in præcepto.* 207
II. *Danda poſt Viaticum.* ibid.
III. *Periculoſa ægritudo ſufficit ad dandam Extremam Unctionem.* 208
IV. *Peccant, qui differunt ad extremum halitum.* ib.
V. *Ad hoc Sacramentum licite recipiendum requiritur ſtatus gratiæ.* ibid.

VI. *Et actualis devotio ad utilius ſuſcipiendum.* ibid.
VII. *Iterari poteſt, non tamen in eodem vitæ diſcrimine.* 209

CAPUT VI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Doctrina Haberti, & Colleti expenditur.* 209
II. *Quando iteranda Extrema Unctio.* 210
III. *Parochi etiam lue infectis Unctionem ſanctam tenentur exhibere.* ibid.

CAPUT VII.

De Effectibus Extremæ Unctionis.

Doctrina, et Consectaria.

I. *Effectus bujus Sacramenti enumerantur.* 211.
II. *Gratia peccatorum remiſſiva confertur.* ibid.
III. *Non tamen per ſe primo gratia lethalium remiſſiva.* ibid.
IV. *Alter effectus auxilia gratiæ.* ibid.
V. *Tollit peccati reliquias.* 212
VI. *Et reatum pœnæ temporalis remittit.* ibid.
VII. *Et corporalem ſanitatem aliquando affert.* ibid.
VIII. *Raro tamen ob defectum in ſuſcipiente.* ibid.
IX *Servandæ eccleſiaſticæ cæremoniæ in ejus adminiſtratione.* ibid.
Reflexio. 213

TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

PARS SEPTIMA.

De Sacramento Ordinis.

DISSERTATIO I.

De Ordine in communi.

CAPUT I.

Ordinis definitio, Dignitas Sacramenti, & Ordinum numerus declarantur.

Doctrina.

I. *Datur in Eccleſia Eccleſiaſtica Hierarchia.* 215
II. *Quæ non in carnis ſucceſſione, ſed in electione conſiſtit.* ibid.
III. *Ordinis definitio.* ibid.
IV. *Inſtitutus a Chriſto Ordo.* 216
V. *Qui eſt veri nominis Sacramentum.* ibid.
VI. *Quod oſtenditur argumento præſcriptionis.* ibid.
VII. *Et argumento diſcuſſionis.* ibid.
VIII. *Unum eſt Ordinis Sacramentum.* ibid.
IX. *Ordinum numerus.* 217

CAPUT II.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Presbyteratum eſſe Sacramentum de fide eſt.* 217
II. *Diaconatum eſſe Sacramentum prope ad fidem accedit.* ibid.
III. *An ceteri Ordines vere ſint Sacramenta.* ibid.
IV. *Tonſura non eſt Ordo, nec Epiſcopatus Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum.* ibid.

CAPUT III.

De Miniſtro Sacramenti Ordinis.

Doctrina.

I. *Solùs Epiſcopus eſt ſacræ Ordinationis Miniſter ordinarius.* 218
II. *Poteſtate ordinandi nunquam privari poteſt Epiſcopus.* ibid.
III. *Licite non ordinat niſi ſibi ſubditum.* 219
IV. *Quinam ſit ſubditus Epiſcopi ratione originis.* ibid.
V. *Quinam titulo domicilii.* ibid.
VI. *Quinam ratione Beneficii.* ibid.
VII. *Quis ſit Regularium proprius Epiſcopus.* ibid.
VIII. *Quibus ex privilegio conceſſum ſit aliquos Ordines conferre.* ibid.
IX. *Quid poſſint Abbates.* 220

CAPUT IV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Statuta Concilii Tridentini circa Ordinationes.* 220
II. *Origo Matris quando ſufficiat ad Domicilium conſtituendum.* ibid.
III. *Quid requiritur, ut quis titulo Beneficii Ordines accipiat.* ibid.
IV. *Epiſcopus quam debeat babere in ordinando intentionem.* 221

CAPUT V.

De Materia, & forma ſacræ Ordinationis in communi.

Doctrina, et Consectaria.

I. *Manus impoſitio eſſentialis in Ordinibus Hierarchicis.* 221
II. *Inſtrumentorum quoque traditio ſervanda.* ibid.
III. *Saltem ut pars integralis Ordinis.* ibid.
IV. *In quo ſita ſit Sacræ Ordinationis forma.* 222
V. *Materia, & Forma inferiorum Ordinum indicantur.* ibid.
VI. *Eſt neceſſarius contactus phyſicus materiæ.* ib

CA-

CAPUT VI.

De Subjecto Ordinis.

DOCTRINA.

I. *CHaracter Baptiſmi præſupponitur in ſubjecto, ut Ordines recipere poſſit.* 222
II. *Et Character Confirmationis, ut licite.* ibid.
III. *Nec non uſus rationis.* ibid.
IV. *Non tamen ut valide, ſed ut licite conferantur.* 223
V. *Adulti inviti, & recuſantes invalide ordinantur.* ibid.
VI. *Requiritur & ſtatus gratiæ.* ibid.
VII. *Sunt recta ſerie Ordines ſuſcipiendi.* 224
VIII. *Dimiſſoriales Litteræ quando ſint neceſſariæ.* ibid.
IX. *Aliæ conditiones pro licita Ordinatione indicantur.* ibid.

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *DIaconiſſæ nullo erant Ordine inſignitæ.* 224
II. *In ſuſcipiente Ordines requiritur intentio eos recipiendi.* ibid.
III. *Divina vocatio.* 225
IV. *Bona, & recta intentio, ſeu finis.* ibid.
V. *Quinam Clericalem ſtatum eligere non debeant.* ibid.

CAPUT VIII.

De Tempore tum conferendi, tum ſuſcipiendi Ordines.

DOCTRINA.

I. *QUo tempore conferri, & ſuſcipi debeant Ordines.* 226
II. *Debent conferri in Miſſa.* ibid.
III. *Et quidem ab ipſo Ordinante celebrata.* ibid.
IV. *Sunt & interſtitia ſervanda.* ibid.
V. *Et tempora conſtituta, niſi adſit ſpeciale privilegium, quod Regularibus conceſſum eſt.* 227
VI. *Quod dubium non efficiunt aliquorum Doctorum objecta.* ibid.
VII. *Quæ diluuntur.* ibid.

CAPUT IX.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *AB interſtitiis ſoli Epiſcopi diſpenſare poſſunt.* 228
II. *Num liceat eodem die Minores Ordines, & Subdiaconatum conferre.* ibid.
III. *Non licet duos Ordines Majores una Ordinatione conferre.* 229
IV. *Peccat, qui non ſervatis interſtitiis Ordines ſuſcipit.* ibid.
V. *Privilegio donatus, ut tribus diebus ordinari poſſit, quid ſervare debeat.* ib.

CAPUT X.

De Sacramenti Ordinis Effectibus.

DOCTRINA.

I. *IN Sacramento Ordinis confertur gratia ſanctificans.* 229
II. *Et gratia Sacramenti propria.* 230
III. *Imprimitur Charaẞter.* ibid.
IV. *Num tot ſint* Characteres, quot Ordines. ib.
Reflexio. ibid.

DISSERTATIO II.

De Sacris Ordinibus ſingillatim.

CAPUT I.

De Tonſura, & minoribus Ordinibus.

DOCTRINA.

I. *QUid ſit prima Tonſura.* 233
II. *Quibus conferenda.* ibid.
III. *Quibus gaudeant privilegiis Tonſurati.* ibid.
IV. *In quo examinandi.* ibid.
V. *Minorum Ordinum inſtitutio antiquiſſima.* 234
VI. *Oſtiarii munia, & officia.* ibid.
VII. *Quid ſit Lectoratut, & ejus officia.* ibid.
VIII. *Quid ſit Exorciſtatus.* ibid.
IX. *Quid Acolythatus.* ibid.
X. *Quænam ſcientia in Ordinandis requiratur.* 235

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *QUi ſine animo Clericalem ſtatum amplectendi Beneficium obtinet, fructus ſuos non facit.* 235
II. *Epiſcopus Tonſuram in alieno territorio, vel alterius ſubdito conferre non poteſt.* ibid.
III. *Quid agendum cum Græco Clerico ad Latinum ritum tranſeuntes.* ibid.

CAPUT III.

De Subdiaconatu, ejuſque oneribus.

DOCTRINA.

I. *SUbdiaconatus antiqua inſtitutio.* 236
II. *Ejus materia, & forma tum apud Latinos, tum apud Græcos.* ibid.
III. *Officia, & miniſteria.* ibid.
IV. *Lex continentiæ indicitur Subdiaconis.* ibid.
V. *Et onus recitandi Horas Canonicas.* ibid.
VI. *Quænam in illis ſcientia requiratur.* ibid.

VII. *Quomodo poſteriora ſponſalia priora tollant.* 268
VIII. *Morbus ſuperveniens, vel detectus ſponſalia infirmare poteſt.* ibid.
IX. *Affinitas ſuperveniens dirimit ſponſalia.* ibid.
X. *Infamia eſt juſta cauſa dirimendi ſponſalia.* 269
XI. *Invalida ſunt ſponſalia a filiis-familias cum impari, vel indigna celebrata inſciis, vel invitis parentibus.* ibid.
XII. *Etiamſi ſint ſtupro conjuncta.* ibid.
XIII. *Si ſint cum honeſta, & cum pari contracta valida eſſe poſſunt, ſed diſſentiente Patre diſſolvuntur.* 270
XIV. *Notabilis mutatio ſuperveniens ſponſalia dirimere valet.* ibid.

CAPUT VIII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. IMpudicitia, oſcula, tactus &c. præbent juſtam dirimendi ſponſalia cauſam. 271
II. *Licet ſponſo ſponſæ fornicationem judici detegere ad dirimenda ſponſalia.* ibid.
III. *Ordinum minorum ſuſceptio num dirimat ſponſalia.* ibid.
IV. *Quando votum Religionis, ſubſequens ſponſalia, ea licite dirimat.* ibid.
V. *Quando votum ſimplex caſtitatis ſubſequens.* 272
VI. *Si vota Religionis, & caſtitatis præcedunt ſponſalia, ea nulla, & illicita reddunt.* ibid.
VII. *Contradictio parentum juſtam non præbet cauſam diſpenſandi a trina denuntiatione.* 273
VIII. *Quando liceat filiis-familias ſine conſenſu parentum licite, & valide ſponſalia celebrare.* ibid.
IX. *Ad dirimenda ſponſalia non ſemper judicis ſententia requiritur.* ibid.
Reflexio. 274

DISSERTATIO II.

De Matrimonio.

CAPUT I.

De Matrimonio, ut naturali & civili Contractu.

Doctrina.

I. VAria Matrimonii nomina. 275
II. *Quot modi ſpectari poſſit Matrimonium.* ib.
III. *Definitio Matrimonii ut contractus.* ibid.
IV. *Cauſæ Matrimonium conſtituentes.* ibid.
V. *Triplex Matrimonii diviſio.* 276
VI. *Nullum in nova Lege præceptum Matrimonii.* ibid.

CAPUT II.

De Matrimonio, Eccleſiæ Sacramento.

Doctrina.

I. MAtrimonii definitio, quatenus Sacramentum. 276
II. *Inter Sacramenta enumerandum oſtendit Scriptura.* ibid.
III. *Confirmat argumentum præſcriptionis.* ibid.
IV. *Et diſcuſſionis.* 277
V. *Et Concilia.* ibid.
VI. *Characteres, & notæ veri Sacramenti Matrimonio conveniunt.* ibid.
VII. *Materia, forma, & Miniſter inquiruntur.* ib.
VIII. *Doctrina S. Thomæ exponitur.* 278
IX. *Ab objectis vindicatur.* ibid.
X. *Confirmatur ratione.* 279
XI. *Objecta proponuntur.* ibid.
XII. *Diſſolvuntur.* 280

CAPUT III.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. NEc in Lege naturæ, nec in Lege ſcripta Matrimonium fuit Sacramentum. 280
II. *Matrimonium aliquando eſt in præcepto.* 281
III. *Quo fine & intentione ſit celebrandum Matrimonium.* ibid.
IV. *Ad eſſentiam Matrimonii non pertinet carnalis copula.* ibid.
V. *Matrimonium cum præcedente conditione excludente copulam nullum eſt.* 282
VI. *Peccant, qui Sacerdotalem benedictionem non accipiunt.* ibid.
VII. *Secundæ, & ulteriores nuptiæ ſunt Sacramentum.* ibid.

CAPUT IV.

De Subjecto Sacramenti Matrimonii.

Doctrina.

I. QUinam generaliter a Matrimonio repellantur. 283
II. *Matrimonium ante pubertatem celebratum nullum eſt.* ibid.
III. *Matrimonia inter abſentes per Procuratorem celebrata licita, & valida.* ib.
IV. *Cum hæreticis valida, ſed illicita.* 284
V. *Sicut & celebrata invitis parentibus.* ibid.
VI. *Quando amentes contrahere non poſſint.* ibid.

CAPUT V.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. COnditiones Procuratoris, ut valide pro alio Matrimonium celebret. 285
II. *Conſenſus Mandantis præſens tempore celebrati per Procuratorem Matrimonii ſufficit ad valorem illius.* ibid.
III. *Num aliquando licitum eſſe poſſit Matrimonium inter Catholicos, & Hæreticos?* ibid.

CAPUT VI.

De Conſenſu ad Matrimonium requiſito.

Doctrina.

I. GEnerales conſenſus in Matrimonio conditiones enumerantur 286

II. *Conſenſus debet eſſe verus.* ibid.
III. *Quem apponere tenentur, qui ficte contraxere.* ibid.
IV. *Num ab hoc onere aliquando liberari poſſint.* ib.
V. *Et quando.* ibid.
VI. *Interior conſenſus eſt exterius manifeſtandus verbis, aut ſignis.* 287
VII. *Metus aliquando tollit valorem Matrimonii.* ibid.
VIII. *Quando id præſtet.* ibid.
IX. *Quando non tollat.* ibid.
X. *Metus levis, vel reverentialis valorem non tollit Matrimonii.* ibid.

CAPUT VII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Conſenſus utriuſque partis ſatis eſt, ut ſit moraliter præſens.* 288
II. *Qui conſenſum ficte præbet, graviſſime peccat.* ibid.
III. *Filii nati ex matrimonio in facie Eccleſiæ celebrato, licet nullo, legitimi reputantur.* ibid.
IV. *Qui conſenſum ficte appoſuit, ſi conſentiat, validum reddit matrimonium.* ibid.
V. *Quando metus etiam juſte incuſſus nullum reddat matrimonium.* 289
VI. *Graviter peccant, qui metu ad matrimonium cogunt.* ibid.

CAPUT VIII.

De Matrimonio conditionato.

DOCTRINA.

I. *Regulæ de conditionibus Matrimonii, alibi traditæ, indicantur.* 289
II. *Variæ conditionum ſpecies, & regulæ aſſignantur.* ibid.
III. *Regula I.* 290
IV. *Regula II.* ibid.
V. *Regula III.* ibid.
VI. *Regula IV.* ibid.
VII. *Regula V.* ibid.
VIII. *Regula VI.* ibid.
IX. *Regula VII.* 291

CAPUT IX.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Peccant, qui Matrimonium conditionatum in facie Eccleſiæ celebrent.* 291
II. *Matrimonium ſub conditione celebratum eſt novo conſenſu firmandum impleta conditione.* ibid.
III. *Quando valeat Matrimonium ſub conditione aſſenſus parentum.* ibid.
IV. *Quando conditiones de re impoſſibili nullum reddant Matrimonium.* ibid.
V. *Quando conditio contra perpetuitatem Matrimonii illud vitiet.* 292

CAPUT X.

De bonis, & effectibus Matrimonii tum contractus, tum Sacramenti.

DOCTRINA.

I. *De ſtatu Matrimonii in ſua prima conditione.* 292
II. *Et poſt peccatum primi parentis.* 293
III. *Bona Matrimonii enumerantur.* ibid.
IV. *Unitas Matrimonii explicatur, & evincitur.* ibid.
V. *Biviratus juri naturæ omnino adverſatur.* ibid.
VI. *Doctrina Eccleſiæ circa Polygamiam ſimultaneam.* ibid.
VII. *Quo in ſenſu legi naturæ adverſatur.* ibid.
VIII. *Quomodo licita fuerit in Veteri Teſtamento.* 294
IX. *In novo Teſtamento omnino illicita.* ibid.
X. *Polygamia ſucceſſiva illicita non eſt.* ibid.
XI. *Secundæ, & ulteriores nuptiæ ſunt Sacramentum.* ibid.
XII. *Quare male audiant in Eccleſia.* ibid.
XIII. *Matrimonium conſummatum omnino indiſſolubile lege naturæ.* 295
XIV. *Lege Evangelica.* ibid.
XV. *Et Eccleſiaſtica.* ibid.
XVI. *Matrimonium ratum non eſt omnino indiſſolubile.* ibid.
XVII. *Matrimonii actus in ſe honeſtus, & ſanctiſſimus.* 296
XVIII. *Et etiam meritorius.* ibid.
XIX. *In Sacramento Matrimonii confertur gratia ſanctificans.* ibid.
XX. *Et etiam peculiaris, & propria.* ibid.
XXI. *Cujus beneficia enumerantur, & exponuntur.* ib.

CAPUT XI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Concubinæ in Veteri Teſtamento veræ erant uxores.* 297
II. *Polygamia in Veteri Teſtamento omnibus conceſſa fuit.* ib.
III. *Matrimonium adulterio minime ſolvitur quoad vinculum.* ibid.
IV. *Nec ratum voto ſimplicis caſtitatis, vel Ordinum majorum ſuſceptione.* 298
V. *Bimeſtre conjugibus conceſſum ad Religionem ingrediendam.* 299
VI. *Num diſpenſatione Pontificis diſſolvatur Matrimonium ratum.* ibid.
VII. *Converſio ad fidem catholicam aliquando Matrimonium diſſolvit.* ibid.
VIII. *Interpellatio eſt præmittenda ad Matrimonii diſſolutionem.* 300
IX. *Quando diſſolvatur Matrimonium Neophyti cum infideli.* 301
X. *Quam uxorem retinere poſſit infidelis converſus, qui plures habuit.* ibid.
XI. *Non ſemper primam retinere cogitur.* ibid.
XII. *Licet & hæc ad fidem convertatur.* ibid.
XIII. *Per religioſam profeſſionem, invita altera parte emiſſam, non ſolvitur Matrimonium.* 302

XIV. *Nec per Sacrorum Ordinum ſuſceptionem*. ib.
XV. *Licitus non eſt uſus Matrimonii ſolius voluptatis cauſa*. ibid.
XVI. *Nec cauſa vitandæ fornicationis*. 303
XVII. *Nec ſanitatis gratia*. ibid.

CAPUT XII.

De Repudio, & Divortio.

DOCTRINA.

I. *Unitati Matrimonii opponitur Repudium*. 303
II. *Doctrina Sancti Thomæ de Repudio Hebræorum*. ibid.
III. *Num ex diſpenſatione licitum poſſit eſſe Repudium*. 304
IV. *Num Judæis licitum fuerit*. ibid.
V. *Num illis fuerit licitum aliam ducere uxorem*. ibid.
VI. *Divortium licitum eſſe poteſt*. ibid.
VII. *Et quidem mutuo conſenſu*. ibid.
VIII. *Aliquando etiam altero invito*. ibid.
IX. *Nec ſemper ob adulterium*. 305
X. *Vir uxorem adulteram aliquando expellere tenetur*. ibid.
XI. *Nec ſolum adulterium eſt divortii cauſa*. ibid.
XII. *Apoſtaſia a Fide eſt divortii cauſa*. ibid.
XIII. *Scandalum juſta divortii cauſa*. ibid.
XIV. *Non vero alia crimina*. 306
XV. *Sævitia cauſam juſtam præbet divortii*. ibid.
XVI. *Diſcrimen inter divortium ob fornicationem, & ob aliam cauſam*. ibid.

CAPUT XIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Sola adulterandi voluntas non eſt juſta divortii cauſa*. 306
II. *Quid liceat innocenti facto ob fornicationem divortio*. ibid.
III. *Adulter occultus conjugem adulteram accuſare non poteſt*. 307
IV. *Poſt divortium vir adulter non tenetur uxorem adulteram recipere*. ibid.
V. *Uxor poſt divortium revocata a viro reverti tenetur*. ibid.
VI. *Raro tenetur uxor ab adultero marito recedere*. ibid.

CAPUT XIV.

De mutuis Conjugum officiis.

DOCTRINA.

I. *Conjugum officia enumerantur*. 307
II. *Conjuges non teneatur debitum petere, ſed petitum reddere*. 308
III. *Sive expreſſe, ſive tacite petatur*. ibid.
IV. *Præceptum reddendi debitum non ſemper obligat*. ibid.
V. *Aliquando alteruter ex conjugibus ſub gravi tenetur negare debitum illicite, vel injuſte petenti*. ibid.
VI. *Certus de nullitate ſui Matrimonii ob aliquod impedimentum dirimens nec petere, nec reddere licite poteſt*. 309
VII. *Dubitans de validitate reddere licite poteſt, at petere licite omnino non poteſt*. ibid.
VIII. *Quid agere debeat Confeſſarius cum Pœnitente, dubitante de valore ſui Matrimonii*. ibid.

CAPUT XV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Conjugi licet alterum conjugem a petitione debiti removere*. 309
II. *Peccant aliquando conjuges liberis operam dantes*. 310
III. *Quando peccet, qui ſe ineptum reddit ad reddendum debitum*. ibid.
IV. *Num liceat conjugatis votum caſtitatis emittere*. ibid.
V. *Ad quid teneatur, qui de conſenſu alterius continentiam vovit*. 311
VI. *Quomodo peccet, & ad quid teneatur, qui voto obſtrictus Matrimonium celebrat*. ibid.
VII. *Quando liceat debitum denegare*. 312
VIII. *Repetiti abortus unum ſint cauſa legitima negandi debitum*. ibid.
IX. *Non ſemper inceſtum committens privatur jure petendi debitum*. ibid.
X. *Non licet in loco publico, vel ſacro reddere debitum*. 313
XI. *Num liceat prægnationis, menſtrui, vel puerperii tempore*. ibid.
XII. *Num quando dubitant de valore Matrimonii*. 314

CAPUT XVI.

De vitandis a Conjugibus in uſu Matrimonii.

DOCTRINA.

I. *Vitanda a Conjugibus prævie ad uſum, in ipſo uſu, & extra uſum Matrimonii*. 315.
II. *Non ſunt omittendæ publicæ denuntiationes Matrimonii*. ibid.
III. *Quinam a Denuntiationibus diſpenſare poſſint*. ibid.
IV. *Peccant celebrantes Matrimonium cum aliquo impedimento*. ibid.
V. *Et peccato lethali coinquinati*. ibid.
VI. *Et qui nuptiarum die crapulæ, ebrietati &c. indulgent*. 316
VII. *Et qui ante ſolemnem benedictionem Matrimonium conſummant*. ibid.
VIII. *Et qui Matrimonio intemperanter abutuntur*. ibid.
IX. *Qui prolis generationem impediunt*. ibid.
X. *Et qui in copula modum a natura inſtitutum prætermittunt*. 317
XI. *Non omnia licent conjugatis in officio maritali*. ibid.
XII. *Quænam illicita extra uſum Matrimonii*. ib.

CA-

CAPUT XVII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando licite omitti poſſint Denunciationes.* 318
II. *Qui aliquod norunt Matrimonii impedimentum revelare debent.* ibid.
III. *Quando adulteri fiant in ipſo conjugio.* ib.
IV. *Falſa Tabienæ doctrina rejicitur.* ibid.
V. *Non licet conjugatis ſe ipſos impudice tangere.* 319
VI. *Quænam conjugatis concedenda.* ibid.
Reflexio. ibid.

DISSERTATIO III.

De Impedimentis Matrimonii, eorumque Diſpenſatione.

CAPUT I.

De Poteſtate ſtatuendi impedimenta: eorumque Claſſes diſtinguuntur.

Doctrina.

I. *Quid ſint Matrimonii impedimenta.* 321
II. *Eccleſia poteſt Matrimonii impedimenta ſtatuere.* ibid.
III. *Probatur Scripturarum teſtimoniis.* ibid.
IV. *Confirmatur traditione argumento præſcriptionis.* ibid.
V. *Et diſcuſſionis.* ibid.
VI. *Confirmatur doctrina S. Thomæ.* 322
VII. *Quænam facultas conveniat laicæ poteſtati circa impedimenta.* ibid.
VIII. *Utriuſque poteſtatis jura conciliantur.* ibid.
IX. *Duplicis generis impedimenta in Matrimonio.* 323
X. *Recenſentur impedimenta ſolum impedientia.* ib.
XI. *Quænam ſint dirimentia.* ibid.

CAPUT II.

Impedimenta Matrimonium impedientia explicantur.

Doctrina.

I. *Quid intelligantur nomine ſacrati temporis.* 323
II. *Quid deſignet Eccleſiæ vetitum.* 324
III. *Quomodo ſponſalia Matrimonium impediant.* ibid.
IV. *Votum quo jure impediat Matrimonium.* ibid.
V. *Quinam ab his impedimentis diſpenſare poſſint.* ibid.

CAPUT III.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quænam ſint ſolemnitates tempore ſacrato vetitæ.* 324
II. *Num liceat Matrimonium conſummare ante ſolemnem benedictionem.* 325
III. *Num ſine licentia Epiſcopi & ipſum Matrimonium celebrare diebus vetitis.* ibid.
IV. *Qui Matrimonium cum aliquo impedimento impediente celebrat, peccatum grave committit.* ib
V. *Licet Epiſcopis a Matrimonio repellere ignorantes rudimenta Fidei.* ibid.

CAPUT IV.

De Impedimentis dirimentibus Errore, & Conditione,

Doctrina.

I. *Variæ impedimentorum cauſæ ex D. Thoma.* 326
II. *Triplex error in Matrimonio occurrere poteſt.* ibid.
III. *Variæ traduntur Regulæ. Regula I.* ibid.
IV. *Regula II.* ibid.
V. *Regula III.* ibid.
VI. *Plura ſervorum genera diſtinguenda.* ibid.
VII. *Quænam requirantur ad impedimentum conditionis.* 327
VIII. *Quando, & quo jure Servitus dirimat Matrimonium.* ibid.
IX. *Servorum pœnæ valida ſunt matrimonia.* ibid.

CAPUT V.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Error concomitans irritum reddit Matrimonium.* 328
II. *Error circa qualitates etiam dans cauſam contractui, Matrimonium non dirimit.* ibid.
III. *Ad validum ſervorum Matrimonium non requiritur domini conſenſus.* ibid.
IV. *Cui debet obedire ſervus, an domino, an uxori.* ibid.
V. *Aliquando conditio ſervitutis non tollit valorem Matrimonii.* ibid.
VI. *Servitus ſuperveniens Matrimonio illud non dirimit.* 329
VII. *Quot modis tollatur ſervitus.* ibid.
VIII. *Quomodo Matrimonia ex his titulis nulla poſſint revalidari.* ibid.

CAPUT VI.

De impedimentis voti, & Ordinis.

Doctrina.

I. *Quodnam ſit votum dirimens Matrimonium.* 329
II. *Cur ſolemne votum dirimat Matrimonium.* ib.
III. *Num poſſit Summus Pontifex in ſolemni voto diſpenſare.* 330
IV. *Profeſſi etiam invalide, non poſſunt Matrimonium celebrare,* ibid.
V. *Ordinis Sacri ſuſceptio dirimit Matrimonium.* ibid.
VI. *Quomodo in hoc impedimento diſpenſet Eccleſia.* ibid.

CA-

CAPUT VII.

De impedimento cognationis.

DOCTRINA.

I. *Triplex cognationis ſpecies.* 330
II. *Quænam ſit carnalis cognatio.* ib.
III. *Diſtinguendus in cognatione carnali ſtipes.* 331
IV. *Et linea.* V. *Et gradus.* ibid.
VI. *Regula I.* VII. *Regula II.* ibid.
VIII. *Regula III.* ibid.
IX. *Conſanguineorum in linea recta nulla Matrimonia.* 332
X. *Quando irrita in linea collaterali.* ibid.
XI. *Cognatio ſpiritualis quomodo Matrimonium irritet.* 333
XII. *Quinam ſint ſpirituali cognatione conjuncti.* ibid.
XIII. *Quid ſit legalis cognatio.* ibid.
XIV. *Quotuplex ſit.* ibid.
XV. *Inter quos habeatur.* ibid.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quando gradus remotior propinquiorem ad ſe trabat.* 333
II. *Matrimonia infidelium in gradibus prohibitis non ſunt dirimenda.* 334
III. *Quid requiratur ad contrahendam cognationem ſpiritualem.* ibid.
IV. *Quid ad cognationem legalem.* ibid.

CAPUT IX.

De Impedimento Affinitatis.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit affinitas.* 335
II. *Quomodo diſtinguantur linea, & gradus affinitatis.* ibid.
III. *Num affinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat Matrimonium.* ibid.
IV. *Quando dirimat in linea collaterali.* ibid.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Affinitatis triplex ſpecies.* 335
II. *Matrimonium Privigni cum uxore vitrici validum.* 336
III. *Modus cognoſcendi gradus affinitatis.* ibid.
IV. *Separatio unius Matrimonii non infert alterius ſeparationem, ſi duæ ſorores duobus fratribus nupſerint.* ibid.

CAPUT XI.

De Impedimento publicæ honeſtatis.

DOCTRINA.

I. *Publicæ honeſtatis definitio ex D. Thom.* 336
II. *Ortum ducit ex ſponſalibus validis.* 337
III. *Et ex Matrimonio rato.* ibid.
IV. *Extenditur uſque ad quartum gradum.* ibid.
V. *Quando non oriatur impedimentum publicæ honeſtatis.* ibid.
VI. *Oritur ex Matrimonio clandeſtino.* ibid.
VII. *Et ſi oritur ex Matrimonio rato, ſed nullo, ſe extendit uſque ad quartum gradum.* ibid.
VIII. *Impedimentum publicæ honeſtatis perpetuum eſt.* 338

CAPUT XII.

De Impedimento Criminis.

DOCTRINA.

I. *Quot modis committatur crimen Matrimonium dirimens.* 338
II. *Quando conjugicidium dirimat Matrimonium.* ibid.
III. *Quando adulterium cum conjugicidio.* ibid.
IV. *Notanda circa hæc crimina.* 339
V. *Quando adulterium cum Matrimonio.* ibid.
VI. *Quando adulterium cum promiſſione Matrimonii.* ibid.
VII. *Sola promiſſio Matrimonii ſine adulterio impedimentum non inducit.* ibid.

CAPUT XIII.

De Impedimentis Ligaminis, & Coactionis.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit Ligamen.* 340
II. *Donec certa non ſit conjugis mors, non licet alteri Matrimonium inire.* ibid.
III. *Initum ex falſa notitia mortis nullum eſt.* ibid.
IV. *De vi, & metu impedientibus Matrimonium Regulæ ſtatuuntur.* ibid.

CAPUT XIV.

De Impedimento Impotentiæ.

DOCTRINA.

I. *Duplex impotentia ad Matrimonium.* 341
II. *Cur impotentia coeundi dirimat Matrimonium.* ibid.
III. *Impotentiæ variæ diviſiones.* ibid.
IV. *Quid ad veram impotentiam requiratur.* ibid.
V. *Quo jure impotentia dirimat Matrimonium.* ibid.

VI.

VI. *In dubio impotentiæ perpetuæ quid agendum.* ibid.
VII. *Impotentia temporanea, vel ſuperveniens Matrimonio illud non dirimit.* 342
VIII. *Quid de impotentia reſpectiva ſentiat D. Thomas.* ibid.
IX. *Quæ ſi tolli non poteſt, dirimit Matrimonium.* ibid.
X. *Quando impotentia ab extrinſeca procedens cauſa dirimat Matrimonium.* ibid.

CAPUT XV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. QUænam ſit impotentia dirimens Matrimonium. 342
II. Triennalis experientia quando locum habeat, & incipiat. 343
III. *Aliquando Matrimonium diremptum eſt inſtaurandum.* ib.
IV. *Non facile præſumendum Matrimonium maleficio impediri.* ibid.
V. *In dubio de valore Matrimonii eſt in ipſius favorem judicandum.* 344

CAPUT XVI.

De diſparis cultus, & Raptus Impedimentis.

Doctrina.

I. IMpedimentum diſparis cultus quos reſpiciat, & unde oriatur. 344
II. *Quid dicendum, cum Infidelium alter convertitur.* 345
III. *Raptus definitio ex S. Thoma.* ibid.
IV. *Antiquiorum Canonum, & Tridentini decreta circa Raptum.* ibid.
V. *Ad Raptum requiritur abductio de loco ad locum.* ibid.
VI. *Et quidem violenta.* ibid.
VII. *Et mulieris, non viri.* ibid.
VIII. *Et quidem Matrimonii, vel libidinis explendæ cauſa.* 346
IX. *Quando tollatur hoc impedimentum.* ibid.
X. *Pœnæ raptoribus indictæ.* ibid.

CAPUT XVI.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. NUllum eſt Matrimonium inter Catechumenum, & fidelem. 346
II. *Verus raptus, ſi mulier violenter abducatur cum aſſenſu parentum.* ibid.
III. *Mulier rapta poteſt alteri, qui raptui non conſenſit, nubere.* ibid.
IV. *Mulier rapta non Matrimonii, vel libidinis cauſa valide raptori nubit.* ibid.

CAPUT XVII.

De Impedimento Clandeſtinitatis.

Doctrina.

I. UNde inductum clandeſtinitatis impedimentum. 347
II. *Quando Matrimonium clandeſtinum ſit.* ibid.
III. *Parochus debet aſſiſtere Matrimonio, ne clandeſtinus ſit.* ibid.
IV. *Et quidem domicilii contrahentium.* ibid.
V. *Domicilium non efficit mora in loco cauſa ruſticationis.* ibid.
VI. *Diſtinctio loci domicilii a loco habitationis.* ibid.
VII. *Alius Vagorum, alius Peregrinorum Parochus.* ibid.
VIII. *Quid requiratur ad domicilium in aliquo loco acquirendum.* ibid.
IX. *Quinam ſint detentorum in carcere Parochi.* 348
X. *Nonnullarum Perſonarum ſpeciales Parochi.* ib.
XI. *Parochus Matrimonio aſſiſtens ſit Sacerdos, oportet.* ibid.
XII. *Parochus ſuſpenſus, vel excommunicatus valide Matrimonio aſſiſtit.* ibid.
XIII. *Nomine Parochi veniunt etiam Epiſcopi, & alii ſuperiores.* ibid.
XIV. *Quænam Parochi præſentia requiratur.* ibid.
XV. *Quænam Teſtium.* ibid.

CAPUT XVIII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. QUando valeat Matrimonium ſine præſentia Parochi celebratum. 349
II. *Num valeat Matrimonium in locis, ubi non eſt publicatum Concilium Tridentinum.* ibid.
III. *Num liceat Parochum mutare, qui Matrimonio aſſiſtat.* ibid.
IV. *Interdictum Epiſcopi non impedit, ne Parochus valide aſſiſtat Matrimonio.* 350
V. *Quilibet Sacerdos de licentia Parochi valide Matrimonio aſſiſtit.* ibid.
VI. *Nullum eſt Matrimonium celebratum uno tantum teſte.* ibid.
VII. *Officia Parochi Matrimonio aſſiſtentis.* 351
VIII. *Pœnæ in Sacerdotes, & Religioſos Matrimonio aſſiſtentes ſine licentia Parochi.* ibid.

CAPUT XIX.

De Diſpenſationibus ab impedimentis Matrimonii.

Doctrina.

I. DE diſpenſationibus alibi dicta indicantur. 351
II. *A quibus impedimentis impedientibus diſpenſent Epiſcopi.* ibid.
III. *Quomodo poſſint Epiſcopi diſpenſare in impedimentis Matrimonio ſupervenientibus.* ibid.

IV.

IV. *Num Regulares valeant eamdem diſpenſationem largiri.* 352
V. *Non poſſunt diſpenſare ligatus voto caſtitatis, ut debitum petant.* ibid.
VI. *Argumenta adſtruentia Regularibus poteſtatem diſpenſandi cum inceſtuoſis proponuntur.* ibid.
VII. *Refelluntur.* ibid.
VIII. *In impedimentis jure Eccleſiaſtico inductis diſpenſat Summus Pontifex.* 353
IX. *Quo jure id præſtet.* ibid.
X. *Quid poſſint Epiſcopi poſt contractum Matrimonii in impedimentis dirimentibus.* 354
XI. *Quid poſſint ante Matrimonii celebrationem in impedimentis publicis.* ibid.
XII. *Quid vero in occultis.* ibid.

CAPUT XX.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. A *Quibus petenda ſit diſpenſatio in impedimentis dirimentibus.* 354
II. *Veritas requiſita in petitione diſpenſationis.* 355
III. *Præſtanda in executione diſpenſationis.* ibid.
IV. *Num renovandus conſenſus in facie Eccleſiæ.* 356
V. *Quomodo certioranda pars inſcia de impedimento.* ibid.
VI. *Satisfactiones injungendæ a Confeſſario* 357
Reflexio. ibid.



ETHI-

ETHICÆ CHRISTIANÆ,

SIVE

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS

PARS QUINTA,

QUÆ EST

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

MAGNUM, *& arduum aggredimur opus, & in tota Chriſtiana Morali difficillimum, cum de Sacramento Pœnitentiæ tractationem ſumimus. Argumentum ſiquidem ſive ejus neceſſitatem, ſive amplitudinem, ſive innumeras, quibus circumſepitur, difficultates ſpectes, cetera quæ hactenus pertractavimus, longe ſuperat. Vires pene omnes meas jam detritas longo, improbo, & injucundo labore perſentio: ſenectus, mentis vigorem minuens, difficultatem ſcribendi auget. Non eſt tamen animo deſpondendum, ſed divini ſpe adjutorii uſque in finem perſeverandum; qui enim dedit initium, ipſe & finem, & complementum ſua miſericordia præſtabit. Sed propius ad argumentum accedentes, totam ampliſſimam tractationem in plures dividemus Diſſertationes.* 1. *De Virtute, & Sacramento Pœnitentiæ, ejuſque partibus generatim inſpectis. Deinde ad ſingulas deſcendentes, in* 2. *Diſſertatione de Contritione, in* 3. *de Confeſſione, in* 4. *de Satisfactione diſputabimus. Has ſequetur* 5. *de Miniſtro Pœnitentiæ, ejuſque muneribus, & officiis. Sexta denique, quæ totam complebit Tractationem, Cenſuras Eccleſiaſticas exponet, & dilucidabit. Illico itaque manum operi admovemus.*

DISSERTATIO I.

DE VIRTUTE, ET SACRAMENTO PŒNITENTIÆ, EJUSQUE PARTIBUS GENERATIM INSPECTIS.

CAPUT PRIMUM.

De Virtute Pœnitentiæ.

DOCTRINA.

I. *Pœnitentiæ nomen quid generatim ſignificet.*
II. *Pœnitentiæ definitio.*
III. *Pœnitentia eſt vera virtus.*
IV. *Et quidem ſpecialis, & ab aliis diſtincta.*
V. *Pertinet ad virtutem juſtitiæ.*
VI. *Ejus objectum exponitur.*

I. PŒnitentiæ nomen licet ſemper diſplicentiam denotet, & dolorem, non tamen ſemper virtutis actum ſignificat. Fieri enim poteſt 1. ut quis doleat, & pœniteat de bono opere; ut cum quis dolet de Religioſa vita, de nuncupatis Deo votis; & hæc eſt *illa ſeculi juſtitia, quæ*, ut inquit Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 7. 10. *mortem operatur*. 2. Quis etiam dolet de malo patrato, quin tamen ad actum virtutis perveniat; ut cum mulier triſtatur de amiſſa virginitate, ob quam facta eſt parentibus in opprobrium; & ſicut Eſau pœnituit de primogenituræ venditione, quæ pœnitentia, ut inquit Apoſtolus, *nihil illi profuit, ſed cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt*. 3. Aliquando quis dolet de admiſſo crimine, ſed aliquo modo propter Deum; & tunc virtutis perfectionem aliquam nanciſcitur. Hæc Pœnitentia alia interior eſt, alia exterior: prior in interioribus animi affectibus ſita eſt, & veram virtutem conſtituit; altera vero exterior, per quam exterius exhibentur interioris doloris ſigna, puta delictorum confeſſione, peccati deteſtatione, pœnalium operum voluntaria aſſumptione.

II. Pœnitentiæ plures exhibet definitiones D. Th. in IV. diſt. 14. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 6. ex D. Gregorio, Ambroſio, Auguſtino, & *non enim* (ſcribit) *inconveniens eſt de eodem dari diverſas definitiones ſecundum diverſa, quæ in rebus inveniuntur*. Illam tamen adoptat, quam proponit ex D. Gregorio Magiſter Sententiarum, ſcilicet: *Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*. In hac enim, inquit, tangitur & genus, & actus, & objectum. Genus ſcilicet, quia indicatur opus bonum, & laudabile; actus, ſcilicet deteſtatio, dolor, & diſplicentia de commiſſis criminibus, cum propoſito non amplius delinquendi; objectum, ſcilicet Deus offenſus, quem placare ſtudet.

III. Eſt autem vera virtus, nihil enim illi deeſt, quod ad veram conſtituendam virtutem deſideretur. „ Virtus, inquit D. Thom. 3. p. q. 85. a. „ 1. eſt habitus electivus ſecundum rationem re„ ctam. Pertinet autem ad rectam rationem, ut „ aliquis doleat, de quo dolendum eſt, & eo mo„ do, & fine, quo dolendum eſt. Quod quidem „ obſervatur in pœnitentia: nam pœnitens aſſu„ mit moderatum dolorem de peccatis præteritis „ cum intentione removendi ea “. Propterea Pœnitentia eſt in præcepto Matth. 4. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*. Porro lex, & præceptum non niſi de actibus virtutum dantur; cum Legislatoris intentio eo feratur: ut ſubditos virtute præditos efficiat. Verſatur etiam Pœnitentia, ſicut & aliæ virtutes, inter duo extrema, videlicet deteſtationem de peccato commiſſo, & nimiam triſtitiam, quæ ad deſperationem declinet.

IV. Eſt vero virtus ſpecialis ab aliis diſtincta. In Pœnitentia enim relucet ratio ſpecialis, quæ ejus actum ex ſpecie ſua laudabilem conſtituit, nempe conatus, & niſus pœnitentis ad deſtructionem peccati, quatenus eſt offenſa Dei, nec non ad ſatisfactionem eidem exhibendam; quæ ratio alteri virtuti communis non eſt: licet enim omnes virtutes mala refugiant bono adverſantia, ad quod ipſæ in animam inducendum ſunt ordinatæ; hoc tamen præſtant motivo, & ratione a pœnitentia plene diverſa. Sic Temperantia ab ebrietate abhorret, tanquam ab actu deſtruente rectum uſum potus; juſtitia furtum deteſtatur, quatenus alienum jus lædit, & Pœnitentia omnia refugit peccata ob motivum penitus proprium & peculiare, quatenus ſcilicet ſunt *offenſa Dei, expianda per ſatisfactionem*. Ita D. Thom. hic art. 2. ſcribens: „ Manifeſtum eſt autem, quod in pœniten„ tia invenitur ſpecialis ratio actus laudabilis, ſci„ licet operari ad deſtructionem peccati præteriti, „ *inquantum eſt offenſa Dei*; quod non pertinet „ ad rationem alterius virtutis “.

V. Pertinet autem Pœnitentia ad virtutem juſtitiæ, ſed tanquam pars potentialis. Manifeſtum eſt, inquit S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 3. quod Pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus, eſt pars juſtitiæ. Quod ut probe intelligatur, animadvertendum, ad rigoroſam juſtitiam tria requiri, 1. ut ſit ad alterum; 2. quod rigidum debitum ſolvat; 3. & illud quidem ad æqualitatem. Hinc virtutes, quæ debitum quidem ad alterum reſpiciunt, ſed non rigoroſum, ut liberalitas, gratitudo, magnificentia, a rigida juſtitia deflectunt, & partes ejuſdem ſubjectivæ dicuntur; eæ vero, quæ rigoroſum debitum quidem reſpiciunt, at ſolvere ad æqualitatem non poſſunt, perfectionem juſtitiæ non adæquant, & partes potentiales dicuntur; cujuſmodi ſunt Religio, & Pœnitentia: illa enim nunquam æqualem cultum Deo debitum reddere valet, hæc vero violatum jus divinum nunquam ad æqualitatem ſarcire.

VI. Objectum itaque Pœnitentiæ duplex eſt, materiale, & formale: primum conſtituunt peccata commiſſa, & quæ committi poſſunt; formale vero jus divinum læſum per peccatum, & reparabile, quantum fieri poteſt a creatura. Porro peccata tum lethalia, tum venialia objectum dicuntur Pœnitentiæ, quatenus per ipſam tolluntur, & deſtruuntur, & ne iterum in animam ſubrepant, repelluntur. Formale autem eſt peccati deteſtatio,

tio, per quam homo operatur ad ejus deſtructionem, *quatenus eſt offenſa Dei*, & ad ejus jus læſum reparandum tendit. Ita docet pluribus in locis D. Th. nimirum hic q. 85. art. 2. verbis n. 4. productis. Et rurſum q. 86. art. 3. ſcribens: „ Ad „ Pœnitentiam pertinet deſerere peccatum, in„ quantum eſt *contra Deum* “. Hinc patet Pœnitentiam omnia prorſus peccata deteſtari, & omnia prorſus vitanda proponere, cum in omnibus objectum formale, ſeu formalem ſuam rationem reperiat. Audiatur D. Thom. hic q. 86. art. 3. docens: „ Peccatum mortale non poteſt ſine vera „ pœnitentia remitti, ad quam pertinet deſerere „ peccatum, *inquantum eſt contra Deum*; quod „ quidem eſt commune omnibus peccatis mortali„ bus: ubi autem eſt eadem ratio, & idem effe„ ctus. Unde non poteſt eſſe vere pœnitens, qui „ de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si e„ nim diſpliceret ei illud peccatum, quia eſt *con„ tra Deum ſuper omnia dilectum* (quod requiri„ tur ad rationem veræ pœnitentiæ) ſequeretur, „ quod de omnibus peccatis pœniteret “.

CAPUT SECUNDUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Pœnitentiæ definitiones ab Hæreticis inductæ rejiciuntur.*
II. *Actus Pœnitentiæ ab ipſa eliciuntur, ſed a caritate imperantur.*
III. *Pœnitentia per plures actus procedit.*
IV. *Pœnitentia neceſſaria tum neceſſitate medii, tum præcepti neceſſitate.*
V. *Etiam ad venialium remiſſionem.*
VI. *Per Pœnitentiam delentur peccata, ut non amplius redeant.*
VII. *Tollit reatum culpæ, & pœnæ æternæ, at non ſemper pœnæ temporalis.*
VIII. *Opera bona mortificata per Pœnitentiam reviviſcunt.*

Conſectarium Primum.

I. PŒnitentiam inepte definiunt Heterodoxi, Lutherus, Beza, Laurentius Valla, aliique, dum nihil aliud eſſe dicunt, quam novæ vitæ inſtituendæ propoſitum. At juxta Scripturam, & Sanctos Patres, præter novæ vitæ propoſitum, neceſſario etiam, & quam maxime expoſtulat commiſſi criminis deteſtationem. Audiant, quomodo Pœnitentiæ indolem explicant Patres. S. Cyprianus lib. de Lapſis: *Agite*, inquit, *pœnitentiam plenam, dolentis, & lamentantis animi probate triſtitiam*. S. Auguſtin. ſerm. 19. *Quid eſt pœnitentia, niſi ſui in ſe ipſum ira? unde qui pœnitet, iraſcitur ſibi*. Et Serm. 20. *Impunitum non poteſt eſſe peccatum, impunitum eſſe non decet, non oportet, non eſt juſtum. Ergo quia impunitum non poteſt eſſe peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo. Te ergo habeat punitorem, ut tu Deum habeas defenſorem*. Denique D. Greg. hom. 14. in Evang. *Pœnitentiam agere eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*.

Conſectarium Secundum.

II. Pœnitentia virtus eſt, cujus actus ab ipſa quidem elicitur, ſed a caritate imperatur. Ita D. Th. hic q. 85. art. 2. ſcribens: „ A caritate de„ rivatur aliquis actus dupliciter. Uno modo ſic„ ut ab ea elicitus; & talis actus virtuoſus non „ requirit aliam virtutem præter caritatem; ſicut „ diligere bonum, gaudere de eo, & triſtari de „ oppoſito. Alio modo aliquis actus a caritare „ procedit, quaſi a caritate imperatus: & ſic quia „ ipſa imperat omnibus virtutibus, utpote ordi„ nans eas ad finem ſuum: actus a caritate pro„ cedens poteſt etiam ad aliam ſpecialem virtutem „ pertinere. Si ergo in actu pœnitentis conſidere„ tur ſola diſplicentia peccati præteriti, hoc im„ mediate ad caritatem pertinet “. (Hæc enim diſplicentia, ut ſuperius dixerat, peccatum reſpicit, *inquantum eſt Dei offenſa*, vel inquantum *eſt contra Deum*) „ ſicut & gaudere de bonis præte„ ritis: ſed intentio operandi ad deletionem pec„ cati requirit ſpecialem virtutem ſub caritate “. Hujuſmodi autem eſt Pœnitentia, quæ ſubeſt quidem caritati imperanti, at cum illa non confunditur. Quam doctrinam repetit q. 84. a. 10. errorem Novatianorum refutans, „ qui, inquit, er„ rabant circa rationem veræ Pœnitentiæ: *cum e„ nim ad veram pœnitentiam caritas requiratur, „ ſine qua non delentur peccata, credebant* &c. “.

Conſectarium Tertium.

III. Pœnitentia ex pluribus actibus procedit ad ſui perfectionem requiſitis. Hæc quoque doctrina eſt ex D. Thom. deſumpta ex. q. 85. a. 5. Qui primo diſtinguit Pœnitentiam quoad habitum, & quoad actum. Deinde quantum ad primum dicit: „ Quod immediate a Deo infunditur ſine nobis „ principaliter operantibus, non autem ſine nobis „ diſpoſitive cooperantibus per aliquos actus “. Progrediens vero ad Pœnitentiam quoad actum ſubdit: „ Poſſumus loqui de pœnitentia quantum „ ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia co„ operamur: Quorum actuum primum principium „ eſt Dei operatio convertentis cor, ſecundum il„ lud Thren. ult. *Converte nos Domine ad te, & „ convertemur*. Secundus actus eſt motus fidei. „ Tertius eſt motus timoris ſervilis, quo quis „ timore ſuppliciorum a peccatis retrahitur. Quar„ tus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe ve„ niæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendan„ di. Quintus actus eſt *motus caritatis*, quo a„ licui peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum, & „ non jam propter ſupplicia. Sextus actus eſt mo„ tus timoris filialis, quo propter reverentiam „ Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. „ Sic igitur patet, quod actus pœnitentiæ a timo„ re ſervili procedit, ſicut a *primo motu* affectus „ ad hoc ordinato; a timore autem filiali, ſicut „ ab immediato, & proximo principio “. Unde ſtatim ſubdit in reſp. ad 1. „ Peccatum prius „ incipit homini diſplicere propter ſupplicia, quæ „ reſpicit timor ſervilis, quam propter Dei of„ fenſam, vel peccati turpitudinem, quod perti„ net ad caritatem “. Hanc Sancti Thomæ doctrinam confirmavit Tridentina Synodus ſeſſ. 6.

cap. 6. docens: „ Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ *timore*, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, *in ſpem* eriguntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum (& multo magis ante Sacramentum Pœnitentiæ) agi oportet ". Sed de his fuſius in ſequentibus. Solum hic ſupereſt animadvertendum, non omnes iſtos animi motus, & affectus eſſe abſolute neceſſarios: nam fieri poteſt, ut divina impellente gratia in uno formali caritatis actu omnes comprehendantur.

Conſectarium Quartum.

IV. Pœnitentia peccatoribus ſemper neceſſaria fuit neceſſitate tum medii, tum præcepti ad remiſſionem peccatorum obtinendam. Hanc veritatem declararunt Scripturæ, dum dicunt Lucæ 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimul peribitis*; & D. Petrus dicebat: *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. Eam confirmavit & Trident. Synodus Seſſ. 14. Cap. 1. docens: „ Fuit quidem Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore, ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui Sacramento Baptiſmi ablui petiiſſent, ut, perverſitate abjecta, & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtentur ". Confirmat hanc veritatem Theologica ratione A. P. hic q. 86. a. 2. ſcribens: „ Offenſa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis eſt averſa a Deo per converſionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remiſſionem divinæ offenſæ, quod voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis prædictæ, & propoſito emendandi; quod pertinet ad rationem Pœnitentiæ, ſecundum quod eſt virtus. Et ideo impoſſibile eſt, quod peccatum alicui remittatur ſine Pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus ".

Conſectarium Quintum.

V. Non ſolum ad obtinendam lethalium peccatorum remiſſionem neceſſaria eſt Pœnitentia, ſed ad venialium etiam condonationem hujuſce virtutis aliquis requiritur actus, cum nulla culpa remittatur, niſi ejus deteſtatio præcedat. Ita S. Th. hic q. 87. a. 1. ſcribens: „ Remiſſio culpæ fit per conjunctionem hominis ad Deum, a quo aliqualiter ſeparat culpa. Sed hæc ſeparatio perfecte quidem fit per peccatum mortale, imperfecte autem per peccatum veniale . . . . Et ideo utrumque peccatum per pœnitentiam quidem remittitur; quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam converſionem ad bonum creatum. Sicut enim peccatum mortale remitti non poteſt, quamdiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale: quia manente cauſa, manet effectus. Exigitur autem ad remiſſionem peccati mortalis perfectior pœnitentia . . . . quæ non requiritur ad remiſſionem venialium peccatorum. Non tamen ſufficit habitualis diſplicentia, quæ habetur per pœnitentiæ virtutem: quia ſic Caritas non compateretur peccatum veniale: quod patet eſſe falſum. Unde ſequitur, quod requiratur quædam virtualis diſplicentia: puta cum aliquis hoc modo fertur ſecundum affectum in Deum & res divinas: ut quidquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitaret ". Obtinetur etiam remiſſio peccatorum venialium per infuſionem gratiæ, quia ſubdit D. A. art. 2. „ in habentibus uſum liberi arbitrii . . . . non contingit eſſe infuſionem gratiæ ſine *motu* liberi arbitrii in Deum, & *in peccatum*; ideo quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur ".

Conſectarium Sextum.

VI. Per Pœnitentiam ita delentur peccata, ut non amplius redeant, licet ſubſequentia pœnitentiam, turpitudine ingratitudinis magis defœdentur. Ita S. Th. hic q. 88. a. 1. ad 2. ſcribens: „ Dupliciter aliquid poteſt redire, vel in ſe, & ſic peccata dimiſſa nullo modo redeunt quantum ad maculam, & per conſequens nec quantum ad reatum; vel in ſuo effectu, & hoc modo peccata dimiſſa redeunt, inquantum ex dimiſſis peccatis aliquid in ſequentibus relinquitur: ex hoc enim quod homo Deum per peccatum offendit poſt remiſſionem præcedentium peccatorum, quandam deformitatem ingratitudinis actus ſequentis peccati acquirit; & ideo dicitur communiter, quod redeunt quantum ad ingratitudinem ". Porro hæc ingratitudinis turpitudo tanto major eſt, quanto majus fuit remiſſionis beneficium. Subdit enim D. A. art. 3. „ Non eſt neceſſe, quod per ingratitudinem ſemper per peccatum ſequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum: ſed neceſſe eſt, quod proportionaliter, quanto peccata prius dimiſſa fuerunt plura, & majora, tanto redeat major reatus (ingratitudinis) per qualecumque ſequens peccatum mortale ".

Conſectarium Septimum.

VII. Pœnitentia vera ſemper reatum culpæ tollit, & pœnæ æternæ, at non ſemper reatum pœnæ temporalis, niſi ſit ſumme perfecta. Hujus propoſitionis doctrina ex A. P. deſumpta eſt hic q. 86. art. 4. in corp. ſic docente. „ In peccato mortali ſunt duo, ſcilicet averſio ab incommutabili bono, & converſio ad commutabile bonum inordinata. Ex parte ergo averſionis ab incommutabili bono conſequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ, ut qui contra æternum bonum peccavit, in æternum puniatur. Ex parte

etiam

„ etiam converſionis ad bonum commutabile, in„ quantum eſt inordinata, conſequitur peccatum „ mortale reatus alicujus pœnæ: quia inordinatio „ culpæ non reducitur ad ordinem juſtitiæ, niſi „ per pœnam; juſtum eſt enim, ut qui voluntati „ ſuæ plus indulſit, quam debuit, contra volun„ tatem ſuam aliquid patiatur: ſic enim erit æ„ qualitas. Unde Apocal. 18. dicitur: *Quantum* „ *in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, &* „ *luctum*. Quia tamen converſio ad bonum com„ mutabile eſt finita, non habet ex hac parte pec„ catum, quod debeatur ei pœna æterna. Unde ſi „ ſit inordinata converſio ad bonum commutabile „ ſine averſione a Deo, ſicut eſt in peccatis ve„ nialibus, non debetur peccato pœna æterna, ſed „ temporalis. Quando igitur per gratiam remit„ titur culpa, tollitur averſio animæ a Deo, in„ quantum per gratiam anima Deo conjungitur. „ Unde & per conſequens ſimul tollitnr reatus „ pœnæ æternæ: poteſt tamen remanere reatus a„ licujus pœnæ temporalis". Qui tamen aliquando etiam tollitur, ſic ſubdit S. Th. ibid. art. 5. ad 1. „ quando tanta commotione convertit cor „ hominis, ut ſubito conſequatur perfecte ſanita„ tem ſpiritualem, non ſolum remiſſa culpa, ſed „ ſublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet de „ Magdalena Lucæ 7. ".

Conſectarium Octavum.

VIII. Per Pœnitentiam opera bona mortificata reviviſcunt. Obſervat S. Th. hic qu. 83. art. 4. „ Effectum operum virtuoſorum eſſe perducere ad „ vitam æternam, ex eo quod profluunt a radice „ caritatis; at hoc impediri per peccatum morta„ le ſequens, quod gratiam tollit, & caritatem". At per pœnitentiam ſubſequentem reviviſcere, quia ſcribit art. 5. Habent vim perducendi in vitam æternam, non ſolum ſecundum quod actu „ exiſtunt, ſed etiam poſtquam actu eſſe deſinunt, „ ſecundum quod remanent in acceptatione divina: „ Sic autem remanent, quantum eſt de ſe, etiam „ poſtquam per peccatum mortificantur: quia ſem„ per Deus illa opera, prout facta fuerunt, acce„ ptabit, & Sancti de eis gaudebunt. Sed quod „ iſti, qui ea fecit, non ſint efficacia ad ducen„ dum ad vitam æternam, provenit ex impedi„ mento peccati ſupervenientis, per quod ipſe „ redditus eſt indignus vita æterna. Hoc autem „ impedimentum tollitur per pœnitentiam, in„ quantum per eam remittuntur peccata. Unde „ reſtat, quod opera prius mortificata per pœni„ tentiam recuperat efficaciam perducendi eum, „ qui fecit ea, ad vitam æternam, quod eſt re„ viviſcere". Quod ſi pœnitens a culpa reſurgat, ſed minore caritate, quam habebat antea, quando illa opera bona elicuit, tunc inquit S. D. in reſp. ad 3. „ Conſequetur quidem præmium eſſentiale, „ ſecundum quantitatem Caritatis, in qua inve„ nitur: habebit tamen gaudium majus de operi„ bus in prima caritate factis, quam de operibus, „ quæ in ſecunda fecit; quod pertinet ad præmium „ accidentale".

CAPUT TERTIUM.

De Pœnitentia quatenus Sacramentum.

DOCTRINA.

I. *Datam a Chriſto Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata, docent Scripturæ.*
II. *Confirmat perpetua Patrum traditio.*
III. *Nullum eſt crimen, quod Eccleſiæ poteſtate remitti non poſſit.*
IV. *Pœnitentia eſt verum Sacramentum.*
V. *Ejus definitio exhibetur, & explicatur.*
VI. *Ejus neceſſitas declaratur.*
VII. *Sacramenti Pœnitentiæ materia remota exponitur.*
VIII. *Et materia proxima ſtatuitur.*
IX. *In quo ſita ſit hujus Sacramenti forma.*
X. *Quænam ſint partes eſſentiales hujus Sacramenti.*
XI. *Quænam integrales tantum.*

I. DAta eſt a Chriſto Domino Eccleſiæ poteſtas remittendi peccata. Cum Pœnitentiæ Sacramentum in hunc collineet ſcopum, ut peccata poſt Baptiſmum commiſſa deleat, & aboleat, rectus doſtrinæ poſtulat ordo, ut prius eam oſtendamus conceſſam Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata, quam per Sacramentum Pœnitentiæ exequitur. Hanc Catholicam veritatem olim ſaltem ex parte oppugnarunt, ut mox dicemus, nonnulli antiquiores Hæretici; ſed modo aperte inficiantur plures ex Lutheri, & Calvini ſectatoribus, qui poteſtatem a Chriſto Eccleſiæ collatam remittendorum peccatorum, aut in Evangelii prædicatione, & in excitatione ad fidem qua ſola peccata deleri mentiuntur, aut in facultate conferendi Baptiſmatis, aut in ſimplici quadam declaratione jam obtentæ remiſſionis ſitam arbitrantur, aut ad ſummum, qui minus ſe putant a veritate recedere, facultatem remittendi peccata revocant ad extrinſecum Eccleſiæ regimen, quæ ſua auctoritate peccatores valet a ſacris arcere Synaxibus, vel ad eas admittere; prout Clavium poteſtatem explicat Calvinus in Inſtit., & in Antidoto Concilii Tridentini, & Kemnitius in 2. par. Examinis ejuſdem Concilii. At horum errorem refellunt aperta Sacræ Scripturæ teſtimonia. Matth. cap. 16. v. 19. ſic Petrum Chriſtus alloquitur: *Tibi dabo claves Regni Cælorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Et rurſum cap. 18. omnibus Apoſtolis ſic ait: *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis.* Et denique Joan. 20. hujus poteſtatis Conceſſionem exponit Evangeliſta, ſcribens: *Cum hæc dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: quæ profecto verba non politicam diſciplinam, ſed ſpiritualem poteſtatem Spiritus Sancti effuſione conceſſam clare oſtendunt.

II. Eadem Catholica veritas confirmatur tum argumento præſcriptionis, tum diſcuſſionis. Et pri-

primum quidem apparet in unanimi conſenſu Eccleſiæ, quæ ſemper hanc ſibi datam poteſtatem agnovit: ideoque ſeculo II. deſinente vix Montanus, ejuſque aſſeclæ hanc poteſtatem vel negare vel ſaltem diminuere conati ſunt, ſtatim contra ipſos, ceu adverſus fidei deſertores, & Catholicæ veritatis oppugnatores, omnes Eccleſiæ Patres, & Paſtores inſurrexere, eoſque de novitate, ac impietate culparunt, & arguerunt: unde evidens colligitur doctrinæ ab Apoſtolis derivatæ argumentum. Argumentum vero diſcuſſionis apparet in teſtimoniis omnium Patrum a primis uſque ſeculis hanc poteſtatem agnoſcentibus, & confirmantibus. Primus ſit Tertullianus ipſe, qui, antequam ad Montaniſtas deficeret, hanc Catholicæ Eccleſiæ poteſtatem agnovit *Scorpiaci* 10. ſcribens: *Si adhuc Cælum clauſum putas, memento, Claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe*. S. Cyprianus epiſt. 72. ad *Jubajanum*, recitatis Scripturæ locis, quæ ſuperius adduximus, ſubdit: *Unde intelligimus, nonniſi in Eccleſia Præpoſitis, & Evangelica lege, ac Dominica ordinatione fundatis, licere baptizare, & remiſſam peccatorum dare; foris autem nec ligari aliquid poſſe, nec ſolvi, ubi non ſit, qui aut ligare poſſit aliquid, aut ſolvere*. Et epiſt. 27. ad Antonianum diffuſe ſatis eam veritatem confirmat, & validiſſimis fulcit argumentis; diſputans adverſus Novatianos. S. Pacianus Barchinonenſis Epiſcopus epiſt. 1. ad Simpronianum, ſic cum Novatianis decertans, qui ſoli Deo remittendorum peccatorum reſervatam ajebant poteſtatem, ratiocinatur: *Solus Deus hoc poteſt. Verum eſt. Sed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud, quod Apoſtolis dixit*, quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælis? *Cur hoc, ſi ligare homines, & ſolvere non licebat?* Deinde proſequitur hæreticos refellere, & ex novitate doctrinæ, & ex eorum variatione, qui cum primum hanc poteſtatem in Eccleſia agnoviſſent, poſtea mutata mente negaverunt. S. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. ſic ſcribit: *Sed ajunt* (Novatiani) *ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervant. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quam ei, cujus volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere. Nam cum ipſe Dominus Jeſus in Evangelio ſuo dixerit*, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis . . . *quis eſt, qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroſque ſervat obedientiam, ut peccantem, & alliget, & relaxet*. Paria habent cæteri Patres ſequentium ſeculorum, quorum loca ſolum indigitabo, legenda, ſi lubet, apud Natalem Alex. diſſert. 22. in Hiſt. 3. ſeculi. S. Hieron. epiſt. ad Heliodorum, & lib. 1. adv. Pelagianos cap. 10. S. Epiph. hæreſ. 57. S. Auguſt. epiſt. 180. ad Honoratum, & lib. de Agone Chriſtiano cap. 31. S. Joan. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio cap. 6. & Hom. 51. de Pœnitentia, S. Cyrillus Alexandrin. lib. 12. Commentariorum in Evangelium S. Joannis ad illa verba, *quorum remiſeritis*, Theodoret. lib. 3. Hæretic. Fabul. cap. 18. Sanctus Leo M. epiſt. 90. ad Theodorum Forojulienſem, aliique paſſim.

III. Nullum eſt peccatum ſive in Deum, ſive in proximum, quod per poteſtatem Eccleſiæ remitti non poſſit. Hoc catholicum dogma præcipue olim oppugnarunt Montaniſtæ, qui duplex peccatorum genus diſtinguebant, aliud illorum, quæ in Deum committuntur, aliud illorum quæ in proximum: Priora penitus irremiſſibilia dicebant, teſte Tertulliano, eorum caſtra infeliciter ingreſſo, lib. de Pac. cap. 2. *Mundantur delicta* (ſcribit) *quæ quis in fratrem, non in Deum admiſerit*. Immo ipſa quoque peccata in proximum admiſſa; non omnia Eccleſiæ poteſtate eſſe condonabilia mentiebantur; ſed graviora quædam excipiebant; quorum remiſſionem, & veniam dare conceſſum Eccleſiæ inficiabantur. Unde ajebat Septimius: *Graviora, & exitioſa, quæ veniam non capiunt; homicidium, idololatria, fraus, negatio, blaſphemia, utique & mœchia, & fornicatio, & ſi qua alia violatio Templi Dei*. At, quantum a vera fide aberraverint, oſtendunt & ſuperius allata Scripturæ teſtimonia, quibus conceſſa dicitur Petro, & Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus ligandi, atque ſolvendi facultas, nulla facta exceptione, nulla appoſita limitatione, nulla aſſignata diſtinctione, ſed univerſalis, & ampliſſima, cum Chriſtus eos mittere dixerit, quomodo miſſus ipſe a Patre fuerat. Porro ipſe miſſus fuerat, ut omnia peccata deleret. Parem ergo tribuit Apoſtolis poteſtatem. Confirmant & promiſſiones a Deo factæ per os Prophetarum Iſa. 16. *Lavamini, & mundi eſtote . . . . quieſcite agere perverſe . . . . ſi fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana alba erunt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, quoniam multus eſt ad ignoſcendum*. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt . . . . vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor . . . . Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur a viis ſuis, & vivat?* Porro quomodo harum conſiſteret veritas promiſſionum, ſi omnia etiam graviora peccata remittendi Eccleſiæ ſuæ poteſtatem largitus non eſſet? Quonam pacto *neminem perire vellet, ſed omnes ad pœnitentiam converti*, ſi non omnium peccatorum medicinam ſuppeditaſſet? Qui fieri poſſet, ut promiſſionis ſuæ immemor, pollicitus omnium iniquitatum, quas operatus eſſet impius, oblivionem, poſtea aditum ad reconciliationem aliquibus intercluſiſſet? Non certe ita fecit Chriſtus, qui ſeipſum repræſentavit in ea parabola, in qua Patrem exhibet, *filio revertenti*, ut inquit S. Pacianus epiſt. 1. ad Simpronianum, *poſt prodigita omnia bona, & cum meretricibus, & fornicariis epotata, blande occurrentem, & invidum fratrem oſtenſa ratione caſtigantem illis verbis:* Filius meus hic mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus eſt: invicte oſtendens, nullum eſſe facinus, quod ab Eccleſia remitti non poſſit; ſicut & dum Magdalenæ innumera, & gravia ſcelera condonavit, nulli eſſe intercludendum aditum ad reconciliationem confirmavit. Chriſti exempla imitati ſunt Paulus, & Joannes. Ille quidem inceſtuoſum Corinthium, quem tradiderat Satanæ in carnis interitum in prima Epiſtola, in poſteriore vero per pœnitentiam converſum benigne ſuſcepit, abſolvit,

vit, & Eccleſiæ reſtituit, *ne forte*, ſcribit 2. ad Corinth. cap. 2. *abundantiori triſtitia abſorbeatur, quod* (ſubdit) *obſecro vos, ut confirmetis illum in Caritate*. Alter vero adoleſcentem perditiſſimum, qui inter Latrones rapinis, & cædibus vitam duxerat, ad pœnitentiam revocatum, & lacrymis purgatum Eccleſiæ reddidit, ut narrant Euſebius Hiſt. lib. 3. cap. 23. & Joan. Chryſoſt. lib. 1. ad Theodorum lapſum. Quamobrem hanc veritatem paſſim Patres prædicarunt. S. Hilar. in cap. 18. Matth. n. 10. *Neque fas eſt* (ſcribit) *nos ex præſcripto legis dandæ veniæ numero concludi, cum per Evangelii gratiam ſine modo fuerit nobis a Deo indulta*. S. Ambroſius lib. de Pœnitentia cap. 3. n. 10. *Deus diſtinctionem non fecit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit*. S. Pacianus ſer. 3. perpendens verba Chriſti ad Apoſtolos ſcribit: *quæcumque ſolveritis, inquit, omnino nihil excepit, quæcumque ſolveritis, inquit, vel magna, vel modica*. Idem docent S. Hieron. epiſt. ad Oceanum, S. Auguſt. de Agone Chriſtiano cap. 31. aliique paſſim. Merito itaque declaravit Trid. Synodus ſeſſ. 14. cap. 1. de Pœnitent. „ Poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad „ reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos A„ poſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe „ communicatam, univerſorum Patrum conſenſus „ ſemper intellexit, & Novatianos remittendi po„ teſtatem olim pertinaciter negantes, magna ra„ tione Eccleſia Catholica tanquam hæreticos ex„ ploſit, & condemnavit “.

IV. Ritus, quo Eccleſia peccata remittit, & Pœnitentia vocatur, eſt verum Novæ Legis Sacramentum. Hæc Carholica veritas ex hactenus productis conſtat argumentis. Nam poteſtas, quam Eccleſia, quæ eſt viſibilis ſocietas hominum ſub uno capite coadunatorum, accepit, non niſi per viſibile miniſterium exerceri valet, quod non meram exhibet cæremoniam, ſed omnes veri Sacramenti notas continet, & characteres. Hujuſmodi autem notæ, ut non ſemel diximus, ab omnibus admiſſæ Theologis, tres ſunt, 1. ſcilicet quod ſit *ſignum ſenſibile*; 2. a *Chriſto Domino inſtitutum*; 3. *Gratiam conferens*. Porro hæc omnia Pœnitentiæ convenire manifeſte apparet. Nam ſignum ſenſibile habetur tum ex parte ſuſcipientis, in ſuorum criminum doloroſa accuſatione, tum ex parte miniſtrantis, dum ſenſibilibus verbis peccata condonat. Inſtitutio Chriſti manifeſta eſt in verbis Chriſti tum primo promittentis Petro poteſtatem ligandi, & ſolvendi, tum poſtea conferentis ipſi, & ceteris Apoſtolis Jo. 20. cum dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* Adeſt denique promiſſio gratiæ, cum per iſtam revera deleantur peccata. Quod confirmant Patres, qui adverſus Novatianos dimicantes, Pœnitentiam Baptiſmum nuncuparunt: dicentes enim *in Baptiſmi Sacramento omnia etiam graviſſima peccata deleri*, inde inferebant, idem præſtari & in Pœnitentia, cum in utroque eadem ſit poteſtas Eccleſiæ, in utroque idem Dominus, qui operatur, in utroque gratia, & ſanctitas conferatur. Audiatur D. Ambroſius lib. de Pœnit. cap. 8. *Quid intereſt* (ſcribit) *utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus* (dimittendi peccata) *ſibi datum Sacerdotes vendicent? Unum in utroque myſterium eſt. Sed dices, quia in lavacro operatur Myſterium gratiæ. Quid in Pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur?* Idem docent S. Pacianus laud. epiſt. ad Simpron. S. Hieron. epiſt. ad Heliodor. S. Leo epiſt. 82. al. 91. ad Theodor., aliique Patres. Unde conſurgit ineluctabile argumentum præſcriptionis adverſus Lutherum, & Calvinum, qui Pœnitentiam a Sacramentorum numero expunxere, quam per quindecim ante ipſos ſæcula Doctores, Paſtores, Patres omnes inter Sacramenta connumerarunt. Quapropter merito eos anathemate perculſit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. can. 1. definiens: „ Si quis dixerit, in Catholica Ec„ cleſia Pœnitentiam non eſſe vere, & proprie Sa„ cramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſ„ mum in peccata labuntur, ipſi Deo reconcilian„ dis, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, ana„ thema ſit “.

V. Definitur itaque Pœnitentiæ Sacramentum, *Signum ſenſibile a Chriſto Domino inſtitutum, quo homini contrito, & peccata ſua confitenti, Sacerdotis abſolutione, peccata poſt Baptiſmum commiſſa remittuntur*. Dicitur *ſenſibile Signum a Chriſto inſtitutum*, ut in his verbis, quod eſt omnibus Sacramentis commune, & rationem generis habet, in definitione deſignetur. Additur *homini contrito, & confeſſo, per Sacerdotis abſolutionem*, ut Miniſter, & modus, & effectus Sacramenti innoteſcant: & denique ſubſequentibus verbis, *peccata poſt Baptiſmum commiſſa remittuntur*, indigitatur ſubjectum hujus Sacramenti, ſcilicet homo per Baptiſmum corpori Eccleſiæ inſertus, & membrum: unde peccata ante Baptiſmum commiſſa ad hoc Sacramentum non pertinere dignoſcatur. Sunt itaque & in hoc Sacramento tria illa diſtinguenda, quæ ceteris ſunt communia Sacramentis, ſcilicet *Res*, *Sacramentum*, *Res & Sacramentum ſimul*. *Sacramenti* nomine deſignatur, quod ſignificat, & non ſignificatur; & ſunt actus externi Pœnitentis, & Sacerdotis abſolventis, qui ſignificant, quod interius in anima geritur. *Rei* nomine deſignatur, quod ſignificatur, & non ſignificat, ſcilicet gratia ſanctificans. Denique nomine *Rei*, *& Sacramenti ſimul* indicatur, quod & ſignificat ſimul, & ſignificatur; & hoc conſiſtit in interiori Pœnitentia, quæ ſignificatur per exteriores actus Pœnitentis, & ſignificat remiſſionem peccatorum. Audiatur D. Thom. hic quæſt. 84. artic. 1. ad 3. „ Etiam in „ Pœnitentia eſt aliquid, quod eſt *Sacramentum* „ *tantum*, ſcilicet actus exterius exercitus tam „ per peccatorem pœnitentem, quam per Sacer„ dotem abſolventem. *Res* autem, & *Sacramen-* „ *tum* eſt pœnitentia interior peccatoris. *Res* au„ tem tantum, & non Sacramentum, eſt remiſſio „ peccati “.

VI. Sacramentum Pœnitentiæ eſt abſolute neceſſarium ad ſalutem omnibus, qui poſt Baptiſmum in mortale peccatum lapſi ſunt. Hujus Catholicæ doctrinæ veritas, quæ luculentius probabitur inferius, dum de neceſſitate Confeſſionis agemus, ſic generatim oſtenditur. Chriſtus Dominus duo plane diſtincta inſtituit Sacramenta, Baptiſmum, videlicet, & Pœnitentiam, quorum primo & originale crimen, & cætera cum ipſo conjuncta tolluntur crimina; altero vero peccata, quæ poſt Baptiſmum commiſſa ſunt, remittuntur. Quemadmodum itaque ſine Baptiſmo ſalus obtineri nequit;

quit; ita nec ſine Sacramento Pœnitentiæ remiſſio peccatorum. Sicut ergo omnibus, qui originale contraxere peccatum, ad juſtificationem, & ſalutem neceſſarium eſt Baptiſma; pari pacto & iis, qui innocentiæ ſtolam per lavacrum regenerationis acceptam peccatis macularunt, Sacramentum Pœnitentiæ ad remiſſionem obtinendam eſt neceſſarium. Et revera, ſi aliud adeſſet medium, quod poſſet peccatorum remiſſionem conferre ſine hoc Sacramento, fruſtra Chriſtus Petro Claves Regni Cælorum dediſſet; fruſtra Apoſtolis ligandi, atque ſolvendi contuliſſet poteſtatem. Hinc Patres paſſim hanc neceſſitatem inculcant, dum Pœnitentiam appellant ſecundam poſt naufragium tabulam. „ Sicut enim confracta navi (inquit Catechiſmus „ Romanus de Pœnit. cap. 1.) unum vitæ ſervandæ perfugium reliquum eſt, ſi forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere; ita & poſt „ amiſſam Baptiſmi innocentiam, niſi quis ad Pœnitentiæ tabulam confugiat, ſine dubio de ejus „ ſalute deſperandum eſt ". Unde merito docuit Synodus Tridentina ſeſſ. 4. cap. 12. „ Eſt autem „ Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum „ ad ſalutem neceſſarium, ſicut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus ".

VII. Conſtat autem hoc Sacramentum, ſicut & cetera omnia, ex ſua materia, quæ duplex eſt, proxima, & remota, & forma. Materia remota, quam & *quaſi materiam* appellant Theologi, ſunt ipſa peccata deteſtanda, & delenda. Nam cum, ut pluries diximus, in cæteris Sacramentis materia remota illa dicatur, circa quam proxima verſatur materia, ut videre eſt in Baptiſmo, in quo aqua dicitur materia remota, quia per ipſam fit ablutio, quæ proximam conſtituit materiam; ita in hoc Sacramento actus pœnitentis, ejus nimirum dolor, confeſſio, & ſatisfactio, qui, ut mox dicemus, materiam proximam conſtituunt, verſantur, & reſpiciunt peccata commiſſa. Unde Apoſtolus ajebat ad Corinth. 3. *Pœnitentiam non egerunt ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt*. Ideo igitur peccata remotam conſtituunt materiam, quia per confeſſionem aperienda, dolore deteſtanda, ſatisfactione punienda ſunt.

VIII. Materia vero proxima ſunt ipſius Pœnitentis actus, *contritio* ſcilicet, *confeſſio*, & *ſatisfactio*. Ita declaravit Florentinum Concilium in Decreto Unionis docens: „ Quartum Sacramentum „ eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus „ Pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, „ quarum prima eſt cordis contritio .... ſecunda „ oris confeſſio ..... tertia ſatisfactio pro peccato ". Confirmavit eandem doctrinam & Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 3. ubi hæc habet: „ Sunt quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe *contritio*, *confeſſio*, & *ſatisfactio* ". Et revera, ſi materia proxima in omnibus Sacramentis illa dignoſcitur, quæ circa remotam materiam verſatur, cum hi pœnitentis actus circa peccata per Sacramentum tollenda verſentur, quæ confeſſione Clavibus Eccleſiæ ſubjiciuntur, contritione odio habentur, ſatisfactione caſtigantur, illos certe materiam proximam conſtituere manifeſtum efficitur. Unum ſupereſt animadvertendum, utrumque Concilium hoſce pœnitentis actus appellare non abſolute *materiam*, ſed *quaſi materiam*. „ Non quia, ut inquit Catechiſmus e- „ juſdem Concilii, veræ materiæ rationem non „ habeant; ſed quia ejus generis materiæ non ſint, „ quæ extrinſecus exhibetur, ut aqua in Baptiſ- „ mo, & Chriſma in Confirmatione, & etiam „ quia ipſa Contritio, quæ eſt in corde latens, „ & occulta, manifeſta non ſit, & exterior niſi „ exterioribus doloris, & deteſtationis ſignis, quæ „ ipſam non conſtituunt, ſed ſolum indicant, & „ oſtendunt ".

IX. Verba Sacerdotis, indicantis peccata remitti, formam conſtituunt, ſive partem formalem hujus Sacramenti. Hanc doctrinam omnes amplectuntur Theologi, nec ulli ſubjacet contradictioni; de ſe enim eſt manifeſta. Nam cum Sacramenta omnia per analogiam ad res ſenſibiles, & phyſicas cenſeantur, veluti quoddam compoſitum, Sacramentale quidem, & ſpirituale, conſurgens ex verbo, & elemento, ut diximus Tract. de Sacramentis in genere, illud dicitur formæ, ſeu partis formalis locum tenere, quod complet, & determinat compoſitum, & in ſuo eſſe perficit: hoc autem præſtant verba Sacerdotis, pronuntiantis peccata eſſe remiſſa. Hoc enim Sacramentum, ut inferius, cum de Confeſſione diſputabimus, inſtitutum eſt per modum judicii, in quo peccata, Eccleſiæ, ejuſque Miniſtris ſolvenda, vel retinenda, panduntur. Id autem, quod perficit, & complet quodlibet judicium, eſt ſententia judicis, quæ reſpicitur tanquam complementum perfectivum totius judicialis actionis, nimirum examinis, confeſſionis rei, cognitionis cauſæ, &c. Eſt igitur in hac prolatione ſententiæ forma Sacramenti conſtituenda. At quænam ſint verba neceſſario adhibenda, expendemus in Diſſertatione V. de Abſolutione.

X. Contritio, Confeſſio, & Abſolutio ſunt partes eſſentiales, & intrinſecæ, Sacramentum Pœnitentiæ conſtituentes. Huic doctrinæ non omnes conſentiunt Theologi. Scotus enim in IV. diſt. 14. q. 4. & diſt. 16. q. 1. cui adhæret Maldonatus, totam Sacramenti Pœnitentiæ eſſentiam in ſola Sacerdotis abſolutione cenſent repoſitam: quamobrem eam dumtaxat putant eſſe partem eſſentialem, & intrinſecam hujus Sacramenti; actus vero pœnitentis neceſſario quidem requiri ad effectum Sacramenti obtinendum, at illud nec intrinſece conſtituere, nec ejus eſſentiales partes dici poſſe. Durandus in IV. Diſt. 16. q. 1. docet, ſola confeſſione, tanquam parte materiali, cum verbis abſolutionis, tanquam forma, conſtitui Sacramentum; contritionem vero ſolum tanquam diſpoſitionem concurrere; & ſatisfactionem tanquam effectum Sacramentum ſubſequi. Melchior Canus in Relect. de Pœnit. Par. 5. §. 5. Contritionem cenſet prærequiri, non tanquam partem Sacramenti eſſentialem, ſed ſolum ut confeſſio ſincera appareat, non ficta: quare illam circumſtantiam potius reputat Confeſſionis, vel ad ſummum partem integrantem ipſam peccatorum manifeſtationem in ordine ad abſolutionem. Ceteri tamen paſſim Theologi noſtram confirmant aſſertionem, quæ maxime apparet conformis menti, ac doctrinæ Conciliorum Florentini, & Tridentini, quæ profecto pœnitentis actus appellant *quaſi materiam*. Porro materia in unoquoque compoſito eſt pars eſſentialis intrinſece illud conſtituens. Nec urget, quod opponunt adverſantes Theologi, nempe eo in ſenſu

par-

partes dici, quia neceſſario ad Sacramenti requiruntur integritatem. Quandoquidem pari jure dicendum eſſet, actus Fidei, Spei, & Caritatis, qui ab adultis Baptiſmo præmitti debent, eſſe partes Sacramenti Baptiſmi; quod tamen nec laudata Concilia, nec ullus Theologorum unquam aſſeruit. Præterea eodem modo Concilia præfatos actus materiam appellant Sacramenti, quo verba abſolutionis formam dicunt. Sicut ergo per formam partem eſſentialem denotant Sacramenti; ita pari pacto eſſentialem partem inſinuant, dum prædictos actus materiam appellant. Denique, cum, ut jam diximus, Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit a Chriſto Domino per modum judicii, nihil magis intrinſecum, & eſſentiale judicio, quam accuſatio, ſeu criminis delatio, & prolatio ſententiæ.

XI. Satisfactio tamen eſt ſolum pars integralis. Huic quoque doctrinæ adverſatur Petrus de Palude, cui adhæſit etiam Petrus de Oſma, qui docuit, Satisfactionem ita eſſe partem eſſentialem Sacramenti, ut nulla reputanda ſit abſolutio data prævie ad ſatisfactionem. Verum nobiſcum ſentiunt ceteri omnes Theologi, & jure merito: nam etiam ſine actuali præſtita ſatisfactione integrum habetur Sacramentum; quia impletum concipitur judicium, licet ſatisfactio non fuerit perſoluta. Et revera, ſi Pœnitens vel ex oblivione, vel etiam ex malitia impoſitam omitteret ſatisfactionem, nullum foret Sacramentum, quod nemo dixerit; immo falſa redderetur forma Sacramenti, in qua remiſſa dicuntur peccata, quæ tamen non eſſent remiſſa; niſi dependenter ab exhibita ſatisfactione. Hinc merito fuit damnata ab Alexandro VIII. propoſitio 16. quæ ajebat: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei idipſum quodammodo dictante.* Illud tamen animadvertendum, ſatisfactionem quidem in re exhibitam, ſolum partem integralem eſſe Sacramenti; at eamdem in animo conceptam eſſe partem doloris, & contritionis, proinde cum ipſa partem conſtituere eſſentialem hujus Sacramenti.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando Chriſtus Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit.*
II. *Sacramentum Pœnitentiæ eſt a Baptiſmate plane diſtinctum.*
III. *Pluries ſuſcipi poteſt.*
IV. *Nullum eſt irremiſſibile peccatum.*
V. *Sacramentum Pœnitentiæ eſt neceſſarium vel in re, vel in voto, neceſſitate medii.*
VI. *Manuum impoſitio non eſt eſſentialis in hoc Sacramento.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. CHriſtus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, cum a mortuis reſurrexit. Et quidem Chriſtum eſſe hujus Sacramenti inſtitutorem patet manifeſte ex teſtimoniis capite præcedente allatis, quibus Apoſtolis poteſtatem dedit ligandi, & ſolvendi. Quod vero illud inſtituerit poſt reſurrectionem, docet Tridentina Synodus, & confirmat teſtimonio Scripturæ. Sic enim declarat ſeſſ. 14. cap. 1. „ Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tunc „ præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta ſunt.* Quo tam inſigni facto, & verbis „ tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis „ ſucceſſoribus communicavit “. Hanc tamen poteſtatem, quam tunc ſolum contulit, ante Paſſionem tamen non ſolum Petro, ſed & aliis Apoſtolis a ſe dandam pollicitus fuerat; & Petro quidem, cum dixit Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum* &c., tum omnibus Apoſtolis, cum dixit: *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Quapropter Sancta Synodus docet, tunc præcipue inſtitutum Sacramentum, cum poſt Reſurrectionem dixit, *Accipite Spiritum Sanctum*: tunc enim ipſis per Sancti Spiritus infuſionem collata fuit judiciaria poteſtas ligandi, & ſolvendi.

Conſectarium Secundum.

II. Pœnitentia eſt Sacramentum a Baptiſmo plane diſtinctum. Calvinus non aliud agnovit Pœnitentiæ Sacramentum præter Baptiſmum, cum Joannes, ut narrat S. Marcus, prædicaverit dumtaxat *Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*; & Petrus indixerit Judæis, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque in nomine Chriſti.* Hunc tamen errorem merito profligavit Synodus Tridentina can. 2. definiens: „ Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Sacramentum „ Pœnitentiæ eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit “. Et quidem jure merito: nam, ut inquit laudata Synodus: „ Hoc „ Sacramentum multis rationibus a Baptiſmo differre cognoſcitur “, quas ſic enumerat. 1. Quod ſit plane diverſa utriuſque Sacramenti materia. 2. Quia in Baptiſmo nullum exercetur judicium, cum ad Eccleſiam non pertineat de his, qui foris ſunt, judicare; ſecus autem in Pœnitentia verum exercet judicium, peccata vel retinendo, vel dimittendo. 3. Quia Baptiſmus ſemel tantum ſuſcipi poteſt, Pœnitentia vero iterari. 4. Denique, quia (verba ſunt laudati Concilii) In Baptiſmo „ nova prorſus efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen vitæ novitatem, & „ integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine „ magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina „ id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus “; Confirmant Patres, qui utrumque Sacramentum plane diſtinguunt. Tertullianus de Pœnit. cap. 5. ſcribit: *Clauſa innocentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc Deus permiſit patere .... Pœnitentiam ſecundam ... ſecunda ſubſidia ... ſecundam ſpem.* S. Epiphanius

nius Hær. 59. dicit: *Iis, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, ſubveniri non poſſe Baptiſmate, ſed alio remedio, quod Pœnitentia eſt*. S. Auguſtinus diſtinguit duos modos peccatorum remiſſionem obtinendi, Baptiſmum, & Pœnitentiam. Quod confirmat lib. 2. de Adulterinis Conjug. ſcribens: *Si a Catechumeno factum eſt homicidium, Baptiſmate abluitur, ſi a Baptizato, Pœnitentia, & reconciliatione ſanatur*. Idem docent S. Cyrillus Alexand. lib. 13. in Jo. cap. 56. S. Ambroſ. in Pſalm. 57. & ad Virginem lapſam, S. Hieronym. in cap. 3. Iſaiæ, S. Pacianus epiſt. 1. & 2. ad Simpron. aliique Patres.

Conſectarium Tertium.

III. Sacramentum Pœnitentiæ pluries ſuſcipi poteſt. Ita definivit Tridentina Synodus Can. 1. declarans: „ Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia „ Pœnitentiam non eſſe vere, & proprie Sacra„ mentum pro fidelibus, *quoties* poſt Baptiſmum „ in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis.... „ anathema ſit “. Idem oſtendunt & verba Chriſti Domini tribuentis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus poteſtatem ſolvendi, & remittendi peccata, nulla apoſita ſive numeri, ſive gravitatis, ſive relapſus limitatione: nam divinæ miſericordiæ nullum ſtatuendum modum, aut terminum Sacræ docent Scripturæ; immo cujuſcumque gravis, ac ſæpe iterati peccati reos ad pœnitentiam invitant, illiſque veniam ſpondent: ſi enim nobis præcepit, ut fratribus noſtris, in nos peccantibus, non ſolum ſepties, ſed & ſeptuagies ſepties dimittamus; multo magis ipſe, qui dives eſt in miſericordia, peccatoribus etiam nequitia repletis veniam petentibus non denegabit. Nec oppoſitum docent Patres, dum dicunt 1. Pænitentiam iterari non poſſe. 2. Vel irriſores eſſe, non pœnitentes, qui adhuc agunt, cujus ipſos pœnituit. 3. Vel facilitatem veniæ incentivum tribuere delinquendi. Nam loquuntur in primo effato de publica pœnitentia (ut explicat S. Thom. hic q. 84. a. 10.) & ſolemni, quæ non iterabatur. In 2. vero de iis loquuntur, qui ita dolent de amiſſis criminibus, ut tamen verum non concipiant iterum non peccandi propoſitum. Nam vera pœnitentia eam poſtulat *ceſſationem a peccato*, ut inquit Trident. Synodus, *quæ voluntatem peccandi excludat*; qua poſita, ſi „ aliquis (inquit D. Thom. l. l. ad 4.) „ poſtea peccat vel actu, vel propoſito, non ex„ cludit, quin prima pœnitentia vera fuerit: „ nunquam enim veritas prioris actus excluditur „ per actum contrarium ſubſequentem: ſicut enim „ vere cucurrit, qui poſtea ſedet; ita vere pœ„ nituit, qui poſtea peccat “. Et denique licet aliqui ex nimia, & præſumptuoſa ſpe veniæ non omnino a peccatis & caveant, & abſtineant; huic tamen malo non remedium afferret denegatio veniæ, ſed majus adderet detrimentum, ut egregie obſervat D. Auguſtinus ſerm. 352. al. 27. inter 50. Hom. ſcribens: „ Dicunt nos dare peccatis licen„ tiam, quia portum Pœnitentiæ pollicemur. Si „ clauderetur aditus Pœnitentiæ, nonne ille pec„ cator tanto magis adderet peccata peccatis, „ quanto magis ſibi deſperaret ignoſci? Diceret „ enim ſibi, ecce peccavi, ecce ſcelus admiſi, jam „ mihi veniæ nullus eſt locus. Pœnitentia infru„ ctuoſa eſt, damnatus ſum, quare jam non vi„ vo, ut volo? Quia ibi non invenio caritatem, „ hic ſaltem paſcam cupiditatem ... Quid ergo? „ Deus, ne per illam ſpem indulgentiæ rurſus au„ gerentur peccata, non dehinc providere debuit? „ Quomodo enim providit, ne deſperando augean„ tur; ſic providere debuit, ne ſperando augean„ tur “.

Conſectarium Quartum.

IV. Nullum eſt peccatum ex parte Eccleſiæ irremiſſibile, quæ nunquam pœnitentiam petentibus denegavit. Poteſtas data Eccleſiæ remittendi peccata ita univerſalis eſt, ut nullum ſit peccatum quod ejus poteſtate remitti non poſſit, prout cap. præced. oſtendimus. Hinc, ſi qua reperiuntur ſive in Scripturis, ſive in Patrum operibus, peccata, quæ irremiſſibilia dicantur, ita ſunt eorum teſtimonia intelligenda, ut vel magnam oſtendant veniæ impetrandæ difficultatem; vel ſi abſolute etiam irremiſſibilia prædicentur, ut de blaſphemia in Spiritum Sanctum & Evangelia, & Patres affirmare videntur, talia ſunt, ut obſervat S. Th. 2. 2. q. 14. a. 2. „ quia ſunt cum finali impœnitentia conjuncta, vel ipſam finalem impœnitentiam important: proinde non defectu poteſtatis in Eccleſia, ſed pœnitentiæ deficientia non remittuntur. Ipſa vero Eccleſia nunquam univerſali lege, vel conſuetudine pœnitentibus veniam denegaſſe, & præſertim in mortis articulo, certum eſt, præcipue ex ipſis Montaniſtarum, & Tertulliani querimoniis, Eccleſiæ exprobrantibus, quia graviorum criminum veniam concederet. Quod ſi, ut a S. Cypriano innuitur epiſt. ad Antonianum, denegata ſacramentalis abſolutio fuit & in mortis articulo reis idololatriæ, homicidii, mœchiæ; ea tamen praxis non univerſalis, ſed ſolum in Africa, & quidem in aliquibus dumtaxat Eccleſiis in uſu fuit, nunquam vero in aliis, & præſertim in Romana. Similiter peculiaris fuit Gallicanæ Eccleſiæ diſciplina de neganda reis ultimo ſuplicio plectendis abſolutione, quæ etiam omnino ceſſavit ſub Carolo VI., & præterea non ut faveret errori Novatianorum, & Montaniſtarum, & crederet cum ipſis, ea graviora peccata a ſolo Deo remitti poſſe, non vero ab Eccleſia; ſed alia plane ratione, ideſt, ut inquit S. Auguſtinus, *non deſperatione veniæ, ſed rigore diſciplinæ*.

Conſectarium Quintum.

V. Sacramentum Pœnitentiæ eſt neceſſarium neceſſitate medii vel in re, vel in voto. Veritatem hujus doctrinæ oſtendimus Cap. præced. n. 5. Solum hic exponemus hujus neceſſitatis modum, nimirum neceſſarium eſſe neceſſitate medii, & quidem in ſe, quando ſuſcipi poteſt; ſi vero ejus ſuſceptio fiat impoſſibilis, in voto, & quidem explicito. Porro neceſſitas medii hujus Sacramenti manifeſte patet, cum in Novo Teſtam. Chriſtus Dominus illud inſtituerit, ut per ipſum peccatores remiſſionem conſequerentur delictorum; & qui illud in re recipere poſſunt, quantumcumque de ſua Contritione ſibi blandiantur, nunquam juſtificationis gratiam conſequentur, cum medium negligant omnino neceſſarium, & a Chriſto Domino in nova Lege præſti-

tu-

tutum. Quod ſi impoſſibilis ſit ſuſceptio, eſt ejus votum, & quidem explicitum, concipiendum; cum in nova lege, ut mox dicemus, & ipſa perfectiſſima Contritio, quæ ſtatim peccatorem juſtificat, tantum non præſtet effectum, niſi in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, & ad Claves Eccleſiæ. Quapropter amor caritatis erga Deum in peccatore conjunctus eſſe debet cum dolore, deteſtatione expreſſa, & formali peccatorum. Sed de hoc in ſequentibus.

Conſectarium Sextum.

VI. Licet manuum impoſitio neque eſſentialiter, neque integraliter ad Sacramentum Pœnitentiæ conficiendum requiratur, non eſt tamen in ejus adminiſtratione omittenda. Primam partem docet D. Th. hic art. 4. animadvertens, nullam a Chriſto in hujuſce Sacramenti inſtitutione factam de manuum impoſitione mentionem. Cujus rei hanc theologicam aſſignat rationem, ſcribens: „ Impoſitio manuum in Sacramentis Eccleſiæ fit ad deſignandum „ aliquem copioſum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quandam ſimilitudinem continuantur miniſtris, in „ quibus copia gratiæ eſſe debet. Et ideo manus „ impoſitio fit in Sacramento Confirmationis, in „ quo confertur plenitudo Spiritus Sancti; & in Sacramento Ordinis ... Sacramentum autem Pœnitentiæ non ordinatur ad conſequendam aliquam „ excellentiam, ſed ad remotionem peccatorum ". Diximus vero non omittendam: quia ritus iſte impoſitionis manus antiquiſſimus eſt in Eccleſia, præſertim in publica pœnitentia, ut videre eſt in Conſtitutionibus, quæ Apoſtolicæ dicuntur, & in S. Cypriano lib. de Lapſis, in S. Auguſtino lib. 3. de Baptiſmo cap. 16. ſemper uſurpatus; & quia etiam in Romano Rituali præſcribitur his verbis: *Deinde dextera verſus Pœnitentem elevata dicat, Indulgentiam &c.*

REFLEXIO.

Magnum nobis profecto beneficium contulit Chriſtus, qui ſuo Sanguine peccantibus balneum paravit in Sacramento Pœnitentiæ, in quo a peccatorum ſordibus abluerentur. Verum hæc ablutio non illi ſimilis eſt, qua in Baptiſmo emundamur. Nam, ut optime monet S. Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 8. „ Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut „ aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter vero, qui ſemel a peccati, & dæmonis ſervitute „ liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum „ contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut, occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, „ & contumelioſi Spiritui Sancto, in graviora labamur, *theſaurizantes nobis iram in die iræ* ". Et cap. 2. dixerat: „ Per Sacramentum Pœnitentiæ peccatores ad novitatem, & integritatem „ vitæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, „ divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſe ". Merito igitur S. Ambroſius ſcribebat lib. 1. de Pœnitentia cap. 6. „ Audiant, „ qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo affectu, qua mentis intentione, „ qua intimorum concuſſione viſcerum, qua cordis converſione. *Vide*, inquit, *Domine, quia tribulor, venter meus turbatus eſt, a fletu meo converſum eſt cor meum in me*. Cognoviſti intentionem meam, fidem mentis cognoſce, & habitum „ corporis: *Sederunt*, inquit, *in terra, tacuerunt ſeniores filiæ Sion, & impoſuerunt terram ſuper caput ſuum, præcinxerunt ſe cilicio, deduxerunt in terra Principes, Virgines Jeruſalem defecerunt in lacrymis, oculi mei caligaverunt, turbatus eſt venter meus, effuſa eſt in terra gloria mea*. Sic flevit & Ninive populus ". Ad quæ reſpiciens piiſſimus Epiſcopus Atrebatenſis in ſua Inſtruct. cap. 2. acerbe lamentabatur, ſcribens: „ Quiſquis animum advertere voluerit, non poterit non deprehendere . . . . . pauciſſimas eſſe „ inter Chriſtianas pœnitentias, quæ notas præferant, quas exigunt (Sancta Synodus Tridentina, & SS. Patres) ut veræ ſint, adeoque pleraſque earum, quibus hoc nomen tribuitur, non „ eſſe niſi pœnitentiarum ſpecies, & phantaſmata. Proinde dici poſſe, nunquam in Eccleſia „ fuiſſe tam paucas veras pœnitentias, etſi nunquam fuerint & Confeſſiones magis iteratæ, & „ abſolutiones frequentiores ".

DIS-

DISSERTATIO II.

DE CONTRITIONE

PRIMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ PARTE.

Contritio per metaphoram a contevendo dicta eſt : quia ſicut res corporeæ, licet rigidæ & duræ, igne, vel alio inſtrumento conteruntur, & duritie depoſita molleſcunt ; ita cor pœnitentis durum, rigidumque contritione frangitur, & emollitur juxta illud Joelis 2. 13. Scindite corda veſtra. *Hæc univerſaliter inſpecta, prout a perfecta præſcindit & imperfecta, definitur a Tridentino Concilio ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Contritio eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero : *ſeu cum S. Thom. in Supplem.* 3. *p. q.* 1. *a.* 1. Dolor pro peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi : *quæ definitio magis ad rem noſtram facit, cum ordinem indicet ad Sacramentum Pœnitentiæ, de quo diſputamus. De hac igitur diſputare agredimur in hac Diſſertatione. Et ut in re, quæ non levioribus eſt circumſepta difficultatibus, majore, qua poſſumus, claritate procedamus,* 1. *Contritionem generatim expendemus ; mox de Contritione perfecta, dein de imperfecta, ſeu attritione, & propoſito cum utraque neceſſario conjungendo diſſeremus.*

CAPUT PRIMUM.

De Contritione generatim inſpecta.

DOCTRINA.

I. *Quænam ad veram Contritionem requirantur conditiones.*
II. *Contritio eſſe debet ſupernaturalis, & vera.*
III. *Nec non univerſalis.*
IV. *Neceſſaria eſt neceſſitate tum medii, tum præcepti.*
V. *Quando urgeat præceptum contritionis.*
VI. *Peccare peccato omiſſionis illum, qui diu differt contritionem, oſtendunt Scripturæ.*
VII. *Urgent Patres.*
VIII. *Conſentiunt nobiliores Theologi.*
IX. *Confirmant valida argumenta.*
X. *Proponuntur objecta.*
XI. *Solvuntur.*

I. Contritio tria neceſſario involvit, odium nimirum peccati, dolorem, & propoſitum non peccandi. Conſtat hujus doctrinæ veritas ex Contritionis definitione, quam mox ex Tridentino, & D. Th. attulimus. Confirmant Scripturæ, quæ dolorem, & odium peccati maxime a peccatore pœnitentiam amplectente requirunt. Pſalm. 6. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum.* Iſaiæ 38. Ezechias vere pœnitens ajebat: *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Patres quoque contriti cordis eandem exhibent imaginem. S. Ambroſius de Pœnitentia cap. 2. *Majora* (ſcribit) *crimina majoribus abluantur fletibus.* S. Baſilius Hom. in illa verba *Attende tibi. Magnum eſt, & grave peccatum, multa opus habes confeſſione, lacrymis amarulentis.* S. Auguſtinus ſerm. 58. de tempore: *Si in peccatum fuerit quis diabolica calliditate protractus . . . remedium ſibi in die neceſſitatis acquirat, & cum ingenti rugitu, & gemitu Deum ſibi reconciliare contendat.* Paria habent S. Ambroſ. ad Virginem lapſam, S. Cyprianus in libello *de Lapſis*, S. Gregor. lib. 4. Moral. S. Iſidorus lib. 2. *de divinis Officiis*, aliique paſſim, quorum teſtimonia legi poſſunt apud Morinum de Pœnitent. lib. 1. cap. 14. 15. 16. Et revera concipi non poteſt, quomodo peccator in ſe peccatum deſtruere queat, & abolere, niſi illud 1. deteſtetur, & odio habeat, quod poſtea conſequatur dolor, ſive diſplicentia patrati ſceleris, & propoſitum ſtabile, firmum, & conſtans illud vitandi: fruſtra enim, & ficte doleret, qui, quæ deteſtatur, rurſum amplecti vellet. Unde merito ait S. Iſidorus: *Irriſor eſt, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet.* Denique cum Contritio veram importet voluntatis converſionem, hæc & terminum reſpicere debet, a quo recedit, veterem ſcilicet vitam, quam per odium deteſtatur, & de qua vehementer dolet; & terminum ad quem, novam ſcilicet vitam, cujus ineundæ propoſitum concipit: hiſce enim actibus voluntas humana mutari ſolet, & converti.

II. Contritio eſſe debet ſupernaturalis, & vera. Prima pars conſtat ex Tridentini Concilii definitione, dum ſeſſ. 6. can. 3. cum Arauſicano Concilio ſic ſtatuit: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, atque pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Cui doctrinæ inhærens Innocent. XI. illam quorumdam Caſuiſtarum erroneam propoſitionem damnavit, quæ ajebat: *Probabile eſt ſufficere contritionem naturalem, modo honeſtam.* Confirmat & Theologica ratio. Cum enim per Contritionem homo ad ſanctificantem gratiam vel immediate, ſi vehemens ſit, & tanta, ut maculam peccati ſtatim per ſe queat auferre, aut mediate per Sacramenta vel Baptiſmi, vel Pœnitentiæ obtinendam diſponatur; hæc diſpoſitio ab actibus naturalis ordinis nequit induci, cum nulla ſit

ſit proportio, nulla connexio, relatio nulla ordinis naturalis cum ſupernaturali, ad quem ſpectat hominis juſtificatio. Quamobrem hæreticum eſt, & Pelagianum aſſerere, per actus naturalis ordinis poſſe hominem ſe præparare ad gratiam, ſive actualem, ſive habitualem, ut olim adverſus Pelagianos, & Semipelagianos invicte oſtendit Auguſtinus, cujus doctrinam eſt amplexata Tridentina Synodus, dum laud. ſeſſ. cap. 6. declaravit: *Ipſius juſtificationis exordium in adultis a Deo per Jeſum Chriſtum, præveniente gratia, ſumendum eſſe*. Altera vero pars adverſus recentiores quoſdam Theologos poſita eſt, qui naturalem quidem contritionem ineptam putant ad remiſſionem peccatorum obtinendam, ſi talis a Pœnitente agnoſcatur; ſecus vero, ſi quæ eſt in ſe naturalis, invincibiliter tamen ſupernaturalis exiſtimetur. At immane quantum a veritate aberrent, ipſa theologica ratio evidenter oſtendit. Nam Sacramenti partes, inter quas profecto recenſendum dolorem, & contritionem ſupernaturalem non abnuunt laudati Theologi, neceſſariæ ſunt inſtitutione divina. Si itaque, quocumque poſito rerum eventu, hujuſmodi non ſint, quales Chriſtus ſua inſtitutione decrevit, nullum a Miniſtro conficitur Sacramentum; nec illud recipiens, Sacramenti conſequitur effectum. Si enim in Baptiſmo inculpabiliter vinum pro aqua, & in Euchariſtia aqua pro vino adhibeantur, nec verum confertur Baptiſma, nec legitimum habetur Sacrificium; licet ob invincibilem ſive ignorantiam, ſive inadvertentiam, a culpa immunis reputetur Miniſter: ita pari pacto remiſſionem non conſequitur peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, qui loco veræ, & ſupernaturalis contritionis merum afferat dolorem, a ſolis naturæ viribus procedentem; cum ejus ignorantia, vel inadvertentia, licet inſuperabilis, nec rerum naturam, nec Chriſti inſtitutionem valeat immutare.

III. Contritio ſit univerſalis neceſſe eſt, nimirum ut de omnibus peccatis doleat pœnitens homo, nullumque excipiat a pœnitentia peccatum. Quandoquidem non alia conditione Deus remiſſionem eſt pollicitus peccatorum, niſi omnia penitus deteſtentur. Ait enim Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt . . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*. Et iterum: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Et ſane nullus peccator vere pœnitens poteſt unum mortale peccatum abominari, niſi ſimul & omnia, quibus ſe ſentit inquinatum, deteſtetur: cum enim peccatum deteſtabile ſit, & abominandum, quia eſt offenſa Dei, & hæc ratio omnibus criminibus ſit communis; dum unum deteſtatur, a ceteris omnibus etiam, neceſſe eſt, ut abhorreat: alioquin ſimul & averſus a Deo eſſet, & ad eum converſus; averſus quidem, quia adhuc peccato adhæreret; converſus autem, quia illud deteſtaretur: quod plane eſt impoſſibile; ſicut impoſſibile eſt, ut ajebat Chriſtus, duobus Dominis ſervire. Recolantur, quæ diximus Diſſert. præcedenti Cap. 1. n. 6.

IV. Contritio neceſſaria eſt, tum neceſſitate medii, tum præcepti, omnibus adultis poſt Baptiſmum in peccatum lapſis. Argumenta præced. Diſſert. Cap. 2. Conſ. 4. pro neceſſitate Pœnitentiæ adſtruenda adducta, hanc quoque doctrinam confirmant; cum Contritio pars ſit maxima, & præcipua Pœnitentiæ. Solum itaque hic breviter confirmatur Sanctæ Tridentinæ Synodi Decreto Seſſ. 14. definientis, *fuiſſe quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam hunc contritionis motum neceſſarium*. Nam cum per lethale peccatum ſe a Deo ſummo bono averterit homo, illumque graviter offenderit, concipi nullo pacto poteſt, quomodo in Dei gratiam redire queat, niſi per contritionem commiſſa peccata deteſtetur, de illis vehementer doleat, ac propoſitum novæ vitæ ineundæ concipiat: quæ omnia ſicut ſine contritione haberi non poſſunt, ita in Contritione, ſi vera ſit, & non ficta, continentur. Unde optime docet S. Th. hic q. 84. art. 7. ad 1. „ De jure naturali eſt, ut aliquis pœniteat „ de malis quæ fecit, quantum ad hoc, quod doleat ſe feciſſe, & doloris remedium quærat per „ aliquem modum, & quod etiam aliqua doloris „ ſigna oſtendat “. Neceſſitatem vero præcepti, & quidem juris divini poſitivi, ea oſtendunt Scripturarum loca, quæ peccatoribus pœnitentiam indicunt, quæ attulimus l. laud. & quibus addimus Ezech. verba cap. 8. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris*. Et Zach. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, & alia plura, quæ paſſim in Scripturis occurrunt. Immo ipſa neceſſitas medii neceſſitatem etiam infert præcepti, cum quiſque teneatur ea amplecti media, quæ ad æternam ſalutem ſunt abſolute neceſſaria; & ea negligendo peccat contra legem Caritatis erga ſe ipſum quam violat ſe periculo æternæ perditionis expoſitum detinendo; contra legem juſtitiæ, quam violavit, dum Deo per ſuam culpam injuriam irrogavit; contra legem Caritatis erga Deum, qua quiſque jure naturali ad Deum ſuper omnia diligendum adſtringitur, ac proinde ad operam dandam, ut ejus amicitiam, a qua infeliciter excidit, quam citiſſime recuperet. Nec deeſſe legem etiam Eccleſiæ quiſque facile perſpiciet, qui ad duo præcepta attenderit; & confitendi ſemel in anno, & Euchariſtiam ſumendi in Paſchate, de quibus diximus in Tract. de Præceptis Eccleſiæ. Sed de priore redibit ſermo, dum de Confeſſione agemus.

V. Quando vero urgeat præceptum Contritionis, intelligi poteſt ex iis, quæ diximus in Tract. de Virtut. Theologicis Diſſert. III. de Caritate cap. 8. a n. 2. ad 6. Non enim peccator a præcepto liberatur diligendi Deum. Tenetur itaque 1. per ſe, quandocumque obſtringitur Deum diligere: non enim implere poteſt hoc præceptum, niſi de ſuis peccatis doleat. Tenetur etiam, cum periculum probabile urget mortis: quamobrem tenentur hoc præcepto non ſolum periculoſe ægrotantes, ſed etiam milites ante pugnam, navigantes ante procelloſam navigationem, prægnantes ante puerperium, præſertim ſi difficile, & arduum timeatur. Urget & in fine vitæ. Per accidens vero, quotieſcumque vult ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, aut alia Sacramenta vel conficere, vel miniſtrare, vel recipere. Si gravis urgeat tentatio relabendi in peccata; non enim melius illa repellitur, quam de admiſſis ſceleribus acriter dolendo, & veniam petendo.

VI. Num vero urgeat hoc præceptum, ſtatim ac

ac quis in peccatum lapſus eſt, diſputant Theologi, & latiſſime quæſtionem expendit Concina tum To. 1. in Decal. lib. 1. Differt. 4. cap. 10. §. 2. tum To. IX. de Sacramento Pœnitentiæ Differt. 1. cap. 7. §. 4. Nos vero ſtatuimus in laud. Differt. 3. de Caritate Cap. 7. Confect. 7. graviter peccare contra Caritatem ſui ipſius, qui in lethali peccato diu perſeverat. At quam diuturna eſſe debeat hæc perſeverantia, ut lethale peccatum omiſſionis conſtituat, non ſtatuimus. Nunc itaque dicimus 1. Urgere præceptum Contritionis emittendæ reſpectu illius, qui peccatum lethale admiſit: 2. hoc præceptum non urgere, ſtatim ac peccavit phyſice, ita ut momento ſubſequente peccatum, teneatur confeſtim contritionis actum elicere: 3. ſed moraliter, ideſt quotieſcumque admiſſi peccati, ac ſtatus ſui ærumnoſi memoria occurrit; & tunc ita teneri pœnitere, ut, ſi deliberato animo negligat, & voluntarie converſionem differat, a gravi peccato omiſſionis, & negligentiæ non excuſetur. Hiſce tribus propoſitionibus puto doctrinam conflari adeo certam, & exploratam, ut nemo eam inficiari poſſit, & ſine erroris certo periculo oppugnare. Et quidem peccatorem teneri ex præcepto Caritatis per Contritionem a peccato reſurgere, propoſitio eſt evidens; ſicut evidens eſt lapſum in Mare teneri totis viribus enatare, &, ne pereat, conari, & laborare. Non teneri autem ſtatim & conteri, & converti, nulla nec breviſſima interpoſita mora, pariter certum videtur, cum omnia præcepta, quæ negativa non ſunt (hæc enim urgent quovis momento, & obligant, ut inquiunt Theologi, ſemper, & pro ſemper) morale tempus reſpiciant juxta communem prudentum exiſtimationem; & etiam valet ad tollendam abſurditatem de multiplicatis per ſingula momenta peccatis, de qua poſt pauca. Tertia vero propoſitio, præterquamquod ipſis inſpectis terminis juſta, æqua, divinæ legi conformis apparet, evincitur innumeris Sacræ Scripturæ teſtimoniis dilationem pœnitentiæ reprobantibus, & urgentibus ſollicitudinem, ac ſtudium emergendi. Eccleſ. 5. *Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem*. Pſal. 84. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Et in Evangelio ſumma inculcatur vigilantia, per quam quiſque ſummo ſtudio cavere debet, ne in peccato morte præoccupetur: *Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus venturus ſit. Vigilate .... ne cum venerit, repente inveniat vos dormientes: quod autem vobis dico, omnibus dico. Eſtote parati, quia, qua hora non putatis: Filius hominis veniet*. Nec dicas hæc Evangelica dicta ſolum continuum periculum oſtendere, non novum peccatum denotare. Quandoquidem admonitio de hoc periculo cavendo præſentem oſtendit obligationem, & præceptum illud evitandi, ne hac ipſa negligentia iram Dei provocemus.

VII. Idem docent Patres, qui ex laudatis Scripturæ teſtimoniis oſtendunt neceſſitatem, proinde & obligationem citius emergendi a cœno peccati, & converſionis ad Deum. Tertullianus ex Dei miſericordia ſemper parati ad parcendum, peccatori infert debitum citiſſimæ contritionis, ſcribens de Pœnit. cap. 7. *Abſit, ut aliquis ita interpretetur, quaſi eo ſibi pateat ad delinquendum aditus, & redundantia clementiæ cæleſtis libidinem faciat humanæ tenuitatis. Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt*. S. Jo. Chryſoſt. Hom. 14. in Matth. *Non dolere quia peccaveris, magis iraſci facit Deum, quam illud ipſum quod ante peccaveras*. S. Baſilius in Catena aurea; *Laqueus fortis eſt pœnitentiæ dilatio:* & alii frequenter.

VIII. Illis concinunt & nobiliores Theologi, & præſertim S. Th. in IV. Diſt. 17. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 4. & in Suppl. q. 6. art. 5. ſcribens: „ Cum propoſitum confitendi ſit adnexum Contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propoſitum, quando ad contritionem tenetur, ſcilicet *quando peccata memoriæ occurrunt*, præcipue cum in periculo mortis exiſtit “. Nec ſibi adverſatur D. Th. dum loc. laud. ſcribit: „ Non eſt de neceſſitate ſalutis corporalis, ut ſtatim Medicus quæratur, niſi quando curationis neceſſitas incumbit, & ſimiliter eſt de morbo ſpirituali “. Nam ibi loquitur de neceſſitate non Contritionis, ſed Confeſſionis, quæ differri aliquandiu poteſt, quia Confeſſarium habere non eſt in peccatoris arbitrio, ſicut in ejus voluntate poſitum eſt ſtatim conteri, & pœnitere. Hinc ſtatim ſubdit: „ Quamquam *ſtatim omnes de ſuis peccatis dolere teneantur*, & Confeſſionem differre periculo non careat; de neceſſitate tamen ſalutis non eſt, ut ſtatim quis peccata ſua confiteatur, ſed habita copia Confeſſarii, & ſtatutis pro Pœnitentia temporibus “. In quibus verbis clare diſtinguit præceptum Confeſſionis a præcepto Contritionis: hoc ſtatim urgere omnes docet, dicens: *Statim omnes de ſuis peccatis dolere tenentur*; illud urgere, cum habetur copia Confeſſarii. Eandem doctrinam confirmavit & in Summa 2. 2. q. 62. art. 2. ſcribens: „ Manifeſtum eſt, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur ſtatim peccatum deſerere, ſecundum illud Eccleſ. *Quaſi a facie colubri fuge peccatum*, ideo quilibet tenetur *ſtatim* reſtituere, ſi poteſt “. Ut vim hujus Angelicæ doctrinæ elidant Theologi adverſæ ſententiæ, dicunt, D. Th. loqui de homine, qui in detentione manet rei alienæ, non ſolum habitu, ſed & affectu, quia eam non reſtituit, cum poſſit; at hic ſermonem haberi de homine in peccato perſeverante, non ex affectu, ſed ex habitu. At futilis eſt hæc reſponſio. Nam 1. non ſemper homo detinet rem alienam ex affectu ad illam, etiam cum poteſt reſtituere: etenim frequenter reſtitutionem differt ex oſcitantia, pigritia, negligentia, inadvertentia: & tamen ſemper peccat non reſtituendo, cum poſſit. 2. Quia ſi ideo non ſolo habitu, ſed affectu quis rem alienam detinere concipitur, quia valens reſtituere non reſtituit; pari pacto dicendum eſt, peccatorem non habitu ſolum, ſed & affectu in peccato perſeverare, quia, cum poſſit illud abjicere per contritionem, non abjicit. 3. Ut D. Th. oſtendat obligationem non differendæ, nec per modicum tempus, reſtitutionis, principium aſſumit omnino certum, & inconcuſſum, ſcilicet *non licere, nec per modicum tempus, in peccato morari*; quod principium negant, vel ſaltem in dubium revocant laudati Theologi, dum dicunt, licitum eſſe per aliquod tempus in peccato morari. Licitum autem dicitur, quod nullo præcepto prohibetur. 4. S. Th. addit teneri *peccatum ſtatim deſerere*: quo præcepto indicat, non ſolum prohiberi actualem in peccato perſeverantiam,

tiam,

tiam, quæ idem eſt cum actuali perpetratione peccati (quis enim tam impius eſt, ut dicat, licere aliquando peccare?) ſed & habitualem in ipſo perſeverantiam interdici; proinde per Contritionem peccatum ab anima ſtatim expellendi datum eſſe præceptum. D. Thomæ conſentiunt nobiliores Theologi. S. Bonaventura in IV. Diſt. 16. q. 2. dicit: „ Tenetur ad Contritionem peccator pro lo„ co, & tempore, videlicet cum *recogitat mala* „ *ſua*, in quibus offendit Deum “. S. Antoninus III. P. tit. 14. cap. 18. inquit: „ Quantum ad pec„ cata mortalia, de quibus quis nondum habuit „ contritionem, videtur, quod ſemper teneatur, „ *quando peccatum menti occurrit*, ad actu odien„ dum, & deteſtandum peccatum. Alias *peccat* „ *moraliter*, *peccato omiſſionis*, quouſque contera„ tur “. Idem docent Alex. Alenſ., Palud. Cajet. in ſumm. D. Th. 2. 2. q. 64. ad 2. Sylveſt., Guliel. Pariſien. Petrus Soto, Abulenſis; ex recentioribus vero Habertus, Gennetus, Natalis Alexand. Tournelius, Liberius a Jeſu, Cuniliati, aliique plures.

IX. Nec deſunt validiſſima argumenta, doctrinam noſtram probabiliſſimam, & moraliter certam oſtendentia. Et 1. ex parte Dei per peccatum offenſi; dum enim peccator advertit, ſe illum graviter offendiſſe, vel de hoc gaudet, vel indifferenter ſe habet: ſi primum, manifeſte patet, illum de admiſſo peccato gaudendo, iterum peccare; ſi vero indifferenter ſe habet, nec gaudendo, nec triſtitiam concipiendo, jam oſtendit, ſe deliberato animo in ipſo velle perſeverare, proinde & ipſum interpretative ſaltem adprobare, ac ſi diceret intra ſe, *nolo pœnitere*; quod profecto Dei contemptum interpretativum importat, ac proinde novum peccatum. 2. Ex parte ipſius peccati, quod ut D. Gregorius obſervat, *ſuo pondere in peccatum trahit*. Quare communiter docent Theologi, peccatorem non poſſe diu perſeverare, quin in alia nova labatur peccata. Porro qui advertit, ſe eſſe in lethali peccato conſtitutum, advertere poteſt, & tenetur ſe in periculo certo, & proximo verſari labendi in alia peccata. Ergo non ſe ab hoc periculo ſubtrahendo per Contritionem peccat. 3. Ex parte ipſius peccatoris, qui, dum advertit miſerum, in quo verſatur, ſtatum, perſpicere poteſt, & ſcienter ſe in periculo verſari æternæ damnationis, divinæ juſtitiæ enſem ſuæ impiæ cervici imminere, tenuiſſimo vitæ ſuæ filo ſuſpenſum. Peccat igitur graviſſime, tantum periculum a ſe non avertens, & voluntarie in illo conſiſtens. Hoc argumentum urget D. Gregor. Hom. 12. in Evangel. „ Si ſciret quiſque de præſenti ſeculo, quo tempo„ re exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud „ Pœnitentiæ aptare potuiſſet. Sed, qui Pœniten„ ti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum „ non promiſit. Semper ergo extremum diem de„ bemus metuere, quem nunquam poſſumus præ„ videre. Ecce hunc ipſum diem ad inducias con„ verſionis accepimus; & tamen mala, quæ feci„ mus, flere recuſamus “. Hinc piiſſimus quidam Auctor admiratus in dubium revocari, an homo in peccato mortali conſtitutus teneatur, dum de ſtatu ſuo recogitat, ad contritionem, & pœnitentiam confugere, dicit, ſibi videri in dubium revocari, „ num qui Regiam Majeſtatem læſit, qui „ vitæ ſui Principis eſt inſidiatus, poſſit tran„ quillo animo illi ſe ſiſtere, quin ullam illi „ exhibeat ſui ſceleris diſplicentiam, nullum do„ loris, nullum pœnitentiæ argumentum oſten„ dat. Quis non dicet, hunc novo ſcelere impie„ tatem ſuam tanta temeritate, & audacia cumu„ lare “?

X. At, quænam tandem ſunt validiora argumenta, quæ pro oppoſita doctrina, a peccato excuſante peccatorem diutius voluntarie in cœno perſeverantem, afferunt Theologi? Profecto hæc talia ſunt, de quibus merito ſcripſerit Tournel. de Pœnit. par. 2. cap. 4. ſect. 3. concl. 3. num. 279. „ Momenta alterius opinionis nihil habere ſolidi, „ quod Chriſtianum pectus movere poſſit “. Sunt autem hæc. 1. Præceptum Contritionis eſt affirmativum: affirmantium autem præceptorum conditio eſt, ut non ſtatim obligent, ſed pro loco, tempore, & opportunitate. 2. Non eſt reus culpabilis dilationis, qui tarde facit, quod cito facere poteſt; ut patet in eo, qui ad extremam horam differt auditionem Miſſæ in die feſto, quam ſummo mane audire poteſt: ſed qui differt, quando faciendum eſt. Non eſt igitur culpandus peccator, qui differt ſuam converſionem, quam ſubito præſtare poteſt; ſi tamen debito, & opportuno tempore convertatur. 3. Dum peccator ſuam converſionem differt, non cenſetur velle ipſum peccati ſtatum, ſed tantum permittere, & tolerare; quod non importat poſitivam volitionem: ut videre eſt in illo, qui permittere poteſt quidem ſe a fure occidi, at minime velle. 4. Periculum damnationis æternæ, reſpectu peccantis, remotum eſt; cum facile ſit eo præſente ad Deum converti. 5. Denique ſingulis momentis nova cumularet peccata peccatis, cum ſingulis momentis poſſit converti, ſi velit; quod profecto abſurdum eſt, & hæc peccata nec a pœnitentibus in Confeſſione panduntur, nec a Confeſſario enumerantur.

XI. Sed hæc facile ſolvuntur. Nam ad 1. etiam concedendo præceptum Contritionis eſſe affirmativum, adhuc verum eſt urgere ſtatim moraliter, ac homo peccati ſui meminit, quin per hoc negativis æquiparatur præceptis: nam hæc obligant ſemper, & pro ſemper, nulla facta hypotheſi, nulla poſita conditione, vel circumſtantia, niſi moralis impoſſibilitatis: ſic homo, nulla facta hypotheſi, nunquam poteſt blaſphemare, pejerare, fornicari, furari, &c. Et hujus generis non eſt præceptum de Contritione elicienda, ſed determinati temporis, & circumſtantiæ, ſcilicet & admiſſi peccati, & recogitationis de illo; proinde, etſi affirmativum, tunc urget: ſicut affirmativum eſt præceptum de ſolvendo pretio mercis emptæ; & hoc urget, ſtatim ac merx tradita eſt, niſi venditor dilationi conſentiat: ſic poſitivum eſt præceptum jejunandi in Quadrageſima, & abſtinendi a carnibus Fer. 6. & Sabbato; & ſtatim urgent, quando illi dies adveniunt; ita præceptum Contritionis affirmativum eſt, non enim urget hominem juſtum, quandiu in ſtatu gratiæ perſeverat, licet plurimi labantur anni; at urget, ſtatim ac admiſſum eſt peccatum; tunc enim urget tempus, quod dilationem non patitur. Secundo dicimus affirmativum quidem eſſe, ita ut ſimul ſit negativum; ſicut præceptum reſtitutionis rei alienæ, ita poſitivum eſt, ut ſimul negativum contineat de re aliena non retinenda invito Domino. Pari igitur pacto præ-

præceptum de Contritione elicienda præceptum involvit de Deo diligendo, ita tamen ut nec momento temporis in illius odio, & inimicitia quieti permaneamus. Quamobrem in Scriptura ad normam negativorum præceptorum exprimitur illis verbis, *Non tardes converti ad Dominum*; ſicut dicitur *non mœchaberis*, *non occides*, *non furtum facies &c.* Ad 2. Nimium probare argumento ſuo Adverſarios: nam nulla eſſet tam longa mora, quæ excuſari non poſſit, dummodo aliquando converteretur; ſemper enim verum eſſet, quod opportune converteretur; converſio enim, licet tarda, ſemper tamen eſt opportuna. Sed hic non agitur de ipſa converſione, quam eſſe in præcepto nemo dubitat, ſed de converſione maturanda, & non retardanda; & ad hanc celeritatem urgere præceptum dicimus de pace cum Deo ineunda, de periculo æternæ perditionis ſemper imminente vitando. In ceteris autem præceptis hæc mora nullam Deo irrogat injuriam, nec ullum non implendi præcepti periculum imminet: ut patet in auditione Miſſæ, quæ ſine Dei injuria, ſine animæ periculo uſque ad meridiem differri poteſt; licet optimum foret prævenire, & primo mane audire. Ad 3. In actu peccatoris ad ſuum miſerum ſtatum reflectentis; & pœnitentiam procraſtinantis, non mera invenitur permiſſio, ſed poſitiva volitio: ille enim non cenſetur permittere, ſed & velle, qui graviſſimum ſibi imminens malum poteſt avertere, & ſaltem ex caritate erga ſe ipſum tenetur. Porro peccator, de quo loquimur, graviſſimum ſibi malum imminere proſpicit, poteſt avertere, ex caritate tenetur. Ergo non ſolum permittit, ſed & poſitive velle cenſetur. At 4. loco dicunt, hoc periculum remotum eſſe, non proximum. Sed qua confidentia, amabo, hoc affirmant contra Scripturarum, & Evangelii plane oppoſita monita, clamantia: *Sicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo.* Eccleſ. 9. 12. *Cum dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* Luc. 12. *Qua hora non putatis, filius hominis veniet*; & ſexcenta alia in Scripturis frequentiſſima? Præterea, quare hanc ſecuritatem, & periculi abſentiam per tres, per ſex, per octo menſes, & etiam per annum pollicentur, at ulterius protrahere cenſent ſine peccato non poſſe? Num in eorum manibus poſita ſunt tempora, & momenta, quæ ſolus Deus poſuit in ſua poteſtate? Urgeo: magis liceret in peccato ſordeſcere juvenibus, quam ſenibus, fortibus & robuſtis, quam infirmis, ac debilibus. At quot fortes, & robuſtos, & juvenes mors immatura rapit, dum interim ſenibus, & debilibus parcit? Ad 5. Ad invidioſum argumentum de nimia, & inceſſante ſingulis momentis peccatorum multiplicatione egregie reſpondet Petrus Soto lect. 13. de Pœnitentia ſcribens: „ Quæſtiones, quæ hic, vel alibi tractan„ tur, de uno, vel pluribus peccatis, non admo„ dum ad rem pertinet. Conſtat enim unum non„ nunquam majus eſſe pluribus, & plura minora uno. „ Si quis enim ſemel centum aureos furetur, quis „ dubitabit, illum gravius peccaſſe, unico licet „ peccato, quam qui decies decem tantum ſuſtulit? „ Sunt enim de hoc innumera exempla. Conſtat „ igitur, quod in judicio, ubi de gravitate pec„ cati agitur, ut adhibeatur digna medicina, & „ conveniens, prout fieri poteſt, ſatisfactio, pa„ rum ad rem pertinet, unum, an plura ſint pec„ cata; ſed illud potius conſiderandum, quis ma„ gis obnoxius coram Deo ſit. Ex hoc igitur cir„ ca id, de quo agitur, putamus parum, immo „ nihil ad rem pertinere, an aliud novum pecca„ catum ſit non pœnitere. Certe, quanto diutius „ quis in peccato hæret, tanto magis obnoxius eſt „ culpæ coram Deo; & quanto plura ſe offerunt, „ quæ merito a peccato deterrere debeant, vel „ admoneant ad illud relinquendum, vel adſtrin„ gant ad quærendam Dei gratiam, tanto etiam „ gravius peccatur; & forte in omnibus non mi„ nus, quam ſi novum eſſet peccatum, eſt prioris „ aggravatio. Et propterea ſuperius diximus, hoc „ non admodum ad rem eſſe, & B. Thomam, & „ Bonaventuram parum curaſſe. Quando occurrit „ memoriæ, quod Deum quis offenderit, putarunt „ illi conſonum rectæ rationi eſſe, ut peccati pœ„ niteat .... Nam illa tam recepta regula, præce„ pta affirmativa non obligare, niſi in neceſſitate, „ ut alias diximus, non de extrema neceſſitate ac„ cipienda ſolum, ſed cum occurrit caſus, ubi „ recta ratio judicat, vel judicare debet, con„ tra illam virtutem eſſe, ſi non fiat ejus actus. „ In hoc vero judicio puto, credendum eſſe ſan„ ctioribus, & piis, quam argutioribus. Judica„ runt D. Thomas, & Bonaventura, ſi, occurren„ te peccato, ejus non pœniteat, cum nondum „ antea pœnituerit, contra Virtutem pœnitentiæ „ eſſe, cujus eſt Deum placare ". Quam egregie, quam apte, quam pie hæc dicta ſint, nemo eſt, qui non perſpiciat. Hanc vero ſive peccatorum multiplicitatem, ſive circumſtantiam ſemper magis, & magis culpam aggravantem confitentur Pœnitentes, dum tempus dicunt, quo in peccato ſorduere; & ſtudioſi Pœnitentiæ Miniſtri illis objiciunt, & exprobrant, dum eorum audaciam, temeritatem, præſumptionem acriter reprehendunt, & remedium frequentioris Confeſſionis imperant.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Non eſt vera Contritio, qua quis dolet de peccatis ob temporalia mala, ut a Deo inflicta.*
II. *Contritio omnia, & ſingula lethalia peccata deteſtari debet.*
III. *Contritio in quæ potiſſimum peccata ferri debeat.*
IV. *Eſſe debet formalis, & explicita.*

Conſectarium Primum.

I. NOn eſt vera Contritio, qua quis dolet de peccato ob temporalia mala, ut a Deo inflicta. Adverſantur huic doctrinæ Probabiliſmi propugnatores, Viva, & Tamburinus, qui oppoſitam ſententiam probabiliſſimam appellare non horreſcunt, cum falſiſſima ſit, & laxiſſima, ac admodum affinis propoſitioni 26. ab Innocentio damnatæ, aſſerenti: *Sufficere Attritionem naturalem, modo honeſtam*: non enim ſatis vitant cenſuram, quia eam ſupernaturalem appellant; nam vocabula rerum naturam non commutant. Dolor, & diſplicen-

tia

tia peccati ob temporalia mala, puta ob infirmitates ex eo contractas, ob infamiam, carcerem, luem veneream, & ſimilia, eſt in ſe naturalis; nec per hoc, quod ſpectentur ea mala, ut a Deo provenientia, objectum reſpicit ſupernaturale, cum & naturali lumine Dei exiſtentia, ac providentia innoteſcant: neque hæc temporalia mala timenda eſſe docet Chriſtus, dum dicit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, timete eum, qui poteſt corpus, & animam perdere in gehennam.* „ Qui propter beneficia terrena (ſcribit D. Auguſtinus in Pſalm. 77.) Deum quærunt, non utique Deum, ſed illa quærunt. Eo modo timore ſervili, non liberali dilectione Deus colitur; ſic ergo Deus non colitur, hoc enim, quod diligitur". Et Antiochus ingemuit, & amariſſime indoluit, *manifeſtam* (ut inquit Scriptura) *Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans, divina admonitus plaga;* & tamen ſceleſtus a Deo veniam non eſt conſecutus. Addendum, in Sacramentis conferendis non probabiles opiniones eſſe amplectendas, ſed tutiores. Falſitatem hujus doctrinæ ſenſit & benigniſſimus Lacroixius, qui fatetur has, & ſimiles Theologorum opiniones non ad hoc inſervire, ut in praxi adhibeantur, & juxta illas Sacramento conferantur; ſed ſolum, ut ſi bona fide tali dolore peracta ſit Confeſſio, non pro inutili habeatur, nec cogatur Pœnitens Confeſſiones repetere. At bona ne fides efficere valet, ut materia ad Sacramentum inepta, apta fiat? Qui bona fide vinum album ad Baptiſma adhiberet, putans eum eſſe aquam, perficeret ne per hoc Sacramentum? Hujuſmodi dolor inepta eſt diſpoſitio ad Sacramentum Pœnitentiæ, proinde nullum Sacramentum, nulla abſolutio: hoc adverterint, hoc noverint & Pœnitens, & Confeſſarius. Quid igitur præſtare debent, niſi quod inutiliter factum eſt corrigere, & legitima materia, & valido Sacramento ſaluti animæ proſpicere?

Conſectarium Secundum.

II. Contritio omnia, & ſingula lethalia peccata deteſtari debet, ut idonea ſit Sacramenti materia proxima; non eſt tamen neceſſe, ut ad omnia venialia deteſtanda ſe dilatet. Et quidem cum ſingula peccata Deum offendant, & divina gratia peccantes privent, ſingula ſunt deteſtanda, & de ſingulis dolendum tali contritione, & dolore, qui ea omnia reſpiciat, & ad ſingula ſe extendat. Neceſſe tamen non eſt, ut tot eliciat contritionis actus, quot ſunt commiſſa peccata, cum nullum ſit reperire in Scripturis, aut Patribus veſtigium præcepti tot actus mandantis. Id tamen præſtare utiliſſimum eſt, & ad Contritionem augendam mirifice conducit, ut docet Tridentini Concilii Catechiſmus P. II. §. 29. dicens: „ Maxime autem hortandi, & monendi ſunt fideles, ut ad ſingula mortalia crimina proprium Contritionis dolorem adhibere ſtudeant". Ita enim Ezechias ſuam Contritionem deſcribit, cum ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Etenim recogitare omnes annos eſt ſingillatim peccata excutere, ut ea ex animo deteſtemur. Subdit tamen ſufficere, ſi univerſim quiſque peccata ſua deteſtetur ad veniam, & miſericordiam obtinendam. Quoad venialia vero peccata jam ſuperius Diſſert. præced. cap. 2. conſect. 5. diximus, ad eorum deletionem requiri quidem dolorem, & pœnitentiam, per quam illa peccatori diſpliceant; at hunc dolorem ſatis eſſe, ſi virtualis ſit, & in confuſo venialia reſpiciat, ut docet S. Thom. l. laud. ſcribens: „ Ad venialium peccatorum remiſſionem requiritur virtualis quædam diſplicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur ſecundum affectum in Deum, & res Divinas, ut, quidquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret hoc ſe commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitaret".

Conſectarium Tertium.

III. Contritio, & dolor præſertim in ea peccata ferri debet, illa reſpicere, ac vehementius deteſtari, quorum majori efficitur affectu, & quibus vehementius Peccator inhæret. Hæc doctrina, quæ admodum certa, & explorata eſt, tamen aliquos nacta eſt adverſarios, qui docere non erubuerunt, non eſſe peccatorem, alicui vitio maxime addictum, impellendum ad ſpecialiter de illo peccato dolendum, ne forte contingat revera ipſum non dolere prædominante pravo affectu, dum interim facile in generali dolore, & illius diſplicentia continetur. At, quam falſa ſit hæc doctrina, & animarum ſaluti pernicioſa, nemo, qui pietatis aliquo ſenſu tangitur, non ſentit. Nonne animæ vulnera eo quoque modo curanda ſunt, & ſananda, quo corporea ſanarentur vulnera? Quemadmodum igitur illud præcipue curandum eſt vulnus, ac ſolertiori diligentia tractandum, quod magis exitioſum eſt, & diutius inhærent, mortemque afferre minatur; ita & peccatum illud eſt præcipue deteſtandum, e corde averruncandum, quod magis dominatur, quod difficilius expellitur, & quod, niſi omnino abſcindatur, & eradicetur, certam afferet ſpiritualem animæ ruinam. Nonne Patres omnes, omnes Aſcetici Doctores nihil magis inculcant, quam prædominantem affectum, regnantem paſſionem, pravam animi inclinationem cauſam eſſe innumerabilium ſcelerum, & plurimorum perditionis æternæ; proinde ſollicito ſtudio, quænam, & quanta ſit, inquirendum naviter, & repertam omni cura inſectandam, illi acriter obſiſtendum, contrariis actibus debellandam, donec divina adjuvante gratia funditus omnino evellatur? Quomodo ſanari poterit infirmus, qui vulnus ſuum nec tangi ſinit, nec attrectari, immo quem nec ipſe videre vult? Quomodo firmum concipere poterit propoſitum de eo vitando, ſi nec deteſtari audet, nec reſpicere? Quomodo occurrente in illud peccatum labendi occaſione crimen vitabit, ſi ſola ejus conſideratio apta eſt ad excitandum pravum in corde affectum, etiam dum coram Deo illud confitetur? Nihil mirum præterea, ſi tot repetitis Confeſſionibus Chriſtianorum plurimi in cœno vitiorum volutantur, & ſunt veluti canes revertentes ad vomitum, & ſues lotæ in volutabro luti. Has igitur doctrinas abominentur ſacri Pœnitentiæ Miniſtri, & toto ſtudio prædominantes affectus evellere ſtudeant, nec, niſi iis evulſis, & exterminatis, abſolutionem impertiantur.

Conſectarium Quartum.

IV. Dolor, & diſplicentia peccati in contritione eſſe debet formalis, & explicita, nec ſufficit virtualis & implicita, vel in voluntate ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, vel etiam in ipſo actu caritatis erga Deum. Veritas hujus doctrinæ patet. Nam Contritio eſt præcipua hujus Sacramenti pars: ſine dolore autem, & diſplicentia de peccato contritio concipi nequit. Nec ſatis eſt, ut quis peccata confiteatur, ut veniam obtineat; ſed oportet, ut explicite, & formaliter interiorem in animo diſplicentiam, & dolorem concipiat, ac exterioribus ſignis Miniſtro manifeſtet, ut idonea habeatur Sacramenti materia. Immo nec ſatis eſt, ſi dicat, ſe Deum ſuper omnia diligere: nam in peccatoribus non quilibet amor requiritur, ſed amor *pœnitens*, *dolens*, *deteſtans* amato objecto irrogatas injurias; ut patet in ferventiſſimo Magdalenæ amore, cui multa dimiſſa ſunt peccata, teſte ipſo veritatis Magiſtro, quia dilexit multum: at hæc dilectio cum ſummo fuit conjuncta dolore; procidit enim ad pedes Chriſti, & quidem retro, confuſionem ſuam oſtendens, lacrymas profudit, quibus non ſolum madefecit, ſed irrigavit pedes Salvatoris, & capillis terſit, unguentum effudit, alabaſtrum fregit, Phariſæi probra & ſcommata ſprevit, & diligendo multum doluit, & multum dolendo dilexit.

CAPUT TERTIUM.

De Contritione perfecta.

DOCTRINA.

I. *Quænam ſit Contritio perfecta, quæ ſtatim juſtificat.*
II. *Non eſt diſpoſitio neceſſaria ad Sacramentum Pœnitentiæ.*
III. *Datur juxta S. Thomam Contritio, quæ, licet cum caritate conjuncta, ante Sacramentum juſtificationem non confert.*
IV. *Confirmant Scripturæ teſtimonia.*
V. *Adprobat Tridentina Synodus.*
VI. *Prædicant Patres.*
VII. *Oſtendit Theologica ratio.*
VIII. *Quinam gradus caritatis requiratur ad juſtificationem, indicant Scripturæ.*
IX. *Proponunt Patres.*
X. *Oſtendit D. Thomas.*
XI. *Confirmant rationes.*
XII. *Intenſio doloris non ex ſenſu, ſed ex voluntate deſumenda.*
XIII. *Notandum.*

I. Contritio perfecta ea dicitur, quæ omnibus inſpectis tum ex parte objecti, tum ex parte actus, tanta & talis eſt, ut cum perfecta caritate conjuncta, etiam ante realem Sacramenti ſuſceptionem & peccata delet, & gratiam ſanctificantem inducit. Hanc autem veram contritionem revera eſſe admittendam ſuadent & mox laudata Chriſti Domini de pœnitente Magdalena verba, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; & quod Lucæ 10. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua .... hoc fac, & vives.* Frequentius hæc veritas inculcatur in Vet. Teſtam. cum per hanc ſolam tunc Judæi remiſſionem conſequerentur peccatorum. Unde Deuteron. 4. legitur: *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quocumque die converſus fuerit.* Pſal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Et alibi ſæpius. Confirmant Patres. S. Jo. Chryſoſt. Hom. 7. in 2. ad Timoth. ſcribit: „ Sicut ignis, ubi „ ſylvam occupaverit, omnia purgare conſuevit; „ ita caritatis fervor, quocumque inciderit, om„ nia premit: ubi caritas eſt, omnia ſublata ſunt „ mala “. S. Leo Papa ep. 8. cap. 4. “ Miſe„ ricordiæ Dei menſuras non poſſumus ponere, „ nec tempus definire, apud quem nullas patitur „ moras vera Contritio “. Veritatem poſitæ doctrinæ corroborant Summi Pontifices, S. Pius V. Gregorius XIII. in damnatione harum Baji aſſertionum 31. *Caritas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* 32. *Caritas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* 33. *Catechumenus juſte, ac recte, & ſancte vivit, & mandata Dei obſervat, & legem implet per caritatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur.* 70. *Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram caritatem, & caritas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.* 71. *Per Contritionem etiam cum caritate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.* Accedit Concilii Tridentini auctoritas ſeſſ. 14. cap. 14. docentis: „ Docet præterea S. Synodus, etſi Con„ tritionem *aliquando perfectam eſſe contingat, ho„ minemque Deo reconciliare*, priuſquam hoc Sa„ cramentum actu ſuſcipiatur, tamen &c. “. Confirmatur denique & D. Thom. doctrina hic q. 84. a. 8. ad 1. ſcribentis: „ Homo in primo „ inſtanti veræ pœnitentiæ (ideſt Contritionis ex „ perfecta caritate proficiſcentis) remiſſionem con„ ſequitur præteritorum peccatorum “. Et rurſum 2. 2. q. 112. a. 2. ad 2. „ Contingit autem „ quandoque, quod ſtatim Deus perfecte (per a„ ctualem gratiam, qua perfecta inſpiratur cari„ tas) movet hominem ad bonum, & ſubito gra„ tiam hanc juſtificantem accipit, ſecundum illud „ Joan. 8. *Omnis qui audit a Patre, & didicit, „ venit ad me.* Et ita contigit Paulo, qui ſubito, „ cum eſſet in progreſſu peccati, perfecte motum „ eſt cor ejus a Deo, audiendo, addiſcendo, & „ veniendo: & ideo eſt ſubito gratiam cum remiſ„ ſione peccatorum conſecutus “. Et revera tantus eſſe poteſt caritatis ardor, & accenſio, ut totum hominem ad Deum convertat, & Dei amor ita in ejus corde dominetur, ut alios amores noxios nedum repellat, ſed etiam maxime vincat, & ſuperet, nedum affective Deum ſuper omnia diligendo, ſed etiam intenſive; videlicet ut doloris acerbitas adeo acris, vehemens ſit, & incenſa, ut cum ſceleris magnitudine æquari, conferrique poſſit;

poſſit: & hoc poſito nihil eſt, quod gratiæ ſanctificantis infuſionem impediat: tunc propterea Pœnitens & remiſſionem conſequetur peccatorum, & gratia ſanctificante donabitur ante actualem Sacramenti ſuſceptionem, non tamen ſine illius voto.

II. Hæc Contritio caritate perfecta, quæ ante Sacramenti ſuſceptionem peccata dimittit, non eſt diſpoſitio abſolute neceſſaria ad Sacramentum Pœnitentiæ. Huic doctrinæ adverſati ſunt nonnulli antiquiores Theologi, Hugo a S. Victore, Magiſter Sententiarum, Alenſis, Altiſiodorenſis, S. Bonaventura, aliique, qui contritionem caritate perfectam neceſſariam cenſebant ad Pœnitentiæ Sacramentum rite, & recte ſuſcipiendum. Contra quos ſic noſtra confirmatur doctrina. 1. Sacramentum Pœnitentiæ eſt a Chriſto inſtitutum ad remiſſionem peccatorum. Porro ſi requireretur ad ejus ſuſceptionem perfecta contritio, nunquam in re, & facto ſuum ſortiretur effectum: nunquam enim revera peccata tolleret, aut deleret; cum ſemper ea jam per Contritionem ſublata, ac deleta reperiret. 2. Idem deducitur ex poteſtate clavium Eccleſiæ conceſſa. Nunquam enim revera Eccleſiæ Miniſter poteſtate ſibi conceſſa peccata remitteret, ſed declararet jam per contritionem remiſſa, cum alioquin Chriſtus dixerit, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, non quorum declaraveritis remiſſa: & iterum cum promiſerit Apoſtolis, non prius *ſolvenda in cælis peccata, quam ſolverentur in terris*, ſoluta jam forent peccata per contritionem perfectam, priuſquam ſolverentur Sacerdotum miniſterio. 3. Veritas formæ Sacramentalis vix conſiſteret; nam cum Sacerdos ſupra Pœnitentem pronuntiat, *Ego te abſolvo*, judicialem profert ſententiam, non nudum declarationis miniſterium, ut definivit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. can. 9. decernens: *Si quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti . . . anathema ſit*. Et profecto, quomodo vere, & judicialiter diceret Sacerdos, *Ego te abſolvo a peccatis tuis*, ſi nulla jam forent peccata tollenda? 4. Etiam SS. PP. paſſim tradunt, datam Sacerdotibus poteſtatem beneficio abſolutionis peccata dimittendi, illorumque ſententiam divina eſſe priorem: per ſolemnem abſolutionis ritum Pœnitentes a morte ad vitam revocari: non niſi ad preces Sacerdotum peccatorum indulgentiam Deum largiri: & denique Catechumenos, & Pœnitentes tandiu peccatorum vinculis manere obſtrictos, donec ad ſacrum lavacrum, vel ad Pœnitentiæ venerint Sacramentum. Quæ profecto SS. PP. dicta, & ſenſa veritatem non haberent, ſi contritio caritate perfecta eſſet Sacramento Pœnitentiæ neceſſario præmittenda. 5. Concilium Tridentinum, ejuſque Catechiſmus noſtræ, & communi favet doctrinæ. Patres ſiquidem Tridentini ita de Contritione perfecta loquuntur, ut eam ſolum *aliquando*, & raro conjungi Sacramento Pœnitentiæ arbitrentur; non vero per ſe, & neceſſario requiri: ſic enim docent ſeſſ. 14. cap. 4. „ Etſi Contritio„ nem hanc *aliquando* caritate perfectam eſſe con„ tingat, *hominemque Deo reconciliare*, priuſquam „ hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihi„ lominus reconciliationem ipſi contritioni ſine „ Sacramenti voto, quod in illa includitur, non „ eſſe adſcribendam “. Catechiſmus vero ſic fideles inſtituit P. II. n. 36. „ Ut hoc conceda„ mus, Contritione peccata deleri, quis ignorat „ illam adeo vehementem, acrem, incenſam eſſe „ oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum ma„ gnitudine æquari, conferrique poſſit? At quo„ niam pauci admodum ad hunc gradum perve„ nirent; fiebat etiam, ut a pauciſſimis hac via „ peccatorum venia ſperanda eſſet. Quare neceſ„ ſe fuit, ut clementiſſimus Dominus faciliori ra„ tione communi hominum ſaluti conſuleret. „ Quod quidem admirabili conſilio effecit, cum „ Claves Regni cæleſtis Eccleſiæ tradidit “. Nec deeſt auctoritas, & doctrina A. P. hic enim qu. 18. Suppl. art. 1. poſtquam docuit *aliquando* gratiam ſanctificantem ſuſceptionem præcedere Baptiſmi, quamvis non ante ejus votum; *aliquando* vero eſſe ſimul cum ſuſceptione Baptiſmi, poſtea ad rem noſtram ſubdit: „ Per Pœnitentiæ Sacramen„ tum nunquam datur gratia, niſi præparatio ad„ ſit, vel prius fuerit. Unde virtus Clavium ope„ ratur ad culpæ remiſſionem, vel in voto exi„ ſtens, vel in actu ſe exercens, ſicut & aqua Ba„ ptiſmi .... Unde ſi ante abſolutionem aliquis „ non fuiſſet perfecte diſpoſitus (per contritionem „ ſcilicet caritate perfectam) ad gratiam ſuſcipi„ endam, in ipſa confeſſione, & abſolutione Sa„ cramentali gratiam conſequeretur, ſi obicem non „ poneret “. Ex quibus D. Thom. verbis apparet manifeſte, aliquando gratiam ſanctificantem prævenire ſuſceptionem Sacramenti vel Baptiſmi, vel Pœnitentiæ; aliquando cum eorum actuali ſuſceptione conjungi. Primum quidem, quando Sacramenta illa ſuſcipiuntur cum perfecta caritate: ſecundum, quando tam nobili non præoccupantur diſpoſitione, ſed minore, quæ ope Sacramenti poſtea & remiſſionem confert peccatorum, & ſanctificantem gratiam inducit. Recolantur, quæ diximus in Tract. de Virtut. Theolog. cap. 2. §. 4. n. 15. & ſeq.

III. S. Thomas Contritionem agnovit, & admiſit, quæ, licet ſit cum aliquali caritate conjuncta, prævie tamen ad Sacramenti ſuſceptionem nec reatum peccati tollit, nec ſanctificantem gratiam inducit. Iterum quæſtionem verſamus, quam attigimus in Tract. de Virt. Theolog. Diſſ. 3. l. mox cit. & inibi dictis nova addimus argumenta. Et a D. Th. incipientes contendimus, non omnem actum caritatis, qua Deus diligitur, ut in ſe bonus, eſſe diſpoſitionem proximam ad juſtificationem; adeo ut quæcumque minima caritas ſtatim, & prævie ad Sacramentum Pœnitentiæ peccata deleat, & gratiæ ſanctificantis infuſionem mereatur, contra id, quod plurimi præſertim ex Recentioribus docent. Tria loc. laud. expendimus D. Thom. teſtimonia doctrinam noſtram confirmantia, hic bina alia addimus. Primum deſumptum ex 1. 2. q. 113. art. 10. ubi ſic ſcribit: „ Eſt conſuetus „ curſus juſtificationis, ut Deo movente interius „ animam (per auxilia gratiæ) homo convertatur „ ad Deum, primo quidem converſione imperfe„ cta, ut poſtmodum ad perfectam deveniat; quia „ *Caritas inchoata* meretur augeri, aucta meretur „ perfici, ſicut Auguſtinus dicit Tract. 5. in Ep. „ Jo. Quandoque vero Deus tam vehementer ani„ mam movet, ut ſtatim quandam perfectionem „ juſtitię aſſequatur, ſicut fuit in converſione Pauli “.

Ordinem explicat S. D. converſionis Pœnitentium, quem ordinem ſumi docet a *caritate inchoata*, per quam fit tranſitus ad caritatem perfectam. Caritas autem imperfecta juſtificationem non ſtatim inducit, ſed ad eam diſponit. Porro hæc caritas ex S. Thom. non ex objecto, & ſpecie a caritate adulta, & perfecta diſtinguitur, ſed ſolo gradu, & intenſione; quippe quæ, ut inquit Sanctus Thomas, meretur *augeri*, meretur *perfici*: augmentum autem, & perfectio rei eſſentiam non mutat. Addimus & aliud teſtimonium ex quæſt. 24. de Verit. artic. 4. ubi ſic docet: „ Non qualiſcumque „ motus voluntatis (aut dilectionis actus) eſt ſufficiens præparatio ad gratiam (ſcilicet proxima, quæ gratiam ſanctificantem ſibi adjunctam habeat) ſicut nec qualiſcumque dolor ſufficit ad remiſſionem peccatorum, ſed oportet eſſe aliquem determinatum *modum* (notate modum, non ſpeciem) qui quidem *modus* homini notus eſſe non poteſt, cum ipſum donum gratiæ cognitionem hominis excedat . . . . Quandocumque autem ad aliquid faciendum requiritur aliquis certus *modus* operationis ignotus operanti, operans indiget gubernante, & dirigente; unde patet, quod liberum arbitrium non poteſt ſe ad gratiam præparare, niſi ad hoc divinitus dirigatur “. Egregiam doctrinam ſic explicat cl. vir Bernardus de Rubeis *de Carit.* cap. 15. n. 2. „ Utique ad juſtificationem conſequendam ſufficit „ dilectio, & appretiatio Dei ſuper omnia: at ignotum eſt homini, quinam ſit ille gradus intenſionis, quem Pœnitens habito reſpectu ad præexiſtentem peccati affectum, alioſque liberos, quibus afficitur, amores creaturarum attingere debeat, ut ſuper omnia Deum diligat, & appretiet; unde indiget ille auxilio Dei tum convertentis, tum dirigentis “.

IV. Contritio, ut prævie ad Sacramentum peccata deleat, & gratiam juſtificantem inducat, non ſufficit, ut ſit cum quocumque actu etiam veræ caritatis conjuncta. Hanc quoque doctrinam ſtatuimus, & probavimus laud. Differt. de Caritate §. 3. & hic confirmamus adverſus recentiores Theologos. Et 1. quidem luculentiſſimis ſacrarum Scripturarum teſtimoniis, quæ contritionem in peccatoribus exigunt, quæ non ſolum ſit cum caritate conjuncta, ſed quæ & vehemens ſit, fervens, & ardens. Deuter. 4. verſ. 29. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. 3. Reg. cap. 8. v. 46. *Si peccaverint tibi ... & egerint pœnitentiam in corde ſuo .... & reverſi fuerint ad te in toto corde ſuo, in tota anima ſua .... exaudies orationes eorum, & propitiaberis populo ſuo, qui peccavit tibi*. Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, in fletu, in planctu, ſcindite corda veſtra, convertimini ad Dominum Deum veſtrum*. Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et denique Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua: hoc eſt maximum, & primum mandatum*. Quod præceptum ſic explicat D. Th. 2. 2. q. 44. a. 5. „ Præcipitur nobis, ut tota noſtra intentio feratur in „ Deum, quod eſt *ex toto corde*; & quod intellectus noſter ſubdatur Deo, quod eſt *tota mente*; „ & quod appetitus noſter reguletur ſecundum „ Deum, quod eſt *ex tota anima*; & quod exterior actus noſter obediat Deo, quod eſt *ex tota fortitudine*, vel *virtute*, vel *viribus* Deum diligere “. In quibus verbis dilectionem indicat D. Thom. quæ non ſolum Deum reſpiciat, ut ſummum bonum in ſe; ſed etiam in eum ita feratur affectu, eum diligendo, ut *nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat*, ut ipſe ſubdit. Porro, quando cor noſtrum majori affectus intenſione erga bonum creatum fertur, jam Deum toto corde non diligere convincitur. Et revera laudata Scripturæ teſtimonia non quamcumque deſignant converſionem peccatoris ad Deum in ſolo amore appretiativo ſiſtentem, qui in indiviſibili ſitus eſt, nec major, aut minor eſſe poteſt, ut laud. Diſſ. cap. 8. §. 3. probavimus; ſed etiam quæ intenſiore gradu ferveſcat, unde doleat, & conteratur tota tribulatione animæ ſuæ, *faciat ſibi cor novum, & ſpiritum novum, projiciendo a ſe omnes iniquitates, faciat ſibi planctum ſicut unigeniti, gemitum columbæ*, & alia, quæ profecto præter appretiationis amorem, & amorem indicant intenſionis.

V. Eandem doctrinam confirmat Tridentina Synodus, cujus teſtimonium ex ſeſſ. 6. cap. 6. expendimus in laud. Differt. de Carit. §. 3. n. 9. Hic aliud proponimus, & expendimus ex ſeſſ. 14. cap. 4. ubi de Contritione loquens ſic docet: „ Præterea, etſi contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam “. In quibus verbis attente notandum, Tridentinos Patres 1. loqui de Contritione, quæ eſt cum caritate conjuncta; hanc enim afferunt aliquando hominem Deo reconciliare, priuſquam Sacramentum ſuſcipiatur: quod Attritioni, vel ex metu pœnæ, vel ex ſpe, & amore beatitudinis conceptæ, nunquam, etiam fatentibus adverſæ doctrinæ Patronis, convenire poteſt. 2. Docuere hanc Contritionem *aliquando* ſolum præſtare hanc peccatorum remiſſionem. Porro, ſi quæcumque contritio, etiam cum minima caritate conjuncta, hominem juſtificaret, falſo docuiſſent Patres, id ſolum *aliquando* contingere. Contritionem itaque agnovere cum caritate conjunctam, quæ tamen ex deficientia perfectionis, & intenſionis ſine Sacramento juſtificationem non inducit. Hinc ſeſſ. 3. cap. 8. de Euchariſtiæ ſumptione loquentes ſic ſtatuunt: „ Et „ ne tantum Sacramentum indigne, & ideo in „ mortem, ac condemnationem ſumatur, ſtatuit, „ atque declarat ipſa ſacra Synodus illis, quos „ ſcientia peccati mortalis aggravat, *quantumcumque* ſe contritos exiſtiment, habita copia „ Confeſſarii, neceſſario præmittendam Confeſſionem Sacramentalem “. Porro certum eſt hic ſermonem eſſe de Contritione cum caritate conjuncta: nemo enim Catholicorum aſſerit, contritionem illam imperfectam, quæ Attritio ſervilis dicitur, peccatum expellere. At ſi Contritioni cum caritate conjunctæ ſemper adnexa foret juſtificatio, fruſtra & inaniter nimis timeret, ne contriti Sacerdotes indigne, & in damnationem ſumerent Corpus Chriſti. At inquiunt Adverſarii, ideo Concilium Confeſſionem præcipere, quia nemo certus eſt, ſe veram contritionem etiam mi-

minimam habere. Sed inanis eſt cavillatio iſthæc, cum nemo quoque certus ſit ſe recte Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipere, & peragere; ſed cum hoc ſuapte natura peccata remittat, idcirco tanquam remedium certum illud præſcribit. At e contra, quia juxta Concilium, ſolum *aliquando* contingit, Contritionem ita eſſe perfectam, ut peccata remittat; ideo ſoli contritioni non eſſe fidendum jubet, ſed ad Sacramentum eſſe confugiendum præſcribit. Hanc Concilii doctrinam clarius verbis, quæ ipſis Solis radiis conſcripta dici poſſunt, declaravit Catechiſmus ejuſdem Concilii, quæque licet alibi recenſuerimus, hic tamen repetere juvabit. Sic itaque docet Par. II. Tit. de Pœnit. n. 27. „ Cum perfecta Contritio ſit caritatis a„ ctio, quæ ab eo timore, quæ filiorum eſt, pro„ ficiſcitur, patet eundem Contritionis, & cari„ tatis MODUM ſtatuendum eſſe. At quoniam „ caritas, qua Deum diligimus, perfectiſſimus eſt „ amor, hinc fit, ut Contritio vehementiſſimum „ animi dolorem conjunctum habeat ". Ex quo patet, caritatem, ut peccata deleat, non ſolum eſſe debere perfectam *appretiative*, Deum ſuper omnia diligendo; ſed & maximam, ut Contritionem vehementiſſimam afferat etiam *intenſive*, unde ceteros creaturarum amores intenſione vincat, & ſuperet. Quapropter ſubdit n. 36. „ Ut „ enim hoc concedamus, Contritione peccata de„ leri, quis ignorat, illam adeo *vehementem*, *a„ crem*, & *incenſam* eſſe oportere, ut doloris a„ cerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari, con„ ferrique poſſit? At quoniam pauci admodum ad „ hunc GRADUM pervenirent, fiebat etiam, ut „ a pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperan„ da eſſet ".

VI. Eandem veritatem confirmant Patres, qui non qualemcumque Pœnitentiam idoneam agnoſcunt ad remiſſionem peccatorum obtinendam; ſed eam poſtulant, quæ vehemens, & ex magno amore oriatur, & dolore progrediatur. Horum teſtimonia polliciti ſumus laud. Diſſert. 3. & datam fidem nunc liberamus. Sic ita ſcribit Hermas antiquiſſimus Scriptor lib. 3. ſimil. 7. „ Ego ſcio „ totis præcordiis agere Pœnitentiam. Numquid „ ergo (ut protinus) putas aboleri delicta eorum, „ qui agunt Pœnitentiam? Non proinde continuo „ ſed oportet eum, qui agit Pœnitentiam affli„ gere animam ſuam, & humilem animo ſe præ„ ſtare in omni negotio, & vexationes multas, „ variaſque perferre .... Si videat ejus, qui „ pœnitentiam agit, cor purum eſſe ab omni o„ pere nequiſſimo, tunc qui eum creavit, ac qui „ formavit univerſa, commovebitur erga eum cle„ mentia ſua ". Sanctus Juſtinus in fine Dialogi cum Tryphone exemplum proponit Davidis pœnitentis, ſcribens: „ Cujus peccatum remiſſum „ eſt, cum ita ploravit, & lamentatus eſt, ſicut „ de eo ſcriptum eſt. Verum enim vero, ſi viro „ tanto non eſt ante noxa remiſſa, quam Pœni„ tentiam egit, ne tum demum cum tantopere fle„ vit, & res tantas fecit ille Rex, & unctus, & „ Propheta; quam tandem impune illi, & nullius „ mentis complorati adeo homines, niſi lamenta„ ti fuerint, planxerint, & pœnitentiam egerint „ ſpem habere poſſunt non imputatum iri illis in „ Domino peccatum "? S. Cyprianus in toto libro de Lapſis, & alibi veræ Contritionis ideam deſumit ex magnitudine doloris: ſic enim ſcribit: „ Convertamur ad Dominum mente tota, & Pœ„ nitentiam criminis veris doloribus exprimentes, „ Dei miſericordiam deprecemur. Illi ſe anima „ proſternat, illi mœſtitia ſatisfaciat, illi ſpes o„ mnis incumbat. Rogare qualiter debemus, di„ cat ipſe: *Revertimini*, inquit, *ad me in toto „ corde veſtro*, *in jejunio*, *in fletu*, *in planctu*, *& „ ſcindite corda veſtra*, *& non veſtimenta veſtra*. „ Ad Dominum toto corde redeamus. Iram, & „ offenſam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, ſic„ ut admonet ipſe placemus ". S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 4. in 2. ad Corinth. „ Cum pecca„ veris, ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis, „ nihil enim hoc eſt; ſed quod Dominum tuum „ offenderis, tam benignum, tam amantem, tam „ denique ſalutis tuæ ſollicitum, ut filium quoque „ ſuum tui cauſa tradiderit. Ingemiſce igitur, nec „ unquam hoc facere intermitte ... ac cor tuum „ conteras, non ſecus ac ſi quis amiſſo filio uni„ ce caro in luctu verſatur ". Sanctus Auguſtinus Serm. 34. de diverſis cap. 12. „ Sunt hujus „ vitæ quædam gravia, & mortifera crimina, quę „ niſi per *vehementiſſimam* moleſtiam humiliatio„ nis cordis, & contritionis ſpiritus, & tribula„ tionis Pœnitentiæ non relaxantur. Hæc dimit„ tuntur per Claves Eccleſiæ ". Sanctus Cæſarius Arelatenſis Hom. 1. explicata diſtinctione peccatorum levium, & imputabilium, de iſtis ſic ſcribit: „ Hæc principalia mala ingenti rugitu, & „ gemitu, & fonte indigent lacrymarum, utique „ per lacrymas clamandum eſt cum Propheta, *ru„ giebam a gemitu cordis mei*. Oportet itaque, „ ſicut ſupra mortuum conclamatum magnos ſu„ per extinctam animam dare planctus. Et quo„ modo ſolet Mater orbata ſuper amiſſione unici „ filii, ſic fracto pectore lamentari; ita convenit „ ſuper unicam ſuam, ſed cum ſpe reparationis „ affligi ". Alii quoque PP. S. Pacianus, Sanctus Gregorius, Sanctus Hieronymus paſſim eadem inculcant, quorum teſtimonia legi poſſunt apud Morinum de Pœnitentia, Merbeſium, Henricum a S. Ignatio.

VII. Denique doctrina noſtra evidentiſſima fulcitur theologica ratione, ab ipſis Salmanticenſibus doctiſſime tradita, ſed poſtea turpiſſime neglecta. Sic enim ſcribunt Tom. 2. tract. 24. diſp. 7. dub. 1. §. 1. n. 8. „ Non raro in materia alicujus vir„ tutis, v. g. Temperantiæ habentur actus talem „ materiam ex *proprio motivo* virtutis attingentes. „ Ut cum quis ſtatuit ſobrie edere, aut caſte vi„ vere; & tamen tales actus non hærent firmiter „ voluntati, nec efficaciam habent, ut inducant „ executionem. Sunt itaque actus *honeſti*, attin„ gentes *materiam virtutis* temperantiæ, ad eam„ que ſaltem reductive pertinentes, & diſponentes „ ex ſuo genere ad actus perfectiores; *ſed tamen ſicut imperfecti*, ad deſideratum finem non perdu„ cunt, quia procedunt ex infirma voluntate pra„ væ conſuetudini contrariæ multum ſubjecta; „ unde tepeſcit animus, nec imperium efficax „ habet, ut executionem inferat. Idem propor„ tionaliter *in ſupernaturalibus* accidit, de quibus „ dubitari non debet, quod in *ſupernaturali ordi„ ne* dentur aliqui actus pertinentes de ſe, ſive „ *ex parte motivi* ad ejuſdem ordinis virtutes; *ut „ odium peccati*, *deſiderium beatitudinis*, propoſitum

„ emendationis (addere poterant & amor Dei propter ſe) pro quibus auxilia gratiæ deſiderantur, „ & qui ſuo modo cor emolliunt pro converſione; „ deſtituuntur tamen frequenter efficacitate, ut voluntatem trahant ad effectum, & ad executionem inducant; quia etſi honeſti, & *ſupernaturales* ſint, ſunt tamen *imperfecti*, non omnino abſoluti. Quod itaque in aliis tam naturalibus, quam ſupernaturalibus videmus, contingit etiam *in ſupernaturali attritione* (& contritione) alia eſt enim efficax, & abſoluta, effectumque proinde juxta propoſitum inducit; alia vero, quæ hanc perfectionem non habet, licet in eundem effectum inclinet; quæ diverſitas non in *objecta*, nec in *motiva* eſt revocanda, quippe poſſunt *eadem proponi & attingi*, nec etiam reducta in auxilia ſufficientia, quæ ad utrumque parantur, & conformantur. Sed, quod una attritio ſit abſoluta, & efficax, gratiæ efficaciter ad id moventi tribui primario debet; & ſimiliter, quod altera ſit honeſta, & ſupernaturalis, atque in ſuo genere diſponat, gratiæ etiam deferendum eſt. Sed quod careat perfectione efficacitatis, & ad executionem non perveniat, revocari debet in defectum voluntatis creatæ". Hactenus Salmanticenſes, & quidem veriſſime, & doctiſſime: ex quorum doctrina, & ratiocinatione ſic ſententiæ noſtræ probationem eruimus. Communis Theologorum doctrina eſt, contritiones, dolores, ſeu diſplicentias *ſupernaturales*, attingentes omnino *idem objectum*, & ſub *eodem formali motivo*, alias eſſe *perfectas*, alias *imperfectas & remiſſas* ex humanæ voluntatis imbecillitate. Contingere itaque poteſt, & frequentiſſime contingit, Contritionem cum caritate conjungi, quæ proinde attingit idem omnino *objectum* caritatis, nempe divinam bonitatem propter ſe dilectum; ſed quia *imperfecta*, & *remiſſa*, non producit ultimum effectum, ſed expulſionem maculæ peccati, & juſtificationem. Excludit quidem affectum ad peccatum, quia Deum diligit ſuper omnia, & propter ſe; ſed effectum ultimum, & completum juſtificationis non affert, quia efficacia intenſionis, & fervoris neceſſarii ad hoc etiam inferendum eſt deſtituta. Sunt itaque duo effectus caritatis diſtinguendi, ſcilicet converſio ad Deum ſuper omnia dilectum; & deletio maculæ peccati per infuſionem gratiæ ſanctificantis. Primum præſtat contritio, ſi ſit cum aliqua caritate conjuncta; at ſecundum non præſtat, niſi contritio, quæ cum acri, & vehementi caritate ſit connexa; quamobrem non omnis contritio, etiam cum caritate ſociata, juſtificationem confert, & ſanctitatem.

VIII. At inquies. Quantus igitur eſſe debet fervor, & ardor contritionis, & caritatis, qui juſtificationem peccatoris valeat afferre? Reſpondeo, quod diximus ſuperius in laudata Diſſert. de Caritate, ſcilicet ut contritio juſtificet prævie ad Sacramentum, ſed cum ejus voto, eſſe debet cum ea caritate conjuncta, quæ Deum diligat ſuper omnia, non ſolum appretiative, & extenſive, ſed etiam ita intenſive, ut omnes vincat, & ſuperet alios amores, & dolores in corde dominantes. Patet hujus doctrinæ veritas ex Scripturis præcipientibus Deum plus ceteris rebus diligendum. Matth. 10. *Qui amat patrem, vel matrem plusquam me, non eſt me dignus*. Et Lucæ 14. *Qui non odit patrem ſuum, & matrem .... non poteſt meus eſſe diſcipulus*. At quid aliud eſt *odit*, niſi comparatione Dei minus amet, &, cum poſtulat amor Dei, etiam odit? Unde S. Auguſtinus lib. de Doctr. Chriſtiana explicans, quo modo ſit Deus plus ceteris diligendus, cap. 27. ſcribit: „ Ad ordinatam dilectionem pertinere, ut non amplius, „ neque æque diligat, quod minus eſt diligendum, „ vel contra minus, vel æque diligat, quod magis eſt diligendum". Et lib. de Moribus Eccleſ. cap. 11. docet: „ Diligere Deum nihil aliud „ eſt, quam quidquam diligendo illi non præponere, vel æquare .... ſummum bonum non modo eſſe diligendum nemo ambigit, ſed ita diligendum, ut nihil amplius, vel æqualiter diligatur". Porro in humanis cum unum plus alio diligi dicimus, ſignificamus illum majori, & abundantiori amore, qui profecto in intenſione ſitus eſt, diligi. Cur ergo & idem non eſt intelligendum, cum Deum dicimus plus omnibus rebus eſſe diligendum? Quod de amore dicimus, eſt de dolore dicendum. Nam in Scriptura non quilibet dolor præſcribitur, ſed magnus, & vehemens, alios omnes ſuperans, & vincens dolores. Micheæ 4. *Dole, & ſatage Filia Sion, quaſi parturiens*. Iſai. 59. de afflictione ex peccati diſplicentia proveniente loquens, inquit: *Rugiemus quaſi urſi omnes nos, & quaſi columbæ meditantes gememus*. Jerem. cap. 31. *Pone tibi amaritudines, & dirige cor tuum in viam rectam*. Confirmant exempla omnium Pœnitentium, quorum in Scripturis deſcribitur dolor, & contritio. David inquiebat Pſalm. 37. *Rugiebam a gemitu cordis mei*, Pſal. 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*. Ninivitæ *clamabant ad Dominum in fortitudine*. Jon. 3. Ezechias *recogitabat omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ*. Quibus omnibus verbis, & exemplis quid aliud ſignificatur, & oſtenditur, quam conatus quidam, & intenſior dolor animæ pœnitentis, & contritionis quantitas, & intenſio? His accurate expenſis ſubdit Petrus Soto Tract. de Inſt. Sacerd. p. 1. de Sacramento Pœnitentiæ lect. 15. „ Quomodo ergo convenit dicere, nullo conatu, „ nullis viribus opus eſſe? Quod dicunt non reperiri in Scripturis *præceptum* de intenſione aliqua, vel *conatu*, certe non putamus dici poſſe „ ſine errore. Quid ſignificat, *convertimini ad me in toto corde veſtro*? Non itaque omni diligenti, omni invocanti Deum, omni ſe convertenti „ ad ipſum, ſed eis, qui ex *corde perfecto* hoc agunt (qui nempe Deum ſuper omnia diligunt, „ aut dilectionem Dei habent ceteris creaturarum „ amoribus ferventiorem) promittitur gratia, & „ exauditio. Nec aliud ſentiri poteſt ſine magno „ errore. *Prope eſt*, inquit David Pſal. 114. *Dominus invocantibus eum*, & ſtatim ſubdit, *omnibus invocantibus eum in veritate*".

IX. Hanc eandem doctrinam confirmant, quæ attulimus n. 6. Patrum teſtimonia, qui dolorem exigunt, & poſtulant amorem in Pœnitente, longe alios amores, & dolores ſuperantem. Quibus alia duo addere placet teſtimonia ex D. Bernardo, & Gregorio M. deſumpta. Prior itaque ſerm. 4. in Dedicat. Eccleſiæ de Magdalena Pœnitente loquens dicit: „ Errabat (Phariſæus) qui tanquam peccatricem adhuc horrebat, quæ divi-

„ nis

„ nis inhærens veſtigiis rigabat fletibus, tergebat „ crinibus, oſculo præmebat, ungebat unguento... „ An non *multa caritas* operit multitudinem pec- „ catorum? Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quo- „ niam *dilexit multum*, merito proinde jam non „ peccatrix“. Idem docet & S. Gregor. homil. 13. in Evangel. ubi de eadem peccatrice ſic lo- quitur: „ *Remittuntur ei peccata multa*, *quoniam* „ *dilexit multum*. Quid fratres mei eſſe dilectio- „ nem credimus, niſi ignem? Et quid culpam, „ niſi rubiginem? Unde nunc dicitur, *remittuntur* „ *ei peccata multa*, *quoniam dilexit multum*. Ac „ ſi aperte diceret, incendit plane peccati rubigi- „ nem, qui *ardet valide* per amoris ignem. Tan- „ to namque amplius peceati rubigo conſumitur, „ quanto peccatoris cor magno caritatis igne con- „ crematur“.

X. S. Thomas quoque hanc eandem confirmat doctrinam. Nam in III. ſent. diſt. 27. quæſt. 3. art. 2. inquirit, *Utrum Deus poſſit totaliter diligi*: & ſtatuit: „ Deum non totaliter videri, & diligi ab „ aliis, quia non diligitur ita *intenſe*, & *ferventer*, „ nec videtur ita clare, ſicut eſt diligibilis, & vi- „ ſibilis niſi a ſe ipſo; & ita ipſe ſolus ſe com- „ prehendit amando, & videndo“. Sane certum eſt, Deum ſuam bonitatem *plus appretiative* dili- gere, quam valeant omnes ſimul creaturæ. At hanc appretiationem S. Th. in *intenſione*, magiſ- que ferventi amore collocat. Iterum D. Th. art. 4. inquirit, utrum *modus* diligendi Deum, qui eſt in præcepto (ut ſcilicet *toto corde* diligatur) poſſit in hac vita ſervari. Et quæſtionem ſolvit dupli- cem diſtinguendo *totalitatem*; aliam plane impoſ- ſibilem in hac vita, illam nimirum, quæ etiam ſolum ad tempus dilectionem Dei interrumpit; a- liam poſſibilem, *ſecundum quam* nihil omittit eo- rum, quæ ponere debet ſecundum tempus illud, in amore Dei; & hæc perfectio, ſeu totalitas *ponitur in præcepto*, etiam ut nunc implenda. Porro tam qui fertur in ea, quæ Deo contrarian- tur, quam qui intenſiore amore fertur in creatu- ram, jam Deo ſubtrahit in amore, de his, quæ ponere debet in eodem amore. Ex *hoc enim ipſo* (ſubdit D. A. diſt. 19. q. 1. a. 1. ad 2.) *quod alte- rum*, *quod eſt minus diligendum*, *æquiparo in di- lectione ei*, *quod diligendum eſt magis*, *non totum dilectionis*, *quod debet*, *impendo ei*, *quod magis eſt diligendum*. Subtrahit proinde ſine dubio in a- more Dei de iis, quæ ponere debet in eodem amo- re: non diligit itaque ſuper omnia intenſive, licet diligat fortaſſis appretiative. Quid enim eſt in do- ctrina, & ſenſu S. Thom. *minus diligere*, *magis diligere*, *æquiparare in dilectione*, niſi *gradum* de- ſignare in dilectionis intenſione, vel ſuperiorem, vel æqualem, vel remiſſiorem? Et revera, ut do- cet idem Angelicus art. 2. „ Intenſio actus præ- „ cipue in actibus animæ non menſuratur ad quan- „ titatem objecti tantum, ſed ad efficaciam agen- „ tis, & conatum in agendo: unde non melius vi- „ det, qui majorem rem intuetur; ſed qui clarius „ videt“. Et ſic non ſolum dicitur magis amare, qui objectum ſumme bonum & amabile deperit; ſed qui illud intenſiore affectu diligit. Luculen- tiſſime autem doctrinam noſtram confirmat in Sup- plem. quæſt. 5. a. 3. ubi de Contritione loquens, ſic docet: „ Dolor rationis, qui eſt diſplicentia „ peccati commiſſi, poteſt eſſe *parvus adeo*, *quod* „ *non ſufficiat ad rationem contritionis*; ut ſi *mi-* „ *nus* diſpliceat ei peccatum, quam debet diſpli- „ cere ſeparatio a fine; ſicut etiam amor poteſt „ eſſe ita *remiſſus*, quod non ſufficiat ad rationem „ caritatis“. En igitur, quomodo inſufficientiam Contritionis, & caritatis ad inducendam juſtifica- tionem non ex objecto deſumit, non ex motivo, ſed ex ipſa *parvitate*, *tenuitate*, *remiſſione* dolo- ris, & amoris.

XI. Confirmat denique doctrinam noſtram ipſa ratio theologica a Petro Soto propoſita l. 1. lect. 15. deſumpta ex ipſa indole amoris, & doloris. „ Hæc enim ſunt accidentia animæ, & actus, vel „ habitus. Formæ autem accidentales, quæ inten- „ duntur, vel remittuntur, non alia ratione per- „ fectiores, vel majores aliæ aliis, niſi quia for- „ tiores ſunt, intenſiores, & validiores, unde „ contrarium ſuum vincere, & ſuperare valent: „ ſic frigiditas aquæ dicitur major calore ignis, „ quia ignem extinguere poteſt; vel e contra ma- „ jor dicitur calor ignis, quia frigiditatem ab a- „ qua poteſt expellere. Certum eſt autem, quod „ hæc major via, & efficacia in majore reſpecti- „ va graduum intenſione conſiſtit“. Idem dicen- dum de amore, & dolore: nam ille major eſt do- lor, qui alios ſuperat; major amor qui contrarios vincit amores. At hanc victoriam nunquam repor- tabunt vel amor Dei, vel dolor de ejus offenſa, niſi intenſione contrarios creaturarum amores ſu- pereent, & dolor de peccatis alios dolores intenſio- ne vincat. Ut ergo amor Dei ſit undequaque ſu- per omnia, & juſtificationem inducat, neceſſe eſt, ut non ſolum objective, non ſolum appretiative, ſed etiam intenſive ſit ſummus reſpectu aliorum amorum in corde dominantium.

XII. Duo tamen notanda; 1. hanc intenſionem amoris eſſe ex voluntate deſumendam, non ex ſen- ſu, ut etiam docuimus in ſæpius cit. Diſſert. de Carit. cap. 8. n. 9. Sic enim docet A. P. in IV. Diſt. 17. q. 2. art. 3. quæſtiuncula 1. „ In Con- „ tritione eſt duplex dolor (idem dicendum de ca- „ ritate, in qua eſt duplex amor) unus ex *ipſa* „ *voluntate*, qui eſt eſſentialiter ipſa contritio, „ quæ nihil aliud eſt, quam diſplicentia præteriti „ peccati, & dolor talis excedit alios dolores.... „ Alius dolor in parte ſenſitiva, & hic neceſſe „ non eſt, ut ſit maximus dolor, quia vires infe- „ riores vehementius moventur ab objectis pro- „ priis.... Et ideo major dolor eſt in par- „ te ſenſitiva ex læſione ſenſibili, quam ſit ille, „ qui redundat ex ratione, & ſimiliter major, qui „ redundat ex ratione de corporalibus deliberan- „ te, quam qui redundat ex ratione conſiderante „ ſpiritualia. Tum quia non obedit affectus infe- „ rior ſuperiori ad nutum, ut tanta, & talis paſ- „ ſio ſequatur in inferiori appetitu, qualem ordi- „ nat ſuperior, &c.“. Ex duplici itaque capite excludit D. A. neceſſitatem ſummi doloris, vel a- moris in appetitu ſentiente. 1. Quia hic magis afficitur ſenſibilibus, quam ſpiritualibus. 2. Quia non ad nutum voluntatis movetur, aut illi ad nu- tum obtemperat.

XIII. Notandum 2. amorem, & dolorem illum, qui Deum quidem ſumme bonum reſpicit, & ap- pretiative ſuper omnia diligit, at intenſione, & vigore alios non ſuperat dominantes amores in a- nima, licet non valeat juſtificationem, & gratiam

ſanctificantem inducere, eſſe tamen proximam, & neceſſariam diſpoſitionem ad gratiam conſequendam per Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ; cum revera ſit amor, quo peccator incipit Deum diligere, tanquam omnis juſtitiæ fontem, ut poſtulat Tridentina Synodus. Recolantur, quæ diximus laudata Diſſertat. 3. cap. 8. §. 3. de duplici amore appretiationis, & intenſionis.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Contritio perfecta dici poteſt cauſa juſtificationis.*

II. *Non tamen ex indole ſua, ſed ex ſola Dei miſericordia.*

III. *Doctrina, quæ contritionem perfectam ad Sacramentum Pœnitentiæ neceſſariam dicit, nulli ſubeſt cenſuræ.*

IV. *Contritio perfecta juſtificationem affert vi Sacramenti Pœnitentiæ in voto habiti.*

V. *Abſolutio Sacerdotis etiam in juſtificatis per caritatem ſuum effectum producit.*

VI. *Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ etiam in juſtificatis reſpiciuntur ut Sacramenta mortuorum.*

VII. *Nonnullæ falſæ Probabiliſtarum doctrinæ recenſentur.*

VIII. *Dolorem contritionis tentare non debent Pœnitentes, & Confeſſarii comparatione aliorum dolorum.*

Conſectarium Primum.

I. Contritio perfecta dici poteſt aliqua ratione cauſa remiſſionis peccatorum, ut eam etiam promereatur, non quidem de condigno, ſed ſolum de congruo. Prima noſtræ aſſertionis pars Lutherum oppugnat in aſſertis artic. n. 12. Calvinum lib. 3. Inſtit. cap. 4. & Kemnitium in examine Concilii Tridentini, qui Contritioni omnem adimunt influxum, & cauſalitatem in remiſſione peccatorum. Quandoquidem in ſacra Scriptura expreſſe dicitur, Deum peccatoribus veniam polliceri, & concedere, ſi tamen contritione, pœnitentia, ac ſincera converſione peccata deteſtentur, ab eis recedant, & ad ipſum revertantur. Sic ajebat Pſalmiſta Pſ. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*. Et Jonæ 3. *Vidit Deus opera eorum* (Ninivitarum) *quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis*. Et Lucæ de Magdalena dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, cui minus dimittitur, minus diligit*. Porro quod Deum ad veniam concedendam movet, cujus intuitu illa conceditur, dici poteſt aliqua ratione remiſſionem inducere peccatorum. Dicimus & veniam promereri, licet adverſentur Theologi quidam omnem rationem meriti excludentes; quamvis fateantur aliquo modo ad gratiæ productionem concurrere. Pro cujus intelligentia, eſt duplex notanda apud Theologos diſtinctio meriti, nimirum *de condigno*, & *de congruo*; illud in juſtitia fundatur; alterum in miſericordia. Primum exigit præmium a juſto remuneratore; alterum ſolam affert convenientiam, & congruentiam, ut Deus, qui dives eſt in miſericordia, bonitatem ſuam, & clementiam oſtendat: proinde primum æqualitatem affert cum præmio, quod a Deo expectat, ceu a juſto remuneratore; aliud vero nonniſi in proportione ex divina miſericordia reſultante conſiſtit, quæ non ſinit in ſe ſperantem confundi. Sic vero noſtra comprobatur doctrina. Nam allata teſtimonia Scripturarum, & alia plura, quæ addi poſſunt, indicant aperte, remiſſionem peccatorum a Deo intuitu pœnitentiæ, & contritionis donari. Porro opus liberum, cujus intuitu aliquod conceditur bonum, reſpectu hujus, meriti rationem aliquam habere concipitur. Nec ſinunt dubitare Patres, quorum plerique Contritioni remiſſionis peccatorum meritum adſcribere non ambigunt. S. Ambroſius in cap. 2. Lucæ ſcribit: „ Lacrymæ veniam non poſtulant, „ ſed merentur “. S. Ambroſius in Pſalm. 50. „ Ninivitæ pœnitentiam egerunt, & certam miſe„ ricordiam meruerunt “. Et epiſt. 105. „ Nec „ ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt “. Confirmat etiam ratio theologica. Illud enim dicitur de congruo aliquid mereri, quod cum re concedenda ordinem aliquem habet, & proportionem. Porro gemitus, lacrymas, dolorem, & multo magis perfectam dilectionem aliquem ordinem habere, & proportionem cum delictorum condonatione ex divinæ miſericordiæ conceſſione, nemo eſt qui non perſpiciat. Ergo de congruo remiſſionem peccatorum, & juſtificationem perfecta contritio, & dilectio promeretur. Dixi *de congruo*, non *de condigno*: quandoquidem omne meritum *de condigno* in gratia ſanctificante fundatur, quæ ſola bonis operibus verum meritum, & intrinſecum valorem attribuit: contritio autem etiam perfecta, per quam pœnitens remiſſionem conſequitur peccatorum, non ex gratia ſanctificante, ſed ſolum ex auxiliante proficiſcitur; eapropter meritum de condigno fundare non valet. Et revera Deus abſque ulla prorſus injuria reſpuere poteſt munus, & obſequium perſonæ ſibi nequaquam gratæ, ſed exoſæ; proinde etiam contritionem, & amorem pœnitentis, utpote ſibi nondum grati ante gratiæ ſanctificantis infuſionem. Unde merito ajebat Apoſtolus ad Romanos 3. *a Deo juſtificati gratis per gratiam ipſius*: quod profecto omne meritum de condigno excludit.

Conſectarium Secundum.

II. Contritio, etiam ex perfectiſſima caritate procedens, non eſt ex natura ſua cum ſtatu peccati incompoſſibilis, ſed ex mero Dei beneplacito, qui miſericorditer ſtatuit culpam dimittere, & gratia ſanctificante donare pœnitentem, qui eam corde conciperet. Adverſantur huic doctrinæ nonnulli Theologi, qui peccati expulſionem virtuti & efficacitati contritionis ita adſcribunt, ut illam ex indole, & natura ſua cum ſtatu peccati mortalis non poſſe conſociari arbitrentur, & affirment. At noſtræ aſſertioni favent ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ in remiſſione peccatorum concedenda divinam miſericordiam laudant, prædicant, extollunt. Quid enim ſignificant illa Pſalm. 50. verba, *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*, niſi opus eſſe divinæ clementiæ, quod peccatorem contritum, & humiliatum in gratiam

tiam

tiam recipere non dedignetur? Similiter cum dicitur Jonæ 3. ut vidit Deus, quod Ninivitæ converſi ſunt de via ſua mala, *miſertus eſt*, clare indicatur, veniam illis conceſſam ob illorum converſionem, & contritionem, ſolius divinæ miſericordiæ fuiſſe effectum. Quod etiam confirmant divinæ pollicitationes, in Scriptura adeo frequentes, de venia peccatoribus eam toto corde depoſcentibus concedenda: quæ profecto ſuperfluæ forent, ſi ex natura ſua contritio perfecta cum gratia ſanctificante conjungeretur. Patres quoque paſſim ſummis laudibus divinam benignitatem, & clementiam extollunt, propterea quod Deus peccatorum lacrymas non reſpuat, eorum precibus ad indulgentiam flecti ſe ſinat, iiſque demum converſis parcere dignetur, & in gratiam ſuam illos recipere. Cenſendum eſt ergo, remiſſionem peccatorum non per ſe, ac ex indole, & natura contritionis, ſed ex divinæ miſericordiæ beneplacito omnino profluere. Et revera, rebellis ſubditus, quemcumque dolorem oſtendat de intentata in ſuum Regem defectione, & quemcumque ardentem amorem erga ipſum oſtentet, nunquam tamen concipitur jus habere ad Principis amicitiam recuperandam, nec Principem jus amittere ipſum de patrato facinore puniendi. Pari paſſu, multoque magis res procedit cum Deo, qui peccato infinite offenditur, & nunquam, quantum meretur, amari poteſt. Nonne poterat Deus creaturis ſuis gratia ſanctificante ex mera liberalitate donatis, jus dicere, ut, ſi eam ſemel projicerent, non poſſent amplius, quacumque poſita contritione, quacumque præſtita dilectione, quacumque exhibita ſatisfactione, recuperare? Quis in hoc illum de injuſtitia, vel crudelitate accuſaret? Ergo, quod pœnitentiam recipiat, quod dilectioni dilectionem rependat, ex ſola ejus miſericordia proficiſci fatendum eſt.

Conſectarium Tertium.

III. Doctrina, quæ Contritionem caritate perfectam ad Sacramentum pœnitentiæ neceſſariam propugnat, nulli ſubeſt vel cenſuræ, vel damnationi. Nam præfatam doctrinam & ante Tridentinum Concilium plures Theologi, & quidem magni nominis, quorum aliquos in ſuperiori capite n. 1. recitavimus, docuerunt, quin tamen illam vel leviter notaverit laudata Synodus; & poſtea eandem ſuſtinuerunt, & propugnarunt nonnulli ex iis etiam Theologis, qui eidem Synodo interfuere, quorum duo præcipue ex Ordine Prædicatorum extitere, nimirum Petrus, & Dominicus Soto. His accedit, S. Synodi Patres pluries declaraſſe, congregatam eſſe, non ad ſcholaſticas lites, & controverſias, quæ ſalva fide inter Catholicos agitantur, dirimendas; ſed ſolum ad prava hæreticorum dogmata configenda, & catholicas ſtabiliendas veritates. Immo nec cenſuram meretur eo titulo, quia officiat efficacitati Sacramenti, cujus virtutem impedire videtur; quia in eo non remitterentur peccata, ſed remiſſa ſupponerentur. Nam, quantum hoc minus verum ſit, oſtendent clare, quæ ſequentur Conſectaria.

Conſectarium Quartum.

IV. Contritio perfecta reconciliationem peccatoris operatur virtute, & efficacia Sacramenti in voto habiti: proinde ſubſequens Sacerdotis abſolutio moraliter operatur, & efficit illam ipſam reconciliationem, quæ jam præceſſit. Hæc aſſertio, ſi bene intelligatur, nullos fortaſſe habebit adverſarios; licet in modo loquendi adverſa appareat nonnullorum Theologorum doctrinæ. Sic itaque primo explicatur. Reconciliatio peccatoris perfecte contriti non tam eſt adſcribenda ipſi voto, quam virtuti Sacramenti, ex divina miſericordia, & acceptatione æque efficaciter operantis, & Chriſti merita æqualiter applicantis, perinde ac ſi Sacramentum ipſum reciperetur; propterea Sacramenti votum non operatur vi ſua, quatenus eſt *opus* ipſius *operantis*, ſeu ut merus actus Pœnitentis; ſed *ex opere operato*, ſeu vi, & efficacia Sacramentalis actionis, non quidem formaliter, ſed æquivalenter exercitæ; ſeu clarius, actio Sacramentalis in voto hominis contriti exiſtens tantum valet in acceptatione divina, & illius intuitu æque applicat Chriſti merita quantum ad remiſſionem culpæ, ac ſi actu, & formaliter exerceretur; eo prorſus modo, quo Paſſio Chriſti futura tantum ad ſalutem profuit juſtis, qui eam præceſſerunt, quantum ſi Chriſtus eam actu, & formaliter ſubiiſſet: & ſicut actio Sacramenti ficte ſuſcepti tantum efficit, fictione remota, quando amplius non exiſtit, quantum ſi rurſum reciperetur; idque ob divinam acceptationem, in qua perinde efficax eſt, ac ſi reipſa in ſe exiſteret. Sic & in humanis pretium habitum pro ſoluto eandem vim habere concipitur in contractibus, & rei dominium transfert in alium, ac ſi de facto ſolutum foret. Sic igitur expoſita doctrina noſtra probatur 1. auctoritatibus SS. Auguſtini, & Thomæ. Ille ſiquidem lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas ſic ſcribit: „ Sacramentum *viſibile inviſibiliter* impletur, cum miniſterium Baptiſmi (adde & Pœnitentiæ) non „ contemptus Religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit; videlicet dum ſolum in voto haberi poteſt “. Quæ Auguſtini verba ſic explicat Innoc. III. Cap. *Apoſtolica*: „ Sacramentum *inviſibiliter* miniſtratur, hoc eſt *applicatur*, ideoque tunc virtus ejus *inviſibiliter* operatur, & *inviſibiliter* reconciliat, quando, ex neceſſitate „ non in ſe ſuſcipitur “. D. Thom. vero in IV. Diſt. 3. q. 3. art. 5. ſic ſcribit: „ Liberat Baptiſmus a morte peccati non ſolum ſecundum „ quod *actu* recipitur, ſed etiam ſecundum quod „ in voto habetur . . . Et ſimiliter dicendum de „ Confeſſione adjuncta abſolutione, quæ, ſecundum quod in *voto* Pœnitentis præceſſit, a culpa liberavit; poſtmodum autem in actu Confeſſionis, & abſolutionis gratia augetur “. Et hic in Suppl. q. 18. art. 1. docet: „ Virtus Clavium „ operatur ad culpæ remiſſionem in *voto* exiſtens, „ ſicut aqua Baptiſmi “. Et Quodl. 4. q. 7. art. 10. ad 2. „ Medicina Sacramentalis operatur, „ non ſolum *actu* exhibita, ſed etiam *in propoſito* exiſtens: & ideo *ſanatio vulneris* quandoque *præcedit* Sacramentum “. Et diſertiſſime in corpore articuli rem exponit: „ Sacramenta „ *dupliciter* operantur. Uno modo ſecundum

„ quod

„ quod habentur *in voto*, & ideo quia Sacramenta „ operantur, ut inſtrumenta divinæ miſericordiæ „ juſtificantis, Dei autem eſt reſpicere ad cor ho„ minis . . . & ideo quamvis res naturales agant, „ niſi *præſentialiter* exhibitæ; *Sacramenta* tamen „ agunt ſecundum quod ſunt *in voto* . . . . cum „ enim aliquis *actu* abſolvitur, conſequitur plena„ rie Sacramenti effectum. Sed, ſi *antequam ab„ ſolvatur*, habet hoc Sacramentum *in voto*, quan„ do ſcilicet proponit ſe ſubjicere Clavibus Eccle„ ſiæ, jam *virtus clavium* operatur in ipſo, & „ conſequitur remiſſionem culpæ". Nec obſcure hanc noſtram doctrinam ſubindicat Tridentina Synodus, dum ſeſſ. 6. cap. 4. docet: „ Poſt promul„ gationem Evangelii juſtificationem ſine lavacro „ regenerationis, aut ejus *voto* ſubiri non poſſe". Ad quam veritatem comprobandam verba affert Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non poteſt introire in Regnum Dei*. At inepte prorſus S. Synodus verba illa in confirmationem adduxiſſet, niſi verum foret etiam *ex aqua* Baptiſmi *in voto* habita renaſci. Habet igitur juxta Concilium Baptiſma *in voto* exiſtens vim, & efficacitatem operandi regenerationem. Et idem omnino docet de Sacramento Pœnitentiæ, dum ſeſſ. 14. cap. 4. decernit: „ Reconciliationem, „ quæ per Contritionem caritatem perfectam ali„ quando obtinetur, priuſquam hoc Sacramentum „ *actu* ſuſcipiatur . . . ipſi Contritioni ſine Sacra„ menti *voto*, quod in illa includitur, non eſſe „ adſcribendam". Et revera Chriſtus ideo Sacramenta inſtituit, ut per ipſa, tanquam *per inſtrumenta*, nobis redemptionis ab eo miſericorditer operatæ merita applicarentur. Porro qui ante realem Sacramenti ſuſceptionem Deo reconciliantur, hoc beneficium non conſequuntur, niſi per applicationem meritorum Chriſti. Ergo & tunc Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ applicant merita Chriſti: ideoque etiam tunc juſtificatio eſt ex ipſis Sacramentis *ex opere operato*. Unde & Chriſtus dixit abſolute neminem ſalvandum, qui non ſit *renatus ex aqua*. Hinc, ſi dum aliquis Baptiſmi voto juſtificatur, ipſum Sacramentum Baptiſmi, ut *in voto* exiſtens, juſtificationem illam non operaretur, ſeu Deus non conferret juſtitiam intuitu Baptiſmi jam verum foret aliquem ſalvari, quin renatus eſſet ex aqua, ſed ſolum ex proprio bono opere, ſcilicet ex deſiderio Baptiſmi. Non alia igitur de cauſa cenſendum eſt, Sacramenti votum ad reconciliationem præexigi, niſi quia ipſum Sacramentum, ut *in voto exiſtens*, perinde *valet*, ſeu *moraliter operatur*, ac ſi reipſa exiſteret. Audiatur D. Th. hic in Suppl. q. 18. art. 1. „ Si Clavis, „ ſeu abſolvendi poteſtas, adeoque *ipſum Pœnitentiæ Sacramentum* nullo modo ad culpæ remiſſio„ nem ordinaretur . . . non exigeretur *votum* ſuſci„ piendi effectum Clavium ad culpæ dimiſſionem; „ ſicut non exigitur votum ſuſcipiendi alia Sacra„ menta, quæ non ordinantur ad culpæ dimiſſio„ nem".

Nec obſtant, quæ adverſæ ſententiæ opponunt Theologi. Scilicet 1. concipi vix poteſt, quomodo habeatur aliquis effectus *ex opere operato*, quando opus ipſum nec actu habetur, nec agit. 2. Nihil impediret, ne etiam attritus cum voto Sacramenti juſtificationem reciperet *ex opere operato*, perinde ac ſi Sacramentum ipſum ſuſciperet, in quo procul dubio ipſi gratia conferetur. 3. Caritatis, & Contritionis proprium eſt ex ſe ſe juſtificare, ut contingebat in lege veteri, quin tunc ad aliquod Sacramentum ordinarentur, ſeu ſine alicujus Sacramenti voto. Igitur & nunc juſtificant ex ſe, non ex vi Sacramenti; cum profecto caritas, & contritio minoris efficacitatis non ſit cenſendæ in nova lege, quam in veteri fœdere.

Nam reſpondemus ad 1. ſatis eſſe concipere Sacramenta, licet non exiſtant in ſe *realiter*, & *phyſice*, exiſtere tamen *virtualiter*, & *æquivalenter* in libera Dei acceptatione: ſicut Sacramenta ficte ſuſcepta, licet *phyſice* amplius non extent, quando removetur fictio, concipiuntur tamen virtualiter, & æquivalenter exiſtere in Dei acceptatione; & tunc gratia conceditur, & producitur ab eodem *ex opere operato*. Ad 2. nullam eſſe paritatem: non enim dicimus Sacramentum virtualiter operari, & exiſtere ex natura ipſius voti, ſed ex libera, & miſericordi Dei acceptatione. Nemo vero inficiabitur, Deum acceptare votum Sacramenti pro ipſo Sacramento in contrito, & illud non acceptare in attrito. Quod autem ſic Deus ſtatuerit, ſolum ex Scripturis, & doctrina Eccleſiæ dignoſcimus, quidocemur perfecte contritum Deo reconciliari ſolo voto Sacramenti, etiam ſine reali ejus ſuſceptione; id autem in attrito nequam contingere. Ad 3. Nec in veteri lege contritio, & caritas ex ſe juſtificabant, ſed ex meritis Chriſti Domini per fidem ſaltem implicitam in ipſum, applicatis, ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 2. artic. 7. in corp. & ad 3. Neceſſarium vero non erat alicujus Sacramenti votum, quippe quia nondum erant inſtituta Sacramenta, quæ forent *ex opere operato* inſtrumenta, Chriſti merita applicantia: at modo neceſſarium eſt illorum votum, cum meritorum Chriſti applicatio ex divina diſpoſitione non fiat, niſi per Sacramenta vel realiter, vel in voto ſuſcepta.

Conſectarium Quintum.

V. Abſolutio, quæ per Sacerdotem Pœnitenti perfecte contrito, & cum Deo reconciliato datur, eandem inviſibilem reconciliationem vere, moraliter quidem, operatur, & efficit, & reatum culpæ, ac æternæ pœnæ debitum aufert: & ſic verificatur, quod affirmat Concilium Tridentinum, abſolutionem ſcilicet peccata remittere, & a peccatis liberare. Hæc aſſertio, quæ non eſt niſi corollarium præcedentis doctrinæ (quod & de ſequenti dicendum) manifeſta evincitur ratione. Nam per abſolutionem exhibetur id, cujus intuitu facta eſt prius inviſibilis reconciliatio cum Deo; eo prorſus modo, quo per ſolutionem pretii, cujus intuitu, & pacto quis a ſervitute, vel carcere ſolutus eſt, dicitur ipſam liberationem operari, & efficere, etiam quando Judicis, vel Domini benignitate ante ipſam ſolutionem libertas conceſſa fuit; & quemadmodum Chriſti Paſſio reatum culpæ actu delebat in peccatoribus veteris Teſtamenti, qui illius, ut futuræ, virtute, & efficacia remiſſionem peccatorum, & gratiam ſanctificantem conſequebantur.

Con-

Conſectarium Sextum.

VI. Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, etiam reſpectu contriti, & juſtificati, & neceſſaria dicenda ſunt ad remiſſionem culpæ, & Sacramenta mortuorum tunc etiam rite appellantur. Ratio eſt manifeſta; quia ſemper verum eſt, eadem & a peccati morte liberare, & pœnitentes mortuos vivificare: tum quia gratiam conferant ex ſe ſanativam, regenerativam, & vivificativam animas; tum quia, licet vivificati per interiorem gratiam concipiantur, hæc tamen vita in ipſis non alio modo provenit, quam ex ipſorum Sacramentorum virtute, & efficacia, tum quatenus in voto virtualiter præceſſerunt, tum quatenus eiſdem actualiter adminiſtrantur. Sic & mors Chriſti in cruce oblata vere fuit vivificum ſacrificium, & remedium mortuorum pro omnibus in veteri lege ante Chriſtum viventibus. Hinc patet, Sacerdotis abſolutione conſummari, & perfici reconciliationem inviſibilem, perfecte contritis conceſſam: non ſolum quia per illam pœnæ temporalis condonationem vel in parte, vel in toto conſequuntur; ſed etiam & *præcipue*, quia exhibet, & complet illud, cujus virtute, & pacto reconciliatio præceſſit. Quapropter, ſi Sacerdos etiam perfecte contrito abſolutionem neget, aut differat, recto ſenſu dicitur retinere peccata; quia illud differt, aut negat, per quod inviſibilis condonatio complenda eſt. Unde una ex parte abſolutio Sacerdotalis in nulla hypotheſi dici poteſt, ut blaterant Lutherani, inane miniſterium declarandi peccata remiſſa; ex alia contritio perfecta non tollit, vel nec minimum minuit efficaciam, & virtutem Sacramenti, ut nonnulli Theologi nimium timidi ſuſpicantur.

Conſectarium Septimum.

VII. Ut falſæ, laxæ, & piarum aurium offenſivæ habendæ ſunt nonnullorum Probabiliſtarum doctrinæ, in nova lege non eſſe neceſſariam vi præcepti contritionem perfectam, cum ſuppleri poſſit per attritionem cum Sacramento conjunctam; immo nec in articulo mortis urgere præceptum præfatæ Contritionis perfectæ reſpectu pœnitentis, jam per attritionem in Sacramento juſtificationem adepti. Adverſantur enim ex diametro primo Decalogi præcepto, quo jubemur Deum diligere toto corde, tota anima, tota mente. Adverſantur doctrinæ Tridentini docentis ſeſſ. 14. c. 3. *Contritionem fuiſſe quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam, neceſſariam:* ubi non loquitur de Contritione, prout abſtrahit a perfecta & imperfecta; ſed de illa, quæ cum voto Sacramenti valet ad remiſſionem peccatorum obtinendam, & qua peccatores ante Chriſti adventum juſtificationem conſequebantur, ut patet ex verbis *quovis tempore*. Multum accedunt propoſitionibus damnatis ab Innoc. XI. nimirum 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Immo poſita illa laxa doctrina nec ſemel in vita actum dilectionis peccator elicere teneretur, cum ſemper poſſet hanc omiſſionem ſupplere per attritionem formidoloſam cum Sacramento Pœnitentiæ. 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.* 7. *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.* Denique pias aures offendunt, dum aſſerunt, ideo deſiiſſe præceptum perfectæ contritionis in nova lege, quia Chriſtus *ſingulari privilegio* aliud inſtituit juſtificationis medium, ſcilicet Sacramenta mortuorum, Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ut proinde modo contritionis perfectæ neceſſitas ceſſaverit; alioquin Chriſtus inſtituens, ac præcipiens Confeſſionem Sacramentalem, medium per ſe ſatis durum, & difficile, ſi inſuper etiam requireretur Contritio perfecta, & ipſi peccatori ſatis difficilis, non alleviaſſet, ſed multum aggravaſſet onus novæ legis, eſſemusque pejoris conditionis modo Chriſtiani, quam veteres olim, qui ad ſolam contritionem obligati per eam juſtificabantur. Quaſi chriſtiana lex, quæ eſt lex amoris, libertatis, & filiationis amorem filialem, & liberalem excluſerit. Hæc portenta ſunt, & monſtra, deflenda magis, quam refellenda.

Conſectarium Octavum.

VIII. Licet Contritio perfecta omnes alios dolores, non ſolum appretiative, ſed & intenſive, affectu voluntatis ſuperare debeat; non debet tamen Pœnitens, aut Confeſſarius animum explorare, num potius vellet ignem, rotas, ſuſpendium, vivicomburium tolerare, quam Deum offendere. Quia, ut diximus capite 3. homo magis afficitur ſenſibilibus, quam ſpiritualibus; & quia, ut inquit S. Thom. Suppl. q. 3. a. 1. ad 4. „ Licet „ talis debeat eſſe contriti diſpoſitio (omnia ſci„ licet potius mala ſubeundi, quam Deum offen„ dendi) non tamen de eis eſt tentandus; quia „ affectus ſuos homo non de facili menſurare po„ teſt; & quandoque illud, quod minus diſplicet, „ videtur magis diſplicere; quia eſt propinquius „ nocumento ſenſibili, quod magis eſt nobis no„ tum". Magis eſt dignoſcenda intenſio Contritionis ex novitate vitæ, fuga peccati, ſtudio pietatis, pœnalium operum frequentia, & ſimilibus.

CAPUT QUINTUM.

De contritione imperfecta, ſeu Attritione.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit Attritionis dolor.*
II. *Nonnulla de timore delibantur.*
III. *Dolor ex timore gehennæ ſupernaturalis eſt bonus, & honeſtus.*
IV. *Non tamen ſatis excludere voluntatem peccandi docent Patres.*
V. *Quibus conſentit D. Thomas.*
VI. *Nec aliter docuit Tridentina Synodus.*
VII. *Attritionem non omnino excludere peccandi voluntatem argumentis oſtenditur.*
VIII. *Proponuntur objecta.*
IX. *Solvuntur.*
X. *Nec Attritio, quæ eſt ex amore ſpei, eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam.*

XI.

XI. *Aliquem caritatis amorem requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ docent Scripturæ.*
XII. *Inculcant Patres.*
XIII. *Oſtendit D. Thomas.*
XIV. *Favet & Concilium Tridentinum.*
XV. *Solvuntur objecta.*
XVI. *Theologicis rationibus confirmatur noſtra doctrina.*
XVII. *Adverſariorum momenta exponuntur.*
XVIII. *Refutantur.*

I. Attritionis vocabulum, quod recenter in Scholis invectum eſt (hujus enim vocis apud antiquos Patres, & Theologos nulla mentio, & uſus uſque ad tertium decimum ſeculum invenitur) ſumitur modo a Theologis pro eo doloris genere, qui ad juſtificationem comparandam ſine actuali Sacramenti Pœnitentiæ ſuſceptione non ſufficit; ſatis tamen eſt eidem Sacramento conjunctus. Diſſentiunt nihilominus in natura, qualitate, & conditionibus hujus cum Sacramento ſufficientis Attritionis ad peccatorum obtinendam remiſſionem. In tres partiuntur claſſes. Nonnulli ſufficere arbitrantur, ſi a timore alicujus ſupernaturalis mali, & præſertim a gehennæ metu progrediatur. Alii vero ad ſufficientiam putant adjungendum etiam amorem ſpei, ſive boni alicujus ſupernaturalis, & præſertim æternæ beatitatis, & viſionis Dei. Denique nonnulli neutrum ſufficere arbitrantes, aliquem ſaltem initialem caritatis amorem erga Deum ſummum bonum expoſtulant. Omnes hæ opiniones a Catholicis Theologis propugnantur, neque ulla eſt ab Apoſtolica Sede aliqua cenſura notata; eas tamen vetitum non eſt ad examen vocare; & quæ minus vera apparet, liberum eſt rejicere, & probabiliorem, ac veroſimiliorem promovere, & tueri: quod in hocce capite pro modulo noſtro præſtabimus.

II. Sed priuſquam de priori opinione diſputare aggrediamur, quæ ad Sacramentum ſufficere docet Attritionem ex ſolo pœnarum, & gehennæ metu conceptam, revocanda ſunt ad memoriam, & ea recolenda, quæ de Timore in Tract. de Virt. Theol. Diſſert. 2. cap. 5. pluribus paragraphis fuſe tradidimus, & quæ ſolum hic leviter delibabimus. Triplicem diſtinximus timorem; naturalem, quo temporalia formidamus mala; mundanum, quo hominum timore, vel reſpectu aut a malo abſtinemus, aut etiam ad malum pertrahimur; & ſpiritualem, ſive ſupernaturalem, quo Deum aliquo modo reſpicimus, juxta Chriſti monitum, *Timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam*. Hunc poſtremum timorem rurſum tripliciter diviſimus ex D. Th. doctrina 2. 2. q. 19. art. 2. Alius ſiquidem eſt ſervilis, dum quis non juſtitiæ amore, ſed ſolo gehennæ metu peccatum deteſtatur, & ab illo abſtinet; alius initialis, qui eſt timor culpæ, cum formidine pœnæ conjunctus: alius denique caſtus, & filialis, qui culpam odit Deum offendentem. „ Si ergo aliquis (verba ſunt S. Th. l. l.) „ convertatur ad Deum, & ei inhæreat *propter timorem pœnæ*, erit timor *ſervilis*. Si autem *propter timorem culpæ*, erit timor *filialis*. Nam filiorum eſt timere offenſam Patris. Si autem *propter utrumque*; *eſt timor initialis*, qui medius eſt „ inter utrumque timorem “. Timor ſervilis iterum duplex eſt, qui nimirum ita pœnam timet, ut, ſi non eſſet gehenna, a peccato non ceſſaret, diciturque *ſerviliter ſervilis*; & hic malus eſt: alter vero, qui ita pœnam timet, ut peccatum fugiat, ab ulteriori conſideratione præſcindens, & hic vocatur ſimpliciter ſervilis; & hic bonus eſt, & a Spiritus S. procedens.

III. Dolor itaque de peccato ex gehennæ metu conceptus ſupernaturalis eſt bonus, honeſtus, & laudabilis. Adverſatur Lutherus, qui ſer. de Pœnit. docuit, contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, ac deteſtationem peccatorum, & qua recogitat homo annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ ... deinde amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem ... facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. At ejus doctrinam & Diſſ. 2. cit. refutavimus, & hic iterum rejicimus, utpote Sacræ Scripturæ documentis repugnantem, quæ hujuſmodi timorem inculcant, & commendant. Hinc ajebat Chriſtus Matth. 11. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus ... ſed potius timete eum, qui poteſt corpus, & animam perdere in gehennam*. Et Joannes Præcurſor hortabatur Judæos, ut pœnitentiam agentes iram Dei declinarent, prædicans: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere a ventura ira? facite igitur fructus dignos pœnitentiæ*. Patres quoque paſſim hunc timorem laudant, & præſertim S. Auguſtinus in Pſal. 5. dicens: „ Timor eſt magnum præſidium „ procedentibus ad ſalutem “. Et in Pſ. 149. ſubdit: „ Timore incipiet homo Deum colere; nam „ perveniet ad amorem “. Et iterum in Pſ. 127. „ Ille timor nondum caſtus præſentiam, & pœnas „ timet; nam timet, ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, timet, ne mittatur in gehennam; „ bonus eſt & iſte timor, utilis eſt “. Et revera timor gehennæ eſt timor Dei juſti criminum vindicis. Porro quid juſtius, quam tantum judicem timere? Quamobrem jure merito Lutheranum errorem damnavit Tridentina Synodus definiens ſeſſ. 6. can. 8. „ Si quis dixerit, gehennæ metum, per „ quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, ac peccatores facere; anathema „ ſit “. Hunc autem timorem ſupernaturalem eſſe ex ejus objecto patet manifeſte, quia timet malum ſolum per revelationem nobis compertum; & ex parte principii, quia eſt a Spiritu Sancto, ut teſtatur Moyſes Exod. 20. *Ut probaret vos*, inquit, *venit Deus, ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis*. Et Moyſi ajebat Deus Deuter. 5. *Quis det, eos talem habere mentem, ut timeant me?* Quis autem daret, niſi Deus? Proinde Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 6. peccatoris juſtificationem divinæ gratiæ adjutorio fieri docet; & initium juſtificationis a timore deſumit, quem donum Dei appellat, & Spiritus S. impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, & quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.

IV. Hæc tamen Attritio ex gehennæ, & pœnarum metu non ſatis excludit voluntatem peccandi. Ita docent communiter Patres, & infinitus eſſem, ſi vel ſolius Auguſtini, doctrinam noſtram confirmantis, teſtimonia vellem afferre. Nonnulla delibabo. Ser. 15. de verbis Apoſtoli cap. 6. ſcribit: „ Qui timore pœnæ non concupiſcit, puto, quia „ concupiſcit. Terrore ingenti armorum, atque te-

„ telorum, & circumdantis forſitan multitudinis, „ vel obviam euntis etiam Leo revocatur a præ- „ da: & tamen Leo venit, Leo redit, prædam „ non rapuit, non malitiam poſuit ... Quid ma- „ gnum eſt pœnam timere? Quis enim non timet? „ Quis latro, quis ſceleratus, quis nefarius? Sed „ hoc intereſt inter timorem tuum, timoremque „ latronis, quod latro timet leges hominum; tu „ autem legem ejus times, ejus pœnam times, „ quem fallere non potes. Nam, ſi fallere poſſes, „ quid non feciſſes? Ergo & concupiſcentiam tuam „ malam non timor tollit, ſed timor premit “. En quam luculenter Auguſtinus evincit, voluntatem peccandi ſolo metu non penitus excludi, ſed tantummodo cohiberi, ideoque in imo pectore adhuc latere. Quod & repetit epiſt. 144. „ Inaniter „ putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timo- „ re non peccat; quia etſi non impletur foris ne- „ gotium malæ cupiditatis; ipſa tamen mala cupi- „ ditas intus eſt hoſtis... Ac per hoc in ipſa volun- „ tate reus eſt, qui vult facere, quod non licet „ fieri; ſed ideo no facit, quia impune non poteſt „ fieri ... Nam qui gehennam metuit, non pec- „ care metuit, ſed ardere. Ille quippe peccatum „ odit, quantum juſtitiam diligit, quod non po- „ tuerit lege terrente per litteram, ſed ſpiritu „ ſanante per gratiam “. Et Conc. 25. in Pſal. 118. „ Timor iſte, quo non amatur juſtitia, ſed „ timetur pœna, ſervilis eſt; & ideo non crucifi- „ git carnem “. Et lib. de Nat. & gratia cap. 55. „ Sub lege eſt, qui timore ſupplicii, quod lex mi- „ natur, non timore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab „ opere peccati, nondum liber, nec alienus a „ voluntate peccandi “. S. Auguſtino conſentit & D. Gregor. M. lib. 3. Paſtoralis curæ, Admon. 14. „ Admonendi ſunt (inquit) qui flagella metuunt, „ ut, ſi malis veraciter cavere deſiderant, æter- „ na ſupplicia perhorreſcant, neque in hoc ſup- „ pliciorum timore permaneant, ſed ad amoris „ gradum nutrimento Caritatis excreſcant... Nam „ qui propterea bonum facit, quia tormentorum „ mala metuit, vult non eſſe, quod metuat, ut „ audacter illicita committat: unde luce clarius „ conſtat, quod coram Deo innocentia amitti- „ tur, ante cujus oculos deſiderio peccatur “. S. Bernardus epiſt. 11. ſcribit: „ Nec timor, nec „ amor privatus convertit animam: immutat in- „ terdum vultum, vel actum; affectum nunquam “. Ceterorum Patrum teſtimonia brevitati conſulens omitto, legenda apud Morinum, Merbeſium, aliosque.

V. S. Thomas quoque aperte docet, ſervilem metum voluntatem peccandi non excludere. Nam 1. 2. q. 6. art. 6. docet: „ Quæ ex metu aguntur, „ mixta eſſe ex voluntario, & involuntario. Id e- „ nim, quod per metum agitur, in ſe conſidera- „ tum non eſt voluntarium; ſed fit voluntarium in „ caſu, ſcilicet ad vitandum malum, quod time- „ tur “. Ex qua S. Th. doctrina manifeſte eruitur, formidoloſam attritionem non ſufficienter voluntatem peccandi excludere; cum non ſit cauſa plenæ, & omnimodæ deteſtationis peccati; ſemper enim eſt admixtum in iis, quæ ex timore proveniunt, aliquid involuntarii. Sed quid opus eſt argumentatione, cum id aperte affirmetur ab A. D. art. 7. ad 2. ſcribente: „ Dicendum, in eo, qui per „ metum aliquid agit, manet repugnantia ad id, „ quod agitur... & ideo id, quod per metum agi- „ tur, quodam modo eſt *involuntarium* “. Et, ne quis ſuſpicetur, eum loqui de timore temporalis mali, attendite, quod docet q. 107. art. 1. ad 2. „ Lex vetus dicitur cohibere manum, non ani- „ mum; quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato „ abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas a peccato „ recedit; ſicut recedit voluntas ejus, qui amore „ juſtitiæ abſtinet a peccato “. Et Lect. 3. in cap. 8. Epiſt. ad Romanos: „ Si per timorem ali- „ quis bonum facit, non facit ſponte, ſed coactus „ metu pœnæ; quod proprie eſt ſervorum “. Et denique 2. 2. q. 19. art. 9. concludit: „ Timor „ ſervilis non eſt numerandus inter ſeptem dona „ Spiritus Sancti, licet ſit a Spiritu Sancto: quia, „ ut Auguſtinus dicit, lib. de nat. & grat. cap. „ 57. poteſt habere annexam voluntatem peccan- „ di “: Perpetua eſt igitur doctrina S. Th. timorem ſervilem ſufficienter voluntatem peccandi non excludere.

VI. Nec Tridentinum Concilium aut docuit, aut ſtatuit, Attritionem ex ſe voluntatem peccandi excludere. Videtur plane hæc aſſertio ipſis Synodi verbis contraria, quæ ſeſſ. 14. cap. 4. aperte docet: „ Illam Contritionem imperfectam, quæ „ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis „ peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœ- „ narum metu communiter concipitur; *ſi volunta-* „ *tem peccandi excludat*, cum ſpe veniæ &c. “ Cenſuit igitur S. Synodus, Attritionem illam aliquando excludere poſſe peccandi voluntatem, nec ſemper cum ea ſociari. Præterea damnavit aſſerentes, attritionem ex gehennæ metu conceptam facere hominem magis peccatorem, & hypocritam. Porro, ſi ſemper peccandi voluntatem conjunctam haberet, ſerviliter attritus & eſſet magis peccator, quia perverſam ſuam voluntatem lubens, & volens retinet, & eſſet magis hypocrita, quia receſſus a peccato verus non foret, ſed ſimulatus, & efficeret hominem a peccato quidem exterius abſtinentem, at interius peccatum retinentem. Verum hæc dicta nihil noſtræ officiunt doctrinæ. Nam, dum Concilium docuit, Attritionem voluntatem excludere peccandi, de excluſione locutum eſt ab ipſo Attritionis actu, non a voluntate, non a corde, non ab affectu timentis. Cum enim dupliciter quis poſſit peccatum fugere ob gehennam, videlicet & timore *ſerviliter ſervili*, qui ſecum annexam habeat conditionem, ſi non eſſet gehenna, non ceſſarem a peccato; & timore ſolum *ſervili*, ab hac conditione præſcindente omnino, & abſtrahente, ne contra Lutherum definiendo Attritionem eſſe bonam, & honeſtam, & Spiritus Sancti donum, putaretur utramque voluiſſe ſuo Decreto comprehendere, cum illa mala ſit, hæc vero bona; ideo eam conditionem appoſuit; at nihil definivit circa voluntatis peccandi a corde pœnitentis excluſionem. Hunc enim unicum Concilii PP. ſcopum ſibi præſtituerant, ut errorem Lutheri, omnem omnino Attritionem reprobantis, ſolum damnaret; non autem Theologorum controverſias dirimeret. Dicimus itaque & nos cum Tridentina Synodo, Attritionem, ex timore *ſerviliter ſervili* progredientem, malam eſſe: at, ſi ex ſervili timore procedat, quo peccatum quis deteſtatur ob gehennam, ab omni conditione præſcindendo, bonam quidem eſſe, & honeſtam; ſed peccandi vo-

voluntatem in corde latentem non uſquequaque excludere: ſicut fides, & ſpes in volente peccare bonæ ſunt, & Dei donum; at voluntatem non excludunt peccandi. Quod ſi quis pertinaciter contendere velit, S. Synodus de excluſione peccati a voluntate timentis eſſe locutam, per me liceat, dummodo intelligatur de excluſione negativa, nimirum per meram ceſſationem a peccato, non de poſitiva per contrarium affectum caritatis, quæ ſola poteſt vere, & effective voluntatem peccandi excludere. Pari pacto non eſt timendum, ne timor ſervilis juxta noſtram doctrinam hominem faciat hypocritam, & magis peccatorem: quandoquidem docemus, dolentem propter gehennam non retinere voluntatem peccandi, quaſi de ea ſibi complaceat (tunc enim proculdubio peccaret) nec timorem gehennæ eam voluntatem ſecum afferre; ſed ſolum jam præexiſtentem non expellere, non abjicere, non excludere. Quare non fit magis peccator, quia novum peccatum non committit, quamvis juſtus non evadat, peccaminoſa voluntate adhuc in ipſo habitu, & radice ſubſiſtente, & vigente; ſed minus peccator, quam antea dici poteſt; affectus enim voluntatis, qui prius efficax erat, fit per formidoloſam attritionem inefficax: ſicut nec ejus dolor ſimulatus dici poteſt, quia licet attritione dolens non totaliter, ac plene, ſicut deberet, recedat a peccato; vere tamen odit, & deteſtatur peccatum quatenus illum reum conſtituit gehennæ, & effective etiam externum peccatum deſerit, immo expreſſam, & actualem voluntatem peccandi deponit, ut gehennam vitet: & licet remaneat adhuc peccandi libido latens in corde; hæc tamen culpa ſimulationis non inficit attritionem, cum nec ab illa procedat, nec illam ſecum afferat, ſed ex præexiſtente, & adhuc habitu perſeverante affectu ad peccatum progrediatur, quem ſolus timor gehennæ non valet uſquequaque expellere.

VII. Nec deſunt in noſtræ doctrinæ confirmationem luculenta, & validiſſima rationis momenta. Et 1. quidem. Voluntatem peccandi non deponit peccator, ſi vi præſentis, qua detinetur, diſpoſitionis ſic eſt affectus, ut adhuc peccare vellet, ſi poſſet impune. Porro, dum peccator ſola ſervili concutitur attritione, ita eſt diſpoſitus: quandoquidem cum ſola pœna ſit illi cauſa abſtinendi a peccato, cui eſt jam habitualiter affectus; patet manifeſte, quod pœnæ ſublato timore non amplius deteſtatur peccatum. Quare optime ajebat S. Auguſtinus Ser. 11. de Ver. Apoſtoli de taliter timente: *Concupiſcentiam malam non tollit timor, ſed premit*; quemadmodum columnæ lapis ſuppoſitum gravitatem non tollit, ſed premit, videlicet ejus impedit deſcenſum; ſic timor pœnæ actuale impedit peccatum, voluntatem non aufert: quare ſicut ſublato impedimento ruit ſaxum; ſic timore ſublato labitur peccator. 2. Qui affectum conſervat ad peccatum, ſeu non deteſtatur peccatum ſecundum ſe, voluntatem peccandi profecto non depoſuit: at formidoloſa Attritio non tollit affectum ad peccatum, nec deteſtandum proponit peccatum, ut peccatum: neceſſe eſt igitur, ut qui a peccato abſtinet ex timore gehennæ, affectum adhuc retineat ad peccatum. Minor propoſitio ſic luculenter evincitur. Timor pœnæ nequit eſſe cauſa odii peccati, niſi ſecundum quod ejus ingreditur objectum (nullus enim actus, aut habitus extra proprii ſphæram objecti valet operari) videlicet tantummodo prout eſt cauſa pœnæ: relinquit ergo affectum erga ipſum ſecundum ſe ſpectatum; proinde efficit, ut timens non deteſtetur peccatum, quatenus malum eſt in ſe, ſed ſolum diminute, prout eſt cauſa pœnæ. Egregie igitur, ut in præced. notavimus num. ajebat S. Th. *Qui per metum aliquid agit* (c. e. proponit vitare peccatum) *in eo manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur* (ideſt ad propoſitum vitandi peccatum) *ſecundum quod in ſe conſideratur*, videlicet ad vitandum peccatum ſecundum rationem mali in ſe: ſtat itaque cum hujuſmodi deteſtatione affectus ad peccatum, prout peccatum eſt. Clarius, cum illa deteſtatio non ſit peccati, prout malum eſt in ſe, ſed ſolum ad vitandum malum, quod timetur, non eſt deteſtatio, quæ voluntatem peccandi abſolute, & uſquequaque excludat. 3. Ille omnimodam peccandi voluntatem non deponit, qui non refugit, & averſatur peccatum ſupra omne malum. Porro impoſſibile eſt, ut qui gehennæ metu concutitur, peccatum ſupra omne malum deteſtetur; quandoquidem ſaltem peccatum non deteſtatur ſupra ipſam gehennam; cum enim hæc ſit illi unica cauſa deteſtationis peccati, impoſſibile eſt, ut timentem moveat ad deteſtandum peccatum ſupra ſe ipſam; immo nec tantum, quantum ipſam, juxta vetus axioma, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Qui ergo propter gehennam peccatum odit, magis gehennam reformidat, quam peccatum. Optime itaque, & acute ajebat D. Joan. Chryſoſt. Hom. 5. in epiſt. ad Rom. *Peccatores, eo ipſo gehenna dignos eſſe, quod peccatum non oderint ſupra gehennam. Nam Dei offenſa nullo non ſupplicio gravior eſt . . . propterea ſi non ex quocumque alio, ex hoc certe gehennam digni eſſemus, gehennam pluſquam Chriſtum timentes*. Et certe gehennam, pluſquam Chriſtum, timere deprehenditur Chriſtianus, dum ad deteſtandum peccatun illum nonaliud movet quam ipſa gehenna. Præterea magis timet proprium malum, quam peccatum; quandoquidem ſolo ſui amore, ſeu proprii incommodi vitandi cauſa peccatum deteſtatur, & odit. Unde convincitur ſeipſum magis amare, quam Deum: non quod Attritio ſervilis pravum hunc inducat affectum (ſic enim in ſe mala foret) ſed quia præexiſtentem pravam affectionem ſola nec depellit, nec depellere poteſt; unde philautia, ſive amor ſui dominatur in corde, quoadusque contrario depellatur amore, dilectione ſcilicet Dei.

VIII. Non acquieſcunt hiſce momentis adverſæ doctrinæ Patroni, qui in contrarium objiciunt 1. Qui timore gehennæ vehementer concutitur, eam proculdubio toto animo vitare conatur: & proſpicit ſe non poſſe vitare, niſi ſimul cum peccato & voluntatem abjiciat peccandi: vult ergo & ipſam voluntatem abjicere: ſi vult, & quidem efficaciter, poteſt etiam; cum non ſolum voluntas aliis dominetur actibus, & affectibus, ſed nihil magis ſit in poteſtate voluntatis, quam ipſum velle, ut ajebat D. Auguſtinus. Ergo timor gehennæ, ſi efficax ſit, voluntatem excludet peccandi; ut contingeret in navigante, ſi certo ſciret, ſe imminens non poſſe vitare, naufragium niſi in mare & merces projiceret, & affectum ad illas, profectu utrumque libentiſſime abjiceret. Pari ergo pacto & de ti-

timente gehennam ſentiendum eſt. 2. Timor gehennæ, ut docet S. Auguſtinus tract. 9. in epiſt. Joan. *Præparat locum Caritati*, *eamque in cor pœnitentis introducit*; *ſicut videmus per ſetam introduci linum*, *quando aliquid ſuitur*: immo animadvertit, quod *ſi nullus ſit timor*, *non eſt quo intret Caritas*. Porro, ſi timor pœnarum non excluderet peccandi voluntatem, nec viam ſterneret Caritati, quæ nunquam ingreditur, ubi peccandi viget voluntas.

IX. At hæc levia ſunt, nec minimum noſtram labefactant doctrinam. Reſpondemus ſiquidem primo argumento, voluntatem quidem noſtram liberam eſſe, & ſuorum actuum dominam, at non ita, ut *immediate* quidquid, & *propter quodcumque*, ſeu *qualibet ex cauſa*, & motivo poſſit velle; ſed ſolum quia poteſt velle omnia *mediate*, proponendo ſcilicet ſibi congruentia cujuſvis effectus motiva. Sic voluntas non poteſt amare aliquid ſub ratione mali; nec odiſſe ſub ratione boni. Quare ſi quid vel amare velit, vel odiſſe, intellectum movere debet, ut ſibi proponat motivum rem illam amandi, rationem aliquam videlicet boni, vel motivum odio habendi, rationem ſcilicet aliquam mali. Poterit itaque peccator ſua voluntate omnem etiam peccati affectum abjicere, ſed propoſito ſibi convenienti motivo: quod certe non poteſt eſſe timor gehennæ, qui malitiæ peccati extrinſecus eſt, nec poteſt odium peccati, prout peccatum eſt, & offenſa Dei, cauſare, & inducere, ſed ſolum prout eſt cauſa gehennæ. Ut igitur ipſam peccandi latentem abjiciat voluntatem, ſibi motivum proponat, oportet, quod directe peccato, prout eſt offenſa Dei, opponatur; quod non poteſt eſſe, niſi motivum caritatis. Atque ita diſcrimen patet inter ceſſationem a peccatis, & inter excluſionem voluntatis peccandi. Ut enim quis a peccando ceſſet, ſufficit quodcumque motivum, ſive propter ſe, ſive propter aliud; & quæcumque (ſit verbo venia) *voluntarietas*, ſive plena, ſive totalis, ſive imperfecta, & mixta ex involuntario. At ut internum peccatum, ſeu mala voluntas expellatur, neceſſe eſt, ut quilibet affectus, etiam meræ complacentiæ erga peccatum, ſecundum ſe ſumptum, reprimatur. Quapropter primus effectus, ceſſatio videlicet externa peccati, per ſolum gehennæ metum, & etiam per minoris longe mali timorem obtinetur: alterum vero, excluſio ſcilicet voluntatis peccati, per illum nunquam obtinebitur. Exemplum autem naufragantis doctrinam noſtram confirmat. Nam poteſt ille quidem merces, & divitias ſuas metu mortis in mare projicere, at affectum, & amorem divitiarum deponere omnino non poterit ſolo mortis metu, licet & hoc ad evitandum naufragium neceſſarium arbitretur, & noverit. Metus enim mortis non valet illi ſuadere, divitias eſſe in ſe malas; ſed ſolum hic & nunc ſibi noxias eſſe. Quapropter ut divitiarum exuat amorem, neceſſe eſt, ut extra mortis timorem alia ſibi motiva requirat, & rationes, quæ illi divitias reddat exoſas: quod utique tota animi contentione præſtabit, ſi vere velit naufragium evitare; ſed alia plane quærendo motiva, & argumenta, ab ipſo naufragii metu plane diverſa. Pari itaque pacto timens gehennam, ſi vult illam ſincere vitare, & omnem a ſe peccandi abjicere voluntatem, non in ipſa gehenna ſolum mentem figat, oportet; ſed alia ſibi proponat motiva, quæ odium peccati valeant inducere, quæ nonniſi in caritatis motivis reperiet: & præſertim Deum exoret, ut ſua cæleſti gratia dilectionem inſpiret; & in hoc ſolum collocanda eſt ſervilis timoris utilitas, & efficacia. Nam, ut inquit Tridentina Synodus, *timore divinæ juſtitiæ utiliter concuſſi*, *in ſpem eriguntur obtinendæ veniæ*, *& tandem ad dilectionem Dei totius juſtitiæ fontis progrediuntur*. Dum vero dicit Sanctus Auguſtinus (ut 2. loc. objiciunt Adverſarii) timorem diſponere ad Caritatem, non intelligendus de diſpoſitione immediata & per ſe, ſicut calor ad formam ignis, ſed ſolum per accidens, & occaſione data, videlicet 1. Quia coercet ab opere externo peccati, & ab actuali expreſſa voluntate peccandi; & ſic attenuat, & frangit vires malæ voluntatis, eam ex efficaci inefficacem reddendo, & ex voluntate meram velleitatem. 2. Quia malorum operum expellit conſuetudinem, quæ, ut obſervat Sanctus Auguſtinus in quæſt. ad Simplic. quæſt. 1. lib. 1. *Robuſtiſſimam facit*, *& invictiſſimam cupiditatem*. 3. Ex oppoſito inducit contrariam conſuetudinem, ſeu facilitatem bene agendi quantum ad exteriora opera, unde enaſcitur, ut ipſam actionum rectitudo, & Deus, qui illam præcipit, incipiat dulceſcere; ſicque pedetentim per ſe, & propter ſe Caritate amari. Audiatur Divus Auguſtinus in Pſal. 123. „ Qui habet timorem, & per timorem continet „ ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit, „ quod durum erat, amari, & dulceſcit Deus, ut „ jam incipiat homo juſte vivere ". Et rurſus lib. 83. qq. quæſt. 36. ſubdit: „ Jam vero cum „ aliqua non peccandi conſuetudo, quod onero„ ſum putabatur, facile eſſe perſuaſerit, incipit „ guſtari dulcedo pietatis, & commendari pulchri„ tudo virtutis, ut Caritatis libertas præ ſervitu„ te timoris emineat ". Recolantur dicta in præfata Diſſert. 2. cap. 3. ubi de ſervilitate timoris, & de ejus cum Caritate conjunctione fuſe diſputavimus.

X. Nec illa Attritio, quæ eſt conjuncta cum dilectione Dei boni noſtri, ſeu quæ ab amore Dei progreditur, eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Huic doctrinæ plures adverſantur Theologi, qui argumentis fracti, neceſſitatem alicujus dilectionis ad veram Pœnitentiam neceſſariæ luculenter oſtendentibus, ad hunc amorem concupiſcentiæ, ſive ſpei confugerunt, inter quos præſertim Tournelius hanc opinionem ſtudioſiſſime propugnavit. Contra ipſum autem, & ejus aſſeclas ſic noſtra probatur aſſertio. Amor ſpei conſiſtere poteſt non ſolum cum habituali peccato, ſed etiam cum actuali, ut ſpes ipſa, ex qua profluit, & quam præſupponit; hæc enim in peccatoribus omnibus reperitur, qui per actum deſperationis eam non abjecerunt. Non ergo voluntatem, immo nec actum peccati expellit; proinde eſſe non poteſt ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem per Sacramentum obtinendam. 2. Hic amor ſpei, quem ſufficientem aſſerunt Tournelius, & aſſeclæ ad Sacramentum Pœnitentiæ, non diſtinguitur ab ipſa ſpe, niſi ut actus, & habitus, ſeu eſt ipſa ſpes in actum ſuum erumpens; proinde adſtruere neceſſitatem hujus amoris idem eſt ac ſtatuere neceſſitatem ipſius ſpei. At nemo unquam docuit, ſpem ſufficere ad veniam in Sacramen-

mento Pœnitentiæ obtinendam ; ſicut nemo unquam negavit neceſſitatem ipſius ſpei., & per conſequens & amoris ad ipſam ſpectantis. Ergo perperam, & abſone, dum de neceſſitate amoris in Sacramento Pœnitentiæ inquiruntur, hujuſmodi amor adſtruitur. 3. Amor ſpei, ſi penitus introſpiciatur, non eſt proprie ipſius Dei, ſeu Deum ipſum proprie non reſpicit, non attingit: quandoquidem pro ſuo termino, & objecto non habet Deum in ſe, ſed beatitudinem æternam, ideſt gloriam cæleſtem, ſitam in viſione, contemplatione, & fruitione ipſius Dei; quod profecto eſt quid a Deo diſtinctum: unde reperiri poteſt hujuſmodi amor & in iis, qui nullo prorſus amore feruntur in Deum, immo & qui formaliter Deum odio habent; dummodo de ſua ſalute non deſperent. Si ergo juxta Tournelium, & aſſeclas amor in Sacramento Pœnitentiæ ſufficiens ad juſtificationem debet eſſe amor ipſius Dei, licet, ut ipſi putant, motivo diſtincto a motivo Caritatis; iſte profecto non erit amor ſpei, quippe qui inſufficiens agnoſcitur in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum. 4. At amabo, quibus tandem argumentis Tournelius hujus amoris ſufficientiam adſtruit? Profecto nonniſi iis, quæ oſtendunt neceſſitatem amoris, non ex Spe, ſed ex Caritate prodeuntis. Quandoquidem ſi aſſertionem ſuam probat ex præcepto diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; ex S. Joanne dicente, *qui non diligit, manet in morte*; ex Apoſtolo comminante, *qui non diligit Dominum Jeſum, anathema ſit;* profecto hæc teſtimonia non de amore Spei, ſed de amore Caritatis & ſunt intelligenda; & ſemper intellecta fuere; non enim efficaciora inveniri poſſunt, quæ Caritatis neceſſitatem inculcent. Fruſtra itaque, & inepte o Tournelio afferuntur ad ſpei timorem adſtruendum. Vim perſenſit urgentis argumentationis doctus Theologus, & conſeſſus eſt, & non negavit, *ſi ad litteram urgeantur, non imperfectum .... ſed perfectum, & veræ Caritatis amorem .... exprimere*. Sed, ut, ineluctabile telum declinet, ſubdit, *cum aliqua reſtrictione, & accommodate* ad Sacramentum Pœnitentiæ intelligi debere, & exponi. At hæc reſtrictio, & accommodatio nullo fulcitur fundamento, nec niſi ex præjudiciis, & præconcepta opinione exoritur. Cetera quoque, quæ profert, ſuæ doctrinæ fulcimenta ipſi magis obſunt, quam proſint. Affert ſiquidem declarationem Cleri Gallicani anni 1700. ſtatuentis, accedentes ad Baptiſmum, & Pœnitentiam non ſatis ſaluti ſuæ conſulere, ſi primi, ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerant: at hoc maximum mandatum non eſt, niſi veræ Caritatis præceptum, ut Pariſienſis Facultas declaravit anno 1716. diſertis verbis ſtatuens, hunc amorem neceſſarium ad Sacramentum ferri debere in Deum, tum ut in ſe ſummum bonum, tum ut bonum noſtrum, quæ duo ipſa Caritas virtus Theologica amplectitur. Affert & bina S. Th. teſtimonia, alterum ex Suppl. q. 3. art. 1. docentis „ dolorem „ fundari in amore rei illius, de cujus jactura „ dolemus “. Alterum ex 3. p. q. 85. art. 3. inquientis, Pœnitentem debere dolere de peccato commiſſo, *inquantum eſt offenſa Dei*. Quæ bina teſtimonia clare & luculenter indicant neceſſitatem amoris, non *ex Spe*, ſed *ex Caritate* prodeuntis: tum quia ipſe Doctor Angelicus docuit eadem quæſt. art. 5. iſtum dolorem ad *Caritatem* pertinere; tum quia in loc. laud ex Supplem. dixit, fundari *in amore illius rei*, de cujus jactura dolemus; & hæc res, de cujus jactura dolemus, non eſt niſi ipſe Deus. Ubi notandum, non dixiſſe Sanct. Doct. dolorem fundari *in ſpe ſarciendæ jacturæ, de qua dolemus*, quod pertinet ad amorem ſpei, ſed in amore *illius rei*, de cujus jactura dolemus, qui profecto amor eſt Caritatis. 4. Denique affert doctrinam Concilii Tridentini, ſtatuentis neceſſitatem *inchoatæ alicujus dilectionis, qua Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipimus*, & in illa indigitari putat ſuum ſpei, ſeu caſtæ concupiſcentiæ amorem; nec advertit eruditus Doctor Sorbonicus, hunc amorem a PP. Tridentinis aperte diſtingui *ab amore ſpei*, quippe qui ſpem collocant ante illum amorem. Sic enim docent *ſeſſ. 6. cap. 6.* „ Ad conſiderandam Dei „ miſericordiam ſe convertendo *in ſpem* erigun„ tur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propi„ tium fore (en amorem ſpei) illumque tanquam „ omnis juſtitiæ fontem *diligere* incipiunt “. En amorem Caritatis, quem poſtulant Tridentini PP. tanquam neceſſarium ad Sacramentum Pœnitentiæ rite ſuſcipiendum. Si quid igitur probant Tournelii argumenta, neceſſitatem evincunt alicujus amoris non ex Spe, ſed ex Caritate prodeuntis.

XI. Aliquem Caritatis amorem neceſſarium eſſe ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam docet Scriptura. Et quidem D. Paulus ad Corinth. 1. cap. 13. ſcribit: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Quibus verbis affirmat nihil prodeſſe Martyrium pro Chriſto, ſi a corde Martyris caritas abſit. Ergo neque Sacramentum proderit ſine caritate ſuſceptum, cum communi Theologorum ſententia Martyrium Sacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ æquiparetur. Joannes Apoſtolus epiſt. 1. cap. 3. ſcribit: *Qui non diligit: manet in morte*. Sine dilectione igitur non datur reſurrectio animæ. Iterum Paulus ad Cor. 3. cap. 7. docet: *Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Triſtitiam autem *ſecundum Deum* interpretatur D. Thom. in hunc locum, *quam amor Dei* cauſa. Pœnitentia igitur, quæ vel ſolum ex amore proprii boni, vel ex timore proprii damni proficiſcitur, non poteſt operari ſalutem ſtabilem, ideſt veram. Idem Apoſtolus 1. ad Cor. 16. terret: *Si quis non amat Dominum Jeſum, anathema ſit*. Qui autem fieri poteſt, ut qui anathemate feritur ab Apoſtolo, eo quia non diligit Dominum Jeſum, nihilominus hoc amore omnino deſtitutus, nec ejus ſcintillam habens, per Sacramentum Pœnitentiæ non ſolum ab anathemate liberetur, ſed etiam inter filios Dei, & hæredes Chriſti computetur? Denique doctrinæ noſtræ veritatem ea evincunt Scripturæ teſtimonia, & innumera plane ſunt, quæ Dei dilectionem præcipiunt. Certum eſt autem, & ſuo loco oſtendimus, hoc maximum, & primum mandatum ſæpe ſæpius fideles obligare. Nullum autem eſt tempus conveniens magis, & oportunum, quam cum peccator pacem, & reconciliationem cum Deo quærit. Tunc igitur, cum Pœnitentiæ eſt ſuſcipiendi Sacramentum, eſt actus eliciendus amoris, quo omiſſo juſtificationem non conſe-

que-

quetur peccator. Et revera, quando homo peccat, Dei amorem a ſuo corde abjicit, & caritatem expellit. Quouſque igitur Deum amare non incipiat, in habituali caritatis privatione, & carentia morabitur. Ulterius, qui vult in Sacramento remiſſionem conſequi peccatorum, debet dolere de omiſſa caritate, & Dei amicitia, & firmum propoſitum concipere omnia divina implendi præcepta, inter quæ præcipuum eſt dilectio Dei. Porro concipi non poteſt, & adeſſe dolorem de projecta Dei amicitia, & propoſitum Deum diligendi, niſi aliquis concipiatur Dei amor: alioquin in habituali hujus mandati tranſgreſſione, quod, cum poſſit, non implet, voluntarie immorabitur.

XII. Eandem doctrinam prædicant Patres. Id patet tum ex teſtimoniis ſuperius n. 4. recitatis, quæ efficacitatem veræ converſionis, & excluſionis peccati ſoli denegant timori; tum ex aliis, quæ propius ad noſtram confirmandam doctrinam conducunt. S. Auguſtinus lib. 2. cont. Petilian. *Si non diligendo iſta* (Dei præcepta) *facimus*, *nulla eſt juſtificatio*. Et ſer. 1. in Pſal. 103. „ Caritatem teneamus, ſine qua & cum Sacramentis, „ & cum fide nihil ſumus. Munus Sacramentorum quale munus eſt? ... Non ſe jactent, qui „ ſine caritate habuerunt hoc munus Dei ſanctum ... quia, *ſi habeam omnem prophetiam*, *caritatem autem non habeam*, *nihil ſum*. Et in Pſ. „ 101. ſer. 2. dicit: Pœnitentem a Sacerdote ſolvi non poſſe, niſi prius, ſicut Lazarus a Chriſto reſuſcitatus, vivat, hoc eſt, niſi Deum diligat: nam vita animæ dilectio eſt “. Alia Auguſtini teſtimonia brevitati conſulens omitto. Sed illi adjungimus alios Patres. Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. *Abſque Caritate nihil eſt Deo gratum:* ergo nec Sacramentum Pœnitentiæ. S. Jo. Chryſoſt. Hom. 4. in 2. ad Corinth. „ Cum peccaveris, ingemiſce, non quod pœnas daturus „ ſis, ſed quod Deum offenderis tam benignum “; quod profecto ſine caritate fieri non poteſt. S. Petrus Chryſol. ſer. 94. *Abſolvi vis? Ama*. Qui ergo non amat, non poteſt abſolvi. S. Cæſarius, cujus ſermo inter opera Auguſtini reperitur: *Pœnitentiam* (docet) *certam non facit*, *niſi odium peccati*, *& amor Dei*. S. Greg. M. in cap. 27. Job: *Cum quis cordis intentionem ad juſtitiam per amorem dirigit .... hic certe jam ſalutem confitetur*. S. Iſidorus Hiſpal. lib. 2. ſent. cap. 3. *Tanta eſt Caritatis virtus*, *ut etiam Martyrium ſine illa nihil eſſe credatur*: ergo nec Sacramentum Pœnitentiæ, cui Martyrium æquiparatur. Beda in cap. 13. epiſt. 1. Corint. diſerte docet: *Nec ipſum Baptiſmum ſine caritate quidquam prodeſſe:* nec igitur Pœnitentia proderit, cum pari paſſu procedant in adultis hæc duo Saeramenta, quantum ad requiſitas diſpoſitiones.

XIII. Patribus conſonat D. Ang. qui innumeris pene locis apertiſſime docet, dolorem, & diſplicentiam de peccatis ad Caritatem pertinere. 1. 2. q. 113. art. 5. ad 1. dicit: „ Ad eandem virtutem pertinet proſequi unum oppoſitum, & refugere aliud. Et ideo, ſicut ad Caritatem pertinet diligere Deum, ita etiam deteſtari peccata, per quæ anima ſeparatur a Deo “. Et 3. p. q. 85. a. 2. „ Si in actu Pœnitentis conſideretur diſplicentia peccati præteriti, hoc immediate ad „ caritatem pertinet ... ſed intentio operandi ad „ deletionem peccati præteriti requirit ſpecialem „ virtutem ſub caritate “, virtutem nimirum *Pœnitentiæ*, cujus actus (ut ibidem præmiſerat) debet *a Caritate* imperari. Et 1. p. q. 41. art. 4. docet: „ In juſtificatione impii apparere juſtitiam „ Dei, qui culpas remittit *propter dilectionem*, „ quam miſericorditer infundit “. Nec ſolum de remiſſione loquitur, quæ extra Sacramentum fit, ſed etiam de illa, quæ habetur in Sacramento. Nam in corp. articuli aſſerit, *oportere in omni opere Dei eſſe juſtitiam*: quam veritatem tuetur contra objectionem ex eo deſumptam, quod juſtificatio impii attribuatur miſericordiæ ſupradicta ratione: ſentit ergo & in Sacramento Pœnitentiæ Deum peccata remittere propter dilectionem, quam infundit; proinde & neceſſariam agnoſcit dilectionem in Sacramenti Pœnitentiæ ſuſceptione.

XIV. Tridentinum Concilium, licet quæſtionem de neceſſitate alicujus amoris in Sacramento Pœnitentiæ non definierit, illi tamen quam maxime favet. Et quidem non definiviſſe liquido conſtat: nulla enim amplius eſſet inter Catholicos Theologos diſſenſio. Faviſſe autem oſtendimus, ejus doctrinam exponendo, & perpendendo. Sic itaque docet ſeſſ. 6. cap. 6. „ Diſponuntur (Peccatores) „ ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia ... libere moventur in Deum, *credentes* vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, „ atque illud in primis, juſtificari impium per „ gratiam ejus .... &, dum peccatores ſe eſſe „ intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo *in ſpem* eriguntur, „ *fidentes* Deum ſibi per Chriſtum propitium fore, „ illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem *diligere* incipiunt “. In qua doctrina, ut optime animadvertit clariſſimus Meldenſis Epiſcopus Boſſuetus, tres neceſſariæ diſpoſitiones diſtincte & ordinate proponuntur. Primum Fides, eique conjunctus divinæ juſtitiæ *timor*. Deinde Spes veniæ per Chriſtum obtinendæ. Tertio *ipſa dilectio*. Quarum diſpoſitionum ſi quis vel unam detraxerit, tanti Concilii integram, perfectamque doctrinam truncaſſe judicatur. At conſtat, quod inter diſpoſitiones ad juſtificationem per Sacramentum obtinendam enumerat Concilium *dilectionem*. Porro hæc dilectio non eſſe poteſt amor aliquis concupiſcentiæ, ſive alicujus boni ſupernaturalis: tum quia hic in ſpe continetur, ſecundo loco poſita a Concilio; tum quia docet eſſe debere dilectionem Dei, *tanquam omnis juſtitiæ fontis*, nimirum illam nos debere juſtitiam diligere, quæ Deus eſt, per ſe, & propter ſe diligendam, ac nobis communicandam per Chriſtum. Hunc ordinem in juſtificatione ſervandum indicat etiam can. 3. ubi definit: „ Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere „ poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia „ conferatur; anathema ſit “. Præterea ſubdit S. Synodus, *proponunt inchoare novam vitam*, *& ſervare divina mandata*. „ Eſt igitur (verba ſunt „ clariſ. Boſſueti) teſte Sacra Scriptura, & Synodo „ interprete, omnino neceſſarium, ut ad juſtificationem præparentur, ut corde gerant non inane, ſed firmum ac verum propoſitum ſervandi „ omnia mandata, quæcumque Chriſtus impo- „ ſuit,

„ fuit, in quibus maxime comprehendi primum il„ lud, ac maximum omnium mandatorum, quo „ Dominum Deum noſtrum diligere toto corde, „ tota mente, ac totis viribus, hoc eſt propter „ ſeipſum, jubemur, nemo ſanus negaverit . . . . „ ut profecto conſtet, juſtificationis propoſitum „ nullum eſſe poſſe, niſi cum vera Dei ſumme, „ ac ſuper omnia diligendi voluntate conjunctum „ . . . . an autem ſine aliqua incœptæ, & inchoa„ tæ dilectionis ſcintilla ſtare poſſit implendi di„ vini de ſumma dilectione mandati voluntas, cer„ to credimus, dubitare poſſe neminem “. Tertio loco declarat S. Synodus, juſtificationem per Sacramentum non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem, ſed etiam ſanctificationem, juſtificationem, converſionem interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, unde homo ex injuſto fiat juſtus, ex inimico amicus. Poſtulat ergo S. Synodus, ut ad juſtificationem obtinendam ipſe juſtificandus in ipſam juſtitiam, & amicitiam, quæ juſtificatione reparatur, & integratur, conſentiat; cum non alio modo poſſit haberi voluntaria ſuſceptio gratiæ, & donorum. At impoſſibile eſt, ut quis in amicitiam, quæ mutuo conſtat amore, conſentiat ſine aliquo amore; cum contingere non poſſit, ut nos libere conſentiamus in donum caritatis, quæ per juſtificationem diffunditur in cordibus noſtris, & qua habitualiter Deum diligere debemus, illumque tanquam ultimum noſtrum finem reſpicere, quin ipſum amemus caritatis donum; quod rurſum diligere non valemus, quin amemus illum, cujus dilectio eſt ipſum caritatis donum. Docet igitur S. Synodus, peccatoris juſtificationem haberi non poſſe ſine actuali ſimul, & habituali Caritate: habituali quidem, quæ a Deo infunditur; actuali autem, qua voluntarie eam recipimus, atque in eam conſentimus.

XV. Nec veritatem, quam propugnamus, labefactant hæc, quæ opponuntur, argumenta. Scilicet 1. Series actuum a Tridentino deſcripta non exhibetur ab ipſo, quaſi omnes illi actus neceſſarii ſint; ſed quia plerumque juſtificationem præcedunt. Et revera ſine timoris actu ſola fide, & ſpe muniti Martyres ad martyrium convolabant; immo alii aliquando ab actibus fidei, & ſpei ſine timore, & amore initiati ad actus perfectæ caritatis perveniebant. 2. In ſeſſ. 14. ubi enumerantur actus ad juſtificationem requiſiti, hic amor non recenſetur. 3. Non conſtat, de qua dilectione loquatur Concilium; proinde intelligi poteſt de amore concupiſcentiæ. Nam reſpondemus ad 1. Si a Tridentina Synodo illi recenſerentur actus, non qui neceſſarii ſunt ad juſtificationem, ſed qui ſolum diſponunt, nihil profecto ex ejus doctrina colligi poſſet de neceſſario requiſitis ad juſtificationem; & æque dici poſſet, fidem quoque, & ſpem non neceſſarias eſſe diſpoſitiones, ſed ſolum, quas præmitti decet, & quæ ſolent præmitti: quod profecto abſurdum eſt. Ita vero ſunt neceſſarii omnes præfati actus, ut abeſſe poſſint ſolum, ſi extraordinario Dei favore amor perfectus repente, & immediate infundatur: cum enim aliquid imperfectum dicitur neceſſarium, ſemper intelligendum eſt, niſi per aliud in eodem ordine perfectius ſuppleatur; ut contigit in Martyribus, in Paulo, & in aliis ex ſpeciali Dei miſericordia ſubito ad juſtificationem vocatis. Ad 2. ideo omiſſa fuit dilectio in ſeſſ. 14. quia jam ſemel dictum ſufficiebat; nec metuere poterat Synodus, ne ea, quæ dicta fuerant de Baptiſmo, ſponte non transferrent ad Pœnitentiam Theologi: eo vel magis quod in prooemio præmonuerat, „ in Decreto de juſtifica„ tione multum fuiſſe de Sacramento Pœnitentiæ „ propter locorum cognationem . . . ſermonem in„ terpoſitum “. Ad 3. non dubitandum, Patres Tridentinos eſſe de dilectione Dei a caritate procedente locutos: tum quia amor concupiſcentiæ, ſive beatitudinis, minus proprie dicitur dilectio Dei; tum quia amoris ſpei, ſeu concupiſcentiæ actum ſignaverant diſtincte, cum ipſius ſpei actum recenſuerant.

XVI. Denique ad noſtræ doctrinæ confirmationem non deſunt validiſſima argumenta ex Theologia petita, quorum nonnulla breviter proponam. Primum deſumitur ex neceſſitate alicujus amoris, qui in corde humano dominari debet, & ſceptrum tenere: quandoquidem creatura rationalis eſſe non poteſt ſine aliquo fine ultimo, ad quem ceteri intermedii fines ordinentur; qui ultimus quidem eſt aſſecutione, at primus in intentione, utpote qui primus ad operandum movet. Manifeſtum eſt autem, duo tantum eſſe, quæ in humano corde finis ultimi rationem valent obtinere, Deum ſcilicet & creaturam, qui nec ſimul ſtare poſſunt: conjunctio enim hæc, qualiſcumque fingatur, rationi repugnat ultimi finis, cujus proprium, & eſſentiale eſt ad alium non ordinari, immo omnem ulteriorem refugere ordinationem: uno proinde adveniente, alter loco cedat oportet, & quidem ab accedente repulſus. Ex quo evidenter conſequitur, qui Deum pro ultimo fine non habet, habere in tali gradu creaturam, ſeu ſemetipſum. Sed non minus evidens eſt, neminem habere poſſe Deum pro ultimo fine, qui illum non amat, & quidem ſuper omnia, cum ſolius amoris ſit ultimum finem præſtituere. Qui ergo Deum non amat, habet pro ultimo fine creaturam, eamque Deo præfert, ſemetipſum amat, pluſquam Deum; non quidem actu, ſed habitu contemnere pergit: immo etiam actu, non quidem expreſſo, & formali, ſed interpretativo, hic & nunc contemnere videtur, quippe qui voluntarie negligit, ſeu non curat, averruncato ad creaturam affectu, ab ea recedere, & Deo rationem ultimi finis, ſumma ablatam injuria, reſtituere. Porro qui ſolo timore gehennæ concutitur, ita eſt affectus, & Deum nec deſiderat, nec incipit Deum diligere. Quis ergo ſibi perſuadere poterit, hunc eſſe proxime diſpoſitum ad Sacramenti Pœnitentiæ effectum percipiendum? 2. Si ſola Attritio formidoloſa ſufficeret in Sacramento Pœnitentiæ ad juſtificationem contingere poſſet, ut quis æternam conſequeretur ſalutem, quin unquam Deum in vita ſua actualiter amaverit. Nam fingamus adultum hominem, qui majorem vitæ ſuæ partem ab uſu rationis in flagitiis, & ſceleribus tranſegerit, repente terribili judiciorum Dei metu, & pœnarum inferni terrore concuſſum ad Sacerdotem accedere, ſcelera ſua evomere, de illis ſe vehementer dolentem eſſe ob gehennæ metum fateri, deinde abſolutione percepta repente ex hac vita migrare. Quæro, ſalutem æternam hic ne conſequetur, an in æternum peribit? Si primum: ergo in perpetuum Deum diliget in cælis, quem nec leviter, nec

nec inchoate unquam dilexit in terris. Si ſecundum: ergo ſola attritio ad juſtificationem non ſufficit. 3. Ut peccator juſtificetur, neceſſe eſt, ut convertatur. Porro hæc converſio fieri, nec concipi poteſt ſine receſſu ab uno termino, & acceſſu ad oppoſitum terminum. Et revera, cum peccatum non ſit niſi averſio a Deo, & converſio ad creaturam; ſi peccator juſtificari cupit, neceſſe eſt, ut non ſolum avertatur a creatura, ſed etiam ad Deum convertatur, oportet; proinde ad peccatum feratur motu deteſtationis, & ad Deum motu proſecutionis: alioquin non fiet nova creatura per Chriſtum, nec induet cor novum, & ſpiritum novum. Sed per attritionem formidoloſam concipimus quidem, ſeu potius præſumimus peccatorem a peccato aliquo modo recedere: at nullo modo imaginari, vel concipere poſſumus, quomodo ad Deum feratur, & convertatur; cum ad Deum homo non feratur motu proſecutionis, niſi ipſum diligendo: amor enim eſt pondus, quo voluntas fertur, & trahitur; *amor meus* (ajebat D. Auguſtinus) *pondus meum*, *eo feror*, *quocumque feror*. Sine amore igitur concipi non poteſt vera converſio. Nec dicant, Pœnitentem ex metu gehennæ ad Deum converti, & ferri per amorem habitualem, qui gratiæ conſequitur infuſionem. Hoc enim eſt plane mirabile, & quod vix, ac ne vix quidem concipi poteſt, quomodo quis habitualiter diligat, qui nunquam actu dilexit; ſit habitualiter converſus, qui nullo actu ſe convertit; cum in omnibus liberis agentibus actus præcedant habitus, & tunc ſolum aliquando, ſed raro, actus & habitus ſimul conjungantur, quando tanta eſt virtus, energia, ſublimitas, & excellentia actus, ut ipſum ſtatim habitum producat; ut contingit in Contritione acri, & vehementiſſima, quæ ſua acerbitate ſcelerum magnitudinem æquet, & vincat. Dixi in agentibus liberis, ut excipiantur parvuli, qui habitum nanciſcuntur caritatis ſine ullo actu, & ad Deum ſunt habitu converſi, nullo præcedente converſionis actu: quia ſicut illi nec propriis actibus, nec propria voluntate a Deo ſunt averſi; ita mirum non eſt, ſi per Baptiſmi efficaciam, ex Chriſti meritis, etiam ſine propriis actibus, juſtificationis conſequantur beneficium.

XVII. Argumentis argumenta, rationibus rationes opponunt Adverſarii dicentes. Qui ex mera formidoloſa Attritione dolet, jam omnem pravum creaturarum deteſtatur amorem, cum illum cognoſcat gehenna puniri: non ergo amplius finem ultimum ponit in creatura: diſpoſitus ergo proxime eſt, ut per Sacramentum ad Deum ultimum finem habitualiter convertatur. 2. Si eo ipſo, quod quis actu Deum non habet pro ultimo fine, adhuc hæreret creaturæ, nec inchoata dilectio valeret ad juſtificationem in Sacramento, cum hæc non valeat efficere hominem juſtum: juſtus ſiquidem eſt, qui Deum pro ultimo fine habet; quod præſtare non poteſt, niſi vel vehementiſſima caritas, vel gratia ſanctificans, & caritas habitualis. 3. Adducta argumenta falſo inniti videntur ſuppoſito, ſcilicet in Sacramento Pœnitentiæ veniam concedi delictorum vi diſpoſitionum Pœnitentis, quibus veniam ſibi promereatur, & ex quadam congruitate, & proportione inter ipſas diſpoſitiones, & veniam peccatorum: quod quam falſum ſit, nemo non videt; cum verba peccatorum, juſtificatio, gratia ſanctificans nonniſi vi, & virtute Sacramenti miſericorditer a Deo concedatur.

XVIII. Sed reponimus. Dolens ex mera attritione formidoloſa, licet utcumque conetur, & velit omnem pravum creaturæ affectum depellere, minime tamen, quod optat, conſequitur; cum affectum illum non deteſtetur, niſi timore mali, ac detrimenti proprii, proinde ex ſolo ſui amore (honeſto quidem, unde dolor ille malus non eſt, nec peccatum) ſed tamen proprio. Pergit ergo creaturam diligere, ideſt ſemeptipſum tanquam ultimum finem; cum amor ſui amorem ſuum, ideſt ſeipſum, expellere non valeat. Neceſſe eſt igitur, ut, ſi omnem creaturarum amorem ſincero velit corde depellere, ad aliud confugiat ad hoc idoneum medium; quod non aliunde reperire poterit, niſi in amore Dei, eum ſuper omnia diligendo. Ad 2. qui caritatis amore, licet imperfecto, & inchoato, ad Deum convertitur, illum jam incipit habere actu, licet imperfecte, pro ultimo fine, & eſt in via ad habitualiter habendum; ad hoc enim nititur, conatur, ac tendit viribus gratiæ, quas tunc habet: remanet quidem adhuc in illo habitualis ad creaturas converſio, cum hæc omnimode non expellatur, niſi vel a vehementiſſima dilectione, vel ab habituali caritate, & gratia juſtificante per Sacramentum; ſed illam habitualem converſionem jam ſibi reddidit involuntariam actu illo dilectionis Dei ſuper omnia, qua illam retractavit, & a ſe expellere, ac rejicere conatus eſt. Quod ſi non penitus extirpavit, inde fuit, quod vires ejus excedit; & a Deo pendet per gratiam ſanctificantem converſionem illam funditus ſubruere, quod præſtabit Sacramento Pœnitentiæ. At idem non eſt de formidoloſe attrito dicendum, qui non ſolum eſt ad creaturam habitualiter converſus, ſed hanc converſionem nunquam retractavit, affectum aſſumendo illi converſioni contrarium, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia: adhuc proinde in proprio hæret amore, nec minimum elicuit conatum, ut ad Dei amorem aſſurgat. Mirum proinde non eſt, ſi ad gratiam ſanſtificantem in Sacramento percipiendam adhuc cenſeatur ineptus. Ad 3. non niſi per ſummam calumniam ſupponitur, nos veniam peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ diſpoſitionibus Pœnitentis tribuere: nam fatemur libentiſſime, & ultro concedimus, non ex vi, & congruitate diſpoſitionis, ſed Sacramenti virtute & efficacia, ſeu applicatione meritorum Chriſti, quæ fit per Sacramentum, Deum veniam peccatorum, & juſtificationem largiri. Dicimus tamen certiſſimum eſſe, ad hoc requiri pœnitentem rite diſpoſitum ad tantum beneficium obtinendum: quod licet gratis conferatur, & ex opere operato; nunquam tamen datur indignis, ſeu illis, qui præexiſtentem indignitatem non repellunt per veram pœnitentiam, quam non habere convincuntur, qui adhuc affectum habent ad peccatum; qui Deum creaturæ poſtponunt, hanc pro ultimo fine habendo; qui ingratos erga ipſum ſe oſtendunt; cujuſmodi ſunt, qui Deum amare, vel dum ab ipſo veniam petunt, & ſperant, non conantur, ſed negligunt, & recuſant.

CAPUT SEXTUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Timor ſervilis ſolus non valet veram cordis converſionem operari.*
II. *Attritionem ſervilem ſufficere ad juſtificationem non declaravit Tridentina Synodus.*
III. *Neceſſitatem inchoatæ dilectionis adſtruit Catechiſmus Romanus.*
IV. *Qui ſola Attritione ſervili ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, non prudenter ſe gerit, nec ſatis ſuæ conſulit ſaluti.*
V. *Non ſufficit ad juſtificationem in Sacramento obtinendam amor ille, quo Deus ex caritate diligitur, ſed non ſuper omnia.*
VI. *Dolor & comitari Confeſſionem debet, & abſolutionem præcedere.*
VII. *In Confeſſione venialium peccatorum neceſſarius eſt dolor.*
VIII. *Qui ſemel in anno confiteri non poteſt, tenetur contritionem elicere.*

Conſectarium Primum.

1. Timor ſervilis, ſeu gehennæ metus ſolus non valet veram cordis converſionem operari. Hujus doctrinæ veritatem diſerte confirmat S. Th. lib. 4. cont. Gent. cap. 72. oſtendens modum, & gradus veræ converſionis, & ita ſcribens: ,, Primum, quod in Pœnitentia requiritur, eſt ordinatio mentis, ut ſcilicet mens convertatur ad ,, Deum, & avertatur a peccato, dolens de commiſſo, & proponens non committendum: quod ,, eſt de ratione contritionis. Hæc vero mentis ,, reordinatio ſine gratia (actuali) eſſe non poteſt. Nam mens noſtra ad Deum converti non ,, poteſt *ſine caritate*. Caritas autem ſine gratia ,, haberi non poteſt . . . Sic igitur per contritionem & offenſa Dei tollitur, & a reatu æternæ ,, pœnæ liberatur, qui cum gratia, & caritate eſſe non poteſt ". Loquitur autem S. Thom. non de converſione extra Sacramentum, ſed & in Sacramento: nam de illa loquitur, quæ inducit *ordinationem mentis, & averſionem a peccato, & converſionem ad Deum*; quam profecto neceſſariam eſſe, quocumque modo peccator convertatur, quis inficiabitur? Porro hanc ordinationem docet aperte *ſine caritate* haberi non poſſe, proinde nec veram mentis, ſeu cordis converſionem. Et revera converſio peccatoris duo neceſſario importat, nimirum averſionem ab injuſtitia, & converſionem ad Deum; ut habetur Eccleſ. 17. *Revertere ad Dominum, & avertere ab injuſtitia tua*. Neutrum autem præſtare poteſt Attritio ex ſolo gehennæ metu: quia 1. ſic attritus non avertitur ab injuſtitia: nam timens pœnam adhuc amat peccatum ſecundum ſe, & ut bonum ſibi, illique inhæret, cum abſolute illud non oderit, & deteſtetur; nam, ut ait D. Th. 3. p. q. 85. art. 5. motus, quo alicui peccatum diſplicet *ſecundum ſe, eſt motus caritatis*; ſed ſolum quatenus eſt cauſa gehennæ: ergo ab illo non vere recedit. Præterea ejus converſio ad creaturam eſt ex amore illius: ergo ab illo amore recedere non poteſt, niſi per contrarium affectum, videlicet per odium: quo odio certe non tangitur ille, qui ſolum timet; timor enim de ſe amori non opponitur; non vere igitur recedit ab amore creaturæ. Multoque minus ad Deum convertitur. Nam, ut docet S. Th. hic q. 86. art. 2. ,, Non poteſt contingere, quod Deus remittat ,, offenſam alicui abſque immutatione vluntatis e- ,, jus. Offenſa autem peccati mortalis procedit ,, ex hoc, quod voluntas hominis eſt averſa a ,, Deo per converſionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remiſſionem divi- ,, næ offenſæ, quod voluntas ſic immutetur, ut ,, convertatur ad Deum per deteſtationem converſionis prædictæ, & propoſito emendæ ". Porro mens noſtra ad Deum converti non poteſt ſine caritate. Solus igitur timor nequit hanc converſionem inducere. Nec ſibi adverſatur D. Th. dum 2. 2. q. 19. art. 2. ſcribit: ,, Si quis convertatur ,, ad Deum, eique inhæreat propter timorem pœ- ,, næ, erit timor ſervilis ". Quandoquidem ibi S. D. non eſt de vera, & omnimoda converſione locutus, quam ſine caritate haberi uon poſſe ex locis mox citatis conſtat aperte; ſed de converſione minus propria, & imperfecta, qualis eſt abſtinentia a peccato externo, & ab actuali voluntate peccandi. Sic enim ſeipſum explicat S. D. in initio articuli dicens: ,, De timore agimus, ſecun- ,, dum quod per ipſum *aliquo modo* ad Deum con- ,, vertimur ". Unde poſtea timorem diſtinguit in ſervilem, initialem, filialem. Non ergo docet S. Th. timorem convertere abſolute, & vere ad Deum, ſed ſolum *aliquo modo*, mox ſcilicet explicato. Dum autem ſubdit, *hominem per timorem Deo adhærere*, loquitur de homine per Sacramentum jam juſtificato, qui pergit Deo inhærere, ad quem jam eſt per gratiam ſanctificantem habitualiter converſus; ſed adhuc timoris ſubſidio retinetur, ne ab eo diſcedat, & adjuvatur ad vehementiores vincendas tentationes, ad quas ſuperandas ipſa caritas, quæ adhuc debilis eſt, ſe tota fortaſſis non ſufficit.

Sed ad ſemitam revertentes, in noſtræ doctrinæ confirmationem hæc addimus. Ille ad Deum vere non convertitur, qui manet, ut antea erat, ab eo averſus. Porro, qui ſolo timore percellitur, manet, qualis erat antea, cor ſuum habens adhuc a Deo averſum: non enim illum reſpicit, ſed gehennam; non illum timet offendere, ſed ab eo puniri reformidat; uno verbo cum S. Auguſtino, *non timet peccare, timet ardere*. Non eſt ergo ad Deum vere converſus. Denique non vere ad Deum convertitur, qui, quod illi injuſte abſtulit, non plene reſtituit: ſicut enim inter homines non vera, nec plena intercedit reconciliatio, niſi offenſo fama, vel pecunia ablata reſtituatur; ita, multoque minus cum Deo perfectam non obtinet reconciliationem, niſi, quod illi abſtulit, reſtituat: abſtulit autem amorem ipſi debitum, & rationem ultimi finis, quam in creaturam tranſtulit; & hanc non reſtituit timor, ſed amor: ſolo igitur amore, non timore vera obtinebitur ad Deum converſio.

Conſectarium Secundum.

II. Attritionem ex gehennæ metu conceptam ad Sacramentum rite ſuſcipiendum ſufficere, nec definivit Tridentina Synodus, nec adprobavit.

Ad-

Adverſantur huic noſtræ aſſertioni nonnulli recentiores Theologi, qui formidoloſæ attritioni nimium faventes, affirmare non verentur, ejus ſufficientiam ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam aperte in ea definitam fuiſſe (licet alii cautiores, & cordatiores ſolum dicant inſinuatam) ut ſine nota impugnari non poſſit. At contra utroſque ſic noſtram evincimus poſitionem. Et 1. quidem ex Cardinali Pallavicino, qui lib. 12. cap. 10. Hiſt. Conc. Trid. id aperte teſtatur, ſcribens: „ Quantum ex Actis conjicio Theolo-„ gorum, mens erat Concilii, ut error Hæreti-„ corum damnaretur, tanquam inhoneſtus, im-„ probans pœnæ timorem; non item ut ferrent „ ſententiam de ſcholaſtica quæſtione, an hujuſ-„ modi timor, non ſolum abſque contritione ani-„ mi perfecta (de quo controverſia vix fuit) ſed „ etiam abſque eo quod ullus excitetur amor im-„ perfectus, ſufficiat ad remiſſionem peccatorum “. Congregatum ergo Concilium non fuit ad Theologorum dirimendas quæſtiones, ſed ad errores hæreticorum dumtaxat profligandos, ut teſtati ſunt in ipſo Concilio Apoſtolici Legati. Non definivit igitur Sancta Synodus, ſervilem attritionem ſufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ rite ſuſcipiendum. 2. Laudatus Hiſtoricus narrat: „ Exhibi-„ tum Tridentini Patribus Decretum, in quo di-„ cebatur, *Timorem ſervilem non ſolum non face-„ re hominem hypocritam, & magis peccatorem*, „ verum etiam SUFFICERE ad Sacramenti hu-„ jus conſtitutionem. At Emiliani Epiſcopi Tri-„ dentini rationibus permoti, qui oſtendebat hoc „ pacto reprobari & antiquorum Theologorum o-„ pinionem, qui perfectam contritionem cum Sa-„ cramento neceſſariam exiſtimabant, & præterea „ circa ipſam formidoloſam attritionem variare „ Auctores, quippe quia plurimi docerent non „ ſufficere nec in Sacramento ad juſtificationem „ obtinendam, juſſerunt expungi verbum *ſufficit*, „ ejuſque loco alium ſubſtitui, nempe *diſponit* “. Noluit ergo hanc quæſtionem definire. 3. Quod vero nec a Tridentina Synodo uſurpata verba Adverſariorum faveant ſententiæ, manifeſte oſtenditur. Nam ea, quæ circa attritionem ſtatuit, & docuit, ejus in Sacramento Pœnitentiæ ſufficientiam nec exprimunt, nec declarant. Videamus. Statuit hæc Sancta Synodus, & declarat, „ Quod „ Pœnitens Spiritus Sancti impulſu adjutus, per „ eam attritionem viam ſibi ad juſtitiam parat, „ & per eam ad Dei gratiam facilius (in Sacra-„ mento Pœnitentiæ) obtinendam diſponitur “. In quo Decreto duo obſervanda ſunt. 1. Non conſtare Concilium loqui de Attritione ex ſolo gehennæ metu concepta, cum excluſione cujuſcumque actus caritatis imperfectæ; non enim quando dixit, attritionem ex gehennæ, & pœnarum metu conceptam, addidit particulas exceptivas *ſolum*, *dumtaxat*, *tantum*; immo, cum appoſitæ fuiſſent, delendas ſtatuit, ut narrat laudatus Pallavicinus. Non eſt igitur certum, Concilium eſſe locutum de attritione ex mente adverſariorum. 2. Admiſſo etiam, Concilium deſignaſſe attritionem ex ſolo metu conceptam, ſtatuit tamen ſolum *diſponere* ad gratiam in Sacramento obtinendam: quod quidem verum eſt, licet minime *ſufficiat*; ſicut prævii actus fidei, ſpei, & voluntatis pii affectus optime Pœnitentis animum diſponunt, quin tamen ſufficiant. 4. Narrat Pallavicinus l. l. de Attritionis ſufficientia in Sacramento Pœnitentiæ *vix* quidem in Concilio petractatum; unde ſolum ſcribit: „ Aliquod dumtaxat veſtigium reperio o-„ pinionis negantis neceſſitatem amoris in iis, „ quæ Granatenſis diſputavit; cum plurimi Pa-„ tres pro neceſſitate amoris ad ſufficientiam At-„ tritionis ſentirent “. Qui ergo fieri potuit, ut in Canonem referrent, quod nec diſcuſſum fuit, nec omnium, vel ſaltem plurimorum conſenſu fuit firmatum? 5. Denique poſt Concilium Tridentinum Theologi, qui eidem interfuere, & alii plurimi non ſolum neceſſitatem alicujus initialis amoris in attritione tutati ſunt, ſed & perfectam contritionem adhuc neceſſariam aſſerere, & propugnare non deſtiterunt; ut Federicus Hauſet Epiſcopus Viennenſis, Franciſcus Ricardotus Epiſcopus Atrebatenſis, Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus, & duo, ut ſupra diximus, ex Ordine noſtro Theologi, Petrus, & Dominicus Soto, aliique. At, quomodo id auſi fuiſſent, ſi Concilium vel definiiſſet, vel etiam ſolum declaraſſet, Attritionem mere ſervilem ex pœnarum metu conceptam ad Sacramentum ſufficere? Hoc profecto incredibile videtur: quod incredibilius adhuc apparebit, ſi animadvertimus, ipſam Adverſariorum ſententiam non ſtatim poſt Concilii celebrationem, ſed longe poſtea ſcholas pervaſiſſe.

Sed reponunt Adverſarii, 1. Concilium diſtinguere, immo opponere Attritionem extra Sacramentum Attritioni in ipſo Sacramento: de priore dicit non habere vim juſtificandi; de poſteriore vero affirmat cum Sacramento diſponere ad juſtificationem: aliquid ergo præſtat in Sacramento, quod non præſtabat ab illo ſejuncta: hoc profecto non poteſt eſſe, niſi diſpoſitio proxima ad juſtificationem; cum ſemper & ante ſine Sacramento remote Attritio diſponat. 2. Tridentini Patres in Prooemio ſeſſion. 14. pollicentur, ſe daturos firmam, & accuratam de Sacramento Pœnitentiæ doctrinam: at ſi non definiiſſent, vel ſaltem declaraſſent, Attritionem ex metu ſufficere ad Sacramentum Pœniteniiæ rite ſuſcipiendum, promiſſis minime ſtetiſſent. 3. Revera fideles ignorarent, quæ opus eſſent ad tam univerſaliter neceſſarium Sacramentum, vel ſuſcipiendum, vel miniſtrandum: quod profecto ſine injuria tanti Concilii dici non poteſt.

At reſpondemus ad 1. totam diſtinctionem evaneſcere, nullamque fieri in Synodo oppoſitionem inter Attritionem intra, & extra Sacramentum, ſi advertamus ly *diſponit* non eſſe cum ly *in Sacramento* conſtruendum; ſed referendum ad ly *Dei gratiam in Sacramento* impetrandam: unde ſenſus planus, obvius, clarius conſurgit, ſcilicet *Attritionem diſponere ad gratiam, quæ in Sacramento, ſive per Sacramentum obtineri poteſt*. Et hic ſenſus magis correſpondet ſcopo Concilii, condemnantis Lutherum erronee inutilitatem Attritionis exaggerantem, ſtatuendo, quod licet tanta non ſit Attritionis utilitas, ut extra Sacramentum gratiam producat; utilis tamen eſt, quia diſponit ad gratiam, quæ ceteris non deficientibus in Sacramento, ſive per Sacramentum infunditur. Verum admiſſa etiam Adverſariorum conſtructione, adhuc nihil conficiunt: libenter enim concedimus ampliorem aliquam habere efficacitatem Attritionem ſervilem in Sacramento, quam ante Sa-

cramentum; nimirum quia in Sacramento propius ſeu minus remote diſponit ad gratiam, quam ſine ipſo: in priori enim caſu, ut uſque ad gratiæ ſanctificantis conſecutionem perveniat, excreſcere debet, ſeu conjungi cum actu perfectæ dilectionis, & contritionis; at in poſteriori ſufficit, ſi ad amorem, & caritatem initialem, & minus perfectam aſcendat, vel cum illa conjungatur. Ad 2. ſolum exactiorem, & pleniorem declarationem pollicetur S. Synodus, eam nimirum, quam tradiderat in Decreto de juſtificatione; non omni modo & undequaque perfectam, ſed ſolum, quantum ſat erat ad demonſtrandos, & convellendos errores illius ætatis, unde catholica veritas, & fidei doctrina a falſis ejuſdem ætatis doctrinis, & erroribus perſpicua fieret, non vero ut catholicorum controverſias dirimeret. Ad 3. ſatis erat Concilio fideles docere de medio aliquo certo Dei gratiam comparandi, qualis eſt Contritio cum Dei amore conjuncta; quamvis non deſcenderit uſque ad declarandum, quid nimirum ad eum finem ſatis eſſe poſſet: quod declarare opportunum non judicavere Patres, quippe quia ad fidem non pertinebat; & alias fideles poſſunt per id, quod certum eſt, & manifeſtum, abunde ſuæ ſaluti conſulere. Qui plura hac de re cupit, adeat Concinam T. 9. lib. 2. Diſſert. 2. cap. 3. & ſeq.

Conſectarium Tertium.

III. Catechiſmus Tridentini Concilii neceſſitatem docet inchoatæ dilectionis ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. In hoc ſiquidem Catechiſmo ejus Auctores Dominicanæ Familiæ, dum de dolore pertractant in Sacramento Pœnitentiæ neceſſario, ſemper Contritionis vocabulum uſurpant, nec unquam Attritionis ex gehennæ metu conceptæ mentionem injiciunt: cujus rei illud in cauſa eſt, non quia illam inutilem, aut malam exiſtimaverint (nam, ut mox videbimus, timorem pœnarum inter diſpoſitiones ad juſtificationem enumerant) ſed quia ad remiſſionem peccatorum obtinendam inſufficientem eſſe cenſuerunt. 2. Parte 2. cap. 5. n. 8. explicant, quibus veluti gradibus ad Pœnitentiam ſe diſponat peccator, docentes 1. nos Dei miſericordia præveniri, Deumque corda noſtra ad ſe convertere. 2. Hoc lumine illuſtrati ad Deum omnino tendimus *per fidem*. 3. Motus *timoris* conſequitur, & *ſuppliciorum acerbitate propoſita* animus a peccatis revocatur. 4. Accedit ſpes impetrandæ a Deo miſericordiæ, qua erecti vitam, & mores emendare conſtituimus. 5. Denique „ *Caritate* corda noſtra accenduntur, ex qua *liberalis ille timor probis, & ingenuis filiis dignus* oritur, atque ita illud unum veriti, ne qua in re Dei majeſtatem lædamus, peccandi conſuetudinem omnino deſerimus". Et demum ſic concludit: *Hiſce igitur quaſi gradibus ad hanc præſtantiſſimam Pœnitentiæ virtutem pervenitur*. Porro de illa loquuntur pœnitentia, quam ad Sacramenti fructum percipiendum præire oportet, quam caritatem amplecti aperte docent. 3. Pluribus in locis duplicem diſtinguunt Contritionis gradum, *perfectum* nimirum, & *vehementiſſimum* n. 36. alium minorem atque remiſſiorem, verum tamen & efficacem n. 37. illum ſine reali Sacramenti ſuſceptione gratiam conferre, ſed rariſſime id contingere; hunc vero ſufficere ad juſtificationem, ſi cum Sacramento conjungatur. Denique n. 2. inter varias nominis Pœnitentiæ ſignificationes, tertiam eſſe ait, „ cum non ſolum admiſſi ſceleris cauſa animi ſenſu dolemus, vel ejus doloris externum etiam aliquod ſignum damus, verum *unius Dei cauſa* (adeoque ex caritatis motivo) in eo mœrore ſumus". Et hanc ſignificationem num. 4. tum ad virtutem pertinere, tum ad Sacramentum diſerte pronuntiant. Verum in re certa, & explorata non eſt diutius immorandum. Solum notandum, quod Tournelius de Pœnit. pag. 9. ſcribit, ſcilicet Catechiſmum Romanum tantæ non eſſe auctoritatis, ut in rebus, inter Theologos ſalva fide controverſis, neceſſe ſit ad Auctorum illorum ſententiam accedere. Id quidem verum fatemur; nec enim Catechiſmus fidei dogma definit. At ſi neceſſe non eſt ejus doctrinæ acquieſcere; convenientiſſimum tamen eſt illius auctoritatem venerari, cum Eccleſia, Summi Pontifices, totius pene orbis Epiſcopi illum Clericis, & Paſtoribus tradiderint, ut poſſent nocturna verſare manu, verſare diurna, & ſanam ediſcerent doctrinam, quam civibus ſuis proponerent, ſeu ſaluberrimam, utilem, & dignam, quæ fidelibus traderetur, & inculcaretur: quod certe de oppoſita Tournelii, & aliorum Theologorum Attritioni formidoloſæ faventium doctrina dici non poteſt.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui ſola formidoloſa Attritione contentus ad Pœnitentiæ accedit Sacramentum, nec prudenter ſe gerit, nec ſatis ſuæ æternæ conſulit ſaluti. Sequitur hæc propoſitio 1. ex iis omnibus, quæ præcedenti capite dedimus, argumentis, oſtendentibus tum ineptitudinem talis Attritionis ad immutandam mentem, & animum pœnitentis, tum ejus inſufficientiam ad conſtituendum animi dolorem, ex metu tantum, vel ex concupiſcentia conceptum, idoneam materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ. 2. Omnes Theologi, qui ante Tridentinum ſcripſere, Attritionem ex ſolo metu pœnarum abſque ulla caritatis dilectione ineptam putarunt ad juſtificationem obtinendam in Sacramento. Neque hic longum horum Auctorum catalogum intexam, quem quiſque legere poterit tum apud Henricum a S. Ignatio, Fervaqueſium, Carolum ab Aſſumptione, Vitaſſe To. 5. de Pœnitentia, & Danielem Concinam Diſſ. 2. de Pœnitent. cap. 3. §. 7. Unum adducam teſtem omni exceptione majorem, tum eruditionis, tum dignitatis gratia, ſcilicet Bened. XIV. qui de Synodo lib. 7. cap. 13. ſic teſtatur, poſt accuratum hujus controverſiæ inſtitutum examen. „ Quamvis ante Tridentinum COMMUNITER Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam ſatis eſſe *Contritionem imperfectam*, quam jam tunc *Attritionem* nuncupabant; *Attritionis* tamen nomine NUNQUAM dolorem intellexerunt de peccato aliunde excitatum, quam ex MOTIVO CARITATIS, ſeu omnino ſejunctum ab aliquo ſaltem remiſſo, tenui, debili, ſeu *initiali amore benevolo Dei* ". 3. Theologi qui poſt Concilium Tridentinum ſcripſere, & Attritionem mere ſervilem docere cœperunt

runt eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad juſtificationem in Sacramento obtinendam, ſolum id aſſeruere, quando Attritio putaretur a Pœnitente contritio; & qui eam attritionem etiam cognitam ſufficientem propugnavere, hanc ſuam doctrinam, tanquam dubiam, incertamque propoſuere, & ſolum probabilem confeſſi ſunt. Ita teſtatur l. cit. num. 7. laudatus Pontifex, qui, poſtquam narravit Melchiorem Canum primum fuiſſe, qui ſervilem Attritionem, etiam cognitam, ut talem, ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum obtinendam, ſtatim ſubdit: „ Melchioris Cani ſententia vix nata (ideſt circa „ dimidium ſeculi decimiſexti, ante ignota Con„ ciliis, Patribus, Theologis, Doctoribus) Scho„ las omnes pervaſit, & tanto plauſu excepta eſt, „ ut plurimos, ac magni nominis ſtatim invenerit „ Patronos ... Verum, qui inter iſtos *doctiores*, „ *& ſapientiores*, *pavidi* quodammodo, & *meti„ culoſi*, ac CUM MAGNA CAUTELA, illi „ RECENTI opinioni ſubſcripſere, quam ipſemet „ Canus nonniſi DUBITANTER adſtruxerat par. „ 5. Releꝏ. de Pœnitentia, inquiens: Contritio „ ponitur pars Sacramenti, quia eſt CERTA, & „ INDUBITATA materia. Quod autem *Attri„ tio* ſufficiat, quamvis verum ſit, NON EST „ adeo CERTUM, & INDUBITATUM, & id„ eo Concilium Florentinum, COMMUNISQUE „ SENTENTIA TENENS CERTUM, RE„ LINQUENS INCERTUM, ponit Contritio„ nem eſſe partem hujus Sacramenti". Proſequitur deinde Pontifex aliorum ſapientiorum Theologorum teſtimonia proferre, qui incertitudinem hujus doctrinæ, quam propugnabant, confeſſi ſunt. Et denique concludit, hanc incertitudinem nec modo ſublatam eſſe; cum adhuc *lis de ſufficientia Attritionis formidoloſæ ſit ſub judice*: dum modo extra omnem controverſiam eſt certum, & indubitatum, caritatem inchoatam eſſe ſufficientem, & idoneam materiam Sacramenti Pœnitentiæ, & proxime diſponere ad remiſſionem peccatorum in eo obtinendam. Si ergo juxta S. Auguſtinum lib. 1. de Baptiſmo cap. 3. certum eſt, & ratum axioma: *Graviter peccat, qui in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo quod certis incerta præponat*, nec prudenter ſe gerit, nec ſuæ ſaluti bene conſulit, qui ſola contentus formidoloſa Attritione ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit. Nam, ut egregie ſcribit Dominicus Soto diſtinct. 19. quæſt. 2. artic. 3. „ Quod attriti fiant contri„ ti per Sacramentum, ſolum eſt Scholaſticorum „ collectio, quæ quamquam VERA ſit, NON „ EST CERTE DIGNA, CUI BILANCES NO„ STRÆ PERPETUÆ SALUTIS, AUT DA„ MNATIONIS CONFIDAMUS ...". Poſſem his addere & auctoritatem Cleri Gallicani, & Facultatis Sorbonicæ, quorum Præſules, & Theologi ſervilis Attritionis inſufficientiam, & neceſſitatem alicujus caritatis in Sacramento Pœnitentiæ & agnovere, & prædicarunt. Poſſem etiam expendere, num doctrina adſtruens ſufficientiam Attritionis ſervilis, ſubſit damnationi propoſitionis 1. ab Innocent. XI. proſcriptæ: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis*; quamvis id aperte affirmaverit recens Auctor Gallus, qui Juveninus putatur in ſua Theoria, & Praxi de Sacramentis Tom. 7. cap. 4. §. 5. pluries Gallico idiomate impreſſa, recenter vero Latino donata, & Venetiis prælo data. Hæc, inquam, omitto, ut brevitati conſulam. Et certe, cui hæc pauca, ſed luculentiſſima, non ſufficiunt, nec plura proderunt. Sicut etiam nemo a me expectet, ut longa diſputatione objectiones, cavillationes, explicationes adverſariorum diluam, cum id abunde præſtiterint plurimi, & quidem diſertiſſimi, ac doctiſſimi Theologi, tum antiquiores, tum recentiores, Morinus de Pœnitentia, Henricus a S. Ignatio, Carolus Vitaſſe, Aurelius Piette, Petrus Lambertus, Le Drou, Concina, Petrus Ballarinus, Bartholomæus Franceſconi, Franciſcus Maria Campioni, aliique plures, quos adire poterunt, qui plura deſiderant.

Conſectarium Quintum.

V. Ad rite, & fructuoſe ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentiæ non ſufficit ille amor, quo Deus diligitur ex motivo quidem caritatis, ſed nondum ſuper omnia. Hoc novum amoris genus poſt Pallavicinum lib. 7. de Virtute, & Sacramento Pœnitentiæ, adſtruit Simonettus Tract. 15. de Pœnit. diſput. 5. art. 11. & quidem ambo compulſi ſimul ex luculenta agnita veritate, & ex præconcepta minus vera opinione. Pro certo enim habebant, quod verum eſt, ſcilicet ſine caritate non poſſe peccatorem ad Deum converti, nec hanc converſionem a ſola poſſe induci formidoloſa attritione: at ſimul certo cenſebant, quemlibet caritatis gradum, & minimum, ſi Deum diligat ſuper omnia, ſtatim hominem juſtificare, nec dari caritatem juſtificante minorem; quod minus verum eſſe ſuperius, & in Differt. de caritate oſtendimus; proinde ut ſimul neceſſitatem caritatis adſtruerent, & effectum Sacramenti non minuerent, hoc novum dilectionis genus excogitarunt. Sed profecto inepte: nam, ut docet S. Th. 2. 2. q. 24. art. 12. ratio caritatis conſiſtit in hoc, *quod Deus diligatur ſuper omnia*; & quod homo *totaliter ſe illi ſubjiciat, omnia ſua referendo in ipſum*: ſcilicet vel habitualiter, ſi ſit gratia ſanctificante donatus; vel actualiter per actum amoris remiſſum, non adhuc vincentem omnes habitualiter prædominantes amores; vel actualiter ſimul, & habitualiter, ſi tantus ſit caritatis ardor, ut valeat habitum caritatis inducere. 2. Hic amor Dei, licet propter ſe, ſi tamen non eſt ſuper omnia, veram pœnitentiam nequit conſtituere: nam juxta S. Thom. ad veram pœnitentiam requiritur *dolor de peccatis propter Deum ſumme dilectum*. Porro ſine vera pœnitentia valide, & fructuoſe non ſuſcipitur Sacramentum. 3. Per actum illum amoris homo eſſet ſimul averſus a Deo, & ad Deum converſus: converſus quidem, quia ipſum diligeret; averſus autem, quia non diligeret ſuper omnia; proinde non ſolum habitu, ſed etiam actu illi creaturam præferret: quod non contingit in diligente Deum ſuper omnia, licet remiſſe; quia actu appretiative, & affective illum omnibus præfert creaturis, quamvis non tanta intenſione, ut habitualem creaturarum amorem ex-

expellere poſſit: qui tamen habitualis amor, ut ſuperius diximus, jam effectus Pœnitenti involuntarius, expellitur Sacramento Pœnitentiæ. Recolantur, quæ diximus & ſupra cap. 2. & Differt. de caritate cap. 2. §. 3. 4. Denique ex hac doctrina illud idem conſequitur abſurdum, quod in Attritione formidoloſa perpendimus; ſcilicet fieri poſſe, ut quis Deum ſuper omnia diligat in æternum, & ultra in cælis, quem nunquam ſuper omnia dilexit in terris. Non me latet, laudatum Theologum iſtam abſurditatem non perhorreſcere, ſed admittere; quia, ut ipſe putat, actualis amor Dei in adultis non eſt de neceſſitate medii, ſed tantum de neceſſitate præcepti, a quo quis poterit probabili ignorantia, vel juris, vel facti aliquando excuſari. At nulli unquam puto vel Theologo, vel Chriſtiano ſuadebit, poſſe adultum aliquem abſque Dei amore ſuper omnia aliquando illa æterna potiri beatitudine, quam Apoſtolus teſtatur, *non niſi diligentibus Deum fuiſſe repromiſſam*.

Conſectarium Sextum.

VI. Dolor de peccatis & ipſam confeſſionem comitari debet, & meliori, quo poſſit, modo concipi ante abſolutionem. Non deſunt benigniores Theologi, qui putant ſatis eſſe, ſi Pœnitens actum doloris eliciat, vel ſtatim ante formam abſolutionis, vel etiam ſub ipſa forma. At hæ periculoſæ doctrinæ ſunt omnino vitandæ. Proinde hoc ſenſu dicimus dolorem debere ipſam Confeſſionem comitari: nam Confeſſio Sacramentalis non eſt quædam hiſtorica narratio admiſſorum facinorum; ſed eſſe debet doloroſa, & pudibunda accuſatio, quæ profecto haberi non poteſt ſine dolore. Quamobrem merito Cardinalis Denofius in ſua Paſtorali Inſtructione illos non vere pœnitentes habendos eſſe, nec abſolutione dignandos docet, *qui peccata narrant, velut res plane indifferentes, & magis ad memoriæ, quam ad conſcientiæ exonerationem*. Nec neceſſitas narrandi propria crimina, vel reſpondendi Miniſtri interrogationibus dolorem impedit, qui ſemper in corde reſidere debet, & ipſam Confeſſionem comitari delictorum, tanquam ſuæ afflictionis linimentum. Ante abſolutionem vero, omnibus jam expoſitis criminibus, eſt eliciendus doloris actus, & exhibenda Sacramenti materia, quæ in ipſis actibus ſita eſt. Sufficit tamen dolor, qui ipſam Confeſſionem præceſſit; cum habeatur moraliter præſens, & perſeveret in ipſa doloroſa Confeſſione. Abſit tamen, ut credamus probabiles illorum opiniones, qui cenſent etiam per plures dies poſſe dolorem præcedere ipſam confeſſionem, & abſolutionem: immo dicimus dolorem fortaſſis veſpere conceptum pro matutina Confeſſione eſſe in ipſa Confeſſione renovandum; eo vel maxime, quod non occultus dolor latens in animo eſt materia hujus Sacramenti, ſed ut manifeſtatus exterioribus ſignis, & ipſi Miniſtro oblatus, ut materia abſolutionis. Debet igitur præſens eſſe, ut ſit Miniſtro notus. Similiter, ſi repetendum ſit Sacramentum, & iterum danda abſolutio vel pro peccatis oblivione omiſſis, vel pro certis ſub dubio manifeſtatis, repetendus eſt etiam dolor; ut ſicut nova profertur forma Sacramenti, ita nova ſuppeditetur materia, tum in confeſſione, tum in deteſtatione peccati.

Conſectarium Septimum.

VII. In confeſſione etiam venialium peccatorum neceſſarius eſt dolor ſaltem virtualis, non quidem univerſalis omnium, ſed aliquorum; qui ſi deſit, nullum erit Sacramentum; at non ſemper ſacrilegium. Et quidem ſine dolore ſaltem virtuali non remitti peccata venialia ſuperius oſtendimus, & modo confirmamus ex D. Th. hic q. 87. art. 2. ad 2. ſcribente: *Peccatum veniale nunquam remittitur ſine aliquo actu pœnitentiæ virtutis*, explicito ſcilicet, vel implicito, ut ſupra dictum eſt, (nimirum art. præced.) ubi docuerat *non ſufficere ad remiſſionem venialium habitualem diſplicentiam, quæ præbetur per habitum caritatis, vel pœnitentiæ virtutis ... ſed requiri virtualem quandam diſplicentiam: puta cum aliquis hoc modo fertur in Deum, & res divinas, ut quidquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitaret*. Qui virtualis dolor ſi omnino deſit, profecto nullum redditur Sacramentum, cum deſit materia omnino neceſſaria, actus ſcilicet pœnitentis peccata, quæ manifeſtavit, deteſtantis. Num autem hæc carentia doloris nedum nullum reddat Sacramentum, ſed & ſacrilegium inducat, diſſentiunt Theologi. Negat Natalis Alexander cap. 5. art. 7. Reg. 20. qui cenſet non prodeſſe quidem Sacramentum ei, qui ſola venialia confitetur abſque illorum deteſtatione; ſed lethalem noxam animæ propterea non afferre. Poſſunt enim pharmaca ſic ſumi, ut nec proſint, nec obſint, vel certe non lethaliter obſint. At aliter ſentit Concina, qui putat profanari Sacramentum, dum ſine debita materia uſurpatur. Merito autem puto ego cum Genetto diſtinguendum, nimirum, ſi ille, qui ſola venialia Sacerdotali ſubjacet judicio, & abſolutionem poſtulat, aliquam adhibuit diligentiam, ut verum conciperet illorum peccatorum dolorem, & conatus eſt illis renuntiare, & reſiſtere perverſæ naturæ propenſioni; & tamen etiam ob aliquam ſuam levem negligentiam de illis peccatis dolorem neceſſarium, quem putat habere ad obtinendam abſolutionem, non habuit; non ideo ſacrilegium committit, excuſante ſcilicet bona fide, & aliqua adhibita diligentia. E contra vero, ſi nullum concepit, nec concipere dolorem ſategit, ſed ex conſuetudine peccata venialia confeſſus eſt, cum voluntarie nullum reddat Sacramentum, non audeo a gravi culpa excuſare; nam irreverentia, quæ uſque ad nullum, & irritum reddendum Sacramentum progreditur, graviſſima reputatur etiam a benignioribus Theologis, Lugo, & Lacroixio. Immo ita ſentire videtur Sanctus Bonaventura a præfato Genetto laudatus: ſcribit ſiquidem Seraphicus Doctor in IV. ſent. diſt. 3. quæſt. 4. art. 2. ad 4. „ Ad illud, quod objicitur de abſolutione, dicendum, quod nemo recipit effectum, „ niſi caritatem habeat ſaltem in principio confeſſionis, vel in medio, vel in fine. Multi autem habent in fine, qui tamen non habent in „ principio; & alii ſe credunt habere in principio, „ & in fine, qui forte non habent; aliqui non habent, nec credunt ſe habere. Primi non incurrunt offenſam, ſed acquirunt gratiam. Secundi „ evadunt offenſam, quamvis non acquirant gratiam.

„ tiam. Tertii non acquirunt gratiam, ſed iram ". Hinc pro praxi duo notanda. 1. Pro rudibus, & iis, qui nonniſi leviora peccata confitentur, & inepti ſunt ad verum dolorem de illis concipiendum, curandum eſt, ut aliquod peccatum lethale alias commiſſum aperiant, & de illo ſpecialiter, & cumulative de omnibus, & venialibus, & lethalibus doleant, & ſic danda abſolutio. 2. Pro piis vero, & juſtis animabus, quæ perfectioni ſtudentes venialia etiam graviora vitant, non ſemper fortaſſis expediet ad abſolutionem illis impertiendam ipſis conſulere, ut aliquod grave peccatum in præterita vita commiſſum accuſent in confeſſione, ne per hoc a cura, ſtudio, & ſollicitudine diſtrahantur deteſtandi, & vitandi etiam quotidiana peccata: ſed monendæ erunt de periculo deficiendi a via juſtitiæ, ſi leviora peccata negligant, ſi de illis non doleant, ſi illa minuere ſaltem non ſatagant; & tunc facile erit etiam verum dolorem in ipſis excitare, & utiliter abſolutionem percipient. Quod ſi aut Sacramenti Miniſter de vero dolore timeat, vel ipſe Pœnitens ad majorem quietem & aliquod ex præteritis peccatis addere velit, ei conſulendum, & concedendum eſt: nam hæc nova remiſſi peccati confeſſio, præter majorem Sacramenti ſecuritatem, ſuo non carebit fructu; quandoquidem docet S. Th. in IV. diſt. 17. q. 3. quod *Confeſſio diminuit pœnam in ipſa natura actus confitentis, qui habet pœnam erubeſcentiæ annexam: & ideo quanto aliquis pluries de iiſdem peccatis confitetur, tanto magis pœna minuitur.*

Conſectarium Octavum.

VIII. Qui deficiente copia confeſſarii non poteſt intra annum confiteri, tenetur actu perfectæ contritionis, ſi ſit in lethali peccato ſaluti ſuæ conſulere. Benigniores Probabiliſtæ huic doctrinæ non acquieſcunt: putant enim præceptum contritionis eſſe ſpecie omnino diſtinctum a præcepto confeſſionis annuæ, ex Eccleſiæ præcepto faciendæ; cum illud ſit actus mere internus, qui ſub Eccleſiæ præcepto cadere non poteſt. Confeſſio autem actu perficiatur externo, qui Eccleſiæ legibus ſubjacet: quamobrem qui confiteri non poteſt, non tenetur per aliquid aliud ſupplere. Verum hæc doctrina, meo videri, nedum falſa eſt, & laxa; ſed & piarum aurium offenſiva, apta nata ad Peccatores in ſua iniquitate obfirmandos. Nam præceptum Eccleſiæ de annua habenda confeſſione non eſt niſi determinatio divini præcepti de non differenda converſione. Tenetur igitur peccator ex præcepto, tum divino, tum Eccleſiaſtico, ſaltem ſemel in anno a peccato recedere, & ad Deum converti, & quidem per medium a Chriſto inſtitutum, ſcilicet Sacramentalem confeſſionem. Quod ſi præſtare non poſſit deficiente confeſſario, præſtet eo meliori, quo poteſt, modo, ſcilicet per veram contritionem; qui enim non poteſt, quantum debet ſolvere, tenetur, quantum poteſt; &, qui totum reddere non valet, quantum poteſt, reddat. Præterea contritionis præceptum etiam juxta benigniores Theologos tunc urget, quando juſtificari tenemur, nec alia præſto eſt via ad juſtificationem. Sed Peccator ex præcepto Eccleſiæ tenetur ad juſtificationem (non enim alia de cauſa præcipitur annua confeſſio) nec poteſt eam conſequi ex defectu confeſſarii, niſi per contritionem. Ergo ad illam tenetur. Ulterius ſequitur nec ſemel in anno urgere præcepta Fidei, Spei, & Caritatis. Si enim peccator, qui toto anno in peccato ſorduit, nec confiteri poteſt, non tenetur ad contritionem; jam ſequitur nec in anno urgere præceptum Caritatis. Abſurditatem hujus doctrinæ perſenſit ipſe Sporerius, qui, poſtquam eam propugnavit argumentis ex ſuo Gobat deſumptis, tandem ſic §. 4. n. 186. concludit: *Ego cum Tanero condemnarem peccati novi impœnitentiæ, qui ultra hebdomadam voluntarie, & negligenter differret contritionem.* Quanto magis igitur condemnare debet novæ impœnitentiæ peccatorem illum, qui per annum in peccato ſordeſcens ad contritionem non confugit, quia confeſſionem peragere non poteſt? Sed diu in iſtis refutandis laxitatibus non eſt morandum.

CAPUT SEPTIMUM.

De Emendationis propoſito ad veram Contritionem neceſſario.

DOCTRINA.

I. *Dolor de peccatis eſſe debet cum propoſito conjunctus.*
II. *Propoſitum non peccandi debet eſſe univerſale.*
III. *Firmum, & conſtans.*
IV. *Efficax.*
V. *Et ipſa peccandi pericula vitare debet.*
VI. *Et occaſiones.*
VII. *Implere, quæ tunc urgent præcepta.*

I. DOlor de patratis peccatis, ſi verus ſit, non fictus, non fucatus, illa reſpicere debet ut præterita, & infeliciter commiſſa, & ut futura, in quæ, niſi ſibi caveat, facile relabi poteſt. Peccata itaque præterita, & commiſſa amaro animo recogitare debet, & tota virtute ſuper omnia mala deteſtari, & odiſſe; futura vero, in quæ relabi poteſt, ut maxime fugienda, & totis viribus vitanda, reſpicere. Quamobrem ſicut eo majorem dolorem concipere debet, quo graviora, & magis multiplicata fuere patrata crimina; ita validiorem induere debet animum illa vitandi, & eo firmiorem, quo vel ex prava inclinatione, aut ex ſuperinducta conſuetudine ſentit ſe facile lapſurum. Porro hic animus, ſeu hæc voluntas cavendi, ne iterum in peccata labatur, propoſitum dicitur, quod definiri poteſt, *Deliberatio voluntatis firma, & efficax omnia vitandi peccata*. Ex qua definitione patet, quænam ſint veri, ſincerique propoſiti conditiones; tres nimirum 1. quod ſit univerſale. 2. Firmum & conſtans. 3. Efficax.

II. Univerſale quidem, quia non ſolum a peccatis commiſſis abſtinendum eſſe in animo ſibi figere debet pœnitens, ſed ab omnibus etiam aliis, in quæ labi poſſet. Ita docet S. Thom. hic q. 87. artic. 1. ad 1. *Pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abſtinere ab omnibus, & ſingulis mortalibus.* Et SS. PP. paſſim Pœnitentiam dicunt in eo ſitam, ut vere Pœnitens *& mala præterita plangat, & plangenda iterum non committat.* Porro hoc univerſali carent propoſito, qui,

qui, cum ſingulis menſibus, vel B. Virginis Feſtivitatibus ad Confeſſionem, & Euchariſtiam accedant, ſemper tamen lethalia ad Confeſſarium deferunt peccata, & quidem vel ejuſdem ſpeciei, vel plane diverſæ, juxta peccandi ſibi oblatas occaſiones. Nam revera nihil magis hujuſce univerſalis propoſiti carentiam oſtendit, quam hæc continua, & per plures annos uſitata viciſſitudo Confeſſionum & criminum, Sacramentorum & relapſuum: quod multo magis verum eſt de illis, qui eadem, quæ toties planxere, peccata ſemper repetunt, & nullam, aut modicam afferunt emendationem; de quibus fuſius dicemus, cum de abſolutione vel danda, vel differenda ſermo occurret. Hic ſolum animadvertendum, falſam eſſe doctrinam plurium Probabiliſtarum, docentium hoc univerſale propoſitum cavendi omnia peccata ſolum *probabilius* requiri, quaſi *probabile* ſit ſufficere particulare propoſitum de admiſſis peccatis non iterandis, præſertim ſi motivum proponendi ſit univerſale; ipſa enim univerſalis motivi ratio indifferens eſt, ut ad omnia, vel ſolum ad aliqua dilatetur, niſi a voluntate vere refugiente peccatum ad omnia extendatur.

III. Oportet etiam, ut ſit firmum & conſtans. Hanc propoſitam conditionem non admodum curant Probabiliſtæ, qui ſufficiens propoſitum in eo agnoſcunt, qui non ſolum veretur, & dubitat, ſed etiam *certo* ſcit ſe iterum lapſurum, edoctus experientia ſuæ inconſtantiæ, & fragilitatis: immo rigidæ doctrinæ accuſant Genettum, alioſque ſanioris doctrinæ Magiſtros, qui hanc conſtantiam in propoſito Pœnitentis requirunt, & quidem Confeſſario compertam. At minime audiendi ſunt; ſed doctrinis Scripturarum, SS. Patrum, ac optimorum Theologorum inſiſtendum. Docent itaque Scripturæ Pœnitentiam *ſtabilem ſalutem* operari. Ait enim Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 7. *Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Hanc eandem firmitatem in bono poſtulabat a Corinthiis ab idololatria, & cœno vitiorum converſis, ſic enim eos hortabatur 1. epiſt. cap. 15. *Itaque fratres mei dilecti ſtabiles eſtote, & immobiles*. Quod & Coloſſenſibus inculcat, ſcribens cap. 1. *Et vos cum eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis; nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo: ſi tamen permanetis in fide* (quæ profecto cum Pœnitentia conjuncta erat) *fundati, & ſtabiles, & immobiles*. Nec aliter docent Patres, qui Pœnitentiam irridet illorum, qui, poſtquam ſe de peccatis dolere teſtati, & polliciti ſunt illa non amplius committere, tamen facile relabuntur. *Quid prodeſt*, inquit S. Auguſtinus hom. 49. cap. 6. *o Pœnitentes, quia humiliamini, ſi non mutamini?* S. Iſidorus relatus in Can. de Pœnit. diſt. 3. *Irriſor eſt, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet; nec videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus*. Et revera quis credat, illum ſufficiens concipere propoſitum non peccandi, qui poſt confeſſiones etiam multiplicatas ſemper in peccata relabitur? Hic profecto ex illis eſt, quos minime tutos de ſua converſione, & pœnitentia pronuntiat Auguſtinus ſer. in Pſal. 37. *Ne ſecurus ſis, cum confeſſus fueris peccatum, tanquam ſemper præparatus ad confitendum, & committendum*. Quam juſte vero hæc propoſitis firmitas innoteſcere debeat Confeſſario, ex eo manifeſte apparet, quia cum judex ſit, prudenter reum abſolvere non poterit, quem merito ſuſpicatur iterum in peccata lapſurum; multoque magis, ſi ejus inconſtantia expertus ſit. Quis enim prudens, & cordatus negotiator vilem etiam mercem ei vendet, vel tenuiſſimam pecuniæ ſummam mutuo dabit illi, de quo merito dubitat, immo quem expertus eſt vel emptæ rei pretium promiſſum non ſoluturum, vel non redditurum mutuatam pecuniam? Quamobrem optime docet S. Carolus Borromæus in ſua Inſtruct. Confeſſarii: „ Abſolutionem differant, donec *evi-* „ *dens* appareat emendatio in iis, qui, tametſi di- „ cant, & polliceantur, quod ſe eximunt a pecca- „ to; tamen Confeſſario *probabilem* facerent *me-* „ *tum*, ne contrarium contingat." Sed de hoc iterum, accuratius, cum de abſolutione differenda dicemus.

IV. Tertia veri propoſiti conditio eſt, ut ſit efficax, nimirum tale, ut animum, & voluntatem inducat vitandi omnia proxima pericula, nec non omnes peccandi occaſiones; & de facto, quando occurrunt, peccatum fugiat, ut jubet Dominus Eccleſiaſtici c. 17. *Convertere ad Dominum, minue offendicula;* adhibeat etiam remedia opportuna ad ea præcavenda, quæ vel conditio pœnitentis poſtulat, vel ſuggerit ſtudioſus Confeſſarius. Hac profecto efficacitate carent propoſita Pœnitentium, qui facile vix peracta Pœnitentia relabuntur: nam indicant non fuiſſe animum, & voluntatem veram abſtinendi a peccato. Ut enim docet S. Thom. 1. 2. q. 20. art. 4. *Non eſt perfecta voluntas, niſi ſit talis, quæ data opportunitate operatur*. Hoc didicerat a Magiſtro ſuo S. Auguſtino in lib. 8. Confeſſ. dicente: *Imperat voluntas ſibi, & non fit, quod imperat. Ergo non ex toto corde imperat*. Proponit in Confeſſione voluntas vitare peccata, reſiſtere tentationibus, tollere offendicula: non fit, quod proponitur: inefficax igitur, vanum, futile propoſitum. Nam, ut inquit D. Th. in Pſ. 48. *Propoſitum optime manifeſtatur per operationem*.

V. Pericula autem peccandi, quæ vitare debent vere pœnitentes, ſunt in duplici claſſe, alia quæ remota dicuntur; alia quæ proxima. Priora ſunt, quæ in vita frequenter occurrunt, & inceſſanter etiam piis, juſtiſque viris obvia ſunt; ac proinde vitari non poſſunt, niſi a mundo, & conſortio hominum recedendo, deſerta & antra quærendo, ut olim plurimi fecere ſanctiſſimi Anachoretæ, qui Syriæ, Ægypti, Thebaidis ſolitudines replevere: at ad hæc vitanda nemo ex præcepto tenetur. Pericula autem proxima illa ſunt, quæ proxime impellunt etiam fortem virum ad peccatum; & hæc rurſum alia ſunt per ſe talia, ſcilicet apta nata, & idonea ut inducant ad peccatum; alia per accidens, & reſpective, ſcilicet ratione ſubjecti labilis, fragilis, & ad peccandum proni. In priorum claſſe enumeranda ſunt theatra, ſaltationes, promiſcuæ Amaſiorum, & Amaſiarum converſationes, oſcula inter perſonas diſparis ſexus, multoque magis partium corporis ad libidinem accedentium aſpectus, attrectationes, turpia colloquia, obſcœnorum librorum lectio, alearum ludus, niſi forte ſit rariſſimus, & exigua pecunia ludo exponatur, & alia hujuſmodi. Porro vere Pœnitens

iſta vitare pericula proponere debet; quippe quia illorum fuga, & vitatio eſt in præcepto. Nec expectandus luctuoſa experientia lapſus, ut dignoſcat, num periculum ſit proximum: ſed quilibet de ſua fragilitate timere debet, nec ſine gravi urgentique neceſſitate illis ſe exponere; alioquin temeritatis, & quidem lethalis, reus erit. Unde enim confidere poteſt, ſe in tali periculo poſitum non lapſurum? Num fiduciam in propriis viribus, & libero arbitrio ponet? Profecto hæc fiducia Pelagiana foret: nam nos quidem viribus noſtris ſolum innixi labi quidem poſſumus, reſiſtere autem ſine Dei auxilio omnino non poſſumus. Num in Dei auxilio confidet? At quis neſcit, Deum non ſemel in Scripturis eſſe obteſtatum, ſe voluntarie periculo peccandi exponentem fore derelicturum, & ſuæ relicturum infirmitati? *Qui amat periculum, peribit in illo. Quis miſerebitur incantatori a Serpente percuſſo, & omnibus qui appropriant beſtiis? Sic qui comitatur cum viro iniquo*. Eccleſ. 12. 13. Immo prima, quam Deus vere pœnitentibus impertitur, gratia, eſt fuga periculorum, & occaſionum peccandi: *Ponet pedes meos tanquam Cervorum*. Pericula autem non ex ſe, & abſolute talia, ſed ſolum reſpective, ea ſunt, quæ ex imbecillitate ſubjecti oriuntur; ut aſpectus fœminarum, allocutio cum illis, acceſſus ad tabernas, cum quibuſdam amicis familiaritas, & ſimilia: quæ licet ex ſe non omnino ad malum inducant; defectu tamen ſubjecti illud ad peccatum pertrahunt: & iſtorum quoque fugam, & devitationem proponere debet Pœnitens, & revera, ac facto vitare. Quod ſi non præſtet, apparebit manifeſte ejus propoſitum efficax non fuiſſe.

VI. Quod de periculis dictum eſt, & de occaſionibus quoque peccandi dicendum eſt. Verum, cum de his fuſe, & abunde dixerimus, illarum naturam, indolem, diſtinctionem explicando in Tract. 3. de Officiis hominum in Appendice cap. 9. quinque Paragraphis, illuc Lectorem remittimus, qui ea etiam relegat, quæ habentur Tract. 5. Decalogi Diſſ. unica cap. 5. a n. 7. uſque 12. Quod ſi aliquid ſit addendum, adjiciemus ubi de differenda, vel danda abſolutione tractabimus.

VII. Ad efficacitatem propoſiti etiam requiritur, ut Pœnitens animum, & voluntatem concipiat, & facto impleat illa præcepta, quæ lege divina tunc urgent implenda; nimirum rem alienam reſtituat, vel allata damna reparet, ſi poteſt, vel ſaltem eo modo, quo poteſt; ob læſam famam, vel honorem ſatisfaciat, odium, & inimicitias deponat, pacem offenſori tribuat, injuſtam litem motam componat, vel ab ea omnino ceſſet: uno verbo ea impleat præcepta, quæ moram non patiuntur. Hujus doctrinæ veritas manifeſta omnino eſt: nam qui vere pœnitet, a peccato ceſſare debet: non ceſſat autem, qui rem ablatam non reſtituit, vel illatum damnum non reſarcit, cum poſſit, vel eo modo, quo poteſt; & alia non præſtat, quæ diximus, cum vere in ſe peccata ſint. Quod ſi illa ſtatim præſtare non poſſit, aliquo occurrente vel phyſico, vel naturali impedimento, proponere tunc firmiter debet, hoc ceſſante, ea impleturum. Quod ſi conſtet, alias id quidem fuiſſe pollicitum, ſed non impleviſſe, eſt illi differenda abſolutio, donec datam fidem liberet, ut ſuo loco dicemus.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Propoſitum in Confeſſione eſſe debet formale, & explicitum*.
II. *Quando relapſus in peccata indicat deficientiam propoſiti*.
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. PRopoſitum in Confeſſione eſſe debet formale, & explicitum. Huic doctrinæ adverſantur plures Theologi, qui cenſent ſufficere implicitum in ipſa contritione. Sed adverſus ipſos noſtra tenenda doctrina, quæ traditur a S. Thom. pluribus in locis, nimirum hic quæſt. 86. art. 2. ubi ſcribit: „ Requiritur ad remiſſionem divinæ offenſæ, „ quod voluntas hominis ſic immutetur, ut con„ vertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis „ prædictæ, & *propoſito emendæ* “. Et quæſt. ſequent. artic. 1. ad 1. „ Pœnitentia de peccatis „ mortalibus requirit, quod homo *proponat* abſti„ nere ab omnibus, & ſingulis peccatis mortali„ bus “. S. Doctori conſentiunt nobiliores Theologi, inter quos eſt Bellarminus, qui doctrinam noſtram probare volens, relata Adverſariorum opinione, ſcribit de Pœnit. lib. 2. cap. 6. *Sed nobis communis, ac trita a veteribus viris viſa eſt tutior, & accommodatior. Probatur ergo, ad Contritionem requiri explicitum, & formale propoſitum* &c. Et revera Concilium Tridentinum Pœnitentiam eſſe definivit dolorem, ac deteſtationem peccati commiſſi, addens, *cum propoſito non peccandi de cætero*. Quod & iterum inculcat ſubdens: „ Declarat igitur S. Synodus, hanc contritionem „ non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ „ *propoſitum*, ac inchoationem, ſed veteris etiam „ odium continere “. Duo ergo, & quidem plane diſtincta, poſtulat S. Synodus ad veram converſionem, dolorem ſcilicet, & propoſitum. Nec obſtat, ut objiciunt benigniores Thologi, Concilium tres tantum ſtatuiſſe Sacramenti Pœnitentiæ partes, Contritionem ſcilicet, Confeſſionem, & Satisfactionem: quamobrem, ſi & explicitum requireretur propoſitum, jam non tres, ſed quatuor forent partes. Quandoquidem Contritio ex duabus veluti partibus conſtat, ſcilicet & dolore de admiſſis peccatis, & propoſito de futuris vitandis. At quid, inquiunt, ſi quis vehementiſſimo tactus admiſſorum ſcelerum dolore in iis deteſtandis toto animo incumbat, nec ad futurum animum intendat; erit ne per hoc invalida confeſſio? Non proculdubio, cum Pœnitentes, quorum dolorem tanquam eximium exhibent Scriptutæ, explicitum propoſitum non emiſerint. Sic David ſolum dixit, *peccavi*: Filius prodigus, *Pater peccavi in cælum, & coram te*: Publicanus, *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Sed reponimus, Pœnitentem vehementi dolore commiſſa deteſtantem peccata, profecto, etſi fortaſſis reflexe non advertat, propoſitum tamen concipere illa non amplius admittendi: quod ſi nullum explicitum concipiat defectu reflexionis, fortaſſis inculpabili inadvertentia excuſabitur. At hic non agimus de eo, quod ra-

rum

rum eſt ; ſed de ordinario modo ſe convertendi ad Deum per contritionem, quam dicimus eſſe oportere conjunctam cum explicito propoſito. Pœnitentes autem, quorum exempla adducta ſunt, licet verbis non expreſſerint propoſitum a dolore diſtinctum, intus tamen, & in corde elicuiſſe pro certo habendum eſt ; nec opus erat, ut exterius exprimerent, quippe qui remiſſionem, & veniam ab eo erant impetraturi, qui eorum corda, & ſenſus optime intuebatur. Modo vero, cum dolor ſit pars Sacramenti Pœnitentiæ, quod a Sacerdote miniſtratur, qui corda non intuetur, ſicut dolor illi innoteſcere debet, ita & propoſitum: quæ proinde non ſufficiunt, ſi ſint corde concepta, niſi & exterius per ſenſibilia ſigna innoteſcant, & materiam ſuppeditent ſenſibilem ad Sacramentum conficiendum. Optime igitur Lacroixius, & Buſembaum ſuam, & ſociorum doctrinam, licet probabilem appellaverint, in praxi tamen deſerendam monent: quia, inquit ille, *cum ſententia noſtra non ſit certa, Sacramentum exponeretur periculo nullitatis.*

Conſectarium Secundum.

II. Tametſi relapſus in peccatum efficax defuiſſe propoſitum non certo inferat; ſi tamen relapſus cito confeſſionem conſequatur, & pluries ſit repetitus, magnam inducit dubitationem de ejus deficientia, & de validitate confeſſionis. Et quidem relapſum in peccatum non certo inferre carentiam doloris, & propoſiti manifeſtum eſt ; cum Sacramentum hominem non reddat impeccabilem, vel ita in gratia confirmatum, ut non amplius relabatur. Quamobrem docet S. Th. hic q. 84. art. 10. ad 4. *Quod aliquis peccet poſtea, vel actu, vel propoſito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem: ſicut enim vere cucurrit, qui poſtea ſedet; ita vere pœnituit, qui poſtea peccat.* Quam doctrinam S. Th. ex D. Auguſtino hauſerat de Pœnit. lib. 1. ſcribente: *Multos cæcos & in diverſo tempore Dominus illuminavit, & multos debiles confirmavit; oſtendens in diverſis illis eadem ſemper peccata dimitti, ut quem prius ſanavit leproſum, poſtea illuminavit cæcum. Ideo enim tot ſalvavit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cœcos, & aridos, ne deſperet de ſe peccator. Ideo non ſcribitur aliquem niſi ſemel ſanaſſe, ut quilibet timeat jungi peccato. Medicum ſe vocat, & non ſanis, ſed malè habentibus opportunum. Sed qualis hic Medicus, qui malum iteratum neſcit curare? Medicorum enim eſt centies infirmum centies curare, qui ceteris minor eſſet, ſi aliis poſſibilia ignoraret.*

Fatendum tamen verum eſſe, quod diximus, facilem relapſum, & pluries in idem, vel diverſa peccata, validiſſimam inducere ſuſpicionem de deficientia veri doloris, & firmi efficaciſque propoſiti. Qui enim fieri, vel concipi poteſt, illum, qui paulo ante ſua eſt deteſtatus perjuria, blaſphemias, ebrietates, impudicitias, qui ſerio deflevit, qui efficaciter animo conſtituit illa abominari, deteſtari, non amplius repetere, confeſtim, vel paulo poſt eadem flagitia repetere, iterum in eodem libidinis cœno volutari? Quis credat, mulierem, quæ occiſum deflevit maritum, quæ occiſori millies maledixit, & multa imprecata eſt mala, id ſerio, & ex animo peregiſſe, ſi audeat, poſt menſem, ipſum occiſorem ſibi ſponſum accipere? Ita profecto non ſerio deflevit peccatum, non eſt ex animo deteſtatus, efficaciter illud declinare ſibi in animo non conſtituit, qui paucis elapſis a Pœnitentia diebus iterum, quod deteſtatus eſt, flagitium amplectitur; quod fugere conſtituit, non ſolum obvium excipit, ſed etiam quærit, & ſponte accerſit. Licet enim infirmi ſimus, fragiles, nutantes, debiles; gratia tamen Dei, ſi vere cor noſtrum penetravit, nos roborat, confirmat, ac opportuna ſuppeditat auxilia, quibus roborati tentationibus valeamus obſiſtere, concupiſcentiam frænare, crimina effugere, & vitare peccata. Quod ſi plane oppoſitum contingit, nec firmiores in bono efficimur, nec fortiores adverſus oppugnante paſſiones, & concupiſcentias; profecto conſurgit argumentum ſuſpicandi, nec veram nos peregiſſe Pœnitentiam, nec eſſe Sacramentalem gratiam conſecutos. Quomodo igitur recidivis conſulere, & mederi debeat ſtudioſus Pœnitentiæ Miniſter, ſuo loco dicemus, ubi de differenda abſolutione ſermo redibit.

REFLEXIO.

I. Chriſtianæ juſtificationis per Sacramentum Pœnitentiæ veram ſibi ideam minime efformant plerique Chriſtiani, qui peccata, & Confeſſiones perpetua viciſſitudine alternant; ſicut nec molliores illi Theologi, qui nec univerſalitatem in peccatorum deteſtatione, & dolore neceſſariam agnoſcunt, nec conſtantiam, & firmitatem in propoſito inculcant. Immo, quod peſſimum eſt, monent, ne Peccatori alicui vitio, vel ſceleri addicto, & cui tenaciſſime inhæret, inculcetur ſpecialis illius deteſtatio, & ſpeciale propoſitum de illo vitando, ne periculum incurrat illud ſerio non deteſtandi, nec firmiter ejus fugam proponendi; & ſic invalidum ſit Sacramentum: ſed ſatis eſſe contendunt, ſi generatim, & confuſe illud deteſtetur, & vitare proponat. Contra quod docet, monet, inculcat S. Cyprianus in Tract. de Lapſis: *Imperitus eſt Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum, dum ſervat, exaggerat . . . Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum.* Heu, quam enormiter a doctrina Scripturarum iſti recedunt, quæ veram converſionem Pœnitentium deſignantes, eam fieri debere clamant *toto corde, & tota tribulatione animæ, in jejunio, in fletu, in planctu, corda ſcindendo, non veſtimenta*, quæ eam aſſimilant Chriſti Reſurrectioni, qui reſurgens novam induit vitam, immortalem, incorruptibilem. Audiantur bini Apoſtoli, Petrus, & Paulus. Ille quidem epiſt. 1. cap. 4. ſcribit: *Chriſto igitur carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini; quia qui paſſus eſt in carne, deſiit a peccatis; ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne vivat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam his qui ambulaverunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ*

con-

confuſionem, *blaſphemantes*, Clarius Doctor Gentium ad Rom. 6. v. 9. ſcribit : *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur*, *mors illi ultra non dominabitur*. *Quod enim mortuus eſt peccato*, *mortuus eſt ſemel*; *quod autem vivit*, *vivit Deo*. *Ita & vos exiſtimate*, *vos mortuos quidem eſſe peccato*, *viventes autem Deo*, *in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore*, *ut obediatis concupiſcentiis ejus*. *Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato*: *ſed exhibete vos Deo*, *tanquam ex mortuis viventes*, *& membra veſtra arma juſtitiæ Deo*. *Peccatum enim vobis non dominabitur*: *non enim ſub lege eſtis*, *ſed ſub gratia*. Hujuſmodi ne ſunt habendæ converſiones illæ, tam communes, tam frequentes, per quas Pœnitens in novam non reſurgit vitam, ſed cito ad mortem novis criminibus revolvitur?

II. Errant quoque multum a via veritatis ſacri illi Miniſtri, peccatoris converſionem in inſtanti fieri arbitrantes, magnos peccatores ad ſe accedentes, per multos annos in cœno peccatorum volutatos, dummodo terrore perculſi ex timore gehennæ, verbis, nutibus, tunſione pectoris, lacrymis etiam additis teſtentur ſe velle a peccato recedere, ad Deum converti, ſtatim abſolutione dignantur, ſanos, incolumes, vegetoſque pronuntiant, & ad ſacram Menſam admittunt, immo & compellunt. Licet enim poſſit Deus de repente ex cœno vitiorum volutatos diutiſſime, ſtatim ad magnum ſanctitatis culmen evehere, ut in Magdalena præſtitit, & in Paulo; hæc tamen gratiæ portenta ſunt, & miracula, quæ regulam conſtituere non poſſunt pro conſueta, & ordinaria peccatorum converſione. Hanc ſiquidem pedetentim fieri, & quidem magnis ſuperatis difficultatibus, *nec ſine magnis fletibus* (ut docet Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 2.) *& laboribus*, *divina id exigente juſtitia*, eam conſequuntur vere pœnitentes. Converſionis gradus in ſe expertus egregie ante oculos ponit D. Auguſtinus Enarrat. in Pſal. 106. ſcribens: „ Fac „ hominem primo nihil quærentem . . . . obſcurum cor habentem, illecebris mundi, & mortiferis delectationibus conſopitum : ut excitetur „ iſte ad quærendam gratiam Dei, ut fiat ſollicitus, ut tanquam de ſomno evigilet, nonne manus Dei excitat eum? Sed tamen, a quo ſit excitatus, ignorat. Incipit autem eſſe jam Dei, „ cum cognoverit veritatis fidem. Sed, antequam „ cognoſcat, dolet errorem ſuum. Invenit enim „ ſe in errore, vult cognoſcere veritatem, pulſat, „ ubi poteſt, tentat, quoad poteſt, vagatur, qua „ poteſt, famem etiam patitur ipſius veritatis. Prima ergo tentatio eſt erroris, & famis. Ubi in „ hac tentatione fatigatus exclamaverit, ad Deum „ perducitur, ad viam fidei, unde incipiat pergere „ ad Civitatem quietis. Perducitur ergo ad Chriſtum, qui dixit, *Ego ſum via*. Cum ergo ibi „ fuerit, jam ſciens, quid obſervare debeat, nonnunquam ſibi multum tribuendo, & quaſi de ſuis „ viribus præſumendo, incipit confligere velle contra peccata, & propter ſuperbiam ſuperari. Invenit ergo ſe ligatum difficultatibus cupiditatum „ & non poſſe viam propter compedes ambulare; „ incluſum ſe ſentit difficultate vitiorum, & tanquam muro impoſſibilitatis erecto, portiſque „ clauſis, qua evadat, ut recte vivat, non invenit. Jam ſcit, quomodo vivere debeat : prius „ enim in errore erat, & famem veritatis patiebatur, accepit autem jam cibum veritatis, & poſitus eſt in via : audit, vive bene, ſecundum quod „ noſti; antea enim non noveras, quomodo viveres : modo accepiſti, & noſti. Conatur, non „ poteſt, ligatum ſe ſentit, exclamat ad Dominum. Secunda ergo tentatio eſt difficultas in „ bene operando. Exclamat & in hac ad Dominum : liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis, conſtituit in operatione „ æquitatis . . . . Potuit hoc Dominus ſine difficultate præſtare : ſed, ſi hoc ſine difficultate haberemus, largitorem hujus boni non agnoſceremus. Si enim primitus, cum vellet, poſſet, „ & non ſentiret adverſus ſe obnitentes cupiditates, ſuis viribus tribueret, quod ſe poſſe ſentiret, „ & non *confiteretur Domino miſerationes ejus* “.

III. Teſtes ſunt hujus veritatis repentinæ illæ converſiones, quæ in Miſſionibus habentur, in quibus maximi peccatores, in luto vitiorum jam a pluribus annis hærentes, continuo confitentur, abſolvuntur, ad Euchariſtiæ participationem admittuntur. At paucis poſt Miſſionem, & Pœnitentiam diebus eoſdem reaſſumunt mores, eaſdem conſuetudines, eadem repetunt crimina, fornicationes, adulteria, mendacia, perjuria, furta, blaſphemias, ebrietates; ut vix ex tot millibus quinque, vel ſex vere convertantur, & vitam mutent. Sicut enim nemo repente in maxima labitur ſcelera; ita nemo repente a vita plurimis ſceleribus inquinata, & pravis habitibus defœdata, ad puritatem morum, caſtimoniam, pietatem progreditur. Hæc attendant Confeſſarii, hæc meditentur, his inſiſtant, ſi veram velint Pœnitentium converſionem obtinere.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE CONFESSIONE.

NOn uno in ſenſu Confeſſionis vocabulum tum in Scripturis, tum apud Veteres uſurpatum invenitur. 1. *Aliquando enim Dei laudem ſignificat, juxta illud Lucæ* 10. Confiteor tibi Pater, Domine Cœli & Terræ. 2. *Aliquando notitiæ, quam corde celamus, exteriorem deſignat manifeſtationem, ut Eſtheris* 8. *legitur*: Confeſſa eſt (*Eſther*) ei (*Aſſuero*) quod Mardochæus eſſet patruus ſuus. 3. *Quandoque delictorum expoſitionem ſignificat, vel coram Judice, ut Joſue* 2. Fili mi; da gloriam Deo Iſrael, confitere, atque indica mihi, quid feceris; *vel ad conſilium capiendum a viro prudente, vel ad emendationem obtinendam; quemadmodum ſtatutum legitur Num.* 5. Qui per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Dei, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum. *His autem ſignificationibus prætermiſſis Confeſſionis nomine denotamus* Sacramentalem illam criminum, poſt Baptiſmum patratorum, voluntariam accuſationem Sacerdoti a Pœnitente factam ad eorumdem remiſſionem virtute Clavium obtinendam. *Hujus itaque Confeſſionis inſtitutionem, neceſſitatem, integritatem, aliaſque conditiones, & qualitates explicandas ſumimus in hac Diſſertatione, quam de more in plura Capita ad uberiorem claritatem partiemur. Sit itaque*

CAPUT PRIMUM.

De Inſtitutione, & neceſſitate Confeſſionis.

DOCTRINA.

I. *Confeſſio peccatorum eſt a Chriſto inſtituta.*
II. *Non determinate tamen ſecreta, vel publica.*
III. *Confeſſionis perpetuum uſum fuiſſe in Eccleſia oſtenditur argumento præſcriptionis.*
IV. *Confirmatur argumento diſcuſſionis.*
V. *Confeſſio ſaltem ſecreta neceſſaria eſt neceſſitate medii, & præcepti.*
VI. *Quinam obnoxii ſint præcepto Confeſſionis.*
VII. *Quando urgeat Confeſſionis præceptum.*
VIII. *Ejus dilatio culpa etiam gravi non vacat.*
IX. *Confeſſio eſt ore facienda.*

I. COnfeſſionem illam, quæ ſita eſt in manifeſtatione peccatorum Sacerdoti facta, Chriſtus Dominus inſtituit. Continet hæc propoſitio dogma Catholicum, quod ineluctabili evincitur argumento ex Sacramento Pœnitentiæ deſumpto, ut egregie animadvertit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. Siquidem Chriſtus Dominus Apoſtolos eorumque Succeſſores Miniſtros Pœnitentiæ conſtituit, eoſque judices poſuit remittendorum, ſive retinendorum peccatorum, quando Matth. 18. illis hanc poteſtatem ſpopondit his verbis: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis.* Et quando poſt Reſurrectionem hujuſmodi poteſtatem illis contulit, dicens Jo. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Porro in hac conceſſa poteſtate apparet manifeſta faciendæ confeſſionis neceſſitas ad remiſſionem peccatorum: quandoquidem quomodo poſſunt Sacerdotes peccata retinere, vel remittere, niſi illa cognoverint? Noviſſe autem non poſſunt, niſi qui rei ſunt, illa manifeſtent, & confiteantur; præſertim ſi ſecreta ſunt, & occultiſſima. Eſt igitur peccatorum confeſſio a Chriſto mandata, & inſtituta.

II. Confeſſionem, quam Chriſtus inſtituit, publicam eſſe debere, vel ſecretam non determinavit. Nam cum Chriſtus Dominus manifeſtationem juſſerit peccatorum, nihil addidit, unde eam vel ſecreto, vel publice faciendam dignoſceremus, quippe quia utrumque genus Confeſſionis ad Sacramentale inſtituendum judicium aptum eſt, atque idoneum; & per utrumque Miniſtri qualitatem dignoſcere valent peccatorum, ac proinde ea vel retinere, vel remittere, inſpecta criminum indole, & gravitate, nec non Confitentis requiſita diſpoſitione. Hinc jure merito docuit Trident. Synodus loc. laud. „ Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam „ eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem . . . Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit „ tanquam præſides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur . . . qui pro poteſtate „ clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum „ ſententiam pronuncient. Conſtat enim Sacerdotes „ judicium hoc, incognita cauſa, exercere non „ potuiſſe, nec æquitatem quidem illos in pœnis „ injungendis ſervare potuiſſe, niſi ſua ipſi peccata „ declaraſſent ". De Confeſſione vero publica eodem loco ſubdit: „ Etſi Chriſtus non vetuerit, „ quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & „ ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, „ tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua „ publice confiteri poſſit; non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum ". Ex qua Concilii doctrina optime colligit Eſtius, 1. non pertinere ad eſſentiam Confeſſionis Sacramentalis, ut ſit ſecreta; 2. non eſſe præcepti divini, ut ſecreto fiat; cum non vetuerit Chriſtus aliqua lege, quin publice fieri poſſit; 3. nec publicam eſſe debere præcepto divino, cum ſatis ſit, ut quiſque ſua peccata ſecreto confiteatur.

III. Confeſſionis ſecretæ uſus perpetuus fuit in Eccleſia Catholica. Hæc quoque Catholica veritas lu-

luculenter evincitur, & primo quidem invicto præſcriptionis argumento, quod ſic exhibetur. Jam a pluribus ſæculis, non diffitentibus iiſdem hæreticis, Lutheranis, Calviniſtis, Zuinglianis, qui neceſſitatem tollere conati ſent, Confeſſionis uſus obtinuerat in Eccleſia, etiam occultiora, & interna peccata Sacerdotibus ſecreto confitendi. Atqui aſſignare non poſſunt, quando hic (ut ipſi impie vocant) error, vel perniciofus mos incœperit. Eſt igitur hoc ab ævo Apoſtolorum deducendum, & ad Chriſtum uſque deveniendum. Adverſariis ſiquidem incumbit oſtendere, a quo primum vulgata fuerit lex Confeſſionis ſecretæ, locum, & tempus aſſignare, quo jugum, quod ipſi vocant, tam aſperum fuerit fidelium cervicibus impoſitum, Legislatores proferre, qui hanc tulerint legem, & oſtendere quomodo huic novitati ſe ſubjecerint nedum rudes Chriſtiani, ſed & ipſi Eccleſiæ Præſules, Patres, Pontifices; cum univerſalis hæc lex omnes comprehendat, nullum excipiat. Profecto hoc nunquam evincent; oſtendent nunquam. Non ergo novitatis accuſare poſſunt Catholicam Eccleſiam; quin immo ipſi potius Novatores audiunt, qui praxim, & uſum, cujus non eſt aſſignare principium, evertere conantur, & de medio tollere. Hoc idem argumentum confirmatur magis, & roboratur ex antiquiſſimis Ritualibus, & Euchologiis utriuſque Eccleſiæ, Orientalis, & Occidentalis, in quibus uſus, neceſſitas, praxis Confeſſionis præſcribitur. Eam enim notant, & præcipiunt antiquiſſimi Eccleſiæ Latinæ Rituales libri, quibus conſentiunt Euchologia antiquiſſima Eccleſiarum Orientalium, Alexandrinæ, Conſtantinopolitanæ, Antiochenæ, Cophticæ, Arabicæ, Ethiopicæ, Maronitæ &c. Immo & ipſi Neſtoriani, Jacobitæ, Eutychiani, omnes denique Orientalium Eccleſiarum hæretici, & Schiſmatici in hoc cum Eccleſia Catholica conſentiunt; quod profecto evidenter evincit, Confeſſionis neceſſitatem, & uſum agnitum, & uſurpatum longe ante quamlibet hæreſim, & ſchiſma. Quis enim cordatus ſuſpicabitur illos hanc legem, & praxim ab Eccleſia Romana accepiſſe, a qua per tot ſecula ſejuncti ſunt, & cum qua omnem prorſus reſpuunt communionem? Dicendum eſt igitur, a primis uſque ſeculis Confeſſionis ſecretæ uſum in Eccleſia invaluiſſe.

IV. Idem dogma evincitur argumento diſcuſſionis, teſtimonia afferendo SS. PP., qui a primis uſque ſeculis ſecretæ Confeſſionis uſum & probarunt, & commendarunt. S. Irenæus ſecundi ſeculi Scriptor lib. 1. cap. 3. contr. hæreſ. narrat, Marcum Hæreſiarcham quaſdam ſimplices corrupiſſe mulieres, quæ deinde ad Eccleſiam converſæ, *turpes amores confeſſæ ſunt*. Et idem teſtatur de cujuſdam Diaconi uxore in eandem calamitatem prolapſa, quæ deinde converſa, *omne tempus in exomologeſi conſummavit, plangens, & lamentans quam paſſa fuerat ab hoc Mago corruptelam*. Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 9. ſcribit: *Relaxat Confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat. Satisfactio confeſſione diſponitur. Confeſſione Pœnitentia naſcitur. Pœnitentia Deus mitigatur*. Quod vero Septimius de Confeſſione loquatur ſecreta, & particulari, patet ex eo, quod ſubdit cap. 10. *Pleroſque hoc opus, ut publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumere, pudoris magis memores, quam ſalutis, veluti illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt*. Origenes Hom. 2. in Levit. ſcribit: *Eſt adhuc ſeptima, licet dura, & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum non erubeſcat peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum*. III. Seculo S. Cyprianus Tract. de Lapſis inquit: *Quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo vel ſacrificii, vel libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſcientes ſcriptum eſſe*, Deus non irridetur... *confitentur ſinguli delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit, in ſeculo eſt, dum adhuc admitti ejus Confeſſio poteſt, dum ſatisfactio facta per Sacerdotes apud Domum grata eſt*. Idem confirmant & ſequentium ſæculorum Patres, quorum loca tantum indigitabo, apud Natalem Alexandrum, Bellarminum, Morinum, Druenium, Juveninum, alioſque Polemicos Theologos legenda. IV. Seculo Lactant. lib. 4. Inſtit. cap. 7. S. Baſilius in Regul. Brevior. in reſp. ad quæſt. 288. S. Greg. Nyſſ. hom. *in eos, qui verba judicant*. S. Hil. in cap. 7. Matth. nu. 8. quem Dallæus corrumpere nititur: ubi enim S. Præſul dicit, *peccata ſolvi confeſſione*, ipſi legere lubet, *conceſſione*, contra fidem omnium Codicum. S. Pacianus Barchinonenſis in Exhortat. ad Pœnit. Seculo V. S. Jo. Chryſoſt. hom. 9. in Epiſt. ad Hebræos, & lib. 2. de Sacerd. cap. 3. & lib. 3. cap. 5. S. Ambroſius, de quo ita ſcribit Paulinus Diaconus in ejus vita: *Quotieſcumque aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret . . . cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli, niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur*. S. Hieron. in cap. 10. Eccleſ. S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 66. & Ser. 392. al. hom. 49. inter 50. S. Innoc. I. in Epiſt. ad Decentium, S. Leo M. epiſt. 82. cap. 3. Seculo VI. S. Cæſarius hom. 14. S. Greg. M. ho. 26. in cap. 20. Jo. S. Jo. Climacus Scalæ ſpiritualis gradu 4. Jo. Jejunator in lib. Pœnitential. Seculo VII. Venerab. Beda in libello de remediis peccatorum cap. 7. Seculo VIII. Condegangus Epiſcopus Metenſis regulam pro ſua Diœceſi ſtatuit, qua præſcribit, ut unoquoque anno tribus vicibus populus fidelis confeſſionem faciat ſuo Sacerdoti, Moniales in unoquoque Sabbato. Et Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis in ſuo Capitulari uſum Confeſſionis deprædicat. IX. Seculo plura habita ſunt Provincialia Concilia, ſcilicet Cabilonenſe, Pariſienſe, & Vormatienſe, in quibus plura ſtatuuntur pro recta peccatorum confeſſione, & de pœnis juxta peccatorum conditiones imponendis: quæ profecto omnia inania fuiſſent, ſi nullus fuiſſet Confeſſionis uſus, & neceſſitas. Sequentium ſeculorum teſtimonia omitto, utpote paſſim occurrentia.

V. Confeſſio, ſaltem ſecreta, neceſſaria eſt tum neceſſitate medii, tum neceſſitate præcepti ad peccatorum obtinendam condonationem. Et quidem medii neceſſitatem evincit ipſa Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutio, quod a Chriſto Domino eſt inſtitutum, tamquam medium omnibus poſt Baptiſmum

mum in peccata lapſis ad peccatorum veniam obtinendam. Porro Sacramentum ſine Confeſſione vel aperta, ſi fieri poſſit, vel ſaltem in voto, conſiſtere nequit; æquo igitur modo eſt neceſſaria Confeſſio. Neceſſitas vero divini præcepti ex eo oſtenditur: quia cum Chriſtus Apoſtolos judices inſtituerit, qui remitterent, vel retinerent peccata; fidelibus quoque præcepit, ut eorum ſubjacerent judicio: quod ſi declinare poſſent, fruſtranea prorſus eſſet illis conceſſa poteſtas, fruſtra datæ Claves Regni Cælorum; ſicut fruſtra darentur alicui Ærarii, vel Domus Claves, ſi vel apertum eſſet Ærarium, vel alia via pateret ingreſſus. Præterea, quemadmodum cum Dominus Apoſtolis poteſtatem dedit, atque mandatum, ut baptizarent omnes gentes, eaſdem Baptiſmatis legi ſubjecit; ita pariter, cum illis ligandi, atque ſolvendi tribuit facultatem, præcepto ſuo omnes eorum judicio ſubjecit: & ita, ſicut in primo habetur tanquam indicta condemnatio illorum, qui Baptiſmum renuerent, licet ſolum dicatur, & qui non crediderit (minime addito, & qui baptizatus non fuerit) condemnabitur: ita in ſecundo ſubintelligenda declaratio, nunquam habenda tanquam ſoluta in cælis, quæ prius per Apoſtolos non fuerint ſoluta in terris; licet hoc expreſſe additum non legatur. Rurſum, quæ ſunt juris tantum humani, conſtituta reperiuntur aliquo vel Concilii, vel Supremi Paſtores Decreto. At Confeſſionem in Eccleſia viguiſſe ante omnia ſive Conciliorum, ſive Pontificum Decreta, manifeſtum eſt ex ſuperius allatis PP. teſtimoniis. Juris ergo divini eſt, non humani dumtaxat inſtituti. Quod etiam ex eo confirmatur, quia humanæ leges, & inſtituta ſubjacent aliquando Superiorum diſpenſationi, ut apparet in jejuniis, Matrimonii impedimentis, aliiſque compluribus: at nullum extat exemplum, quo conſtet fuiſſe unquam a Confeſſionis onere conceſſam diſpenſationem; immo nec invenitur, qui de hujuſcemodi petenda diſpenſatione unquam vel cogitaverit. Onus igitur confeſſionis juris eſt omnino divini, non humanæ inſtitutionis. Præter divinum, extat & Eccleſiaſticum, quoad temporis determinationem, præceptum de Confeſſione, ſcilicet ſemel in anno facienda, latum in Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. celeberrimo Canone, *Omnis utriuſque ſexus*, de quo ſatis diximus in Tractat. de Præceptis Eccleſiæ.

VI. Divinum de Confeſſione facienda præceptum obligat omnes adultos, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt in aliquod lethale peccatum. Quandoquidem, qui nondum ſunt per Baptiſmum Eccleſiam ingreſſi, ejus poteſtati minime ſubjacent; ut enim docet Apoſtolus, ad Eccleſiam non pertinet *de his, qui foris ſunt, judicare*; & non præmiſſo Baptiſmate nullus eſſe poteſt ad alterius Sacramenti perceptionem idoneus. Per Baptiſmum autem peccata ſine Confeſſione condonantur. Qui vero nondum ſunt uſum rationis adepti, ſicut nec morbi capaces ſunt, ita nec medicina ſanari indigent. Ita docet D. Thom. in IV. Diſt. 17. qu. 3. artic. 1. q. 3. „ Ad Confeſſionem dupliciter obligamur: „ uno modo ex jure divino, ex hoc ipſo quod „ eſt medicina; & ſecundum hoc non omnes te„ nentur ad confeſſionem, ſed illi tantum, „ qui peccatum mortale incurrunt poſt Baptiſ„ mum “.

VII. Quoad tempus vero, urget præceptum divinum Confeſſionis faciendæ, quotieſcumque urget præceptum Contritionis, ſi adſit Confeſſarii copia: quandoquidem vera Contritio nequit concipi ſine voto Sacramenti. Porro inane, & ludicrum eſſet votum rei alicujus, ſi res ipſa haberi poſſit. Qui ergo vere pœnitet, & vera tangitur contritione, ſtatim ad Sacramentum confugit, ſi illud percipere poſſit. Quamobrem, ut diximus Diſſ. 2. de Contritione n. 5. urget præceptum Confeſſionis, cum mortis inſtat periculum, ut docet S. Th. in IV. Diſt. 17. q. 3. art. 1. ſcribens: „ Ea, quæ ſunt „ de neceſſitate ſalutis, tenetur homo in hac vi„ ta implere: ideo, ſi periculum mortis immi„ neat, etiam per ſe loquendo obligatur aliquis „ ad confeſſionem faciendam tunc, vel ad Ba„ ptiſmum ſuſcipiendum “. Ideoque tenentur periculoſe ægrotantes, Milites ante pugnam, navigantes ante procelloſam navigationem, prægnantes, ſi difficilem, & arduum partum vereantur, & omnes in fine vitæ. Ita docet S. Carolus in Concil. Mediolan. V. „ Salubriter ex doctrina Spiritus „ S. cautum eſt, Chriſtifideles de peccatis confite„ ri debere, quotieſcumque rem, actionemque ag„ grediuntur, in qua præſens periculum mortis „ pertimeſcendum ſit. Quamobrem Parochus cu„ ret, atque efficiat, ut ... ſi quis Parochialis eo „ profecturus eſt, ubi ſit aut peſtis, aut hæreſis, „ aut ubi nullam Confeſſarii copiam habere poſ„ ſit, aut ad bellum iturus ſit, aut pugnam ini„ turus, aut iter infeſtum, navigationemque pe„ riculoſam facturus, antequam viæ, navigationi„ ve ſe committat, peccata confiteatur. Idem „ officium præſtet de mulieribus proxime paritu„ ris “.

VIII. Quamvis communiter doceant cum S. Th. Theologi, qui in peccatum lapſus eſt, non ſtatim teneri ad Confeſſionem accedere; illius tamen dilatio culpa etiam gravi non vacat. Et quidem non teneri peccatorem, ſtatim ac peccato conſenſit, ad Confeſſionem confugere, docet S. Th. in IV. Diſt. 17. q. 3. art. 1. q. 4. ſcribens: „ Obligatur ali„ quis ad Confeſſionem per ſe; & ſic videtur ea„ dem ratio eſſe de Confeſſione, & de Baptiſmo „ differendo: quia utrumque eſt Sacramentum „ neceſſitatis. Ad Baptiſmum autem percipien„ dum non tenetur aliquis ſtatim, poſtquam ha„ bet propoſitum Baptiſmi, ita quod peccet mor„ taliter, niſi ſtatim baptizetur; nec eſt ali„ quod tempus determinatum, ultra quod, ſi Ba„ ptiſmum differat, peccatum mortale incurrat. „ Sed poteſt contingere, quod in dilatione Baptiſ„ mi erit peccatum mortale, vel non erit: & „ hoc penſandum eſt ex cauſa dilationis ... Un„ de ſi cauſa dilationis Baptiſmi peccatum morta„ le annexum habeat, ut ſi propter contemptum, „ vel aliquid hujuſmodi Baptiſmum differat, di„ latio erit peccatum mortale; alias non. Et id„ eo idem videtur eſſe de Confeſſione, quæ non „ eſt majoris neceſſitatis, quam Baptiſmum ... „ Sed quia præcepta affirmativa non obligant ad „ ſtatim, ſed ad tempus determinatum; non qui„ dem ex hoc, quod tunc commode impleri poſ„ ſunt; quia ſic, ſi non daret aliquis eleemoſynam „ de ſuperfluo, quandocumque pauper offerretur, „ peccaret mortaliter, quod falſum eſt; ſed ex „ hoc, quod tempus neceſſitatem urgentem adducit.

„ Et

„ Et ideo non oportet, quod ſi ſtatim oblata opportunitate non confiteatur, etiamſi major opportunitas non expectetur, aliquis peccet mortaliter; ſed quando ex articulo temporis neceſſitas Confeſſionis inducitur “. Obſervat tamen A. P. ex duplici capite peccatorem non poſſe ſine peccato diu differre Confeſſionem, 1. quia certus non eſt de efficacia ſuæ Contritionis; 2. quia hæc dilatio oſtendit, propoſitum confitendi in Contritione requiſitum non fuiſſe efficax. Sic enim ſubdit loco laud. q. 2. art. 5. q. 2. ad 1. „ Quod aliquis non poteſt eſſe certus, quod Contritio ſua ſit ſufficiens ad deletionem pœnæ & culpæ: & ideo tenetur confiteri, & ſatisfacere, maxime cum Contritio vera non fuerit, niſi propoſitum habuiſſet annexum confitendi, quod ad effectum debet deduci, etiam propter præceptum, quod eſt de Confeſſione datum “. Qui igitur ſe in peccato lethali detineri animadvertit, ut ſuperius diximus, tenetur peccatum deteſtari, & de eo pœnitere. Quod ſi præſtet, profecto propoſitum quantocius confitendi concipiet, & exequetur. Differendo ergo ſine juſta cauſa, & ad multum tempus, clare oſtendit ſe non vere pœnitentem; proinde adhuc in mortali exiſtere. Tenetur igitur quantocius ad remedium certum Confeſſionis confugere; quod ſi negligat, novo contaminabitur peccato. At ſi quæras, quanta debeat eſſe dilatio, ut novam culpam inducat. Primo reſpondeo cum Sancto Bonaventura, non eſſe veram illorum Theologorum ſententiam, qui docent, poſſe differri Confeſſionem uſque ad Paſcha. Sic enim ſcribit in IV. Diſt. 17. q. 3. art. 1. „ Conſilium ſanum eſt, ut omnes, qui in peccatum mortale lapſi ſunt, quam citius poſſunt, confiteantur: non enim videtur vere contritus, qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum. De his itaque generaliter aſſerere, quod poſſint uſque ad Paſcha differre, videtur periculoſum “. 2. Reſp. Si benigniſſimus Sporerius Tannerum ſequens, ut ſuperius diximus, reum declarat novi peccati impœnitentiæ, qui ultra hebdomadam voluntarie, & negligenter differt contritionis actum elicere; profecto qui per menſem ex ſola negligentia, acedia, & oſcitantia differret poſt elicitum actum Contritionis Confeſſionem, clare oſtenderet, ſe non vere de ſuis peccatis pœnituiſſe; proinde teneretur ſuæ ſaluti conſulere per Confeſſionem, quæ tunc illi eſſet de præcepto.

IX. Confeſſio eſt ore facienda. Non defuere antiquiores Theologi, quorum opinionem & Recentiores quidam innovarunt, qui docuere, Confeſſionem fieri poſſe per epiſtolam inter abſentes, & ab abſente abſolutionem recipere. At oppoſita noſtra doctrina unice vera eſt, quam docet Sanctus Thomas in IV. Diſtinct. 17. quæſt. 3. artic. 4. quæſtiuncula 3. ſcribens: „ Confeſſio non ſolum eſt actus virtutis, ſed etiam pars Sacramenti; & ſecundum hoc habet determinatum actum; ſicut & alia Sacramenta habent determinatam materiam: & ſicut in Baptiſmo ad ſignificandam interiorem ablutionem aſſumitur illud elementum, cujus eſt maximus uſus in abluendo; ita in actu Sacramentali ad manifeſtandum ordinarie aſſumitur ille actus, quo maxime conſuevimus manifeſtare, ſcilicet *proprium verbum*. Alii enim modi ſunt inducti in ſupplementum iſtius “. Et luculentius in Quodl. 1. quæſt. 6. art. 1. docet: „ De neceſſitate Sacramenti eſt, quod pœnitens ſua peccata manifeſtet ... Sed quod fiat manifeſtatio *verbo*, non eſt de neceſſitate Sacramenti ... Sed ex inſtitutione Eccleſiæ tenetur homo, qui poteſt, *ut verbo* confiteatur, non ſolum propter hoc, *ut ore* confitens confitendo magis erubeſcat, & qui *ore* peccavit, *ore* purgetur; ſed etiam ſemper in omnibus Sacramentis accipitur id, cujus eſt communior uſus; ſicut in Sacramentali ablutione Baptiſmi accipitur aqua, qua homines communius utuntur ad abluendum; & in Euchariſtia panis, qui eſt communior cibus: unde & in manifeſtatione peccatorum convenit uti *verbis*, quibus homines communius, & expreſſius ſuos conceptos ſignificare conſueverunt “. Idem ſtatuitur in can. *quem pœnitet* diſt. 1. de Pœnitentia: *Præcepit Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium, aut per ſcriptum manifeſtanda, dixit ora monſtrate, & omnes, non unus pro omnibus . . . . ſed qui vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis. In hoc enim, quod per ſeipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, & venia fit criminis.* Denique rem extra omnem controverſiam poſuit Clemens VIII. qui hanc propoſitionem, *Licet per litteras, ſive per internuncium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem petere*, ut falſam, temerariam, ſcandaloſam, reprobavit, ac damnavit, vetuitque, ne deinceps doceatur, neve unquam tanquam in aliquo caſu probabilis defendatur, aut quovis modo ad praxim deducatur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Sed, quia nonnulli illam adhuc propugnabant, putantes damnatam doctrinam in ſenſu ſolum copulativo, ſcilicet de Confeſſione, & abſolutione in abſentia, non vero disjunctive, ideſt quoad ſolum confeſſionem per litteras; hanc interpretationem reprobavit primum ipſe Clemens VIII. Decreto Sacræ Inquiſitionis dato die ultima Menſis Julii anni 1603. quod poſtea confirmavit alio Decreto Paulus V. & iterum alio Decreto die 24. Jan. anni 1622. quibus declaratum fuit eam interpretationem locum minime habere, & doctrinam tam copulative, quam disjunctive fuiſſe reprobatam. Qui hujuſce controverſiæ hiſtoriam legere cupit, adeat Concinam lib. 2. de Sacramento Pœnitentiæ Diſſ. 3. cap. 2. §. 1. & ſeq.

CAPUT SECUNDUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Num Confeſſio publica aliquando urgeat.*
II. *Qui non valet ore confiteri, eo, quo poteſt, modo confiteatur, oportet.*
III. *Sola vera, & realis impotentia loquendi excuſat a confeſſione orali facienda.*
IV. *Qui aliquod Sacramentum vel recipere debet, vel miniſtrare, ſibi conſcius lethalis peccati, Confeſſionem præmittere tenetur.*
V. *Urget præceptum Confeſſionis, quando reputetur medium idoneum, & neceſſarium ad gravem vincendam tentationem.*

Conſectarium Primum.

I. Licet præceptum divinum Confeſſionis impleat, qui ſecreto ſua peccata Sacerdoti manifeſtat: ſi tamen Confeſſio fieri non poſſit, niſi pluribus audientibus, non eſt tutum eam omittere, &, ſi eſſet in articulo mortis conſtitutus, æternæ perditionis periculo ſe exponeret. Ratio eſt manifeſta, & ſponte conſequitur ex his, quæ diximus. Nimirum 1. Chriſtum Confeſſionem inſtituiſſe tanquam medium omnino neceſſarium ad obtinendam remiſſionem peccatorum. 2. Eamdem divino præcepto omnibus mandaſſe. Quando igitur fieri poteſt, eſt facienda, & præſtitutum adhibendum medium, divinoque præcepto obtemperandum. 3. Chriſtus non determinavit Confeſſionis modum, nec Eccleſia, quæ ſecretam Confeſſionem admittit, & perpetua conſuetudine uſurpavit, publicam tamen unquam prohibuit; immo docuit, *conceſſum, ut aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ ædificationem, delicta ſua publice confiteri poſſit.* Et primis etiam Eccleſiæ ſeculis frequentior erat publica Confeſſio; ut videre eſt in S. Cypriano epiſt. *62.* & S. Joan. Climaco, & pluribus aliis a Morino laudatis lib. 2. cap. *9.* & ſeq. Quando igitur ſecreto fieri non poteſt, eſt publica uſurpanda: modus enim ſicut non cadit ſub præcepto, ita nec ab eo implendo excuſat. Nec dicant, Confeſſionem hoc modo reddi oneroſam; & proinde dici poſſe moraliter impoſſibilem. Nam Pœnitentia eſt virtus laborioſa, & oneroſa, eſt balneum aquæ ferventis, quod intrepido animo ingredi debet peccator, & levem ſubire in hoc ſæculo confuſionem, ut longe duriorem evitet in die judicii, quando omnia ſecreta cordium fient manifeſta. Et hæc illa eſt confuſio, de qua dicitur Eccl. 4. quod ſi vitatur, *adducit peccatum;* & ſi ſponte, & libenter admittatur, *adducit gratiam, & gloriam.* Et hic locum habet quod dicitur l. l. *Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia*: & Chriſti Domini monitum, *Qui non odit patrem, & matrem . . . & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et ſi revera aliquando etiam corporalem vitam prodigere tenemur, ne amittamus æternam, multo magis & famam, quæ eſt minus bonam, contemnere debemus pro ſalute animæ. Nec eſt moraliter impoſſibilis; cum plures Sanctiſſimi Pœnitentes, inter quos præcipue eminet D. Auguſtinus, etiam ſponte propria crimina publice confeſſi ſint. Et certe in articulo mortis conſtitutum de ſua ſalute tutum non redderem, ſi non valens ſecretam Confeſſionem facere. ſola contritione, vel petita abſque Confeſſione Sacramentali abſolutione auderet ex hac vita migrare; tunc enim non ſolum tuta, & tutiſſima ſunt amplectenda conſilia. Rariſſimum tamen cenſeo hujuſmodi caſum, cum facile fieri poſſit etiam multis adſtantibus ſecreta confeſſio. Nullum tamen extat præceptum Confeſſionis faciendæ Laico in abſentia Sacerdotis, licet hæc Confeſſio in uſu aliquando fuerit; ut videre eſt apud Sanctum Auguſtinum epiſt. ad Fortunatum, & libro de vera, & falſa Pœnitentia eidem attributo, & apud Lanfrancum de Secreto Confeſſionis; immo & D. Thom. dicit, *in abſentia proprii Sacerdotis, etiam Laico poteſt fieri Confeſſio.*

Conſectarium Secundum.

II. Qui non poteſt ore, tenetur per nutus, ſcripturam, & etiam interpretem, quando urget præceptum, confiteri. Hujus quoque propoſitionis veritas conſequitur tum ex neceſſitate, tum ex præcepto Confeſſionis, quod quilibet adimplere debet eo meliori, quo poteſt, modo. Ita docet & D. Th. in iv. Diſt. 17. q. 3. art. 4. q. 3. ad 2. ſcribens: „ In eo, qui uſum linguæ non habet, ſicut mutus, vel qui eſt alterius linguæ, ſufficit, quod „ per ſcripturam, aut nutum, aut interpretem „ confiteatur; quia non exigitur ab homine plus „ quam poſſit: quamvis homo non debeat Baptiſ„ mum accipere, niſi in aqua, quia aqua eſt o„ mnino ab exteriori, & nobis ab alio exhibita; „ ſed actus confeſſionis eſt a nobis: & ideo, quan„ do non poſſumus uno modo, *debemus*, ſecundum „ quod poſſumus, confiteri “. Proinde ut falſa rejicienda eſt plurium Probabiliſtarum doctrina, ajentium Confeſſionem per interpretem non obligare ex præcepto divino, ſed ſolum ex caritate ſui. Nam Chriſtus Dominus noluit Miniſtros Sacramenti proferre judicium abſolutionis, niſi cognita cauſa, ideſt delictis, & criminibus manifeſtatis; proinde iſtorum manifeſtatio eſt de eſſentia Sacramenti, quando aliquo modo haberi poteſt: poteſt autem haberi per nutum, per ſcripturam, per interpretem; ergo eſt apponenda; nec muneri ſuo ſatisfaceret Miniſter, ſi inaudita cauſa eo modo, quo poteſt audire, auderet judicium abſolutionis proferre. Porro ille modus eſt præſertim adhibendus, qui magis ad veritatem, & integritatem accedit Confeſſionis. Quapropter, qui cognoſcit ſe per nutus non ſufficienter ſua peccata exprimere, ſcripturam, ſi poſſit, præeligere tenetur. Legantur, quæ diximus de III. Eccl. Præc. cap. 1. n. 7.

Conſectarium Tertium.

III. Sola vera, & realis impotentia loquendi excuſat a Confeſſione orali facienda, & finit, ut ſcripto fiat tradito Miniſtro Pœnitentiæ legendo. Nam in Concilio Florentino declaravit Eugenius IV. *ore* faciendam eſſe Confeſſionem, & ſolum neceſſitatis articulum excuſare; quod profecto verum importat, & rigoroſum præceptum, ab ipſa Eccleſiæ perpetua conſuetudine confirmatum. Quamobrem inutiles ſunt, & pro ineptis habendæ cauſæ, quæ tanquam excuſantes ab orali Confeſſione, & permittentes, ut ſcripto fiat, a benignioribus Theologis La Croix, & Buſembaum afferuntur. Hæ autem ſunt. 1. Rationabile pœnitentis commodum: quo profecto nihil ineptius. Nam in Confeſſione non commodum Pœnitentis, ſed inſtitutio Chriſti, præceptum, & conſuetudo Eccleſiæ ſunt inſpicienda; & Pœnitentia peccatori non commoda eſſe debet, ſed oneroſa, & incommoda. 2. Si ægrotus difficile loquatur. At hæc difficultas & patientia Confeſſarii, & longiori mora tollitur. 3. Si Confeſſarius ſit ſurdus, aut pœnitens ipſe ſurdus, ut nimis alte loquatur. Sed huic incommodo mederi poteſt vel alterius Confeſſarii electione, vel remotiore quæſito loco, ubi non ſint, qui audiant.

4. Si

4. Si Pœnitens ſua peccata facilius, & apertius faciat intelligi a Confeſſario. At hoc non impedit, ut, quod ſcripſit, ore ſuo legat, & enuntiet Confeſſario. 5. Si pœnitens *ſcrupuletur*, quod peccata ſua non aliter recte explicet. Et hic quoque removetur ſcrupulus orali lectione ſcriptæ confeſſionis. 6. Si puella ſupra modum verecunda aliter ſe non poſſit explicare. At laudanda in puella verecundia; ſed oſtendenda illi neceſſitas, & præceptum Eccleſiæ ore confitendi peccata, de quibus ſi vere dolet, & pœnitet, ut eorum obtineat condonationem debet legi Eccleſiæ ſe ſubjicere, & non eam in ipſa Pœnitentia violare. 7. Si ob anxietatem loqui non poſſit. Sed multo minus poterit ob anxietatem ſcribere, cum ſcriptio ſit locutione difficilior. Præterea anxietati Pœnitentis medetur patientia Miniſtri, ejus interrogationes, & longanimitas. Uno verbo hæ omnes cauſæ non phyſicam, immo nec moralem afferunt oralis Confeſſionis impotentiam, ſed ſolum commodum, & facilitatem ipſius Pœnitentis. At quis dicat a tam ſancta lege diſpenſandum, quia difficilis eſt, oneroſa, incommoda Pœnitenti? Cum Summi Pontifices, Concilia, S. Thom., ſanioresque Theologi jubeant, doceant, oſtendant nonniſi neceſſitatem, phyſicam impotentiam ab orali confeſſione excuſare. Benedictus XI. in Extra. inter cunctas de Pœnit. aperte indicit, *niſi articulus neceſſitatis occurrat*, *Sacerdoti facienda oris confeſſio*; & D. Thom. ſolum eum excuſat, qui uſum linguæ non habet. Denique hic agitur de valore Sacramenti, cujus materiæ pars eſt oris confeſſio; proinde non licet ſequi probabilem opinionem, relicta tutiori. Et D. Thom. aperte docet in Suppl. q. 9. a. 3. *Sicut in Baptiſmo ad ſignificandam interiorem ablutionem aſſumitur illud elementum, cujus eſt maximus uſus in abluendo; ita in actu Sacramenti ad manifeſtandum ordinarie aſſumitur ille actus, quo maxime conſuevimus manifeſtare, ſcilicet proprium verbum. Alii autem modi ſunt inducti in ſupplementum illius.* Non ſunt igitur audiendi Ferrarius, & Liguorius, dum docent, ob *ſummam & ſingularem verecundiam*, aut *ob linguæ impedimentum* licere ſcripto exhibere Confeſſario omnia peccata; & deinde dicere, *accuſo me de illis, quæ ſcripſi*.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui aliquod Sacramentum vel recipere debet, vel miniſtrare, ſibi conſcius lethalis peccati, Confeſſionem præmittere tenetur. Et quidem, ſi ſermo ſit de Euchariſtia ſumenda, vel conficienda, nullus eſt, qui ambigat; cum id expreſſe ſtatutum habeatur in Trident. Concilio. At ex hoc ſtatuto inferunt benigniſſimi Probabiliſtæ, non teneri peccato lethali inquinatum confeſſionem præmittere, ſi alia Sacramenta præter Euchariſtiam recipere debeat, vel miniſtrare: quæ profecto doctrina falſa omnino eſt, & laxa. Licet enim Concilium id ſpecialiter declaraverit de Euchariſtiæ Sacramento, non tamen aliter ſtatuit de ceteris Sacramentis; immo paritate cauſæ, & rationis idem inferendum reliquit: ſicut enim nemini culpa lethali fœdato licet ad Euchariſtiam accedere, niſi præmiſſa Confeſſione, ſi poſſit; ita nec alia Sacramenta vel recipere, vel miniſtrare, cum *ſancta ſancte* ſint tractanda. Et revera ita Tridentini mentem explicavit ejuſdem Concilii Catechiſmus Par. 2. cap. 5. n. 45. docens: „ Si quid ſalutis „ noſtræ ratio poſtulet, conſideremus, profecto „ quoties vel mortis periculum imminet, vel ali„ quam rem tractare aggredimur, cujus tractatio „ homini peccatis contaminato non conveniat, „ veluti *cum Sacramenta adminiſtramus, vel per„ cipimus*, toties confeſſio præmittenda eſt ... ne„ que enim peccatorum veniam a Domino impe„ tramus, niſi ea Pœnitentiæ Sacramentum per „ Confeſſionem deleat.

Conſectarium Quintum.

V. Urget præceptum Confeſſionis, quando reputetur medium idoneum, & neceſſarium ad gravem vincendam tentationem; vel prudens adſit periculum oblivionis alicujus, vel plurium peccatorum. Primam noſtri Conſectarii partem libenter admittunt etiam benigniores Theologi, qui id in exemplum adducunt præcepti confeſſionis per accidens urgentis. Et revera jure naturali tenemur ad fugienda peccata, & eas repellendas tentationes, quæ nos ad illa pertrahunt, eaque adhibere remedia, quæ opportuniora dignoſcuntur, & ſunt poſita in noſtra poteſtate. Si igitur Confeſſio reputetur medium validum, & neceſſarium ad vincendas tentationes, & peccatum vitandum, cum ſit in noſtra poteſtate, ad illud confugere tenemur. At ſecundæ parti non ita facile conſentiunt; quia, inquiunt, Concilia Florentinum, & Tridentinum non docent, nec jubent niſi illorum peccatorum confeſſionem, quæ nobis poſt diligens examen menti occurrunt: nullam autem indicunt legem, ſive præceptum de præmittenda confeſſione ad oblivionem vitandam. At minus vera eſt dicenda iſtorum doctrina; & noſtra ut probabilior tenenda, & in praxi ſervanda. Nam poſito præcepto de Confeſſione integre facienda, jam ſubſequitur & onus bene diſcutiendi intimos conſcientiæ receſſus, ut infra dicemus, & vitandi oblivionem voluntariam, quæ hujuſmodi integritatem impedire valet, immo quam ſcimus, & prudenter novimus impedituram. Porro qui prudenter noverit, dilata confeſſione, plura omiſſurum eſſe peccata ob oblivionem; jam manifeſte patet, velle ipſam oblivionem, & nolle confeſſionis integritatem; cum utrumque poſſit facile vitare, confeſſionem præveniendo. Legantur dicta de III. Decalogi Præcepto cap. 2. Conſect. 7. ubi accurate rem pertractavimus.

CAPUT TERTIUM.

De Veritate, & integritate Confeſſionis.

DOCTRINA.

I. *Veritas prima legitimæ Confeſſionis conditio.*
II. *Quando quis graviter circa lethale peccatum mentitur.*
III. *Quando circa ſolum venialia.*
IV. *Integritas materialis eſt in præcepto, quando haberi poſſit.*
V. *Neceſſaria eſt accurata, & ſollicita conſcientiæ diſcuſſio.*

 VI.

VI. *Sufficit integritas formalis.*
VII. *Species peccatorum ſunt manifeſtanda.*
VIII. *Et eorum numerus.*
IX. *Et circumſtantiæ ſpeciem mutantes.*
X. *Nec non notabiliter aggravantes.*
XI. *S. Thomæ doctrina exponitur, & vindicatur.*
XII. *Peccata quoque dubia ſunt manifeſtanda, ſive dubium ſit juris;*
XIII. *Sive etiam ſolius facti.*
XIV. *Et peccata per oblivionem, etiam inculpabilem, omiſſa.*
XV. *Nec non effectus peccati.*
XVI. *Et peccandi conſuetudo.*

I. SI in omnibus præcipit Apoſtolus ad Epheſ. 4. ut fideles loquantur veritatem; profecto hoc præceptum maxime urget in Sacramento Confeſſionis, ubi pœnitens, ſi mentitur, non homini, ſed Deo mentitur. Veritas igitur eſt prima, & præcipua conditio, quæ ad rectam requiritur Confeſſionem; ac proinde mendacium nedum peccatum eſt, ſed & ſacrilegium, licet non ſemper mortale. Quando quis venialiter tantum peccet, & quando lethaliter, eſt modo expendendum.

II. Certum eſt 1. lethaliter mentiri, qui in Confeſſione negat admiſſum lethale peccatum, quod vere commiſit: quia in re gravi mentitur, Miniſtrum decipit, integritatem aufert Confeſſionis, & in ſacrilegium mutat Sacramentum. 2. Similiter qui de aliquo lethali crimine ſe accuſat, quod revera non admiſit, licet alia mortalia vere admiſſa confiteatur: quia adhuc in re gravi judicem decipit, in errorem inducit, tum in danda abſolutione, quam ad ficti peccati ordinat deletionem, tum in ſatisfactione imponenda. Nec excuſatur, quod ex humilitate dixerit: non enim vera humilitas a veritate ſejungitur, nec mendacio ſociatur. Unde ajebat D. Aug. ſerm. 182. de Verb. Apoſt. cap. 5. *Cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaveras. Veritas in te non eſt, niſi ita te dixeris peccatorem, ut etiam eſſe cognoſcas. Veritas autem ipſa eſt, ut quod es, dicas. Nam quomodo eſt humilitas, ubi regnat falſitas?* Quam doctrinam adoptavit & D. Thom. hic qu. *6.* art. 4. ſcribens: „ Ille autem, qui aliud Sacerdoti de „ ſe loquitur, quam in ſua conſcientia habeat, „ ſive bonum, ſive malum, non ſe Sacerdoti ma„ nifeſtat, ſed magis occultat: & ideo non eſt i„ donea confeſſio. Sed ad hoc, quod ſit idonea, „ requiritur, quod os cordi concordet, ut ſolum „ hoc os accuſet, quod conſcientia tenet". 3. Qui aliquod peccatum confiteretur, non adducta cauſa excuſante; puta, ſi quis confiteretur ſe in Quadrageſima non jejunaſſe, vel ſabbato carnes comediſſe, reticendo id a ſe factum cauſa infirmitatis: idem enim eſſet, ac ſi ficte peccatum confiteretur; ſicut qui in numero mortalium excedunt, vel dubia peccata tanquam certa confitentur; niſi fortaſſis ſimplicitas in rudi, & idiota excuſaret. 4. Qui in Confeſſione ita ſuum extenuaret peccatum, ut ſi fuerit in ſe vere mortale, Confeſſario exhiberetur, ac ſi veniale tantum, vel ſaltem dubium appareret.

III. Qui vero circa venialia mentiretur, etiam lethaliter peccare poteſt. Et 1. quidem, ſi fictum veniale totam conſtituit Sacramenti materiam; tunc enim nullum redderet Sacramentum: quod tamen vix contingere poſſe puto, tum ex parte Pœnitentis, niſi ſtolidus ſit & demens; tum ex parte Confeſſarii, quia nunquam hunc Sacramentali abſolutione donabit. At, ſi plura alia confiteatur, vel venialia, vel mortalia, quæ certo admiſit; cum tunc validum adhuc eſſet Sacramentum, leve ſolum peccatum erit, non mortale. At hoc raro, ac vix contingit. Frequentius occurrere poteſt, ut quis interrogatus de aliquo veniali peccato, neget illud commiſiſſe, cum revera commiſerit: & tunc eum lethaliter peccare docet, & propugnat Cajetanus Comment. in 2. 2. q. *69.* a. 1. & S. Th. aperte docet, mentiri in judicio, etiam civili, eſſe lethale peccatum, *ut ſi confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam mendaciter negaverit.* Et revera maxima irrogatur Sacramento Pœnitentiæ injuria, quando Miniſtro interroganti quis mentitur; non enim mentitur homini, ſed Deo. Nec valet ratio Adverſariorum, Miniſtrum ſcilicet non habere jus interrogandi de venialibus. Quandoquidem hoc non eſt uſquequaque verum: cum enim venialia ſint materia Sacramenti, jus habet Miniſter de illis interrogandi: ſed cum materia neceſſaria non ſit, poteſt quidem Pœnitens recuſare Confeſſionem; at mendacio negare abſque gravi tum Miniſtri, tum Sacramenti injuria, ut mihi videtur, omnino non poteſt. Et certe hoc veriſſimum, & certum exiſtimo, ſi Confeſſarius ideo de illo veniali interroget, ut Communionem vel deneget, vel concedat: c. ex. ſi puella, vel monialis aſſueta mentiri, a Communione frequenti repulſa fuit a pio Confeſſario, donec pravum mentiendi habitum deponat; proinde a Confeſſario interrogetur, num ſit mentita, & ipſa neget, a gravi peccato non excuſarem; falleret enim Confeſſarium, & Communionem mendacio ſurriperet. Et idem dicendum de illo, qui de aliquo lethali interrogatus, quod juſta de cauſa hic & nunc confiteri non tenetur: quia certum jus habet Miniſter interrogandi; &, ſi pœnitens juſtas habere poſſit cauſas non confitendi, nullam tamen habet in re gravi mentiendi: eo vel maxime, quod contingere poteſt, ut peccatum, etiam alias in Confeſſione manifeſtatum, adhuc judicium regere poſſit Miniſtri in danda, vel deneganda abſolutione, in aſſignandis remediis, in urgenda reſtitutione. Proinde, cum res ſit admodum periculoſa, lubenter ſubſcribo doctrinæ Continuatoris Tournelii, qui tutum putat, hujuſmodi Confeſſiones, veluti ſaltem dubias, iterare. Si vero mendacium ſit de re ad Confeſſionem non pertinente; tamen, quia dicitur in Sacramento, malitiam mortalem non inducit, niſi forte eam habeat aliunde, ſcilicet vel ex gravitate materiæ, vel ex pravo fine majorem fidem ſibi conciliandi; tunc enim injuriam irrogaret Sacramento, quo abuteretur.

IV. Quoad integritatem vero, hanc bifariam dividunt Theologi, in materialem ſcilicet, & formalem. Prima ea eſt, in qua omnia revera enuntiantur peccata, tum quoad numerum, tum quoad circumſtantias, prout commiſſa ſunt, nullo penitus nec per oblivionem omiſſo. Altera vero, qua omnia panduntur peccata, prout menti Pœnitentis ſedulo conſcientiam excutientis occurrunt; licet aliqua omittat non ex malitia, ſed ex oblivio-

livione, ignorantia inculpabili, & vera etiam impotentia. Et quidem prior integritas materialis omnino neceſſaria eſt, quando haberi poteſt, adeo ut, ſi deſit ex culpa ipſius Pœnitentis, qui vel conſcientiam ſuam non recte diſcuſſit, vel ex ignorantia vincibili, nullum ſit Sacramentum, invalida, & ſacrilega Confeſſio: quod contingit in illis, qui ex ſtolida verecundia omnia ſua peccata confitentur, ſed unum reticent. Ita docet S. Thom. in Suppl. quæſt. 9. art. 2. ſcribens: „ In „ medicina corporali oportet, quod medicus non „ unum ſolum morbum, contra quem medicinam „ dare debet, cognoſcat, ſed etiam univerſaliter „ totam habitudinem ipſius infirmi: eo quod unus „ morbus ex adjunctione alterius aggravatur; & „ medicina, quæ uni morbo competeret, alteri „ nocumentum præſtaret. Et ſimiliter eſt in peccatis: quia unum aggravatur ex adjunctione alterius; & illud quod uni peccato eſſet conveniens medicina, alteri incentivum præſtaret, „ cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus ſit. Et ideo de neceſſitate Confeſſionis eſt, „ quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in „ memoria habet: quod ſi non faciat, non eſt „ confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio “.

V. Præmittenda eſt igitur Confeſſioni accurata conſcientiæ diſcuſſio, quæ non anxietatem, angorem, ſollicitudinem inducat, ſed quæ intimos animi receſſus prudenti diligentia exploret; uno verbo, ea eſt adhibenda ſollicitudo, & diligentia, quam ſolertes mercatores adhibere ſolent in ſuis ſupputandis rationibus. Porro hæc ſollicitudo major eſſe poteſt, & minor, & maxima. Hæc poſtrema illis peccatoribus neceſſaria eſt, qui per plures annos Confeſſionem diſtulere, & pluribus ſunt implicati peccatis. Hos oportet 1. ad Deum confugere, & ferventi prece lumen ab ipſo efflagitare, quo tenebræ mentis diſſipentur, & queant recogitare annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ. Contritionem deinde in ſe excitare ſtudeant, & acrem concipere de ſuis peccatis dolorem: hic enim mentem illuſtrabit, memoriam excitabit; & quo ferventior erit contritio, eo exactior erit confeſſio. Deinde varios debent expendere ſuæ vitæ ſtatus, profeſſiones, munia, divina Decalogi præcepta, & Eccleſiæ mandata meditari, ut, quæ violaverint, & in quæ peccaverint, deprehendant. Peccata etiam capitalia mente revolvant, & præſertim ea, quæ ſpiritualia ſunt, & difficilius cognoſcuntur, ut ſunt crimina ſuperbiæ, ambitionis, ſtudii placendi, dominandi, inclareſcendi ſuper alios, nec non peccata odii, invidiæ, ſimultatis, nec non hypocriſis. Sed præſertim illud eſt magis expendendum vitium, quod maxime in nobis dominatur, & omnia noſtra ſtudia, operationes, actiones, deſideria veluti movet, regit, moderatur: facile enim ex hoc plura detegentur occultiora crimina, & plura deprehendemus crimínoſa, & iniqua, quæ prava obcæcati paſſione, licita, honeſta, & fortaſſis etiam ſancta exiſtimavimus. Quare optime monet Auctor libri de vera, & falſa Pœnitentia inter Opera Sancti Auguſtini: *Tuam conſcientiam ſolerti revolve ſcrutinio; explora omnes angulos ejus, nihil in eo remaneat indiſcuſſum. Fode parietem, & abominationes conſcientiæ monſtruoſas revelabit tibi familiare ſcrutinium*. Qui dubitat prudenter, ne in confeſſione peccatorum oblivifcatur; ea ſcripto mandare debet, ut in Confeſſione legat. Nec audiendi ſunt benigniores Theologi, qui ab hoc onere eos liberant, etiam in prudenti periculo oblivionis, eo obtentu, quod hoc pœnitenti grave ſit, & ſubſit periculo amiſſionis pagellæ cum infamia Pœnitentis. Hæc enim incommoda facile vitari poſſunt cuſtodia pagellæ, ſcriptione ambigua, & peccati potius adumbratis, quam expoſitis; & alioquin integritas Confeſſionis eſt de jure divino præcepta. Legantur, quæ diximus de Præceptis Eccleſiæ Diſſ. 3. cap. 1. n. 7. & cap. 2. Conſ. 7. Qui vero rarius, & ſemel in anno confitentur, ſin maximam, majorem tamen diligentiam adhibere tenentur; præſertim ſi pluribus fuerint implicati curis, negotiis, ſollicitudinibus, ex quibus frequenter in peccata labuntur: ſerio enim diſcutere conſcientiam debent, & eam præſtare ſollicitudinem pro ratione, & modo quem ab alio diximus adhibendum. Qui vero frequentius confitentur, puta ſemel in menſe, licet illis non tanta ſit opus diligentia, tamen & ipſi ſecreta conſcientiæ rimare debent, & occaſiones, in quibus facile labi ſolent, expendere, peccata excutere, in quæ proclives ſunt; & præſertim prædominantem affectum, & paſſionem ſcrutari, ut, & quæ inde conſequuntur peccata, dignoſcant, & ea in Confeſſione aperiant. Quid vero præſtare debeat Miniſter in examine Pœnitentis ſuo loco dicemus.

VI. Si materialis integritas haberi non poſſit, ſufficit formalis, quæ in manifeſtatione conſiſtit omnium peccatorum, quæ poſt ſupra expoſitam ſedulam diſcuſſionem menti occurrunt; licet fortaſſe vel oblivione, vel ignorantia inculpabili aliqua omitterentur. Ita ſtatuit, & declaravit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 5. his verbis: „ Ex his „ colligitur, oportere a Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum *poſt diligentem ſui diſcuſſionem* conſcientiam habent, in Confeſſione „ recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum „ adverſus duo ultima Decalogi præcepta “. Et paulo poſt: „ Itaque dum omnia, quæ memoriæ „ occurrunt, peccata fideles confiteri ſtudent, „ proculdubio omnia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt; qui vero ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per „ Sacerdotem remittendum proponunt “. Et jure merito: nam Deus impoſſibilia non jubet. Proinde ſubdunt laudati Patres: *Confeſſio impoſſibilis non eſt, nec animæ carnificina. Conſtat enim nihil aliud a Pœnitentibus exigi, quam ut, poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.*

VII. Porro ad hanc formalem integritatem requiritur. 1. ut omnes peccatorum ſpecies manifeſtentur, etiamſi crimina occultiſsima ſint, & ſecretiſsima, & ſolum in intimo corde conſummata, ut ſunt illa, quæ duobus poſtremis mandatis adverſantur. Ita enim definitum vidimus in Tridentino Concilio, rationem reddente his verbis: *Quia ſecretiſſima etiam, & occultiſſima peccata, nonnunquam animam gravius ſauciant, & periculoſiora ſunt iis*,

iis, quæ in manifeſto admittuntur. Unde autem deſumatur ſpecifica peccatorum diſtinctio, fuſe declaravimus Differt. 3. de Peccatis cap. 6. & 7. Hic ſolum notandam addimus 24. propoſitionem ab Alex. VII. damnatam, quæ falſo, & imprudente aſſerebat: *Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem*.

VIII. Numerus quoque peccatorum eſt explicandus. Hujus propoſitionis veritas patet ex iis, quæ diximus ex S. Thom. n. 4. & ex Tridentino ſtatuente, peccata eſſe declaranda non in genere duntaxat, ſed in ſpecie, & ſingillatim, ratione deſumpta ex ipſa indole atque natura Sacramenti: quia nimirum cum Sacerdotes judices ſedeant in Sacramento Pœnitentiæ, rectum judicium incognita cauſa exercere minime poſſunt, neque æquitatem in pœnis injungendis ſervare: & præterea cum univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confeſſione a Deo quærere. Hinc merito Differt. 5. de Peccatis in genere cap. 9. confect. 1. reprobavimus ſententiam Lugo, Leandri, & Tamburini, aſſerentium in ordine ad Confeſſionem ſatis eſſe explicare confuſe numerum peccatorum.

IX. Sunt etiam aperiendæ circumſtantiæ, quæ ſpeciem peccati mutant, ideſt, quæ, præter malitiam peccati propriam, aliam plane diſtinctam ſuperaddunt; ut patet in furto rei ſacræ, in quo duplex habetur plane diſtincta malitia, contra juſtitiam ſcilicet, rem alienam furripiendo, & ſacrilegii contra Religionem, rem ſacram violando. Ita enim docuit, & ſtatuit Tridenrina Synodus ſubdens l. l. „ Colligitur præterea etiam eas circumſtantias eſſe in Confeſſione explicandas, quæ „ *ſpeciem peccati* mutant; quod ſine illis peccata „ ipſa neque a pœnitentibus integre exponantur, „ nec judicibus innoteſcant; & fieri nequeat, ut „ de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & „ pœnam, quam oportet, pro illis pœnitenti imponere. Unde alienum a ratione eſt, docere „ circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe; aut tantum circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem “. Quam doctrinam ſimul cum aliis numeris præcedentibus expoſitis complexa eſt laudata Synodus Can. 7. definiens: „ Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri *omnia*, „ *& ſingula peccata mortalia*, quorum memoria cum „ debita, & diligenti præmeditatione habeatur, „ *etiam occulta*, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta; & *circumſtantias, quæ ſpeciem* „ *peccati mutant*; ſed eam Confeſſionem tantum „ eſſe utilem ad erudiendum, & conſulendum „ Pœnitentem . . . . aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut „ demum non licere confiteri peccata venialia; „ anathema ſit “.

X. Sunt etiam in Confeſſione aperiendæ circumſtantiæ peccatum intra eandem ſpeciem notabiliter aggravantes. Huic doctrinæ adverſantur plures, præſertim ex recentioribus, & benignioribus Theologis, qui putant neceſſe non eſſe ad integritatem Confeſſionis, quod præfatæ aperiantur circumſtantiæ. At noſtra doctrina non ſolum probabilior eſt, ſed & unice vera, & in praxi tenenda. Licet enim Tridentina Synodus l. l. ſeſſ. 14. nihil de hac re definierit; ſua tamen præmiſſa doctrina ſatis indicat, Confeſſionem etiam harum circumſtantiarum eſſe faciendam. Docet ſiquidem S. Synodus, ut non ſemel diximus, Confeſſionem talem eſſe debere, ut ex ipſa valeat Sacerdos judicium efformare de criminum gravitate, & malitia, nec non æquitatem ſervare in pœnis infligendis. Porro quis non perſpicit, Confeſſarium recte judicare non poſſe de criminum gravitate, niſi & præfatæ circumſtantiæ ipſi innoteſcant? Aliter enim prudens Judex judicabit de furto centum aureorum, quam de furto unius, vel alterius aurei; aliter de homine ex odio, & præmeditato conſilio alterum interficiente, ac de illo, qui ipſum ex repentina ira, & ſuborta rixa occidit; de comburente integram villam, ac de incendiario abſumente aliqua ſolum mapalia, atque ita de aliis innumeris; & revera, hæc praxis fuit veteris Eccleſiæ, in qua juxta varias circumſtantias, etiam ſolum intra eandem ſpeciem aggravantes, graviores infligebantur pœnæ. Sic quamvis fuerit ejuſdem ſpeciei idololatria propria voluntate commiſſa, ac illa, quæ per vim, & metum extorquebatur; longe tamen gravior infligebatur pœna priori delicto, quam poſteriori. In Concilio quoque Ancyrano can. 22. homicida voluntarius, qui videlicet ſtudioſe, & data opera alium interfeciſſet, toto vitæ tempore ad peragendam pœnitentiam damnabatur; qui vero aliquo modo involuntarie, ideſt ex ira, & ſubito furore, ſolum ſeptem annorum pœnitentia plectebatur. Nec ab antiqua Eccleſiæ conſuetudine moderna diſciplina recedit: plura enim ſacrorum Canonum ſtatuta inveniuntur, quæ talem praxim confirmant. Nam Innoc. III. can. *Deus* in Extra. de Pœnit. & Remiſſ. ita decernit: *Conſideratis omnibus circumſtantiis, competentem pœnitentiam pœnitentibus imponatis, prout ſaluti eorum videbitis expedire*. In quo Canone nulla eſt profecto diſtinctio circumſtantiæ, vel mutantis ſpeciem, vel ſolum aggravantis. Pariter in Concil. Later. IV. Can. *Omnis utriuſque ſexus*, ſic indicitur: „ Sacerdos ſit diſcretus, & cautus, „ ac more periti Medici ſuperinfundat vinum, & „ oleum vulneribus ſauciatis, diligenter inquirens „ & *peccatoris circumſtantias, & peccati*; quibus „ prudenter intelliget, quale debeat illis præbere „ conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere “. Idem etiam deducitur ex damnatione duarum propoſitionum lata ab Alex. VII. & Innoc. XI. Nam licet habitus peccandi ſpeciem peccati non mutet; hanc tamen circumſtantiam eſſe in Confeſſione aperiendam Confeſſario interroganti definivit Pontifex 2. lo. laudatus, dum anathemate confixit propoſitionem 58. aſſerentem: *Non tenentur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*. Et pari pacto copula cum ſoluta ſpeciem non mutat alterius impudicæ actionis prævie cum ipſa peractæ: eam tamen eſſe patefaciendam declaravit Alex. VIII. damnando propoſitionem 25. docentem: *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens, commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam*. Similiter juxta plures Thomiſtas,

ſtas, & præcipue Cajetanum, aliis licet reclamantibus, S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 2. docet, inceſtum cum quacumque perſona, vel conſanguinitate, vel affinitate conjuncta eſſe ejuſdem ſpeciei; nihilominus gradum propinquitatis eſſe in confeſſione aperiendum: & evincit ipſa naturalis turpitudo, quæ longe major apparet in inceſtu cum matre, vel ſorore, quam cum affini, vel conſanguinea in quarto gradu: evincit etiam praxis universalis omnium Occidentalium Epiſcoporum, qui inceſtum in primo, & ſecundo gradu vel conſanguinitatis, vel affinitatis ſibi reſervant; quæ reſervatio ludicra plane eſſet, & fruſtranea, ſi Pœnitens circumſtantiæ gradus confiteri minime teneretur. Immo hanc eſſe Eccleſiæ doctrinam manifeſtat Catechiſmus Romanus, qui eam Parochis proponit, & fidelibus ut certo tenendam: docet ſiquidem Par. II. de Pœnit. n. 47. „Neque vero ſolum peccata gravia narrando explicare oportet, „verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumſtant, & pravitatem *valde augent*, „*vel minuunt*". Denique omnibus hiſce argumentis pondus non leve adjicit damnatio propoſitionis 1. ab Innoc. XI. lata aſſerentis: *non eſſe illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem, relicta tutiori*. Nam hic agitur de valore Sacramenti: integritas enim Confeſſionis eſt materia hujus Sacramenti. Si igitur ad ejus integritatem pertinet manifeſtatio circumſtantiarum; profecto hac omiſſa Sacramentum periculo exponitur fruſtrationis. Eſt igitur tenenda doctrina noſtra, quæ unice vera eſt, certa, & tutior.

XI. Nonnulli tamen putant aliter S. Thom. docuiſſe, & aggravantium circumſtantiarum expoſitionem, ac manifeſtationem neceſſariam minime agnoviſſe, his freti S. D. verbis ex IV. Sent. Diſt. 17. q. 3. art. 2. ſcribentis: „Quidam dicunt, „quod omnes circumſtantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri neceſſitatis eſt, ſi memoriæ occurrunt. Alii vero „dicunt, quod non ſint de neceſſitate confitendæ, „niſi circumſtantiæ, quæ ad aliud genus peccati „trahunt; & hoc eſt probabilius". Et revera hæc verba aliquibus Thomiſtis, & præſertim Natali Alexandro, adeo luculenta viſa ſunt, ut hanc fuiſſe D. Thom. mentem non dubitaverint, cum adhuc juvenis libros ſententiarum ſcriberet; quam tamen doctrinam mutaſſet in ſua Summa, ſi hoc ſuum poſtremum opus, vere aureum, implere, & perficere Superi conceſſiſſent. Verum, ſi præfata verba penitius introſpiciantur, non adeo clara, & luculenta ſunt, ut congruam explicationem non admittant. Quod ut pateat, ſubjicienda ſunt verba, quæ immediate ſequuntur mox recitata. Subdit itaque S. D. poſt illa verba, *quæ ad aliam ſpeciem mortalis trahunt*: „Cujus ratio eſt, quod „*venialia* non ſunt de neceſſitate Confeſſionis, „ſed ſolum mortalia, quæ quantitatem quodammodo *infinitam* habent; & quia circumſtantiæ „aggravantes, quæ aliam ſpeciem peccato non „tribuunt (vel quæ tribuunt quidem, ſed *non* „*mortalis* peccati) non ſunt de neceſſitate confeſſionis; tamen eaſdem confiteri perfectionis eſt, „ſicut de venialibus dictum eſt". In quibus verbis manifeſte patet, S. D. loqui de illa circumſtantia, quæ peccatum non gravat in infinitum, quia videlicet ſeorſim ſumpta peccatum mortale non conſtitueret, ſed ſolum peccatum veniale; ut patet manifeſte ex allata a D. Thom. ratione, ſcilicet *quia venialia non ſunt de neceſſitate Confeſſionis*. Quod patet in furto. Si quis furetur quatuor libellas Venetas, vel julios Romanos, hic profecto gravem ſurripit materiam, & lethaliter peccat. Quod ſi ſex furetur, hæc quantitas non eſt notabiliter major, quia de ſe non conſtitueret gravem materiam furti: unde ſolum addit venialis peccati malitiam; quæ proinde non eſt in Confeſſione neceſſario exprimenda. At ſi octo furetur, ſi decem, ſi viginti, jam hæc circumſtantia, cum de ſe idonea ſit ad gravem furti materiam, aggravat *in infinitum*, & peccatum non veniale, ſed *mortale* conſtituit; & ideo eſt in Confeſſione exprimenda. Solum enim circumſtantiam in infinitum aggravantem explicandam docet S. Thom. ut patet, cum in eodem loco intra parentheſim dicat, *vel quæ tribuunt quidem, ſed non peccati mortalis*. Et revera, ſi fingamus unum aureum Venetum conſtituere gravem materiam furti, qui decem furatur, novem ſuperaddit lethalis peccati rationes; & æquivalet decem furtis lethalibus peractis, ſi ſeorſim per decem vices vel ipſe, vel aliæ decem perſonæ diſtinctæ furriperent. En igitur, quomodo hæ circumſtantiæ aggravant in infinitum, & ad peccatum mortale de ſe conſtituendum ſunt idoneæ. Exprimendæ igitur juxta doctrinam A. P. in Confeſſione.

XII. Peccata quoque dubia ſunt in Confeſſione aperienda, ſive dubium ſit juris, ſive facti. Dubium juris tunc habetur, quando pœnitens dubitat, num peccatum a ſe commiſſum ſit lethale, vel veniale. Dubium facti, quando dubitat, num actionem de ſe graviter criminoſam admiſerit; vel certus illam admiſiſſe, num in Confeſſione manifeſtaverit. Sunt, qui diſtinguunt inter dubium poſitivum, & negativum. Cui diſtinctioni favere videtur D. Thom. quæſt. 4. de Veritate, dum docet, duplici modo menti noſtræ occurrere poſſe dubium: 1. *Quando intellectus noſter non magis inclinatur ad unum, quam ad aliud, propter defectum moventium; ſicut in problematibus, de quibus rationes non habemus*: ut qui dubitat, an arenæ littoris ſint pares, vel impares; hoc enim dubium negativum eſt, cum juxta S. Thom. deficiant *moventia*, ſcilicet rationes, & motiva vel aſſerendi, vel negandi. Et hujus dubii nulla eſt habenda ratio; cum vix locum habeat in moralibus. Dubium vero poſitivum eſt, quando ancipites ſumus juxta S. Thom. *propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem: & iſta eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis*. Quando igitur quis hoc modo dubitat, ſive dubium ſit facti, ſive juris, dicimus hunc teneri peccata ſua, ut dubia, in Confeſſione aperire. Non conſentiunt huic doctrinæ laxiores Probabiliſtæ, inter quos laxiſſimus Viva, quippe qui ope Probabiliſmi oſtendit, liberum eſſe eligere ex duabus propoſitionibus æque probabilibus, quam maluerit; cum æque ſit probabile, & quod ſit peccatum, & probabile, quod non ſit peccatum; vel æque probabile, quod admiſerit, & æque probabile, quod non admiſerit, cum æqualia militent pro utraque parte argumenta. Verum doctrina noſtra ſola vera eſt, ſola probabilis, ſola tenenda. Eam ſiquidem aperte docet

D 4 D. Th.

D. Thom. in IV. Diſt. 21. art. 7. ad 3. ſcribens: „ Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, *an* „ *ſit mortale* tenetur illud confiteri dubitatione „ manifeſtata; quia qui aliquid committit, vel „ omittit, in quo dubitat eſſe mortale peccatum, „ peccat mortaliter diſcrimini ſe committens; & „ ſimiliter periculo ſe committit, qui de hoc du- „ bitans eſſe mortale, negligit confiteri. Non ta- „ men tenetur aſſerere illud eſſe mortale; ſed cum „ dubitatione loqui, & judicium Sacerdotis expe- „ ctare, cujus eſt diſcernere inter lepram & le- „ pram ". Conſentit & Bellarminus, qui contrariam ſententiam, quam defendiſſe refert Lutherum, non *parvum* ejus *errorem* appellat. Sic enim ſcribit lib. 3. de Pœnit. cap. 1. „ Martinus Lutherus „ docet, non eſſe confitenda venialia, nec omnia „ mortalia, ſed ea tantum, quæ ſunt manifeſte „ mortalia. Dubitari ſolet, quid *per manifeſta* „ *peccata*, quæ ſola ad Confeſſionem pertinere „ voluit, Lutherus intellexerit ". Et variis adductis, ac rejectis interpretationibus, concludit: „ Quare id ſolum reſtat, ut de dubiis intellexe- „ rit, qui certe *non parvus eſt error* ". Noſtram ſententiam docet & Catechiſmus Concilii Tridentini Par. II. cap. 5. n. 50. ſcribens: „ Ea Con- „ feſſio eſſe debet, quæ nos tales Sacerdoti ape- „ riat, quales nos ipſos novimus, *certaque pro* *certis, & dubia pro dubiis* demonſtret ". Denique & ipſi cordatiores Probabiliſtæ noſtræ doctrinę veritatem confeſſi ſunt. Teſtes ſunt Salmanticenſes, qui fatentur ſententiam noſtram eſſe communem omnium Theologorum, etiam Probabiliſtarum. Nam ſcribunt: „ Videatur Sanchez, refe- „ rens quadraginta doctores, dicens, rem eſſe cer- „ tiſſimam; Diana, qui cuncta probabilia ſuſtinet, „ oppoſitam cenſet improbabilem. Leander etiam „ in eligendis ſententiis minime ſcrupuloſus, di- „ cit eſſe certiſſimam ".

XIII. Pari pacto, ſi quis dubitet, num mortale a ſe admiſſum confeſſus fuerit, manifeſtare tenetur. Hanc quoque doctrinam rejicit Viva, qui „ non dubitat aſſerere, oppoſitam doctrinam ne- „ dum probabilem eſſe, ſed & communem; & quę „ locum habet, non ſolum quando quis *habet ra-* „ *tionem probabilem*, quod confeſſus fuerit, & *pro-* „ *babilem* quod non fuerit confeſſus; verum et- „ iam ſi *probabiliores* urgeant, & ideo *probabilius* „ ſit omiſſum in Confeſſione, & ſolum probabile „ fuiſſe manifeſtatum ". Verum hanc doctrinam & ipſi Probabiliſtæ deteſtantur, & oppugnant; ut videre eſt apud Salmanticenſes ita docentes T. 12. Par. 2. Tr. 24. dub. 6. §. 1. n. 178. „ Cenſemus „ eum, qui certo ſcit ſe aliquod mortale commi- „ ſiſſe, & dubitat, an illud confeſſus fuerit, obli- „ gari ad ejus confeſſionem. Ita Navarrus, Sua- „ rez, Sanchez, Dicaſtillo, & alii communiter. „ Unde vel ipſe Caramuel, qui in ſuis rebus cen- „ ſetur aliis laxior, aut liberior, cum ſciviſſet, „ quoſdam Jeſuitas Viennæ defendiſſe Theſim huic „ communi doctrinæ contrariam, & Caramuelem „ pro ſe allegaſſe, renuit palam, ſe excuſavit, „ atque aſſeruit ſe aliter philoſophari de dubio, „ aliter de peccato mortali certo, & dubia Con- „ feſſione ". Et revera nova hæc Probabiliſtarum laxa doctrina & lumini rationis, & communi fidelium ſenſui, ac praxi repugnat. Nam ipſo naturali lumine compertum eſt, per dubiam ſolutionem non ſatisfieri certo debito: cum itaque certus ſit de debito admiſſum peccatum in Confeſſione pandendi, & incertus, num manifeſtaverit, tenetur debitum ſolvere, & adimplere: alioquin ſe periculo exponet ſacrilegæ confeſſionis. Ipſi quoque fideles, interno urgente conſcientiæ ſtimulo, quando dubitant, num oblivione aliquod confiteri omiſerint peccatum, dubium ſuum Miniſtro exponunt, & de admiſſo peccato ſe accuſant.

XIV. Peccata quoque, etiam per inculpabilem oblivionem omiſſa, ſunt Miniſtro pandenda. Non defuere Theologi, qui oblita peccata, utpote jam per Sacramentalem abſolutionem deleta, putabant non eſſe amplius Clavibus ſubjicienda. At falſam hanc, & erroneam doctrinam reprobavit Alexander VII. propoſitionem 12. damnando ita aſſerentem: *Peccata in Confeſſione omiſſa, ſive oblita, ob inſtans vitæ periculum, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exponere*. Nec obſtat, Concilium Tridentinum docere, *peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe intelligi*. Hoc enim ita accipiendum eſt, ut incluſa quidem intelligantur quantum ad abſolutionis beneficium; non vero quantum ad onus ea pandendi. Sicut enim per contritionem perfectam ita remiſſio conceditur peccatorum, ut tamen Pœnitens ea Eccleſiæ Clavibus ſubjicere debeat; ita & per Sacramentum etiam oblitarum conceditur venia culparum, ut tamen eas teneatur Miniſtro manifeſtare. Quod pariter eſt dicendum & de circumſtantia peccati ſpeciem mutante, vel notabiliter aggravante, ſi per inculpatam oblivionem omiſerit pœnitens confiteri; quippe quia integra, & perfecta eſſe debet Confeſſio. Quamobrem qui fornicationem confeſſus, oblitus eſt manifeſtare, ſe, vel fœminam fuiſſe caſtitatis voto obſtrictam, tenetur iterum totum peccatum confiteri, nimirum ſacrilegam fornicationem: nec ſatis eſt, ſi dicat, ſe caſtitatis votum violaſſe; nunquam enim integra fuiſſet confeſſio: non quando fornicationem manifeſtavit, tunc enim circumſtantiam ſacrilegii omiſit: non quando ſacrilegium confitetur; tunc enim peccatum fornicationis celat.

XV. Effectus quoque, ſive conſummatio peccati eſt in Confeſſione neceſſario aperienda. Hoc onus negant benigniores, ſeu potius laxiores Theologi, inter quos La Croix, qui probabiliorem reputat doctrinam, ab hac obligatione eximentem reum: „ Quia, inquit, licet effectus fuerit in peccato, „ veluti in cauſa prævi ſus, aut etiam intentus; „ tamen talis effectus proprie dici non poteſt pec- „ catum . . . cum neque ſit in ſe peccatum, ne- „ que etiam externe compleat peccatum, ſecun- „ dum dicta n. 493. Ergo non eſt obligatio illum „ confitendi, quia non eſt obligatio confitendi, „ niſi peccata. Nam ſive retractavit, ſive non, ef- „ fectus manet ſuo modo æqualiter imputabilis, „ non tanquam culpa, ſed tanquam effectus cul- „ pæ præſentis; & conſequenter talis homo ſatis- „ faciet dicendo, *projeci Breviarium*, prævidens „ me tanto tempore non poſſe orare; propinavi „ proximo venenum, prævidens ejus mortem, ta- „ cendo, an horas omiſerit, & an mors ſecuta ſit, „ nec ne ". Verum hujus doctrinæ falſitatem nemo eſt ſanæ mentis, qui non videat, & horreſcat. Nam peccatum & actu externo completur, & in-

interno: non integre ergo confitetur, qui totum non confitetur. Quandoquidem effectu non manifeſtato non ſatis innoteſcit Miniſtro efficacitas, extenſio, intenſio pravi affectus. Præterea exteriores actus debitum inducunt vel reſtitutionis, vel ſcandali reparandi; nec non Eccleſiaſticis ſubjacent cenſuris, a quibus immunes ſunt meri interni actus. Qui igitur propinat venenum, unde mors ſequitur, reus eſt non ſolius pravæ voluntatis, ſed & homicidii; proinde peccantis, & peccati ſtatus mutantur. Similiter, qui nimium potat, prævidens ebrietatem, quæ revera conſequitur, & ipſam ebrietatem confiteri debet. Sunt tamen, qui diſtinguunt: nimirum, ſi effectus ſit prævîſus, eſt, inquiunt, in confeſſione aperiendus; ſi vero prævîſus non ſit, utpote plane involuntarius, neceſſitatis non eſt in confeſſione ipſum exponere. Huic doctrinæ ſubſcribo, ſi tamen addatur, nec prævidere poſſet, vel teneretur: ſi enim vel potuit prævidere, vel aperte prævidere tenebatur; ſicut effectus eſt indirecte voluntarius, proinde peccatum complens, & perficiens, eſt in Confeſſione aperiendus. Legantur, quæ diximus Diſſert. 1. de Principiis Actuum hum. cap. 6. conſect. 5.

XVI. Conſuetudo peccandi aperienda eſt Confeſſario etiam non interroganti. Et quidem de ſe, & abſolute conſuetudinem peccandi non eſſe in Confeſſione manifeſtandam, plures docuere benigniores Caſuiſtæ, hac unica freti ratione: quia, ut inquit La Croix, „ nemo per ſe loquendo tenetur bis confiteri idem peccatum; peccata autem præterita, per quæ eſt cauſata conſuetudo, ſunt antehac confeſſa, ut ſupponitur; nec peccatum præſens aggravatur, *ſed potius* minuitur ratione præcedentis conſuetudinis, quæ aliquo modo minuit libertatem “. Verum hanc univerſalem doctrinam, ut falſam, & laxam, reprobavit Innoc. XI. qui ſaltem declaravit, hanc conſuetudinem eſſe in Confeſſione aperiendam, ſi Confeſſarius de ea interroget; quippe qui damnavit propoſitionem 58. aſſerentem: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.* Nec tamen Theologi, qui hanc damnationem ſunt ſubſecuti, a ſua ſententia plene diſceſſere; ſed ſolum fatentur quidem Pœnitentem Confeſſario de conſuetudine peccandi interroganti confiteri debere conſuetudinem; at ſi non interroget, adhuc ad eam aperiendam conſuetudinem per ſe obſtrictum non eſſe. Id aperte docet Viva in Curſu Theologico Morali Tom. 2. Par. 4. q. 5. num. 11. ſcribens: „ Licet teneatur pœnitens reſpondere Confeſſario interroganti conſuetudinem peccandi; cum oppoſita ſententia ſit damnata ab Innoc. XI. . . . . tamen per ſe loquendo non eſt aperienda hujuſmodi conſuetudo “. Verum hæc doctrina ipſiſſima eſt cum damnata: quandoquidem non ideo conſuetudo peccandi eſt in Confeſſione aperienda, quia contrariam doctrinam damnavit Pontifex; unde tota ratio oneris manifeſtandi conſuetudinem ſit repetenda ex ſtatuto Pontificis: ſed plane ex oppoſito: ideo enim doctrinam liberantem ab onere aperiendæ conſuetudinis damnavit Pontifex, quia ex lege divina, ex divino præcepto, ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ peccator ſuam conſuetudinem peccandi manifeſtare tenetur. Uno verbo, non ideo conſuetudo peccandi eſt manifeſtanda, quia Pontifex juſſit; ſed ideo juſſit Pontifex manifeſtandam, quia jus divinum, & Sacramenti indoles hanc poſtulat confeſſionem. Et revera, qui ex conſuetudine peccat, peccat ex certa malitia; ut docet S. Thom. 1. 2. q. 78. art. 2. ſcribens: „ Quicumque utitur habitu vitioſo, neceſſe eſt, quod *ex certa malitia* peccet; quia unicuique habenti habitum, eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conveniens ſecundum proprium habitum; quia ſic fit ei quodammodo connaturale, ſecundum quod conſuetudo, & habitus vertitur in naturam. Hoc autem, quod eſt alicui conveniens ſecundum habitum vitioſum, eſt id, quod excludit bonum ſpirituale. Ex quo ſequitur, quod homo eligat malum ſpirituale, ut adipiſcatur bonum, quod eſt ei ſecundum habitum conveniens. Et hoc eſt *ex certa malitia peccare*. Unde manifeſtum eſt, quod quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia “. Hinc apparet futilitas, & ineptitudo rationum a La Croixio adductarum in hujus laxæ, & falſæ doctrinæ confirmationem. Quandoquidem ſi nemo tenetur bis peccatum ſuum confiteri, injuſte mandavit Pontifex Pœnitenti de peccandi conſuetudine interrogato, eam Confeſſario fateri: onus enim illi impoſuiſſet plane intolerabile, & a Chriſto minime impoſitum; quod certe quam falſe, quam temere dictum, nemo non videt. Nec minus falſum eſt, quod ſecundo loco ſubdit, ſcilicet peccata conſuetudine minui; cum immo ipſa conſuetudo peccandi malitiam peccatoris & majorem oſtendat, & magis aggravet: ea enim ſola inadvertentia libertatem minuit, quæ antecedens eſt, & involuntaria; non quæ ſubſequens, & voluntaria. Porro illa inadvertentia, quæ conſuetudinem conſequitur peccandi, non antecedens eſt, ſed conſequens; non involuntaria, ſed plane voluntaria eſt; proinde non minuit peccati malitiam, ſed auget. Quis enim ſanæ mentis non perſpicit, ex conſuetudine peccantem longe iniquiorem reputari illo, qui ſolum ex infirmitate, vel etiam, ſi lubet, ex malitia ſemel tantum peccat? Legatur epiſtola 2. P. Danielis Concinæ adverſus Diſſertatorem Caſuum in Veneta Diœceſi reſervatorum.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Defectus examinis non excuſat ab integritate materiali Confeſſionis.*
II. *Quem certum numerum peccatorum pœnitens debeat confiteri.*
III. *Circumſtantiæ in Confeſſione aperiendæ enumerantur. Et* 1. Quis *explicatur.*
IV. *Exponitur circumſtantia* Quid.
V. *Et loci, ſive* Ubi.
VI. *Finis, & inſtrumentorum, ideſt* Quibus auxiliis, *&* Cur.
VII. *Modi, & temporis*, Quomodo, Quando.
VIII. *Complicis quando reticenda, quando manifeſtanda Perſona.*
IX. *Quomodo cum ſcrupuloſis agendum.*
X. *Ad plenam, perfectamque Confeſſionem conditiones requiſitæ.*

Conſectarium Primum.

I. QUi ob culpabilem defectum diſcuſſionis conſcientiæ integritatem materialem Confeſſionis, quam præſtare potuiſſet, non præſtat, a culpa non excuſatur. Veritas hujus propoſitionis de ſe manifeſta eſt: nam ipſa integritas materialis eſt in præcepto, quando haberi poteſt; & eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Dixi a culpa non excuſatur, vel veniali ſcilicet, vel mortali, juxta culpabilem defectum vel majorem, vel minorem: qui enim ex craſſa negligentia ſuam diſcutiendi conſcientiam aliqua omittit confiteri peccata; profecto & graviter peccat, & beneficium Sacramenti Pœnitentiæ non conſequitur: e contra vero, qui juxta ſui ſtatus conditionem intima ſua conſcientiæ penetralia rimatus eſt, licet fortaſſis alicujus peccati, vel peccatorum numeri oblitus ſit, quamvis majori adhibita diligentia & illa detexiſſet; fructu Sacramenti non privatur. Eſt igitur negligentia in examine vitanda; nec tamen ad nimis anxiam, ſollicitam, & ſcrupuloſam ſedulitatem obſtringendi Pœnitentes, ne nimis turbentur, & oneroſum illis reddatur tam neceſſarium Sacramentum. Hinc non uſquequaque veram reputo regulam P. Viva docentis tunc argumentum haberi invalidæ Confeſſionis ex defectu examinis, quando quis reperit plura eſſe peccata, quæ ex oblivione omiſit, quam quæ manifeſtavit. Hoc ſiquidem verum eſt: at non ita idoneum eſt argumentum validæ Confeſſionis, ſi ex oppoſito plura ſint, quæ manifeſtaverit, quam quæ ex oblivione celavit; nam adhuc iſtorum confeſſionis omiſſio, licet numero minora ſint, progredi poteſt ex culpabili, & gravi defectu examinis, ac diſcuſſionis conſcientiæ. Regula quidem univerſalis pro omnibus ad dignoſcendum, num legitimum, & neceſſarium adhibitum fuerit examen, ſtatui, & aſſignari minime poteſt: ſed attendenda eſt conditio Pœnitentis, tempus ab ultima Confeſſione elapſum, munia, officia, negotia ipſius Pœnitentis; & ex his omnibus, ſed præſertim ex cura, ſollicitudine, ſtudio veræ converſionis dijudicandum, num quoad diſcuſſionem conſcientiæ ſit recte diſpoſitus: qui enim ſerio animo vitam mutare ſtatuit, omnia veteris vitæ flagitia, pravos habitus, conſuetudines ſerio expendit, & ſincere, aperte, ac integre Confeſſario pandit.

Conſectarium Secundum.

II. Qui numerum peccatorum certo reperire, ac propterea confiteri non valet, ſatis eſt, ſi, quem veroſimiliorem arbitratur, exponat. Non enim exigit Deus, quod homini eſt impoſſibile. Pœnitens igitur, qui bene diſcuſſa conſcientia definite numerum ſuorum peccatorum non reperit, ſatis eſt, ſi dicat, ſe circiter decies, plus, minuſve peccaſſe. Sed quid, ſi qui confeſſus eſt ſe *circiter* decem peccata commiſiſſe, poſtea comperit certo non decem, ſed undecim, aut duodecim fuiſſe patrata crimina; tenetur ne hunc determinatum numerum confiteri? Affirmat P. Cuniliati, at nimium rigide meo videri, hac unica ductus ratione, quia, inquit, illud unum, vel duplex peccatum, quod in verbo *circiter* complexus eſt, nonniſi ut dubia manifeſtavit: peccata autem, quæ ſub dubio ſunt in confeſſione recitata, ſi certa deprehendantur, ut certa ſunt aperienda; ergo idem dicendum de numero dubio. At reſpondeo, omnia peccata, ut certa, non ut dubia, fuiſſe manifeſtata; & ſolum ſub incerto prolatum numerum, quem Confeſſarius non ut dubium habet, ſed ut certum; & idem judicium efformat, ac ſi certum eſſet; proinde neceſſe non eſt, ut iterum certum, quem poſtea deprehendit, numerum pandat. At ſecus eſt de peccato, quod ut dubium confitetur Pœnitens; aliud enim, & plane diverſum efformat judicium Miniſter de peccato certo ac de dubio. Cum vero Confeſſio ſit ordinata ad Sacramentale judicium; hoc non mutatur ex incertitudine numeri, ſicut mutaretur ex incertitudine peccati: eapropter peccatum dubium, ſi certum deprehendatur, ut certum eſt manifeſtandum; at numerus ſub formulis *circiter*, *plus*, *minuſve* manifeſtatus, neceſſe non eſt, ut ſi poſtea determinatus deprehendatur, iterum Sacramentali judicio ſubjiciatur. Quod & confirmatur ex Rituali Pariſienſi citato a Tournelii Continuatore, ubi dicitur: „ Si alius „ occurrat numerus, qui probabilius ad verum ju- „ dicetur accedere, is etiam ſufficiat: & licet pe- „ racta Confeſſione recordetur Pœnitens *veri*, *ac* „ *certi numeri*, non debebit eſſe anxius de illo ite- „ rum in alia confeſſione aperiendo; ſed liber ab „ illa obligatione per illum numerum ante expreſ- „ ſum “. Hoc quidem verum eſt, ſi numeri ſub incerto prolati deprehenſum incrementum parvum ſit, non vero, ſi magnum; tunc enim procul dubio eſt manifeſtandum, cum Sacerdotis judicium in certo ſit mutandum. At, quantum eſſe debeat hoc incrementum, ut onus conſurgat illud manifeſtandi, non eſt facile definire. Illud pro certo habendum, 1. eam formulam non eſſe adhibendam temere, & quaſi divinando, ſed poſt diligens examen. 2. Eam formulam *circiter*, *plus minuſve* non comprehendere quemcumque exceſſum, etiam notabilem; ſed modicum, aut minorem, vel majorem proportione ſervata ad expoſitum numerum. Quod ſi numerus ob diuturnam in peccato perſeverantiam, & criminum præcipue internorum, odii, inhoneſti deſiderii, vel complacentiæ, multitudinem deprehendi vix poſſit; tunc regula tenenda eſt, quam dedimus Tract. 3. Diſſ. 3. cap. 9. Confect. 10. ſcilicet ut confiteatur Pœnitens hoc pacto, Perſeveravi per annum, vel annos in odio erga unum, vel plures, in voluntate occidendi hunc, aut aliquos, in deſiderio fruendi hac, aut illa muliere; & hoſce actus toties in die, vel hebdomada iterari ſæpius, aut rarius, prout ſibi videbitur. Qui vero numerum ſupra veritatem exaggeravit inculpabiliter, ſi poſtea verum numerum deprehendat, non tenetur errorem aperire; cum in majori numero & minor contineatur; quamvis, ſi res agatur cum eodem Miniſtro, prudenter ageret verum numerum ſignando.

Conſectarium Tertium.

III. Circumſtantiæ, quæ peccatum vel ad aliam trahunt ſpeciem, vel notabiliter aggravant, hoc decantato recenſentur verſiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quam-

Quamobrem ſunt omnes expendendæ, ut quænam ſint manifeſtandæ, & de quibus interrogandi Pœnitentes, noverint Sacramenti Miniſtri. Et quidem prima circumſtantia *Quis* ſtatum, conditionemque denotat ipſius Pœnitentis, qui manifeſtare debet in peccato fornicationis ſtatum ſuum, num Religioſus, num uxoratus, num affinis, vel conſanguineus. Tenetur itaque Religioſus, licet Sacerdos, vel in ſacris conſtitutus, votum ſuum ſolemne manifeſtare: nam duplex irrogatur injuria & ſtatui Clericali, & voto ſolemni, per quod ſpeciali conſecratione homo Deo dicatur. Immo & conditio Novitii, vel Novitiæ in aliqua Religione, deformitatem, libidinis crimen notabiliter aggravantem, importat; proinde exprimenda. Sicut & conditio ſponſi cum ſponſa fornicantis, vel etiam cum alio, vel alia: ſunt enim in hoc coram Deo pares; licet in conſpectu hominum turpior reputetur ſponſæ fornicatio, quam ſponſi. Ratio primæ partis eſt: quia dum ſponſi fornicantur invicem, facile in occaſionem proximam peccandi ſe conjiciunt; unde in pluribus Diœceſibus hæc fornicatio Epiſcopo reſervatur: ex familiari enim commercio ſub umbra ſponſalium, diruta ſemel verecundiæ ſepe in femina, innumera gignuntur peccata, ut expertis Pœnitentiæ Miniſtris compertum eſt. Ratio vero ſecundæ partis eſt; quia ſponſus, vel ſponſa cum aliis fornicantes injuriam irrogant parti innocenti, quæ tanti æſtimatur, ut dirimendorum ſponſalium juſtam præbeant cauſam. Virgo quoque, cum primo virginitatem per fornicationem amittit, amiſſæ etiam ſponte virginitatis circumſtantiam fateri debet; tum ob injuriam, quam irrogat parentibus, tum ob ſpecialem turpitudinem, per quam Virginitatem a Deo conceſſam, vel cuſtodiendam, vel ſolum caſto Matrimonio commutandam, turpiter abjecit. Multoque magis circumſtantiam ſtupri manifeſtare debet, qui virginem etiam ſponte conſentientem, vel etiam invitantem violat; ut docuimus de ſexto Decalogi præcepto cap. 5. & 6. Circumſtantiæ quoque ſcandali a pertrahente alium ad peccandum eſt manifeſtanda, cum ſpeciale conſtituat peccatum diſtinctum ab illo, in quod committendum conſentiunt; licet fortaſſis alter jam eſſet ad peccandum diſpoſitus, ut in meretrice: & ratio eſt, quia licet hæc ſit habitualiter ad peccandum diſpoſita, quod tamen hic, & nunc peccet, & in crimen erumpat, in cauſa eſt qui ſollicitat; idque multo magis verum eſt, ſi ſollicitanti ſollicitatus reſiſtat; in ſollicitante enim tota ſcandali malitia exeritur. Augetur autem hoc ſcandalum ex dignitate perſonæ illud præbentis. Hinc Prælatus, Epiſcopus, vel alius in Eccleſiaſtica dignitate conſtitututus, vel communiter pro viro probo, & pio habitus, ſi publice peccet, ſuam dignitatem, & conditionem manifeſtare tenetur. Et in hoc conveniunt pene omnes Theologi, qui conſentiunt non eſſe eam manifeſtandam, ſi peccatum ſit mere internum; at diſſentiunt, ſi peccatum externum quidem ſit, ſed occultum: ſunt enim, qui negant; ſed probabilior eſt opinio, quæ aſſerit manifeſtandam. Nam 1. ſemper adeſt majus ſcandalum ex parte complicis, quo major eſt dignitas vel pertrahentis, vel conſentientis peccato. 2. Quia ſicut majus debetur obſequium hujuſmodi perſonis, ita deterius, & turpius apparet illorum peccatum, quod ferme ſemper eſt cum hypocriſi conjunctum. Qui ex juſtitia aliena tueri debent, ut cuſtodes agrorum, Judices, Miniſtri, qui furta impedire debent, ſi ipſi furentur, cum dupliciter peccent contra juſtitiam, aliena ſurripiendo, & ſuum munus, ad quod delecti ſunt, & fortaſſis etiam pretio conducti, non implendo. Confeſſarius quoque peccans cum ſua pœnitente, licet nec directe, nec indirecte Confeſſarii officio abutatur, conditionem manifeſtare tenetur; cum ſpecialem ſcandali afferat turpitudinem; quamobrem in aliquibus Diœceſibus reſervatur Epiſcopo hujuſmodi crimen. Hic tamen corrigendus Concina, qui Cap. 7. n. 9. dicit, Benedictum XIV. abſtuliſſe a Confeſſariis auctoritatem abſolvendi ab hoc crimine: quod certe minus accurate dictum eſt, cum laudatus Pontifex non tale crimen ſibi reſervaverit; ſed juriſdictionem ademerit Confeſſariis abſolvendi complices ſuos in peccato turpi. Sunt fortaſſis & aliæ circumſtantiæ expendendæ; ſed doctrina, num ſint exponendæ in Confeſſione, deſumenda eſt ex peculiaribus tractationibus.

Conſectarium Quartum.

IV. Qualitas etiam peccati, nec non ejus objectum ſunt explicanda; tum quia ipſum peccatum determinant, tum quia ſecum afferre poſſunt vel ſpeciei peccati mutationem, vel valde gravantem circumſtantiam: & hoc in circumſtantia *Quid* comprehenditur. Hinc conveniunt Theologi, turpiter cognoſcentem, vel deſiderantem, teneri perſonam exprimere, quam cognovit, vel turpiter concupivit: at non conſentiunt, ſi ſolum moroſe delectatus ſit. Nam La Croixius dicit, qui ſine deſiderio perſonam veneree aſpicit, non tenetur dicere, qualis perſona fuerit: quod & confirmat de tactu impudico; non enim cenſent exprimendam partem impudice tactam. Verum oppoſitum probabilius cenſeo. Quis enim non videt, quam turpius ſit impudice delectari de copula cum Matre, Sorore, Moniali, quam cum meretrice, vel alia fœmina: ſicut & quam turpius ſit mammillas, aut verenda fœminæ attrectare, quam genas, vel manus; præſertim cum Priores tactus de ſe ad venerem provocent, non vero ſecundi? Pari pacto, qui ex odio malum proximo deſideravit, non ſatis eſt, ſi dicat, ſe proximum graviter odiſſe, ut docet Viva: ſed & ipſa mala, quæ illi deſideravit, explicare tenetur. In furto quantitatem ablatam debet exponere. Quod ſi bona fide crediderit, ſolum centum ablata, deinde reperiat fuiſſe bis centum, non ſatis eſt, ſi iterum confiteatur ſe centum abſtuliſſe; quia ſic integra confeſſio non erit, nec in prima, nec in poſteriori accuſatione: ſed ſi idem ſit Confeſſarius, errorem ſuum illi aperire debet; ſi alter, manifeſtare integram furti quantitatem. Qui alium percuſſit, vulneravit, occidit, perſonam explicare debet, num videlicet fuerit Pater, Mater, Frater, Conſanguineus, Sacerdos, Princeps &c. Quod & de illo dicendum, qui alteri maledixit, & mala imprecatus eſt. Qui Sorori, vel Matri remedium propinavit ad fœtum necandum ex flagitioſo concubitu conceptum, has perſonas manifeſtare tenetur.

Con-

Conſectarium Quintum.

V. Aliquando & loci circumſtantia eſt manifeſtanda, cum hæc quoque & ſpeciem peccati mutare poſſit, & malitiam augere. Qui itaque furantur, vulnerant, fornicantur, vel polluuntur in loco ſacro, hanc circumſtantiam tenentur patefacere, quæ peccati malitiam ſacrilegio adauget. Nec audiendi, qui docent, rem ſacram in loco ſacro auferentem integre confiteri, ſi dicat, ſe ſacrilegum furtum perpetraſſe. Nam duplex ibi habetur ſacrilegium, ob duplicem injuriam, & loco ſancto, & rei ſanctæ illatam. Sicut illorum rejicienda opinio, qui docent, ſacrilegii reum non eſſe, qui rem profanam in loco ſacro furatur, puta pecuniam ex crumena orantis; ſed ſolum quando res profana in ſacro loco poſita eſt ad cuſtodiam, vel majorem ſecuritatem. Videantur, quæ diximus Diſſ. V. de Vitiis Religioni oppoſitis cap. 2. Conſect. 11. Nec audiendus La Croixius, dum docet, oſcula, tactus, aſpectus, turpiloquia, etiam publica, facta in loco ſacro, non habere rationem ſacrilegii. Nam omnes actus impudici externi, licet occultiſſimi, fornicationes, pollutiones, oſcula, tactus, aſpectus in Eccleſia admiſſi, ſacrilegii circumſtantiam induunt, in confeſſione aperiendam. Sicut & homicidium, etiam ſine ſanguinis effuſione, vel effuſio ſanguinis ſine occiſione, ſive vulnus, & mors inferatur ab exiſtente extra Eccleſiam in ipſo Templo exiſtenti, ſive vice verſa, ſacrilegium eſt, proinde manifeſtandum.

Conſectarium Sextum.

VI. Finis quoque peccati, & inſtrumenta, quibus utitur quis ad peccandum, circumſtantiam afferre poſſunt in Confeſſione aperiendam. Sic qui jejunium fregit, modum fractionis dicere debet, num abſtinentiam, aut jejunium violaverit, ſcilicet vel vetitos cibos comedendo, vel pluries, vel utroque modo. Similiter, ſi quis ad publica fraudanda vectigalia Miniſtris ipſis utatur, eos pecunia corrumpendo. Si Servis uſus ſit ad Concubinam domum ducendam ad ſui cuſtodiam, dum cum illa verſatur. Similiter, ſi Sacramentis, Sacramentalibus, aliiſque ſacris rebus uſus ſit ad incantationes, ſortilegia, & alia crimina perpetranda; ſi Diaboli uſus ſit miniſterio, vel invocatione ad aliquid obtinendum. Qui pravo exemplo alium ad peccandum induxit, peccati ſpeciem manifeſtare debet, licet indirecte ſolum dederit; etſi hoc negent nonnulli Probabiliſtæ. Finis quoque aliquando peccati ſpeciem mutat, & quod eſt de ſe veniale, reddit mortale, ut ſi quis levis furti falſo accuſet ſervum, ut domo expellatur; ſi mentiatur ad virginem seducendam. Similiter qui Eccleſiam frequentat ad virginem impudice aſpiciendam; qui Sacramenta frequentat, & pietatem ſimulat ad famam pietatis, & ſanctitatis, vel ad lucrum captandum, & ſimilia.

Conſectarium Septimum.

VII. Modus denique, & tempus vel mutare, vel augere poſſunt peccatum. In actibus Matrimonii, vel impudicitiæ modi ſunt explicandi, ſi præſertim generationem impediant. Sed in his cautus ſit Sacer Miniſter, nec plus requirat, vel confiteri ſinat, quam neceſſarium ſit ad peccati ſpeciem dignoſcendam, & turpitudinem. In furto quoque violentia eſt exprimenda, quæ rapinam a furto diſtinguit ſpecie. In homicidio ſævitia ſive in occidendo, ſeu in cadaver ſæviendo. Mora quoque in peccato, in detentione rei alienæ, in odio, peccatum & adauget, & frequenter multiplicat, majora damna proximo infert, ex juſtitia fortaſſis ſarcienda. Circumſtantia quoque diei feſti peccatum in eo commiſſum & adauget, & multiplicat, ut oſtendimus in III. Decal. Præcepto cap. 5. Impudici actus patrati in ſolemnioribus diebus, & ſanctioribus, ut in die Paraſceves, nec non in diebus Communionis ſuſceptæ, turpiores evadunt, & horrorem incutiunt. Denique reliquæ omnes circumſtantiæ, ſive ſpeciem mutantes, ſive crimina aggravantes, ſunt ex omnium tractatuum peculiaribus doctrinis dignoſcendæ. Hic ſolum ad doctrinæ complementum addendum ſupereſt, circumſtantias minuentes non eſſe neceſſario in Confeſſione manifeſtandas; ſed omitti poſſe; & quidem pie ex humilitate, & majori ſui confuſione; dummodo tamen iſtæ non ita minuant, ut omnem prorſus culpam tollant, ut qui in quadrageſima carnes comedit ob ægritudinem; vel ex mortali veniale reddant; tunc enim eas pandere oportet, ne mendacium in Confeſſione in re gravi committatur, ut diximus num. 2.

Conſectarium Octavum.

VIII. Licet, immo & neceſſe eſt aliquando complicis perſonam in confeſſione manifeſtare. Et primo quidem oportet complicem manifeſtare, quando id ad ſpeciem peccati declarandam eſt neceſſarium, ut ſi quis cum ſorore peccavit; & licet etiam quando perſona complicis eſt plane ignota Confeſſario. Id manifeſte patet tum ratione, tum praxi Eccleſiæ. Nam integritas Confeſſionis eſt juris divini; ergo quando hæc haberi non poſſit, niſi manifeſtata complicis perſona, erit manifeſtanda. Licet vero, quia nulli fit injuria, quando perſona ſit Confeſſario omnino ignota. Praxis quoque antiquioris Eccleſiæ eamdem veritatem confirmat. Nam habentur canones, qui complicis manifeſtationem ſupponunt, ut videre eſt in S. Baſilii epiſt. ad Amphilochium can. 3. quo ſtatuitur: *Cum ſorore coitus homicidæ tempore punitur*: ſcilicet tot annis pœnitentiæ publicæ ſubjicietur, quot ipſi homicidæ. Et can. 79. *Qui in ſuas Novercas inſaniunt, ſunt eidem Canoni obnoxii, cui & ii, qui in ſuas ſorores inſaniunt.* Porro hæc crimina talia ſunt, ut non niſi ſecretiſſime committantur; proinde non ſunt de publicis peccatis intelligendi Canones.

Quod ſi perſona complicis ſit Miniſtro nota, tunc nos egregie inſtruit S. Th. Opuſc. 12. quæſt. 6. ſcribens: „ Dicendum, quod de expreſſione *perſo-* „ *næ, cum qua* aliquis peccavit, videtur, quod „ non ſit in Confeſſione facienda, quando poteſt „ vitari; quia prodere crimen alterius, & lædere „ famam, eſt peccatum: quod maxime eſt vitan- „ dum in Confeſſione, per quam quis quærit præ- „ terita peccata delere .... Si vero ſpeciem pec- „ cati exprimere non poſſit, niſi exprimendo *per-*

„ *ſo-*

„ *ſonam*, *cum qua* peccavit, puta ſi *cum ſorore* concubuit, neceſſe eſt, ut exprimendo peccati ſpeciem exprimat perſonam: ſed, ſi fieri poteſt, debet quærere talem Confeſſarium, qui perſonam ſororis penitus non cognoſcat“. Idem confirmat in IV. Sent. Diſt. 16. q. 3. art. 2. quæſtiuncula 5. ad 5. ſubdens: „ Homo in confeſſione debet famam alterius cuſtodire, quantum poteſt; ſed magis ſuam conſcientiam purgare debet: & ideo ſi circumſtantia, quæ ducit *in cognitionem perſonæ*, ſit de neceſſitate Confeſſionis ſecundum regulam datam; tunc debet confiteri occultando perſonam, quantum poteſt“. Idem docet & S. Bonaventura in IV. ſent. Diſt. 21. par. 2. art. 1. ſcribens: „ Si peccatum non poteſt explicari *ſine explicatione perſonæ determinatæ*, utpote ſi mulier a viro inordinate cognita eſt, tunc ſi dicat *de Marito* non peccat; pro eo quod non poteſt aliter confiteri propriam culpam: & tunc non debet attendi accuſatio aliena, ſed accuſatio propria“.

Immo licet peccati complicem manifeſtare aliquando, ſi id cedat in utilitatem pœnitentis, vel ipſius complicis. Et primo quidem ſi prodat, ut a Confeſſario inſtruatur, quomodo ſe gerere debeat, ut vel importunas complicis ſollicitationes evitet, vel peccandi periculum declinet. Sic Ancilla, quæ a Domino vexatur, & ad peccandum promiſſionibus, muneribus, blanditiis allicitur, & tentatur, licite a Confeſſario auxilium, & conſilium petere poteſt reum manifeſtando. Licet etiam manifeſtare ad utilitatem ipſius complicis, nimirum ut corrigatur: ſic enim olim uſitatum in Eccleſia teſtatur S. Auguſtinus ſer. 82. de *Verb. Domini* ſcribens: „ Sunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus, nec nos prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus negligimus. Ante omnia oſtendimus homini in tali peccato conſtituto, ſauciamque gerenti conſcientiam, illud vulnus eſſe mortiferum, quod aliquando, qui committunt, neſcio qua perverſitate contemnunt“. In hoc tamen negotio prudens Confeſſarius caute procedat, & niſi vel urgente neceſſitate, vel magna ſperata utilitate ſe ingerat: ſemperque cavendum, ne ulla violati ſacramentalis ſigilli ſuſpicio oriatur, vel Sacramentum Pœnitentiæ invidiæ ſubjiciatur.

Monendi, & arguendi ſunt Pœnitentes, qui ex quadam ſimplicitate, vel (ut in fœminis contingit) ex quadam loquacitate peccata ſua confiteri neſciunt, quin & alios accuſent, complices ſuos manifeſtent abſque ulla prorſus vel utilitate, vel neceſſitate. Ita docet S. Bonaventura l. l. „ Aliena peccata aut ſine impertinentia ad peccati noſtri accuſationem, ſed ex quadam aſſociatione refert ea, & ad quandam excuſationem ille qui confitetur; quia ſolatium eſt miſeris ſocios habere pœnarum. Et ſic dicendum, quod male faciunt, qui ſic confitentur: ſicut multi ſimplices aliquando accuſant omnes vicinos ſuos, ut ipſi minus confundantur, ut ſic dicant, ſumus latrones, uſurarii, perjuri, conſimilia, & tales a Confeſſoribus corripiendi ſunt, qui rectam formam Confeſſionis non ſervant... Sufficit aliquando in generali (confiteri) ut ſi Mulier cognita eſt ab Epiſcopo (quod abſit) ſufficit dicere, quod aliquis magnus Prælatus eam cognovit. Si a peſona Religioſa, ſufficit, quod in generalitate ſua ſtet, quia ſatis apparet genus culpæ. Si vero deſcendat ad perſonam ſingularem, increpanda eſt perſona confitens“.

Non licet abſque neceſſitate Confeſſario perſonam complicis a Pœnitente renuente extorquere. Hinc Benedictus XIV. in Conſtitut. *Ad Erudiendum* ſtatuit 1. Confeſſarios temere interrogantes pœnitentes ſuos de ſocio criminis, etiam obtentu correctionis, alioquin denegantes abſolutionem, peccare graviter. 2. Suſpenſionem ab officio incurrere, non tamen latæ, ſed ferendæ ſententiæ. 3. Si agnoſci poſſit, ipſos hanc praxim tanquam ſibi licitam ſtatuiſſe, eſſe denuntiandos. 4. Non vero, ſi id egiſſe ex quadam imprudentia, & ſimplicitate dignoſcatur, & appareat. 5. Qui eam praxim ut licitam defendere vel verbo, vel ſcripto auſi fuerint, vel ejus Conſtitutionem oppugnare, aut in alios ſenſus detorquere, & interpretari, excommunicationi Romano Pontifici reſervatæ, & ipſo facto incurrendæ ſubjiciuntur.

Conſectarium Nonum.

IX. Cum ſcrupuloſis, meticuloſis, & puſillanimis circa circumſtantiarum aggravantium, & criminum dubiorum confeſſionem mitius eſt agendum, nec nimium vexandi. Et quidem de illis non loquor ſcrupuloſis, qui de admiſſis peccatis ſolliciti nunquam ea ſatis explicaſſe arbitrantur, unde ad nauſeam uſque refricant, declarant, explicant, interim tamen a peccatis minime cavent, ſed in ea frequenter labuntur: hi enim monendi ſunt, ut diligentiam ſcrupuloſam, & nimiam, quam ad peccata, & minutiores ejus circumſtantias explicandas adhibent, in curam, ſolicitudinem, ſtudiumque convertant ea fugiendi, & vitandi; & donec a prava peccandi conſuetudine non reſipuerint, abſolutione non donentur, ut ſuo loco dicemus. Sed de illis vere ſcrupuloſis loquor, qui a lethalibus ſtudioſe abhorrentes, raro, & nonniſi ex fragilitate labuntur, ſemperque dubitant, num lethaliter peccaverint, num ſe bene explicaverint; num omnes dixerint circumſtantias; & iſti benigne excipiendi, eorum dubia in bonam partem interpretando, jubendo, ne ſemel manifeſtata peccata amplius vel mente revolvant, vel iterum pandant: non ſinat Confeſſarius eos multum loqui; ſed ipſe interroget, & habita reſponſione ſilere jubeat, nec ulterius progredi. Sed de hoc fuſius, cum de Miniſtro Sacramenti ſermo erit.

Conſectarium Decimum.

X. Ad perfectam, & undequaque ſanctam Confeſſionem habendam ſexdecim a S. Th. aſſignatæ, & probatæ ab antiquis Magiſtris requiruntur conditiones breviter explicandæ. Hæ in his verſiculis, licet parum poetice concinnatis, recenſentur:

Sit ſimplex, humilis (Confeſſio) pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Sim-

Simplex dicitur Coſeſſio ea, qua, ut inquit S. Antoninus 3. p. tit. 14. §. 12. „ dicuntur præciſe peccata cum circumſtantiis ſuis, nec immiſcentur „ ſuperflua. Quod difficile eſt, & præcipue idiotis, dicere peccata ſua, quin addant multa ſuperflua. Non tamen hoc habet vitiare Confeſſionem, ex quo hoc dicunt, ut declarent factum ſuum. Prudens tamen Confeſſor debet, quantum commode poteſt, hujuſmodi narrationes ſuperfluas facere reſecare. Et qui indigent conſolatione propter tribulationes, vel conſilio propter dubia, poſt Confeſſionem factam, & abſolutionem talia dicantur; & non miſceantur in Confeſſione, ne contritionis vim diminuant ".

Humilis ſit Confeſſio, tum in corde, ut ſibi ſoli, ſuæ malitiæ, & perverſæ voluntati culpam omnino attribuat, non rejiciat in defectum, ſeu carentiam gratiæ Dei, in tentationes Diaboli, in alios, a quibus ſe in peccatum raptum dicat, non in neceſſitatem ſibi procurandi neceſſaria ad vitam ſuam, & familiæ. Nam, ut docet S. Ambroſius: „ Non eſt, quod cuiquam noſtram adſcribamus ærumnam, niſi noſtræ voluntati: nemo tenetur ad culpam, niſi voluntate propria deflexerit ". Tum in exteriori habitu, vultu ſcilicet ad modeſtiam compoſito, capite detecto, genibus flexis, depoſitis chirothecis, & gladio. Contra hanc conditionem peccant, & quidem non leviter 1. Mulieres, quæ ornatu vano, ſuperbo, brachiis ultra cubitum denudatis, & pectore non ſatis tecto, & floribus ornatæ accedunt. 2. Viri „ qui (ut inquit „ Cardinalis Denoſius in ſua Paſtorali Inſtructione) ad Tribunal accedunt cum quadam ſuberbiæ ſpecie, velut aſpernantes Jeſu Chriſti Miniſtrum, dum impatientiam, & indignationem oſtendunt in qualibet interrogatione facta, ut illorum animæ ſtatus dignoſci poſſit ". *Pura*, ideſt, explicat S. Th. ut ſcilicet *recta ſit intentio obtinendi veniam peccatorum*, ſe ſubjiciendi Clavibus Eccleſiæ, ejuſque, & Dei præcepto obtemperandi. Et contra hanc conditionem peccant, qui ad Confeſſionem accedunt ad exiſtimationem vel probitatis, vel ſanctitatis captandam, ad Dominorum, vel Parentum benevolentiam ſibi conciliandam; & quandoque ad occultanda delicta, de quibus ſciunt ſe in ſuſpicionem veniſſe. *Fidelis*, ideſt procul ab omni mendacio, æquivocatione, pallio, uno verbo, ut inquit S. Th. ſit *vera*. Quando autem contra veritatem peccatur, diximus ſuperius. *Frequens* juxta cujuſque pœnitentis indigentiæ ſtatum, conditionem, necnon Miniſtri judicium, & voluntatem. In hoc peccant, qui rarius, & ſolum ſemel in anno confitentur, licet ob labendi facilitatem teneantur frequentius confiteri, vel oblivioſi plura cogantur omittere peccata. *Nuda*, ideſt explicat D. Th. non *involvat obſcuritatem verborum*, aut nimium generalis ſit, & confuſa, vel fucatis, & exquiſitis verbis compoſita. *Diſcreta*, inquit S. Th. quæ *majora peccata cum majori pondere confiteatur*, honeſta adhibeantur verba etiam in turpioribus explicandis peccatis, complicem nonniſi ex neceſſitate manifeſtet, nullumque in ſuſpicionem Miniſtri adducat. Ad diſcretionem etiam pertinet electio Confeſſarii, omnibus quidem ſummo ſtudio facienda, ſed iis præſertim, qui multis implicati negotiis, criminibus, cenſuris, peritiore indigent Miniſtro. Sed de hoc iterum ſuo loco. *Lubens*, plene ſcilicet voluntaria, non timore indignationis alterius, ſive parentis, ſive domini, quibus quidem frequentiam Confeſſionis inculcantibus parendum, & obſequendum; ſed ſpontanee, & libenti animo, non quaſi coacte. *Verecunda*, ſcilicet ut oſtendat ſe pudore tangi de admiſſis peccatis. Quamobrem verecunda non eſt illorum confeſſio, qui peccata narrant, velut res plane indifferentes, & magis ad memoriæ, quam ad conſcientiæ exonerationem, vel cum quadam jactantia, & quadam verborum impudentia. Peccant etiam contra verecundiam, qui, dum confitentur, oſcitant, tabacum ſumunt, confeſſario exhibent, vel etiam ab ipſo petunt. *Integra*; & de hac conditione ſatis diximus. *Secreta*, ſcilicet peragenda inter ſolum Pœnitentem, & Sacerdotem, niſi aliter neceſſitas adhibendi interpretis poſtulet. *Lacrymabilis*, ideſt cum dolore conjuncta; cujus teſtes ſunt & ipſæ corporis lacrymæ. Unde optime ſcribit Auctor libri *de vera*, & *falſa pœnitentia* inter S. Auguſtini opera: „ Recte pœnitens, quid-„ quid ſordium poſt purificationem contraxit, oportet, ut abluat ſaltem lacrymis mentis. Sed ſatis durus eſt, cujus mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare. Sed ſciat ſe culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati lacrymis non oſtendit. Non itaque eſt, ut quis ſe excuſet, ſe non habere fontem lacrymarum, qui nonnunquam lacrymis oſtendit dolorem temporalium ". Quod eſt intelligendum, quando ex quadam negligentia, vel parum ſollicita conſideratione peccatorum non excitatur ad lacrymas. Nam ceteroquin, ut obſervat S. Th. hic q. 3. art. 1. ad 2. „ Corporales immutationes immediate conſequuntur ad paſſiones ſenſitivæ patris, & eis mediantibus ad affectiones appetitivæ ſuperioris. Et inde eſt, quod ex dolore ſenſibili, vel etiam ſenſibili nocivo citius defluunt lacrymæ corporales, quam ex dolore ſpirituali contritionis ". *Fortis*, tum in vincenda verecundia manifeſtandi occulta, & turpiora crimina, ut explicat S. Th. tum in propoſita firmitate, & conſtantia, ut paratus ſit omne detrimentum temporale potius ſubire, quam Deum offendere. *Accuſans*, ideſt non excuſans, minuens peccata, ut nonnulli perverſe faciunt, qui confitentes peccata, culpam, & peccatum in alios transferre ſatagunt; & ſæpius magis ſe excuſare, quam accuſare oſtendunt. *Accelerata*, quæ ſcilicet quantocius reparet lapſum in peccatum, & peccatorem erigat juxta ea, quæ ſuperius diximus. Denique *parere parata*, ideſt, ut eplicat laud. Auctor libri de vera, & falſa pœnitentia: „ Ponat ſe peccator omnino in poteſtate judicis, in judicio Sacerdotis, nihil ſibi reſervans ſui, ut omnia eo jubente paratus ſit facere pro reparanda animæ vita, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte; & hoc cum deſiderio, quia vitam recuperat infinitam, ut Deus; cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus ". Sed in hoc quam laborandum ſit cum Pœnitentibus, ſciunt ipſi Sacramenti Miniſtri, ut eos vel ad remedia opportune adhibenda, vel ad reſtitutionem faciendam, ad occaſiones vitandas, ad frequentandam Confeſſionem, ad ſatisfactionem ſuſcipiendam inducant; nam cauſas, excuſatio-

nes,

nes, difficultates, impotentiam prætexunt, multiplicant, exaggerant; tantum abeſt, ut ſint parere parati. Sed quid cum iſtis agendum, ſuo loco dicemus.

CAPUT QUINTUM.

De Cauſis excuſantibus ab integritate Confeſſionis.

DOCTRINA.

I. *Impotentia phyſica ab integritate confeſſionis excuſat.*
II. *Et etiam impotentia moralis.*
III. *Quando hæc occurrat.*
IV. *Illicitæ dimidiandæ Confeſſionis cauſæ.*
V. *Ad Complicem celandum non licet Confeſſionem dimidiare.*
VI. *Reſervata peccata, & non reſervata ſunt eidem Confeſſario aperienda.*
VII. *Quomodo non liceat duplicem Confeſſarium habere.*
VIII. *Abſolvendus moribundus, qui poſtulavit Confeſſionem, licet confiteri non poſſit.*
IX. *Et quem Chriſtiane vixiſſe conſtat, licet nullum externum pœnitentiæ ſignum exhibeat, ut dicit S. Auguſtinus.*
X. *Confirmant nonnulla Ritualia.*
XI. *Probant nonnulli Theologi.*
XII. *Evincunt rationum momenta.*
XIII. *Objecta proponuntur.*
XIV. *Reſolvuntur.*
XV. *Publicis peccatoribus, & in actuali peccato morientibus, quando ſit danda abſolutio.*

I. SErmo eſt de integritate materiali: nam ab integritate formali, per quam ſcilicet peccator aliquo modo ſua peccata manifeſtat, nulla eſt cauſa, nulla neceſſitas quæ excuſet. Duplex itaque aſſignari ſolet a Theologis cauſa, quæ immunem illum reddit a lege integritatis materialis, ſcilicet impotentia phyſica, & impotentia moralis. Ad phyſicam impotentiam revocatur 1. Oblivio inculpata, de qua ſuperius ſatis diximus. 2. Ignorantia invincibilis, quæ ſit quidem juris poſitivi, vel facti, juxta ea quæ late tradidimus Tract. 3. diſſ. 1. cap. 7. & ſeq. 3. Qui loquela carent, vel impediti ſunt, uti muti, qui, ſi tales ſunt a nativitate, ſurdi etiam ſunt; immo hæc infirmitas alterius eſt cauſa. Hi ſicuti alia quoque Chriſtianæ Religionis Myſteria aliquo modo addiſcere poſſunt, ita & neceſſitatem peccata confitendi; eo proinde meliori, quo poſſunt, modo, nutibus ea manifeſtare tenentur. Quod ſi tales a nativitate non ſint, proinde audiant, poſſunt interrogationibus Confeſſarii reſpondere nutibus, & ſi ſcribere ſciant, ſcripto exarare, & Confeſſario exhibere, qui de ſingulis interroget, & nutu confiteri curabit. Qui vero non muti, ſed lingua aliquo modo impediti ſunt, ut balbi, bleſi &c. eo, quo poſſunt, modo ſua peccata explicare debent: adjuvante patienti Miniſtro, qui in eis audiendis tantum temporis inſumere debet, quantum opus eſt ad integram Confeſſionem habendam; hi enim non abſolute impediti ſunt a locutione, ſed ſolum difficilius, tardiuſque loquuntur; & hanc difficultatem vincere debent, & tarditatem longiori mora compenſare. 4. Qui in ipſo Confeſſionis actu ita deficiant, ut mortis periculum immineat, ſunt abſolvendi, licet non omnia manifeſtaverint peccata. Infirmum, qui aliquibus manifeſtatis peccatis ſubdit, ſe plura alia habere, ſed ob defatigationem, imbecillitatem virium, mentis obtuſitatem ulterius progredi non poſſe fatetur, abſolvendum eſſe cenſet Sylvius, nec differendam abſolutionem in alteram diem, etſi æger ſupervivere poſſe videatur, ne, quod alicui contingit, mortuus reperiatur, qui ſperabatur audiendus. Verum melius, puto, ſe gereret Confeſſarius, ſi a latere infirmi minime diſcederet, quietis identidem intervalla concedens, donec omnia, interrogationibus etiam adjuvando, peccata audiat: non enim hæc manifeſtatio eſt abſolute impoſſibilis, ſed difficilis quidem, &, ſi lubet, admodum laborioſa; at divina præcepta, & media ad ſalutem neceſſaria ſunt etiam & cum magna difficultate, & gravi labore & obſervanda, & adhibenda. Qui in periculo mortis confiteri non poteſt, deficiente Confeſſario, ſuæ ſaluti conſulat ferventi contritione; nec tenetur Laico confiteri: at, ſi ob humilitatem hanc confuſionem ſubire velit, præſtare poterit. Quod ſi Confeſſarius quidem adſit, ſed linguæ pœnitentis ignarus, confiteri tenetur per Interpretem. ut ſuperius oſtendimus; & ſi non adſit Interpres, nutu, & ſignis, quantum fieri poterit, & tempus conceſſerit, peccata confiteatur. Inſtante naufragio, imminente pugna, graſſante peſte, incendio domum pervadente, ubi plures ſunt, qui exire non poſſunt, tunc, ſi fieri poteſt, ab unoquoque in ſingulari aliquod peccatum eſt manifeſtandum: ſi vero tempus non patiatur, omnes ſigna exhibeant Pœnitentiæ, & unica forma abſolvantur. Nec puto neceſſarium, quod poſtulat Sylvius, & Henriq. ſcilicet ut omnes ſimul aliquod peccatum manifeſtent; nihil enim in ea vocum confuſione audiret Miniſter, nec peccata poſſet diſtinguere. Illud tamen notandum, hos omnes non plene confeſſos teneri poſtea omiſſa peccata manifeſtare.

II. Ex capite vero moralis impotentiæ ab integritate Confeſſionis excuſat juſtus, probabilis timor alicujus damni, ſive ſpiritualis, ſive temporalis imminentis, vel obventuri vel ipſi pœnitenti, vel Sacerdoti, vel aliis. Et hic primo notandum, timorem hunc eſſe debere prudentem, bene fundatum, non futilem, non levem, non ex mera ſuſpicione ortum: malum quoque, quod timetur, ſit grave, oportet, & aptum ad virum conſtantem movendum, non leve, & tenue. 2. Ut deſit copia alterius Confeſſarii, vel Confeſſio differri non poſſit: ſi enim alius adſit Confeſſarius, cui pœnitens tute, & ſecure animum ſuum pandere poſſit, hunc præeligere debet; ſicut etiam ſi differendo Confeſſionem, maxime non præceptam, malum, quod timet, evitare poſſit. 3. Ut ſolum illud peccatum, vel circumſtantia reticeatur, quæ malum inferre poſſit. Quamobrem, qui malum timet, ſi externum peccatum confiteatur, internum tamen actum manifeſtare tenetur. 4. Demum ut celatum crimen poſtea opportuno tempore in Confeſſione manifeſtetur. His ſemper præ oculis habitis ſequentes reſolvuntur caſus, in quibus licet crimen reticere, nimirum 1.

III. Si

III. Si Confeſſarius ſuum crimen manifeſtare non poteſt, niſi alterius Confeſſionem revelet, perſonam indicando, ut, ſi ſe accuſet de data abſolutione indigno, vel habenti caſus reſervatos, ſi audiens Confeſſionem poſſit in Pœnitentis indigne abſoluti cognitionem devenire; non autem ſi hoc abſit periculum: nam ſigillum Sacramentale integritati Confeſſionis eſt præferendum; cum hæc alia confeſſione farciri poſſit, illud autem ſemel violatum farciri amplius non poſſit. 2. Si pœnitens timeat, ne occaſione confeſſionis ſuæ ad turpia ſollicitetur; quippe qui certo novit idem aliis contigiſſe: oportet tamen, ut admodum urgens ſit cauſa, & neceſſitas hujuſmodi Confeſſarium adeundi. 3. Si lue infectum audiat, quem a longe audire non poſſit, nec prope ſine vitæ manifeſto periculo, aliquibus peccatis auditis illum abſolvere poterit. 4. Si grave damnum temporale ſibi imminere perſpexerit ex manifeſtatione furti, puta quia domo expelletur, ad mendicitatem redigetur, reticere hanc culpam poterit; ſicut ſi prudenter timeat, Confeſſarium violato Sacramentali ſigillo, fore propalaturum, vel revelaturum commiſſum crimen cum pœnitentis infamia, & damno. Verum hi caſus rariſſime contingunt.

IV. Non excuſat tamen ab integritate Confeſſionis pœnitentium frequentia ob aliquam ſolemnitatem, vel magnam indulgentiam obtinendam; licet ex integris Pœnitentium Confeſſionibus futurum ſit, ut plures eam conſequi minime poſſint, & e longinquo ad hoc advenerint. Non defuere benigniores Theologi, qui hanc dimidiandæ Confeſſionis cauſam eſſe ſufficientem arbitrati ſunt. Verum illorum opinionem ab omni probabilitatis ſpecie dejecit Innoc. XI. damnando propoſitionem 59. aſſerentem: *Licet Saramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus ſolemnitatis, vel indulgentiæ.* Hanc doctrinam renovaſſe videtur Segnerius in ſuo plumbeo opere, cui titulum fecit, *Confeſſarii Inſtructio* cap. 2. cum docet, in magna populi frequentia, ſi puella ſine admiratione, vel ſcandalo non poſſit ab Euchariſtiæ ſumptione abſtinere, licere partem confeſſionis, quam ſinit coanguſtans tempus, ab ea elicere, & eam abſolvere, cum onere tamen reliqua opportuno tempore manifeſtandi; quod vocat remedium, *extremum* quidem, ſed *neceſſarium*. Immo nec ab ea praxi recedere videntur Miſſionarii illi, qui in Miſſionibus, magna premente populi turba, vel e ſuggeſtu annunciant, vel in aures Pœnitentium inſuſurrant, ut ſolum graviora crimina exponant, *dite i groſſi*; unde innumeræ fiunt dimidiatæ Confeſſiones. Ipſi viderint, quo modo ſint Deo rationem redditūri. Nec a damnata propoſitione multum diſtat opinio illorum Caſuiſtarum, qui cenſent dimidiari poſſe Confeſſionem, ne pœnitens diutius privetur fructu hujus Sacramenti; quia, inquiunt, hoc eſt grave ſpirituale nocumentum. Nam ſi Eccleſia damnavit afferentes licere dimidiate confeſſos abſolvere, ne *magnum indulgentiæ* lucrum amittant, licet *de longinquo* venerint, & tanti theſauri comparandi, & gratiam juſtificationis conſequendi cauſa; quomodo licebit confeſſionem dimidiare ſolum, ne quis privatum Sacramenti fructum perdat? Eſt igitur hæc rejicienda doctrina.

V. Infamia complicis neceſſario manifeſtandi non eſt juſta cauſa minuendæ Confeſſionis. Superius diximus cap. præced. Conſect. 8. neceſſarium eſſe complicem aperire, quando aliter ſpecies peccati manifeſtari non poſſit. Id autem licitum eſſe modo oſtendimus. 1. Quia ita docent ſuperius laudati Theologi, inter quos S. Bonaventuram citavimus. 2. Quia, ut docet S. Th. in IV. Diſt. 16. q. 3. art. 2. quæſtiuncula 5. ad 5. „ Homo debet in Confeſ„ſione famam alterius cuſtodire, quantum pot„eſt; ſed ſuam conſcientiam magis purgare “. 3. Quia qui peccato conſenſit, jam quoad confeſſionem juri ſervandæ famæ ceſſit: tenetur enim ſcire, peccata eſſe in confeſſione aperienda; & hoc fieri aliquando non poſſe ſine complicis manifeſtatione. 4. Si in exteriori foro licet, immo neceſſario manifeſtandus eſt complex judici legitime interroganti, quamvis non ſola infamia illi obveniat, ſed & vitæ periculum; quanto magis licebit in confeſſione, ubi nullum præter ipſius notitiam imminet damnum? Sed quid, ſi manifeſtari crimen non poſſit ſine infamia alterius, qui in crimine partem non habuit? Puta, propinavit quis medicinam ſorori ex fornicatione gravidæ ad procurandum abortum, ipſa ignorante, pro infamia familiæ vitanda; uxorem quis occidit in adulterio deprehenſam. Confeſſarius & ſororem, uxorem bene novit. Poſſum ne illi integre crimen detegere? Licere puto, immo & teneri: quia, ut docet Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 73. art. 2. *Vera non eſt detractio, quando ſubeſt legitima cauſa revelandi occultum crimen*. Porro hic legitima ſubeſt cauſa manifeſtandi. 2. Si licet hæc viro prudenti manifeſtare, ut docent Theologi, & oſtendimus in VIII. Decal. Præcepto cap. 3. Reg. 5. n. 15. ad conſilium capiendum; multo magis licebit ad divinum implendum de integra Confeſſione præceptum, & ad propriam ſalutem procurandam.

VI. Qui peccata reſervata commiſit, nequit uni Confeſſario non reſervata peccata confiteri, alteri vero, qui poteſtatem habeat abſolvendi, reſervata pandere. Non defuere Theologi, qui cenſent licere ab uno Confeſſario peccatorum non reſervatorum abſolutionem accipere, deinde ab alio a reſervatis abſolvi: putant enim ex hoc duplici partiali Sacramento unum integrari, nec lædi Confeſſionis integritatem; nam uni, vel alteri omnium peccatorum integra Confeſsio eſt facienda. Cui diſciplinæ favere videtur D. Th. in IV. Sent. Diſt. 17. q. 3. art. 4. quæſtiuncula 2. ad 4. ſcribens: „ Etiamſi Sacerdos non poſsit de omnibus „ abſolvere, tenetur ei omnia confiteri, ut quan„ titatem totius culpæ cognoſcat; & de illis, de „ quibus non poteſt abſolvere, ad Superiorem re„ mittat “. Verum hodierna diſciplina hoc non permittit. Tenetur itaque, qui reſervata habet, vel Superiori omnia ſua confiteri peccata, & ab eo abſolutionem recipere, vel ſublata reſervatione illi concedat, ut ab alio communi Confeſſario poſſit abſolvi. Sed quid? Si Sacerdos celebrare debeat, & peccatis reſervatis adſtrictus non habeat niſi Confeſſarium in reſervata poteſtate carentem; poterit ne illi non reſervata crimina confiteri, reticendo reſervatā, poſtea Superiori opportuno tempore manifeſtanda? Minime, reſpondet P. Cuniliati: hoc enim eſſet Confeſsionem dimidiare: quod omni-

omnino non licet, ut vidimus ex D. Th. Tenebitur igitur omnia peccata confiteri, ut directe a non reſervatis, indirecte a reſervatis abſolvatur. Hoc equidem ſubdit laudatus Theologus, ea corrigens, quæ in ſecunda Editione docuerat, quia cum nullam habeat in reſervata juriſdictionem, non ab iſtis eum abſolvere valet deficientia juriſdictionis; ſed neque ab aliis, quia unum ſine alio peccatum dimitti non poteſt. Quid igitur? Se gerat, ſubdit, ac ſi copiam non haberet Confeſſarii, & elicito Contritionis actu, quo majori poteſt conatu, celebret. Verum liceat mihi, quid ſentiam, libere promere. Puto ſiquidem hunc Sacerdotem teneri omnia ſua peccata Miniſtro Sacramenti confiteri, & hoc ex præcepto Concilii Tridentini diſtricte jubentis, „ ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat, quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc Sacra Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo *non deſit illi copia Confeſſarii* ". Porro abſolute dici non poteſt, huic Sacerdoti copiam deeſſe Confeſſarii; licet eum abſolvere non poſſit. Tenetur igitur illi confiteri. Minime inquies: nam Confeſſio præcipitur a Tridentino in ordine ad abſolutionem. Procul dubio, ſed in ordine ad abſolutionem dandam rite, & recte, ſcilicet ſi neceſſario requiſita non defuerint: non enim ſicut præcipit fideli ſibi conſcio peccati mortalis, ut confiteatur, priuſquam ad Euchariſtiam accedat; ita præcipit Confeſſario, ut eum abſolvat, ſed ejus judicio relinquit dandam, vel negandam abſolutionem. Oportet igitur, ut impleat Pęnitens, quod ſibi a Concilio præcipitur; deinde Miniſtro relinquat judicium de danda, vel neganda abſolutione. Et revera ita docere videtur D. Th. in Suppl. q. 9. a. 2. ad 4. ubi tale ſibi proponit argumentum: „ Sacerdoti non debet fieri confeſſio de peccatis, *niſi propter abſolutionem*; ſed quandoque Sacerdos, qui confeſſionem audit, poteſt de quibuſdam peccatis abſolvere, non de omnibus: ergo non oportet, quod Confeſſio ſit integra ". Sic reſpondet, " Etſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tamen *tenetur* pœnitens ea omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoſcat; & de illis, de quibus non poteſt abſolvere, ad Superiorem remittat ". Nec inutilis erit confeſſio; nam Miniſter Sacramenti judicabit, num tanta ſit neceſſitas celebrandi, ut ſola contritione poſſit Sacrificium offerre, deinde ad contritionem excitandam illi poterit auxiliari. Num autem poſſit aliquando Sacramenti Miniſter, urgente neceſſitate, directe a non reſervatis, & indirecte a reſervatis abſolvere, ſuo loco expendemus.

VII. Non licet duplicem habere Confeſſarium, quorum uni lethalia pandantur peccata, alteri vero ſola venialia. Nam licet hoc non ſit vere, & proprie Confeſſionem dimidiare, cum peccata venialia non ſint materia neceſſaria Confeſſionis; tamen hujuſmodi praxis hypocriſim manifeſtam oſtendit, qua pœnitens uni Confeſſarii bonus apparere curat, & pius: & multo magis, ſi id præſtet ob aliquod temporale emolumentum, quia nimirum a Confeſſario eleemoſynis, vel aliis officiis adjuvatur; tunc enim & Sacramentum profanaret, quo abuteretur ad vanitatem, & ad temporale lucrum. Quamobrem & hic locum habere poteſt, quod dicitur in Can. *Conſideret* diſt. 5. de Pœnitentia: „ Cautus ſit, ne verecundia ductus, dividat apud ſe Confeſſionem, ut diverſa diverſis velit Sacerdotibus manifeſtare. Quædam enim uni celat, quæ aliis manifeſtanda reſervat; *quod eſt ſe laudare, & hypocriſim tendere*, & ſemper venia carere, ad quam per fruſta putat totum pervenire ". Quamobrem lethalis peccati arguerem, qui hoc in conſuetudine haberet; non autem, ſi forte lapſus in aliquod grave crimen, & præ pudore conſuetum adire Confeſſarium timens, alium ſibi deligeret Miniſtrum, cui lapſum ſuum confiteretur.

VIII. Abſolvendus eſt Pœnitens, qui morti proximus peccata confiteri non poteſt. Cum hoc pluribus modis contingere poſſit, doctrina eſt pedetentim evolvenda. Primo itaque abſolvendus Pœnitens, qui Confeſſionem petit, licet adveniente Confeſſario, loquela amiſſa, & aliis ſenſibus deſtitutus, nullum externum pœnitentiæ ſignum exhibeat; multoque magis, ſi tunſione pectoris, brachiorum extenſione, manuum in modum precantis junctione, oculorum nutu, gemitibuſque pęnitentiam imploret. Ita enim ſtatuunt, & docent Concilia, Patres, & Ritualia; & conſentiunt communiter Doctores. Concilium Arauſicanum anni 447. Can. 12. ſtatuit: „ Subito obmuteſcens, prout ſtatus ejus eſt, baptizari, aut Pęnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis *aut præteritæ* teſtimonium in aliorum verbis habet, *aut præſentis* in ſuo nutu ". Et antea Concil. Carthag. IV. anni 398. dixerat: „ Is, qui Pœnitentiam in infirmitate petiit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus currit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, *dent teſtimonium*, qui eum audierunt, & accipiat Pęnitentiam; &, ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia ". S. Leo Papa ep. 83. al. 91. „ His, qui in tribulatione infirmitatis, & in periculi urgentis inſtantia *præſidium reconciliationis implorant*, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda ... At, ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod *paulo ante poſcebant*, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant, *teſtimonia* ei circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & Pęnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur ". Rituale quoque Romanum ſic docet: „ Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægro deficiat, nutibus, ſignis conetur Sacerdos, quoad poterit, peccata pęnitentis cognoſcere. Quibus utcumque in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium vel per ſe, vel per alium oſtenderit, eſt abſolvendus ". Non eſt igitur ab hac praxi recedendum.

IX. Abſolutio nec illi moribundo eſt deneganda, qui repente morbo oppreſſus, & ſenſibus deſtitutus nullum pœnitentiæ exhibet ſignum; ſi tamen conſtet, eum pie, & Chriſtiane vixiſſe. Huic doctrinæ plures adverſantur Theologi tum ſeverioris, tum benignioris ſententiæ. At illi favent alii auctoritate, & numero minime impares, inter quos

quos præſertim Morinus, qui hanc controverſiam accurate diſcuſſit. Quibus & ego aſſentior, his permotus argumentis. 1. S. Auguſtini auctoritate lib. de adulter. Conjugiis ſic ſcribentis cap. 26. „ Catechumenis in hujus vitæ ultimo ſtatutis, „ ſi morbo, ſeu caſu aliquo oppreſſi ſunt, ut „ quamvis adhuc vivant, petere tamen ſibi Baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non „ poſſint, proſit eis, quod jam eorum in *fide chriſtiana* jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quo baptizantur infantes, quorum „ nulla adhuc voluntas patuit . . . Quia non ſolum incredibile eſt, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle; verum, etiamſi „ voluntas ejus *incerta ſit*, multo ſatius eſt *nolenti dare*, quam volenti negare, ubi velit, an „ nolit, ſic non apparet, ut tamen *credibilius ſit*, „ eum, ſi poſſit, velle ſe potius ſuiſſe dicturum „ ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam credidit ſe non oportere de corpore exire ". Et rurſus cap. 28. magis urget: „ Ego non ſolum alios Catechumenos, verum etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina „ conjugia, cum ſalvos corpore non admittimus „ ad Baptiſmum, tamen, ſi deſperati jacuerint, „ nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto; ut etiam hoc peccatum cum cæteris regeneratione abluatur. Quis enim novit, utrum „ fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ad Baptiſmum ſtatuerint detineri "? Poſt quæ ſtatim ſubdit: „ Quæ autem Baptiſmatis, *eadem reconciliationis eſt cauſa*, ſi forte Pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos „ enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire, „ velle debet Mater Eccleſia ". In quo teſtimonio D. Auguſtini hæc ſunt perpendenda. 1. Baptiſmum, & Pœnitentiam dandam eſſe in extremo morbo conſtitutis; quia eorum *jam in fide Chriſtiana* nota erat voluntas. 2. Incredibile eſſe, Catechumenum, vel Pœnitentem nec in fine vitæ vel Baptiſmum, vel Pœnitentiam velle. 3. Licet dubium ſit, nec ullum appareat ſignum, *an velit*, *an nolit*, ſatius eſto, *nolenti dare*, quam volenti negare. Quæ omnia, & in moribundo, de quo loquimur, apparent manifeſte. Nam 1. & in ejus fide Chriſtiana, & multo magis in pia, & chriſtiana vita, nota eſt ejus voluntas recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. 2. Incredibile eſt, pium fidelem nolle Sacramentum Pœnitentiæ in fine vitæ ſuſcipere. Nec dicas in Pœnitentia non ſufficere voluntatem recipiendi Sacramentum; ſed requiri dolorem, & deteſtationem peccatorum, & quidem manifeſtam. Quandoquidem & in Baptiſmo Catechumeni, adulterino conſortio implicati, requiritur dolor, & deteſtatio de peccato adulterii, & quidem Miniſtro nota: nunquam enim dabitur Baptiſma adultero *Catechumeno ſano*, ut inquit S. Auguſtinus, niſi oſtendat ſe adulterium ſuum deteſtari, & relinquere. 3. Licet incertum ſit, an Pœnitens velit, vel nolit abſolutionem, quia nullum apparet ſignum; attamen ſatius eſt *nolenti dare*, quam volenti denegare. Non eſt igitur ex S. Auguſtini doctrina moribundo, de quo loquimur, deneganda abſolutio.

X. Confirmant & nonnulla Ritualia. Nam in Sacerdotali Veneto typis edito anno 1560. hæc habentur: „ Talis infirmus aut jam amiſit loquelam, vel uſum rationis, puta quia phreneticus, „ aut non. In primo caſu, *ſi bene vivebat*, *ut bonus fidelis*, *& frequentabat Confeſſionem*, *& Communionem*, & hujuſmodi, *quamvis non petierit Sacramentum*, quia ex inſperato talia acciderunt; „ vel etiamſi malus, & obſtinatus diu in peccatis „ perſeverans eſt; & diu non confeſſus, *ſi petit* „ *Sacerdotem*, *ut confiteretur*, oſtendit ſe facere „ velle omnia, quæ debet, & interea factus eſt „ mutus, vel phreneticus, & periculum eſt in mora, debet præſumi contritus, & faciente aliquo „ confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia, & peccato, & poteſt adjungere circumſtantibus aliquid pro eo faciendum, vel hæredibus, & conſanguineis pro ejus anima, ſi volunt acceptare; deinde debet dari ei Euchariſtia, quamvis non ſit confeſſus ". Paria docent Synodalia ſtatuta Eccleſiæ Lemovicenſis ubi cap. 21. ſic ſtatuitur: „ Poterit quoque idem applicari remedium ei, qui judicio, omniumque ſenſuum uſu ſtatim captus eſt, non petita Pœnitentia, nulloque ſigno contritionis edito, cum „ violentia morbi judicetur de repente, & ex improviſo deprehenſus, & oppreſſus, *& chriſtiane* „ *vixit*, fieri poteſt judicium ex actionibus vitæ, „ & moribus, eum libenter Pœnitentiæ Sacramentum petiturum fore, ſi tempus, & morbi violentia permiſiſſent, licet in hoc caſu nihil de „ abſolutionis effectu promittere poſſimus ". Denique Gregorius XI. dum Bononienſem regeret Eccleſiam, in Memoriali Confeſſorum ejus juſſu edito noſtram adprobavit doctrinam, & in praxi ſuis Sacerdotibus tenendam propoſuit. Sic enim cap. 1. de forma Sacramenti Pœnitentiæ n. 16. legitur: „ Licet abſolvere moribundum, etiamſi „ nullum pœnitentiæ ſignum det in præſentia Confeſſarii: ſi tamen *aliquis teſtetur*, eum oſtendiſſe deſiderium confitendi. Immo addit, Sacerdotale Romanum ex doctrina S. Antonini docere, „ poſſe etiam abſolvi moribundum aſſuetum frequentare Confeſſionem, quamvis repentino caſu oppreſſus Sacramentum non petierit. Neque „ ſolum poteſt Confeſſarius in hiſce duobus caſibus abſolvere, ſed *& debet*, quia contingere poteſt, moribundum eſſe tantum attritum, unde „ damnetur, niſi abſolvatur ". His addit Benedictus XIV. de Synodo lib. 7. cap. 15. 1. Synodum Montis Faliſci anno 1710. habitam, in qua cap. 6. de Pœnit. n. 6. decernitur, ut abſolutione ſaltem ſub conditione moribundus donetur, quamvis nullus adſit, qui illius pœnitendi vota ſignis, aut verbis prodita teſtetur. 2. Synodum Iſclanenſem anni 1718. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 1. n. 19. docentem: „ Si nulla ſigna præſtiterit, ſaltem ſub „ conditione abſolvatur, modo in actuali peccato „ non decedat ". 3. Synodum Feltriæ anni 1627. decernentem, „ ut etſi adſtantes dicant, infirmum „ ſuorum peccatorum pœnitentiam non demonſtraſſe, nec confitendi propoſitum non oſtendiſſe, abſolvatur in Domino ſub conditione, cognitis ejuſdem *moribus*, *ac vita*, vel ſi in „ Deum a Fide diſcedendo non peccaverit ". Hoc idem ſtatuit etiam Rituale Eccleſiæ Tullenſis teſte Merbeſio, & Rituale Argentinenſe teſte Bened. XIV. juſſu Cardinalis de Rohan Argentinenſis Epiſcopi editum, in cujus Prooemio n. 4.

ita

ita ſtatuitur : „ Si quis fidelium ſubito obmuteſceret, vel omni rationis uſu deſtitueretur, iis ultimo caſu correptis non neganda abſolutio, nec „ extrema unctio, modo, cum ſani eſſent, *vitam* „ *duxerint homine chriſtiano dignam* “.

XI. Plurimi quoque Theologi, & quidem ſanioris doctrinæ, noſtræ favent opinioni, quorum plures recenſet Concina, quibus præter Morinum, & Henricum a S. Ignatio addimus Genettum To. 4. tract. 6. de Sacr. Pœnit. cap. 12. q. 9. Tournelium in Prælect. Theolog. de Sacram. Pœnit. T. 2. Vitaſſe de Sacram. Pœnit. Par. 3. Neeſen To. 2. Tr. 5. dub. 14. Cabaſſutium in Theor. & Praxi Jur. Can. lib. 3. cap. 11. num. 10. Auctorem Theologiæ Petrocorenſis Tom. 4. lib. 2. tract. 1. q. 10. Berti lib 34. cap. 8. §. ult. Auctorem Inſtructionis pro Sacerdotibus ad Confeſſarii miniſterium recens deputatis, a quodam Presbytero Congregationis Miſſionis Romæ editæ, & pluries alibi recuſæ.

XII. Nec deſunt rationum momenta. Nam 1. in neceſſitatis caſu licet uti in Sacramentis materia etiam ſolum probabili, & dubia. Porro in noſtro caſu ſaltem dubia habetur materia : quia licet plures negent, vitam pie, ſanctequе peractam eſſe ſufficiens ſignum præſentis pœnitentiæ ; plures tamen, inter quos SS. Auguſtinus, & Antoninus, cenſent eſſe ſufficiens. 2. Quia fieri poteſt, ut nutus, gemitus, ſuſpiria, oculorum motus ſigna ſint præſentis pœnitentiæ, non ſolius morbi ; ut non ſemel eveniſſe teſtantur Auctores. 3. Moribundus abſolvi poteſt, ſi præſentes teſtentur Confeſſarium petiiſſe : atqui in illum teſtantur pie ſemper vixiſſe, & ſanum Sacramenta frequentaſſe : ergo ſatis etiam teſtantur & Sacramentum in morte velle ; cum chriſtiane mori velle præſumatur, qui chriſtiane vixit.

XIII. Sed & audienda adverſantium Theologica argumenta. Exceptiones, quas teſtimonio S. Auguſtini opponunt, jam præoccupavimus. Dicunt itaque 1. actus pœnitentis ſenſibiles ſunt materia neceſſaria Sacramenti : porro ſine materia haberi non poteſt, nec fieri Sacramentum. 2. Chriſtus, inquit P. Concina, conſtituit confeſſionem per modum judicii ſenſibilis, & humani : at in noſtro caſu nullum haberi poteſt judicium ſenſibile ; ergo nullum Sacramentum. „ 3. Deus (ſubdit laud. „ Auctor) ſi velit ſalutem alicujus peccatoris, „ concedet illi tempus, qua media a Chriſto in„ ſtituta, & ad ſalutem æternam neceſſaria adhi„ bere poſſit. Si pium, probumque virum velit ad „ ſe vocare, tunc vocabit, quando cognoſcit eſſe „ gratia ſanctificante præditum, licet ſuſcipere „ non poſſit Sacramentum. *Hoc potius de infinita* „ *Dei clementia præſumendum, quam quod velit* „ *juſtificare impium abſque perfecta contritione, vel* „ *confeſſione ſenſibili manifeſtata* “.

XIV. Verum hæc argumenta facile ſolvi poſſunt. Ad 1. actus pœnitentis ſenſibiles requiruntur quidem, ſed vel in ſe formaliter, ſi haberi poſſint, vel in aliquo æquivalente. Nam nonne omnes Theologi fatentur, haberi hos actus, quando moribundus Confeſſarium petivit, vel manu pectus tundit, vel Sacerdotis ſtringit dexteram ? & tamen hi profecto nec ſunt actus confeſſionis, nec actus contritionis in ſe formaliter, ſed ſolum præſumuntur : immo non ſolum ex iſtis Pœnitentis actibus præſumuntur, ſed & ex ſolo teſtimonio alicujus teſtantis Confeſſarium petiiſſe. Cur igitur præſumi non poſſunt ex teſtimonio anteactæ chriſtianæ vitæ ? Ad 2. reſpondemus, inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii ſenſibilis, & humani, at eo meliori, quo fieri poteſt, modo, ut ex doctrina, & praxi Eccleſiæ docemur. Nam quodnam, amabo, judicium de eo, qui nullum peccatum accuſat, nullum exhibet ſignum doloris, ſed ſolum Confeſſarium periiſſe teſtatur aliquis ? Et tamen hoc ſufficere non inficiatur Concina. Cur ergo non ſufficiet teſtimonium chriſtianæ vitæ ? Ad 3. miror tantum virum, qui in ſuis Animadverſionibus ad Pontaſium V. *Abſolutio* noſtræ favit ſententiæ, & oppoſitam ſententiam paulo acerbiorem putavit, in ſua Chriſtiana Theologia non ſolum opinionem mutaſſe, ſed omnia ibi dicta quaſi errores, & blaſphemias *revocaſſe*, & *retractaſſe*. At quo demum invicto argumento convictus ? Non alio, niſi quod 3. loco retulimus, quo profecto nihil imbecillius. Nam Dei judicium circa ſalutem hujus, vel illius, ſive juſti, ſive peccatoris ad nos ſcrutari, & indagare nec pertinet, nec decet, nec licet. Nos, quid doceant Patres, quid ſtatuat Eccleſia, quid ſaluti animarum prodeſſe poſſit, unice attendere debemus. Porro Patres cum S. Leone epiſt. 83. al. eſt cap. 9. clamant : *Multum utile, ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotis ſupplicatione ſolvatur*. Et cum S. Auguſtino lo. laud. *Nec pœnitentes ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire, velle debet Mater Eccleſia*. Hæc ſtatuit, ut conſtat ex ejus diſciplina, & traditione, ne cui in extremo agone conſtituto, & aliquo etiam leviſſimo ſigno pœnitentiam petenti, ullo pacto denegetur ; immo licet nec per ſe petat, ſed ſolum aliorum teſtimonio petiiſſe conſtet. Unde ſtatuit Concil. Arauſic. can. 12. *Subito obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat*. Et revera ſalus fidelis poſtulat, ut remedio potius incerto, dubio, nutante ejus ſaluti conſulamus, quam ſine ullo perire ſinamus. Nam, ut inquiebat S. Auguſtinus, *ſatius eſt nolenti dare, quam volenti denegare*. Quamobrem ſtatutorum Eccleſiæ Lemovicenſis Auctor, quem ſuperius laudavimus, poſtquam noſtram ſententiam tenendam ſtatuit, optime concludit : „ Animarum ſalvanda„ rum cauſa nullum remedium omittere debemus, „ quod Deus poteſtati noſtræ commiſit, Deum o„ rantes, ut tamen ſua bonitate, & miſericordia, „ quod deeſt ægrotorum diſpoſitioni, ſuppleat, *ce*„ *tera inſcrutabilibus Dei judiciis commendantes* “. Et revera, ſi quid argumentum Concinæ valeret, id maxime probaret, nulli, nec in extremo vitæ termino, miniſtrandum Sacramentum, niſi integre poſſit confiteri, omnibus enumeratis, quorum recordatur, criminibus, & patentibus datis ſuæ contritionis argumentis. Nam *quando Deus* (ſcribit Concina) *alicujus ſalutem vult, eadem voluntate vult & medium*. Admiſſa ergo hypotheſi, Deum ſalutem velle hujus, vel illius peccatoris, videtur dicendum, quod eidem Deus conceſſurus ſit tempus, quo implere media a Chriſto Domino præſcripta poſſit, ad æternam ſalutem neceſſaria : quæ media ſunt, ut inquit paulo ante, *Confeſſio per modum judicii ſenſibilis, & humani* : addo

ego *per integram omnium peccatorum confeſſionem, per vera, & efficacia doloris, & pœnitentiæ ſigna, per adæquatam ſatisfactionem*. Quando igitur peccator in morte hæc præſtare non poſſit, dicendum, Deum ejus ſalutem nolle; proinde deferendum; quod profecto, quantum a vero abhorreat, nemo non videt: & non acerba, ut ipſe, quam modo ſuſtinet opinionem, prius appellaverat, ſed quam diriſſima ſit ejus præſens doctrina, viſcera pietatis habentes facile deprehendunt. Nec minus fallitur, dum dicit, non eſſe præſumendum, Deum velle juſtificare impium abſque perfecta contritione, vel confeſſione ſigno ſenſibili manifeſtata. Nam Deum poſſe, & velle ſalvare hominem ſine confeſſione ſigno ſenſibili manifeſtata patet in illo, qui accerſito Confeſſario ita morbo opprimitur, ut nullum pœnitentiæ ſignum exhibeat: quem tamen abſolvendum pro certo ſtatuit Concina, non auſus Rituali Romano contradicere. Velle autem abſolvere *ſine contritione* nullus eſt, qui vel leviter ſuſpicetur. Sed dicimus, præſumendum, non deeſſe in Pœnitente contritionem, licet eam exteriori ſigno manifeſtare non poſſet. Denique quod præſtant argumenta, quæ adverſæ ſententiæ Patroni proferunt? quid refutationes, quas noſtris opponunt? evincunt ne noſtram opinionem falſam eſſe patenter, erroneam, Sacramento injurioſam? Puto nec eos ita ſentire. Ad ſummum evincerent, eſſe ſolum vel æque probabilem oppoſita, vel etiam, ſi lubet, minus ea probabilem. At, cum agitur de ſalute æterna animæ remedia etiam dubia, etiam minus probabilia licet adhibere. Et periculo fruſtrationis Sacramenti, ſi non adſit requiſita materia, optime conſulitur appoſita mentaliter conditione (ſi capax es) quam ſolum in hoc extremo caſu, ſicut & in Baptiſmo, adhibere licitum diximus, & ſuo loco repetemus; & etiam videtur faciendum, cum non homines propter Sacramenta, ſed Sacramenta propter homines ſint inſtituta. Unum tamen addendum ſupereſt, monitum nimirum Sancti Auguſtini pro contrariæ ſententiæ defenſoribus: „Non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidius agunt, quam nobis videatur agere oportere .... Satis quippe in talibus reſpiciendum illud Apoſtoli, ubi dicit: *Unuſquiſque veſtrum pro ſe rationem reddet Deo*. Non ergo amplius invicem judicamus: ſunt enim, qui vel in his, vel etiam in aliis obſervandum putant, quod dixiſſe Dominum legimus: *Nolite Sanctum dare canibus, neque projicere margaritas veſtras ante porcos*".

XV. Publicis peccatoribus, Hæreticis Schiſmaticis, Apoſtatis, Concubinariis, uſurariis, meretricibus, & omnibus iis, qui in actuali peccato c[illegible] pugnantes in duello moriuntur, etiam in extremo vitæ periculo conſtitutis non eſt dandum Pœnitentiæ Sacramentum, niſi aperta, & manifeſta dederint pœnitentiæ indicia. Oppoſitum docuit Guimenius ſcribens: „Quod ſi forte actualiter peccando ſubito deſtituatur ſenſibus, & non poſſit humaniter loquendo atteri, reſpondeo non eſſe præſumendum attritum, & quidem non abſolvendum docent communiter. Sed ego ſub prędicta conditione vix illum regulariter ſine abſolutione dimitterem; quia rariſſime evenit, ut tam cito ſenſibus quis dum actu peccat deſtituatur, ita ut vicinus morti non velit ſuæ ſaluti conſulere per aliquam attritionem. Sic ille; & ego, dum e ſuggeſtu tractatum de Pœnitentia diſcipulis dictavi anno 1643." Hanc tamen doctrinam tanquam Sacramento injurioſam damnavit Facultas Sorbonica Pariſienſis: & merito, cum nullum ſit prudens argumentum illorum pœnitentiæ; quin immo præſumendum ſit, eos adhuc affectu peccato adhærere, nec qualemcumque attritionem in Sacramento ſufficere, cum præſertim in articulo mortis & ipſa perfecta contritio ſit procuranda. Quod ſi pœnitentiam petierint, & vera doloris argumenta per ſe exhibuerint; licet olim ſe verior diſciplina abſolutionem ſaltem in aliquibus Eccleſiis denegaverit; modo tamen univerſalis Eccleſia, exemplo Chriſti Domini, qui Latroni veniam conceſſit, miſericorditer impertitur. Ita ſtatuit Nicæna Synodus can. 13. „De his vero, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regulariſque ſervabitur; itaut, ſi quis egrediatur e corpore, ultimo & maxime neceſſario Viatico minime privetur". Porro nomine Viatici non Euchariſtiam, ſed Sacramentum Pœnitentiæ denotari, oſtendunt Albaſpinæus, & celebriores Scriptores, & ipſa verba *maxime neceſſario* indicant. Quod ſi quis de Euchariſtia canonem interpretari velit, noſtræ quoque favet doctrinæ, cum illa nonniſi pœnitentibus poſt abſolutionem concedatur. Sed luculentius ſeculo V. ita ſtatuit S. Cęleſtinus I. epiſt. 2. ad Epiſcopos Provinciarum Narbonenſis, & Viennenſis ſcribens: „Agnovimus Pęnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore recurrenti ſuccurrere ...... Quid ergo aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere?" Quovis ergo tempore non eſt deneganda Pœnitentia poſtulanti.

CAPUT SEXTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Qui ex gravi culpabili negligentia in examine peccata omittit, graviter peccat.*
II. *Peccat ſacrilege, qui peccatum in Confeſſione ex pudore reticet.*
III. *Qui ſpecies tantum peccatorum exprimit, integre non confitetur.*
IV. *Pœnitentes moroſi, & ſcrupuloſi quomodo tractandi.*
V. *Peccata, Confeſſario dormienti dicta, ſunt repetenda.*
VI. *Abſolutio moribundis danda eſt ſub conditione.*
VII. *Non datur Confeſſio valida, & informis.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. QUi ex gravi culpabili negligentia in diſcutienda conſcientia ſua plura peccata omittit, & graviter peccat, & confeſſio iteranda eſt. Nam Tridentina Synodus, ut vidimus ſuperius poſtulat in diſcuſſione conſcientiæ, *diligentem præ*

me-

meditationem. Et Catechiſmus docet P. II. n. 49. „ Animadvertendum, ne forte nimis diſſolute, & „ remiſſe conſcientiam noſtram ſcrutati ſumus, „ adeoque negligenter peccata admiſſa memoria „ repetere ſtuduerimus, ut ea ne recordari qui- „ dem voluiſſe merito videri poſſimus. Id enim ſi „ factum fuerit, Confeſſionem iterare omnino o- „ portebit “. Et jure merito: nam integritas materialis, quando haberi poteſt per diligens, & accuratum examen, eſt in præcepto; & formalis ſolum illius ſupplet defectum, quando ex humana mentis imbecillitate, etiam poſt accuratum examen, haberi non poſſit. Et revera ſine miraculo fieri nequaquam poteſt, ut, qui per longum tempus diſtulit Confeſſionem, omnium, quæ admiſit, criminum, ſive verbis, ſive cogitationibus, ſive operibus recordetur, niſi ſedulo coram Deo abditiora ſui pectoris arcana rimetur. Dixi tamen negligentiam eſſe debere graviter culpabilem: ſi enim negligentia levis ſit, licet alicujus peccati obliviſcatur, non propterea ſacrilegium committit, nec repetere oportebit Confeſſionem; ſed ſatis erit oblitum peccatum manifeſtare. Ita docet Catechiſmus Concilii Tridentini lo. laud. „ Si pœ- „ nitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia „ conſcientiæ ſuæ latebras non ita accurate per- „ quiſierit, cum tamen illud in animo haberet, „ ut integre omnia peccata confiteretur, nihil o- „ pus ei erit Confeſſionem iterare: ſatis autem „ habebit, ſi quando peccata, quæ oblitus erat, „ in memoriam reduxerit, ea Sacerdoti alio tem- „ pore confiteri “.

Conſectarium Secundum.

II. Qui ex ſtolido pudore aliquod peccatum confiteri omittit, ſacrilegium graviſſimum committit, & Confeſſionem iterare tenetur. Manifeſta eſt hujus propoſitionis veritas, omnibuſque comperta; proinde in ejus probatione immorandum non eſt. Satis erit doctrinam exſcribere a Tridentino Concilio traditam ſeſſ. 14. cap. 5. „ Neceſſe eſt om- „ nium veniam, cum aperta, & verecunda con- „ feſſione, a Deo quærere ... Si enim erubeſcat „ ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, „ medicina non curat “. Quod ipſum inculcat & Catechiſmus Trid. Conc. l. l. n. 48. docens: „ Si „ quis dedita opera alia quidem ex iis, quæ ex- „ plicari debent, prætermittat ... non ſolum ex „ ea Confeſſione commodum nullum conſequetur, „ ſed etiam novo ſcelere ſe obſtringat .... Se- „ que ipſum illius peccati reum facit, quod Sa- „ cramenti ſanctitatem ſimulatione Confeſſionis vio- „ laverit “.

Conſectarium Tertium.

III. Qui ſolas peccatorum ſpecies in Confeſſione aperuit, non legitime confeſſus eſt; proinde confeſſiones repetere cogitur. Frequenter præſertim rudiores hoc pacto confiteri ſolent, *aliquoties juravi*, *quandoque blaſphemavi*, *ad meretricies pluries acceſſi*, *pollutiones commiſi* &c. hi profecto non integram habent Confeſſionem; cum indeterminate numerum exprimant, immo nec ipſam peccati ſpeciem declarent: qui enim confitetur ſe pluries juraſſe, exprimere debet, num veritatem juraverit, num falſitatem, num de veritate anceps fuerit, num juramento injuſtas minas confirmaverit. Pari pacto qui pollutiones admiſit, objectum perverſæ actionis exprimere debet, ſi quod deſideraverit, vel de eo ſit delectatus. Similiter Filiifamilias confiteri ſolent, ſe parentibus non obediviſſe, nil ultra addentes: quæ confeſſio nimis generalis involuta eſt, & confuſa: exprimere enim debent, in quo non obediverint, num in re gravi, num inobedientiam contumelioſis verbis oſtenderint, num parentes eorum inobedientiam, & procacitatem acerbe tulerint. Studioſus itaque Miniſter, qui hoc modo habitas apud imperitos Confeſſarios plane mutos, qui audiunt, & abſolvunt, peccatorum confeſſiones compererit, inſtruat pœnitentes de neceſſitate integritatis in Confeſſione, & ad inutiles repetendas Confeſſiones efficaciori ſermone impellat.

Conſectarium Quartum.

IV. Pœnitentes nimium moroſi, vel ſcrupuloſi in explicandis peccatis ſunt patienter audiendi, & corrigendi; nunquam tamen illorum dimidianda Confeſſio. Inter cauſas ab integritate Confeſſionis excuſantes nonnulli benigniores Theologi & hanc enumerant, nimirum, ſi Pœnitentes ſint nimium in recenſendis peccatis moroſi, & ſcrupuloſi: nam his nimium difficilis eſt integra confeſſio; & periculum imminet, ut illis odioſa reddatur. Verum hæc doctrina certe minus vera, & minus probabilis videtur. Nam primo hocce remedium magis obeſſet, quam prodeſſet; ſi enim moroſi ſunt, & ſcrupuloſi, quia timent ſe non ſatis clare, dilucide, & plene propria explicare peccata; quomodo quieſcent, ſi deprehenderint aliqua peccata non ſolum clare non enuntiaſſe, ſed omnino non enuntiaſſe? Profecto ad Confeſſarium redibunt; &, ſi eos audire noluerit, ad alium confugient Miniſtrum, unde magis magiſque cruciabuntur. 2. Moroſitas, ſeu in accuſandis peccatis prolixitas eſſe nullo modo poteſt legitima abrumpendæ, & dimidiandæ Confeſſionis cauſa: hæc enim per Miniſtri patientiam eſt vincenda, & toleranda: curandum quidem, ne Pœnitens eadem bis, ter, mutatis verbis, vel phraſibus repetat, eum monendo, ſe ſatis explicaſſe, a ſe perceptam criminis qualitatem; & ad alia, ſi quæ habeat, dicenda, provocet, & ſollicitet. Quod ſi non fiat, profecto odioſa redditur Pœnitenti confeſſio, in qua ipſi non permittitur, ut conſcientiam ſuam exoneret; nec ea ſe audiri patientia experitur, quam poſtulare credit & ſui ſolamen, & Sacramenti indoles, atque natura. Idem cum ſcrupuloſis agendum, qui prima vice ſumma ſunt longanimitate audiendi, & tolerandi, & etiam opportunis interrogationibus juvandi; at poſtea perpetuum illis indicendum ſilentium de confeſſis peccatis, licet vel nova deprehenderint, quæ ſe non manifeſtaſſe, vel non ſatis explicaſſe arbitrentur. Sed de hoc iterum ſuo loco.

Conſectarium Quintum.

V. Qui confitetur Miniſtro vel non audienti, vel nolenti omnia peccata audire, ab integritate confeſſionis non excuſatur. Primum contingere poteſt, ſi Confeſſarium dormientem Pœnitens advertat, qui

qui non excuſatur ab integritate confeſſionis, ſed tenetur ipſum excitare, & quæ non audiviſſe putat crimina, iterum explicare. Quod ſi hoc deprehendat poſt confeſſionem, debet alteri Confeſſario pandere, quæ non audita exiſtimat a dormiente Confeſſario. Quod ſi neſciat, quænam audierit, vel non audierit, omnia iterum confiteri debet: nam negligentia etiam culpabili Miniſtri a divino præcepto de integritate confeſſionis nequaquam liberat; ſicut nec improbitas Miniſtri, integram confeſſionem audire nolentis, a quo non eſt accipienda, nec petenda abſolutio, quam ſi ille præcipitanter dederit, & pœnitens incaute acceperit, repetenda eſt confeſſio. Nec laudanda aliquorum Confeſſariorum cautela, qui audientes adoleſcentium, vel puellarum confeſſiones de peccatis contra caſtitatem admiſſis, ne ob verecundiam aliqua reticeant, fingunt ſe dormire, quamvis attenta aure omnia audiunt. Nam vel Pœnitentes hanc ſimulationem deprehandunt; & tunc puerilis, ac inepta eſt cautela: aut non advertunt, & putant vere dormire; & tunc illos fallunt, qui putant ſe valide poſſe confiteri Miniſtro dormiente. Audiant itaque illos benigne, vultu minime ad indignationem, vel admirationem compoſito, ſed placido & ſereno; atque interrogationibus, & admonitionibus ad omnia candide aperienda blande alliciant & adhortentur.

Conſectarium Sextum.

VI. Abſolutio moribundis, de quibus diximus cap. præced. n. 8. & 9. cautius, & tutius datur non abſolute, ſed ſub conditione. In Academia Lovanienſi plures fuere Theologi, qui appoſitam conditionem putabant invalidum omnino reddere Sacramentum, proinde illicite apponi, hac duplici ratione. 1. Quia nullum extat veſtigium in Sanctis Patribus, Conciliis, vel Ritualibus de abſolutione danda ſub conditione; licet caſus determinaverint, quando vel Baptiſmus, vel Extrema Unctio ſub conditione dari poſſit, 2. Quia forma datur per modum ſententiæ, & judicii juxta Chriſti inſtitutionem; judicium vero eſſe debet abſolutum, alioquin nullum eſt, & ludicrum: ut ſi Judex diceret, *triremibus damno Petrum, ſi ejus delicta mereantur: domum adjudico Paulo, ſi legitimum jus habeat*. Quamobrem in Sacramento Baptiſmi, vel Extremæ Unctionis licite apponitur conditio, quippe quia factum ſpectat, puta *ſi es vivus*; At in Sacramento Pœnitentiæ conditio non ſupra factum verſatur, ſed inter ipſum jus, quod ſi liquidum eſt, ſententia eſt abſolute pronuncianda; ſi non eſt liquidum, nec certum, a ferenda ſententia abſtinendum, nunquam vero conditionate definiendum. His non obſtantibus ſatis probabilem cenſemus poſitam noſtram aſſertionem: quia & ſaluti conſulit Pœnitentis, & reverentiæ proſpicit Sacramenti. Et primo quidem, hoc extremo excepto caſu, nunqnam licere abſolutionem ſub conditione pronunciare, & ſponte fatemur, & ſuo loco adverſus benigniores Theologos probabimus ex adductis monumentis, & aliis non minus validioribus. At in noſtro caſu dicimus, minime judicium corrumpi. Nam ſententia abſolutionis eſt actus de ſe, & abſolute judicialis, & Sacramenti formam conſtituit: conditio autem appoſita non ipſum actum judicialem reſpicit, ſed dubium Miniſtri, ignorantis, an adſint requiſitæ conditiones, quarum exiſtentiam ob periculum in mora expendere, & certo diſcernere non valet: & ſi revera adſint, ſententia etiam ex parte Miniſtri ſit abſoluta; & vero deſint, nulla eſt data ſententia, nullum prolatum judicium. Præterea, quod non novit Miniſter, novit ſupremus Judex, nempe Chriſtus, qui gratiam ſanctificantem, & peccatorum condonationem impertitur, & qui novit, ſi conditio adſit, prout judicat ſubdelegatus judex. Quod autem hoc locum non habeat in forenſibus judiciis humanis, mirum non eſt: nam & jus dicendum eſt hominibus, quorum jura, utpote externa, Judici innoteſcere poſſunt; qui etiam ad opportunum tempus ſuam poteſt, & debet differre ſententiam, donec bene expenſis utriuſque partis juribus, quod jus prævaleat, diſcernat, ac proinde abſoluta ſententia de re controverſa ferat judicium. At neceſſe non eſt, ut conditio verbo exprimatur; ſed ſatis eſt, ſi ſola mente concipiatur; & ſi quis etiam abſolute proferre ſententiam vellet, damnare non auderem; ſicut nullo modo probarem, ſi Miniſter putans non licere conditionem addere, a danda abſolutione ob rationes cap. præced. adductas abſtineret.

Conſectarium Septimum.

VII. Non datur Confeſſio, ſive Sacramentum Pœnitentiæ, quod validum ſit, & informe; ſcilicet quod ex requiſitis ſuis partibus conſtet, & ſimul effectum gratiæ ſanctificantis non inducat, ut contingere poteſt in Baptiſmo, aliiſque Sacramentis, quæ valida eſſe poſſunt, debita adhibita forma, & materia, at informia, quia defectu ſubjecti, diſpoſitione debita carentis, gratiam non producunt. Et ratio meo videri manifeſtiſſima eſt; nimirum quia ipſi actus, & diſpoſitiones Pœnitentis materiam ipſam Sacramenti eſſentialiter conſtituunt. Porro ſi hujuſmodi diſpoſitiones revera adſint, Sacramentum nedum validum eſt, ſed & formatum, remiſſionemque affert peccatorum, & gratiam ſanctificantem inducit: ſi vero deſint ex culpa Pœnitentis, Sacramentum in ſacrilegium vertitur; ſi autem ſine ejus culpa, nullum eſt Sacramentum ſuis neceſſariis partibus deſtitutum. Et revera Theologi, qui conveniunt in Confeſſione valida, ſed informi admittenda, quam maxime poſtea diffident in modo, quo id contingat, aſſignando. Nonnulli repetunt ab ipſa confeſſione, in qua non omnia ex oblivione explicantur peccata: tunc enim cum integra non ſit Confeſſio, non datur remiſſio peccatorum; cum tamen habeatur vera contritio, & abſolutio, quæ partes ſunt Sacramenti. At hoc minime verum convincitur: nam oblivio vel culpabilis fuit ex defectu examinis, vel inculpata: ſi primum; jam Sacramentum nedum informe eſt, & invalidum, quia deeſt pars eſſentialis, ſcilicet confeſſio, integra formaliter, immo ſacrilega eſt: ſi vero inculpata; & valida eſt, & formata confeſſio, cum & peccata oblita inculpate remittantur, cum ſolo onere, dum in mentem venerint, manifeſtandi. Alii repetunt ex parte propoſiti, quando ſcilicet Pœnitens formaliter quidem, & explicite voluntatem non retinet, & affectum peccandi; qui tamen in corde ipſius pœni-

nitentis adhuc latitat, ipſo inculpabiliter ignorante. At in hoc quoque caſu Sacramentum nullum eſt: quia abeſt verus dolor excludens omnem peccati affectum, ut poſtulat Tridentina Synodus, per quam excluſionem fiat materia idonea Sacramenti. Nec obſtat ignorantia invincibilis, quippe quæ excuſare quidem poteſt a culpa; at verum dolorem, & propoſitum nequit inducere. Denique 3. nonnulli repetunt ex deficientia univerſalitatis in dolore: ut cum quis dolet de duobus peccatis, quorum ſolum recordatur, ex motivo turpitudinis illorum; & non dolet de tertio, quod inculpabiliter ignorat, vel cujus obliviſcitur. At hæc hypotheſis fictitia eſt, & inutilis: nam dolor eſſe debet univerſalis, & ex motivo, & ex objecto, & cum aliquali Dei amore, omnem affectum a quolibet peccato excludente; qui ſi deſit, omnino invalidum redditur Sacramentum; proinde dari non poterit Confeſſio valida, & informis.

At oppoſitum docere videtur D. Th. qui in IV. Sent. diſt. 17. q. 3. a. 4. quæſtiuncula 1. ſcribit: „ Confeſſio eſt actus virtutis, & pars Sacramenti. „ Secundum autem quod eſt actus virtutis, eſt „ actus meritorius proprie; & ſic Confeſſio non „ valet ſine caritate, quæ eſt principium merendi. Sed ſecundum quod eſt pars Sacramenti, ſic „ ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet „ claves Eccleſiæ, qui per Confeſſionem conſcientiam confitentis cognoſcit; & ſecundum hoc Confeſſio poteſt eſſe in eo, qui non eſt contritus; „ quoniam poteſt peccata ſua Sacerdoti manifeſtare, & Clavibus Eccleſiæ ſubjacere. Et quamvis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet: ſicut „ etiam & in aliis Sacramentis: unde non tenetur „ iterare Confeſſionem, qui fictus accedit; ſed „ tenetur poſtmodum fictionem ſuam confiteri “. Huic D. Th. teſtimonio plures adhibentur a Theologis explicationes: mihi planior videtur data a Dominico Soto ſic ſcribente: „ S. Thomas non aliud ſibi vult, quam quod recedente fictione per „ contritionem incipiat homo habere gratiam, & „ remiſſionem peccatorum, quam non habuit prius „ per Sacramentum; & ſi iterum confiteatur uni, „ & eidem Sacerdoti, apud quem ficte confeſſus „ eſt, neceſſe non erit Confeſſionem repetere, ſed „ ſolum fictionem in ea habitam: & tunc per abſolutionem habebit etiam gradum Sacramentalem gratiæ ſimilem illi, quem habuiſſet per primum Sacramentum “. Sed de hac Scholaſtica quæſtione pluſquam ſatis.

REFLEXIO.

I. Salubre ſane vulneribus noſtris inſtituit Chriſtus in peccatorum confeſſione remedium. Sed heu, quot ſunt inter Chriſtifideles, qui ſua amant vulnera, quique nihil magis timent, quam ſanari! Hanc Confeſſionem de die in diem differunt, & vix in Paſchate, pœnis potius compulſi, quam deſiderio conſequendæ ſalutis, ad Sacerdotem accedunt. At quanto ſuo periculo, ſummoque detrimento id faciant, exponit egregie Guillelmus Pariſienſis de Sacram. Pœnit. cap. 9. ſcribens, Confeſſionem differre periculoſum: „ Primum, nam „ propter negligentiam faciendi Confeſſionem, „ dum quis poteſt, & non vult, juſto Dei judicio infligitur ei non poſſe, cum velit: hoc enim modo conſuevit juſtiſſimus Deus negligentias noſtras punire. Secundo propter periculum „ oblivionis peccatorum. Tertio propter periculum moræ, quæ non mediocriter aggravat peccatum. Quarto propter periculum ruendi in aliud: peccatum enim, quod ſtatim per pœnitentiam non debetur, ſuo pondere trahit ad alterum; ſicut dicit Gregorius .... Quis hoc veſtimento ſuo, vel calceamento faciat; aut non „ quam cito inquinatum fuerit, illud ablui, vel „ abſtergi curet? Quis in luto illud uſque ad putrefactionem dimittat? Si vero diſſolutum, & „ detritum fuerit, quis non ſtatim ſutori, vel refectori tradat? Quis non equum ſuum ſtatim, ut „ vulneratus fuerit, curandum mittat? Si autem „ tantopere inquinamenta, & detritiones veſtimentorum, & calceamentorum curantur a nobis; „ qua ſtudioſitate, & vigilantia curandæ ſunt detritiones, & inquinamenta veſtimentorum ſpiritualium? Si tanta ſollicitudine occurrere feſtinamus morbis equorum noſtrorum, ne creſcant, „ aut invaleſcant; quanto fortius accelerandum „ eſt nobis, ne morbi, aut læſiones animarum noſtrarum, creſcant, & medicamentum Confeſſionis ſtatim adhibendum? Si ſerpentes, ſi colubros ab aſino noſtro, ſi venenum de corpore expellere, ſi hoſtem, vel latronem de domo noſtra tantis ſtudiis, atque conatibus ejicere properamus; & moram illud faciendi tam acriter „ & in nobis, & in aliis culpamus; & petere inducias, aut dilationes, quominus hoc ſtatim „ fiat, tanta diſtrictione damnamus: quid nobis „ de ſpiritualibus ſerpentibus, colubris, & veneno, de diabolo hoſte, & latrone faciendum putamus? Si ignis incendio domum cujuſdam vaſtare cœperit; quis ſuper extinctione illius inducias ei, etiam unius momenti ſuggerere audeat, vel ſuadeat? Quis etiam adeo cæcus, aut „ demens eſſe poteſt, qui hoc ſuadentem, vel „ ſuggerentem audiat? De peccato autem ſcriptum „ eſt Job 32. *Quia ignis eſt uſque ad conſummationem devorans*. De omnibus vero generaliter „ in Pſalmo dictum eſt, *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem*. Et iterum *incenſa igni & ſuffoſſa*.

II. Sunt quidem, qui frequenter confitentur; ſed, ut inquit Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacram. Par. 15. cap. 1. „ Qui ſine aliquo timoris, vel amoris Dei attractu pro ſola conſuetudine explenda ad dicenda peccata ſua ſe ingerunt, exiſtimantes ſe propter ſolam verborum „ prolationem a debito peccatorum abſolvi: quibus recte dicitur, prius flendum eſt, poſt confitendum “. Et certe, ſi bene ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent, fontes lacrymarum ab oculis profluerent Pœnitentium. Conſiderent quidem, ut eos hortatur D. Bernardus ſerm. 16. in Cantica: „ Quod ille qui legitur „ *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*, legitur nihilominus, *Deus, judex juſtus, & fortis*, legitur *Terribilis in conſiliis ſuper filios hominum*, legitur *Deus zelans*. Quod Pater „ eſt, quod beneficus eſt, tibi eſt; quod Dominus „ ac Creator ſibi; etiam enim *propter ſemetipſum fecit omnia*, Scriptura teſte. Qui ergo, quod „ tuum eſt, tibi defendit, ac ſervat, putas & pro „ ſe aliquando non zelabit? Putas ſui non requi-

 ret

ret principatus honorem? *Propter hoc irritavit im-* „ *pius Deum*, *quia dixit in corde ſuo*, *non requi-* „ *ret*. Et quid eſt in corde ſuo dicere, *non requi-* „ *ret*, niſi non metuere, quod requiret? Sed re- „ quiret uſque ad noviſſimum quadrantem, requi- „ ret, & *retribuet abundanter omnibus facientibus* „ *ſuperbiam*. Requiret a redempto ſervitium, „ honorem, & gloriam ab eo, quem plaſmavit. „ Eſto, quod diſſimulet Pater, ignoſcat beneficus, „ ſed non Dominus, & Creator; & qui parcit fi- „ lio, non parcet figmento, non parcet ſervo ne- „ quam ... Paveo gehennam, paveo judicis vul- „ tum, ipſis quoque tremendum Angelicis Pote- „ ſtatibus. Contremiſco ab ira potentis, a facie „ furoris ejus, a fragore ruentis mundi, & con- „ flagratione elementorum, a tempeſtate valida, „ a voce Archangeli, & a verbo aſpero. Contre- „ miſco a dentibus beſtiæ infernalis, a *ventre in-* „ *feri*, *a rugientibus præparatis ad eſcam*, hor- „ reo vermem rodentem, & ignem torrentem. „ Horreo tenebras exteriores. Quis dabit *capiti* „ *meo aquam*, & *oculis meis fontem lacrymarum*, „ ut præveniam fletibus fletum, & ſtridorem den- „ tium, manuum, pedumque dura vincula, & „ pondus catenarum prementium, ſtringentium, „ urentium, nec conſummantium "? Qui ſic affi- citur, ſenſum proculdubio recuperavit; & quem iſta non movent, & ſenſum amiſit, & mentem.

III. Sed denique quid proderit in Confeſſione peccata defleviſſe, ſi poſtea, ut animadvertit D. „ Gregor. hom. 30. in Evang. „ Hoc ipſum, quod „ compuncti fuerant, obliviſcuntur; ſicque ad „ perpetranda peccata redeunt, ac ſi minime plan- „ xiſſent ". De his profecto locutus videtur D. Gregorius, dum ſcripſit: „ Ita plerique mali inu- „ tiliter compunguntur ad juſtitiam; ſicut pleri- „ que boni innoxie tentantur ad culpam ". Si- gnum enim veræ pœnitentiæ eſt conſtantia, & per- ſeverantia in fuga, & odio peccati, & obſervan- tia divinorum mandatorum. *Si quis diligit me*, inquit Chriſtus, *ſermonem meum ſervabit*. Hoc ſinceræ converſionis, & veræ Confeſſionis indicium dedit & Apoſtolus ad Corinth. II. cap. 7. ſcribens: *Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt*, *Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur* ... *Ecce enim hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos*, *quantam in vobis operatur ſollicitudinem*, *ſed defenſionem*, *ſed indi- gnationem*, *ſed timorem*, *ſed deſiderium*, *ſed æmu- lationem*, *ſed vindictam*. Quæ verba commenta- tur D. Th. ita ſcribens: „ Triſtitia ex amore o- „ ritur. Triſtatur enim quis, quia caret eo, quod „ amat. Qualis autem eſt amor, talis triſtitia ex „ amore orta. Eſt autem duplex amor: unus quo „ diligitur Deus, ex quo naſcitur triſtitia ſecundum „ Deum; alius, quo amatur ſeculum, ex quo na- „ ſcitur triſtitia ſeculi. Amor, quo diligimus „ Deum, facit nos libenter ſervire Deo, ſollicite „ quærere honorem Dei, & vacare Deo dulciter „ Et quia peccando impedimur a ſervitio Dei, „ & ideo ei non vacamus, nec ejus honorem quæ- „ rimus; ideo amor Dei cauſat triſtitiam de pec- „ cato, & hæc triſtitia ſecundum Deum 1. *Pœni-* „ *tentiam ſtabilem*, & conſtantem operatur, non „ fugam deſultoriam, & vacillantem. 2. *Sollici-* „ *tudinem* adhibet ad vitanda mala, & facienda „ bona. 3. *Defenſionem* parat contra illos, qui nos „ ad malum inducunt, facitque, ut eis reſiſtamus „ fortes in fide, illiſque armaturam Dei opponа- „ mus. 4. *Indignationem* excitat, qua Pœnitens „ ſibi ipſi iraſcitur, quod ob vilia, & peritura „ Deum dereliquerit. 5. *Timorem*, quo metuit, „ ne Deum offendat, illique diſpliceat. 6. *Deſide-* „ *rium*, quo anima fertur ad omnia, quæ Deus „ jubet, ſecundum illud Regis Pœnitentis: *Con-* „ *cupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas* „ *in omni tempore*. 7. *Æmulationem*, qua æmula- „ tur chariſmata meliora, & eos, qui in via man- „ datorum incedunt, æmulari ſtudet. Denique 8. „ *Vindictam*, qua Pœnitens in ſeipſo pœnas exigit, „ Deique juſtitiæ ſatisfacere pro virili conatur". Hæc Pœnitentibus inculcent ſacri Pœnitentiæ Mi- niſtri, ut ſtabilem in ipſis inducant converſionem.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE SATISFACTIONE.

CAPUT PRIMUM.

De indole, neceſſitate, utilitate ſatisfactionis.

DOCTRINA.

I. *Satisfactionis definitio traditur, & explicatur.*
II. *Satisfactio neceſſaria eſt, & utilis.*
III. *Juſti per Pœnitentiæ labores Deo ſatisfaciunt.*
IV. *Et quidem non ſolum de congruo, ſed & de condigno.*
V. *Satisfactio a Sacerdote impoſita partem conſtituit Sacramenti.*
VI. *Non tamen eſſentialem, ſed integralem.*
VII. *Utilis eſt etiam ad futura peccata præcavenda.*
VIII. *Pluribus modis Deo ſatisfacere poſſumus.*

I. SAtisfactionis nomen æquivocum eſt, & ad plane diverſa ſignificanda uſurpatur. Et primo quidem generatim ſumitur pro cujuſcumque debiti ſolutione. Hinc qui debitum ſolvit creditori ſuo, ſatisfacere dicitur. Secundo uſurpatur pro illatæ injuriæ reparatione. Unde S. Anſelmus lib. *Cur Deus homo*, cap. 11. *Satisfacere*, inquit, *eſt Deo debitum honorem impendere*, ratione ſcilicet culpæ commiſſæ, qua Deo debitum honorem homo peccando ſubtraxit: unde ſubdit: *Debet omnis, qui peccat, honorem, quem rapuit, Deo ſolvere.* Et hæc eſt ſatisfactio, quam omnis peccator debet Deo facere. Tertio Satisfactio ſumitur pro pœna, quæ reo in vindictam infligitur. In Romano Catechiſmo ſatisfactio Sacramentalis deſcribitur: *Purgatio, qua eluitur, quidquid ſordium propter peccati maculam in anima reſedit, atque a pœnis tempore definitis, quibus tenebamur, abſolvimur.* Et in hoc poſtremo ſenſu a nobis hæc ſatisfactio uſurpatur, quæ proinde definiri poteſt: *Pœnæ a Sacerdote impoſitæ in Sacramento Pœnitentiæ voluntaria perpeſſio, ad compenſandam injuriam Deo per peccatum illatam, & redimendam graviorem pœnam in altera vita merito luendam.* Dicitur *Pœnæ perpeſſio*, quia ſatisfactio in Sacramento debet exhiberi per opus de ſe pœnale, & afflictivum; cujuſmodi ſunt eleemoſynæ, jejunia, corporis afflictiones, repetitæ, & diuturnæ preces. Additur perpeſſio *voluntaria*, non coacta; alioquin non ſatisfactionis locum habet, ſed punitionis, nolenti, & reluctanti impoſitæ: ut ſunt Purgatorii pœnæ, quæ proinde non ſatisfactiones, ſed ſatispaſſiones melius dicuntur. Subditur *ad injuriam Deo per peccatum illatam compenſandam.* Nam, ut docet S. Anſelmus lo. cit. „ Non ſufficit ſolummodo reddere, quod ablatum eſt; ſed „ pro contumelia illata plus debet reddere, quam „ abſtulit. Sicut enim qui lædit ſalutem alterius, „ non ſufficit ſi ſalutem reſtituat, niſi pro illata „ doloris injuria recompenſet aliquid; ita qui honorem alicujus violat, non ſufficit honorem reddere, ſi non ſecundum exhonorationis factam „ moleſtiam aliquid, quod placeat illi, quem exhonoravit, reſtituat “. Quæ tamen ſatisfactio jus divinum læſum per culpam non ad æqualitatem reſarcit; hoc enim mortalis homo præſtare non poteſt, ſed abunde præſtitit Chriſtus; at penes aliquam proportionem. Denique dicitur *ad graviorem redimendam pœnam*, vel in hac ſcilicet, vel in altera vita luendam; quia omni peccato juſta debetur pœna, ita Divina exigente juſtitia.

II. Hujus Satisfactionis neceſſitatem, & utilitatem inficiantur recentiores Hæretici, Luthetani, & Calviniſtæ, quippe qui putant, ſola in Chriſtum fide nedum reatum culpæ, & æternam pœnam auferri, ſed & quamcumque temporalem pœnam condonari. At a veritate aberrant: fidei enim Catholicæ dogma eſt, non ſemper ſimul cum culpa, & æterna pœna, & temporalis pœnæ remiſſionem concedi; ut definivit Trid. Synodus ſeſſ. 14. can. 12. „ Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non aliud eſſe, quam fidem, qua „ apprehendunt, Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe; „ anathema ſit “. Et revera ita docent Scriptura, & Patres. Ex prima enim novimus, primis parentibus poſt culpæ, & pœnæ æternæ remiſſionem, plures denuntiatas pœnas temporales ſubeundas, inter quas locum habet mors corporalis, cui ſubjacent ex Adamo deſcendentes, etiam poſtquam ſuſcepto Baptiſmate facti ſunt Chriſti membra, & culpæ, ac pœnæ æternæ reatus ſublatus eſt. Aaroni Num. 20. poſt remiſſum incredulitatis reatum denuntiatum fuit, *Non intrabit terram, quam dedi filiis Iſrael, eo quod incredulus fuit ori meo.* David quoque 2. Reg. poſtquam ei dictum fuit a Natan, *Dominus tranſtulit peccatum tuum a te*, audivit, *verumtamen filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Et cap. 24. poſt remiſſum peccatum elationis animi in recenſendis Tribubus, propoſita eidem Regi fuit pœna luenda vel peſte, vel fame, vel bello ex quibus ipſe priorem elegit. Præterea frequentiſſime Scripturæ poſt remiſſionem etiam culpæ, & pœnæ æternæ condonationem, Pœnitentes hortantur, ut temporalibus pœnis in ſe ipſos animadvertant, & jejuniis, ciliciis, eleemoſynis redimant peccata; adeo ut omnes pene exſcribendi eſſent Prophetales Libri. Idem confirmat perpetua Patrum traditio, quorum teſtimonia partim indigitabo, partim exſcribam. S. Ambroſ. ſuper Pſal. 37. S. Jo. Chryſoſt. hom. 2. ſuper Pſal. 50. & hom. 4. in 2. ad Corinth. S. Hieron. in cap. 10. Jer. S. Fulgent. lib. 1. de remiſſ. peccat. cap. 12. S. Leo ſerm. 8. de Paſſione Domini. S. Greg. M. lib. 9. Moral. cap. 34. S. Auguſtinus in Pſalm. 50. ſcribens: „ Aliquando Deus, cui ignoſcit in futuro ſeculo, corripit etiam de peccato in iſto „ ſeculo. Nam & ipſi David, cui dictum fuerat

„ per

„ per Prophetam, dimiſſum eſt peccatum tuum, „ evenerunt quædam, quæ minatus eſt Deus propter „ ipſum peccatum ... Impunita peccata etiam eo„ rum, quibus ignoſcis, non reliquiſti “. Quod & repetit lib. 22. cont. Fauſtum & Tract. 124. in Jo. Hanc quoque mentem fuiſſe Eccleſiæ priſcorum ſeculorum evincit manifeſte perpetua ejuſdem diſciplina erga Pœnitentes, qui infirmitate correpti abſolutione, & Euchariſtia ante completam pœnitentiam donabantur; at ſi eos convaleſcere contingebat, ad eum pœnitentiæ gradum revertebantur, in quo morbus eos corripuerat; ut ſtatuunt plura Concil. Nic. can. 13. IV. Carthag. can. 74. Arauſic. I. can. 3. Cujus æquiſſimæ diſciplinæ rationem reddit Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. dicens: „ Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter a „ Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſ„ mum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, „ qui ſemel a peccati, & dœmonis ſervitute libe„ rati, & accepto Spiritus Sancti dono ſcienter „ templum Dei violare, & Spiritum Sanctum con„ triſtare non formidaverint. Et divinam clemen„ tiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactio„ ne peccata dimittantur, ut, occaſione accepta, „ peccata leviora putantes, velut injurii, & con„ tumelioſi Spiritui Sancto, in graviora laba„ mur “.

III. Juſti itaque pœnitentiæ laboribus, vel ſponte ſuſceptis, vel a Sacerdote impoſitis, pro pœna temporali Deo ſatisfaciunt. Hoc enim oſtendunt luculentiſſima S. Scripturæ teſtimonia. Tobiæ 4. *Eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat.* Deuter. 14. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* 2. Paralip. 7. *Si clauſero Cælum, & pluvia non fluxerit . . . converſus autem populus meus egerit pœnitentiam a viis ſuis peſſimis, & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.* Jerem. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo; & ego agam Pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi facere ei.* Confirmant & exempla Pœnitentium. Job de ſe ipſo dicit cap. ult. *Inſipienter locutus ſum . . . idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* David ad Deum placandum humi jacuit, jejunavit, & ſeipſum pro populo morti obtulit. Achab 3. Reg. cap. 21. cum audiſſet Prophetæ minas, *Scidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite.* Unde factus eſt ſermo Domini ad Eliam dicens: *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia ergo humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus.* Unde & Apoſtolus ſcribit ad Corinth. *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Confirmant & antiquiores Eccleſiæ Patres. Tertul. de Pœnit. cap. 8. „ Confeſſione Pœnitentia noſcitur, „ Pœnitentia Deus mitigatur “. Origenes hom. 6. in Exod. „ Feciſti homicidium, Diaboli pecuniam „ ſuſcepiſti ... adulterium Diaboli pecunia eſt . . . „ ſi forte hujuſmodi pecuniam a Diabolo deceptus „ accepit, non uſquequaque deſperet, pœnitendo, „ flendo, ſatisfaciendo deleat, quod admiſſum „ eſt “. S. Auguſtinus ſuper Pſalm. 50. ad verſ. 3. *& a peccato meo munda me*, hortatur peccatorem, ut dicat Deo: „ Non, Domine, non erit „ impunitum peccatum meum, non impunitum „ erit: ſed ideo nolo, ut tu me punias, quia „ ego peccatum meum punio “. Sed infinitus eſſem, ſi omnia hac de re afferre vellem Patrum teſtimonia; quid enim aliud præſtant Tertul. toto lib. de Pœnit. S. Cyprianus lib. de Lapſis, S. Pacianus in Paræneſi ad Pœnit. S. Ambroſius lib. ad Virginem lapſam, quam Pœnitentes hortari, ut reſipiſcant, & dignis laboribus, & afflictationibus pro admiſſis ſceleribus ſatisfaciant? „ Non ſufficit „ enim (ajebat D. Auguſt. ſer. 35. n. 12) mo„ res in melius commutare, & a factis malis re„ cedere; niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſa„ tisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humi„ litatis gemitum, per contriti cordis Sacrifi„ cium, cooperantibus eleemoſynis “. Huic Calvinus reſiſtere veritati non valens ſua protervia eos conculcat lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 38. ſcribens: „ Parum me movent, quæ in Veterum ſcri„ ptis de Satisfactione paſſim occurrunt. Video „ quidem eorum nonnullos, dicam ſimpliciter „ *omnes* fere, quorum libri extant, aut in hac „ parte lapſos eſſe, aut nimis aſpere, & dure lo„ cutos “. Oh iniquum audaciſſimi hominis contra venerabilem SS. PP. chorum judicium! Merito proinde ejus, & Aſſeclarum audaciam fregit Tridentina Synodus anathemate, definiens can. 13. „ Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam tem„ poralem minime Deo per Chriſti merita ſatisfie„ ri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, „ vel a Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſu„ ſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, „ vel aliis etiam pietatis operibus . . . . anathema „ ſit “.

IV. Hæc vero ſatisfactio eſt de condigno, licet non ſit ex toto rigore juſtitiæ. Huic noſtræ doctrinæ non acquieſcunt aliqui Theologi, qui congruitatem quidem agnoſcunt inter opera pœnalia, & remiſſionem pœnæ; at condignitatem omnino non admittunt. Verum noſtra aſſertio ſic evincitur. Et 1. quidem ex damnatione 77. Bajanæ aſſertionis lata a S. Pio V. & Greg. XIV. dicentis: *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.* Hujus igitur damnatæ Theſis contradictoria propoſitio vera erit, ſcilicet laborioſa opera pœnitentium de condigno apta eſſe ad ſatisfaciendum Deo pro temporali pœna. 2. Concilium Tridentinum dum mox citato Canone ſtatuit, Pœnitentes poſſe Deo ſuis pœnalibus operibus ſatisfacere, ſic abſolute loquendo, ſatisfactionem de condigno deſignavit, cui proprie nomen convenit ſatisfactionis; quemadmodum quando ſermonem habet de merito, nomine meriti abſolute deſignati meritum ſignificat de condigno. 3. Confirmat Theologica ratio; quandoquidem ſatisfactiones pœnitentiales a juſtis exhibitæ moralem ſervant æqualitatem cum pœna temporali peccatis debita, quæ cum finita ſit, finita quoque ſatisfactione poterit compenſari. Si enim juſtorum merita, ut docent communiter Theologi adverſus Hæreticos, de condigno vitam merentur æternam, quia gratia ſanctificans, in qua fundatur meritum, moralem habet æqualitatem cum gloria, & æterna beatitate; quanto magis opera pœnalia eandem ſervabunt æqualitatem cum temporali pœna pro peccatis luenda? Nec obſtat, quod ſatisfactiones noſtræ ſint exigui meriti, cum injuria Deo per peccatum illata infinitæ ſit gravita-

tis.

tis. Quandoquidem minime aſſerimus, opera pœnitentialia apta eſſe ad ſatisfaciendum Deo pro peccati offenſa, & injuria; ſed tantum pro temporali pœna, quæ, deleta jam offenſa, & remiſſa injuria, luenda ſupereſt; quæ, cum minime infinita ſit, æquali poteſt ſatisfactione deleri. Similiter Purgatorii pœnæ pro admiſſis culpis ſubeundæ, licet ſint longe ſuperioris, & altioris ordinis in ſuo eſſe phyſico, in eſſe tamen morali ſunt ejuſdem ordinis, in eſſe ſcilicet ſatisfactionis, ad quam etiam de condigno perſolvendam, non eſt neceſſaria æqualitas in eſſe phyſico, ſed ſufficit in eſſe morali, quæ haberi poteſt in operibus Pœnitentiæ in hac vita, vel ſponte ſuſceptis, vel a Sacerdote impoſitis.

V. Satisfactio a Sacerdote impoſita, & a pœnitente acceptata, partem conſtituit Sacramenti Pœnitentiæ. Et quidem Satisfactionem ad Sacramentum Pœnitentiæ tanquam partem pertinere, docet Florentina Synodus in Decreto unionis his verbis: „ Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, „ cujus quaſi materia ſunt actus Pœnitentis, qui „ in tres diſtinguuntur partes, quarum 1. eſt cor- „ dis contritio, 2. oris confeſſio, 3. ſatisfactio “. Et confirmavit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 3. dicens: „ Sunt autem quaſi materia hujus Sa- „ cramenti ipſius pœnitentis actus, nempe Con- „ tritio, Confeſſio, & *Satisfactio*; quatenus in „ Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad ple- „ nam, perfectamque peccatorum remiſſionem ex „ Dei inſtitione requiruntur, hac ratione *Pœni- „ tentiæ partes* dicuntur “. Nec obſtat ſatisfactionem conſequi ipſum Sacramentum. Nam licet quoad executionem Sacramentum ſubſequatur; quatenus tamen eſt in propoſito, cum illo conjungitur, & ſolum oſtendit, quod modo dicturi ſumus, ſcilicet

VI. Satisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti, ſed ſolum integralis. Tum quia Satisfactio gratiam præſupponit: nemo autem pro temporali pœna poterit ſatisfacere, qui æternæ reus exiſtit. Gratia autem eſt effectus Sacramenti, jam in ſe eſſentialiter completi. Tum quia rei punitio eſſentiam non ingreditur judicii, ſed eſt complementum, & perfectio judicii, ad quod ſolum integrandum adjungitur. Confirmat doctrina, & praxis Eccleſiæ, quæ moribundo, nullam valenti ſatisfactionem exhibere, adhuc Pœnitentiæ Sacramentum non denegat; quod profecto nullum foret, ſi ſatisfactio eſſet pars eſſentialis.

VII. Satisfactio non ſolum utilis eſt ad ſolvendam temporalem pœnam pro peccatis debitam, ſed & ad futura præcavenda peccata. Ita docet S. Thom. hic q. 12. art. 3. ſcribens: „ Juſtitia non „ ſolum ad hoc tendit, ut inæqualitatem præceden- „ tem auferat, puniendo culpam præteritam; ſed „ etiam ut in futurum æqualitatem cuſtodiat: quia „ ſecundum Philoſophum in 2. Ethic. cap. 3. *pœ- „ næ medicinæ ſunt*. Unde & ſatisfactio, quæ eſt „ juſtitiæ actus pœnam inferentis, eſt medicina cu- „ rans peccata præterita, & præſervans a futuris. „ Et ideo quando homo homini ſatisfacit, & præ- „ terita recompenſat, & a futuris cavet. Et ſe- „ cundum hoc dupliciter poteſt ſatisfactio definiri. „ Uno modo reſpectu culpæ præteritæ, quam re- „ compenſando curat: & ſic dicitur, quod ſatisfa- „ ctio eſt illatæ injuriæ recompenſatio ſecundum „ juſtitiæ æqualitatem ... Alio modo poteſt defi- „ niri, ſecundum quod præſervat a culpa futura ... „ Præſervatio autem a morbo corporali fit per ab- „ lationem cauſarum, quibus morbus conſequi pot- „ eſt: eis enim ablatis, non poteſt morbus ſequi. „ Sed in morbo ſpirituali non eſt ita: quia liberum „ arbitrium non cogitur; unde cauſis etiam præſen- „ tibus poteſt vitari, quamvis difficulter, & cau- „ ſis amotis poteſt incurri. Et ideo in ſatisfactio- „ nis definitione duo ponuntur, ſcilicet exciſio „ cauſarum, quantum ad primum, & renitentia „ liberi arbitrii ad ipſum peccatum, quantum ad „ ſecundum “. Hinc duplex ſatisfactionis genus diſtinguunt Theologi, ſcilicet medicinalis, quæ futuros præcavet lapſus; & pœnalis, quæ præteritis conſulit, de quibus ſermo redibit in ſequentibus.

VIII. Pluribus modis Deo poſſumus pro peccatis ſatisfactionem exhibere. Hos modos enumerat Tridentinum Concilium ſeſſ. 14. cap. 6. dicens: „ Non ſolum pœnis ſponte a nobis pro vindicando „ peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro „ menſura delicti impoſitis, ſed etiam (quod ma- „ ximum amoris argumentum eſt) temporalibus fla- „ gellis a Deo inflictis, & a nobis patienter tole- „ ratis, apud Deum Patrem per Jeſum Chriſtum „ ſatisfacere valemus “. Et revera ſic veros Pœnitentes Deo ſatisfeciſſe legimus in Scripturis. Nam jejuniis, & ciliciis voluntarie aſſumptis Deo ſatisfecere David, Ninivitæ, & Achab: & ad hæc ſponte ſuſcipienda pœnalia opera hortantur Patres. S. Jo. Chryſoſt. hom. 42. in Matth. ſcribit: „ Quo- „ modo, inquies, a me ipſo rationes vivendi, & „ ſupplicium exigam? Largos lacrymarum effunde „ fluvios, laboribus, ac vigiliis te ipſum affige “. Pœnis etiam per Miniſtros Eccleſiæ impoſitis, & ſponte acceptatis Deo ſatisfacere poſſe Pœnitentes, declaravit Tridentina Synodus, dum in poteſtate a Chriſto Apoſtolis data ligandi, & ſolvendi, hanc quoque infligendarum pœnarum facultatem contineri definivit ſeſſ. 14. can. 15. *Si quis dixerit, Claves Eccleſiæ eſſe datas ſolum ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium, & contra inſtitutionem Chriſti; anathema ſit*. Immo & ipſis temporalibus flagellis tribulationibus, infirmitatibus a Deo immiſſis, & patienter toleratis Deo gratam nos exhibere poſſe ſatisfactionem, adeo certum eſt, ut & ipſi Heterodoxi inficiari non audeant. Nam ex Scripturis conſtat, Moyſem, Aaron, David a Deo ſeverius punitos, vel morte in deſerto, & privatione Terræ promiſſæ, & peſte, vel bellis vexatos, ea patienter tolerando divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe: quandoquidem & ille ſatisfacere recte dicitur, qui malis, queis etiam coactus premitur, pie, & libenter ſe ſubmittit, luendo ſupplicium, & pœnam, quam debet.

CAPUT SECUNDUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Opera ſatisfactoria eſſe debent pœnalia.*
II. *Quænam ſint opera pœnalia.*
III. *In peccato peracta pœnalia opera vim non habent ſatisfaciendi.*

IV. *Va-*

IV. *Valent tamen ad præceptum, a Miniſtro impoſito, implendum.*

V. *In gratia exiſtenti & remiſſionem pœnæ affert ſatisfactio, & gratiam ſanctificantem auget.*

VI. *Non valet Pœnitens pro uno peccato ſatisfacere, & non pro alio quoad reatum culpæ, & offenſæ; at quidem quoad reatum pœnæ temporalis.*

Conſectarium Primum.

I. Opera, pro Satisfactione aſſumenda, vel imponenda, eſſe debent opera pœnalia. Ita docet S. Th. hic q. 15. art. 1. rationem aſſignans ex duplici capite, unde neceſſitas oritur ſatisfactionis; nimirum 1. ad reparandas offenſas. 2. Ad præcavendas futuras. Ex primo igitur capite ſic neceſſitatem pœnalis operis oſtendit, ſcribens: „ Recompenſatio offenſæ importat adæquationem, „ quam oportet eſſe ejus, qui offendit, ad eum, „ in quem offenſa commiſſa eſt. Adæquatio autem in humana juſtitia attenditur per ſubtractionem ab uno, qui plus habet juſto, & additionem ad alterum, cui ſubtractum eſt aliquid. „ Quamvis autem Deo, quantum eſt ex parte ejus, nihil ſubtrahi poſſit; tamen peccator, „ quantum in ipſo eſt, aliquid ei ſubtrahit peccando. Unde oportet, ad hoc quod recompenſatio fiat, quod aliquid ſubtrahatur a peccante „ per ſatisfactionem, quod in honorem Dei cedat. „ Opus autem bonum, ex hoc quod eſt hujuſmodi, non ſubtrahit aliquid ab operante, ſed magis perficit ipſum. Unde ſubtractio non poteſt fieri per opus bonum, niſi pœnale ſit. Et „ ideo ad hoc, quod aliquod opus ſit ſatisfactorium, oportet, quod ſit bonum, ut in honorem „ Dei ſit; & pœnale, ut per hoc aliquid peccatori ſubtrahatur “. Ex alio vero capite eandem veritatem confirmat, ſubdens: „ Similiter „ etiam pœna a culpa futura præſervat; quia non „ facile homo ad peccata redit, ex quo pœnam „ expertus eſt. Unde ſecundum Philoſophum „ Ethic. 3. *pœnæ medicinæ ſunt* “. Ad hæc attendant Confeſſarii in injungendis pœnis, ut infra melius oſtendemus.

Conſectarium Secundum.

II. Opera pœnalia, quibus Deo ſatisfacere poſſumus pro peccatis, hæc tria præcipua ſunt, ſcilicet oratio, jejunium, & eleemoſyna, ad quæ cetera omnia revocantur. Hanc doctrinam ex D. Th. deſumpſimus, qui eam tradit l. l. a. 3. & ſic confirmat ſcribens: „ Satisfactio debet eſſe talis, per „ quam aliquid nobis ſubtrahamus ad honorem „ Dei. Nos autem non habemus, niſi tria bona, ſcilicet bona animæ, bona corporis, „ & fortunæ. Ex bonis quidem fortunæ ſubtrahimus aliquid nobis per eleemoſynam, ſed „ ex bonis corporis per jejunium: ex bonis autem „ animæ non oportet quod aliquid ſubtrahamus „ nobis quantum ad eſſentiam, vel quantum ad „ diminutionem ipſorum, quia per ea efficimur „ Deo accepti; ſed per hoc quod ea ſubmittimus „ Deo totaliter: & hoc fit per orationem. Competit etiam iſte numerus ex parte illa, qua ſatisfactio peccatorum cauſas excidit: quia radices peccatorum tres ponuntur 1. Jo. 2. *Concupiſcentia carnis*, *concupiſcentia oculorum*, *& ſuperbia vitæ*. Contra concupiſcentiam carnis ordinatur jejunium: contra concupiſcentiam oculorum ordinatur eleemoſyna; contra ſuperbiam vitæ ordinatur oratio, ut Auguſtinus dicit ſuper Matthæum. Competit etiam quantum „ ad hoc, quod ſatisfactio eſt peccatorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere: quia omne peccatum vel in Deum committimus, & contra hoc „ ordinatur oratio: vel in proximum, & contra hoc „ ordinatur eleemoſyna: vel in nos ipſos; & contra hoc ordinatur jejunium “. Quomodo autem cetera omnia bona, & pœnalia opera ad hæc tria revocentur, oſtendit in reſponſ. ad 5. ſubdens: „ Quidquid ad affectionem corporis pertinet, totum ad jejunium refertur; & quidquid ad proximi utilitatem expenditur, totum eleemoſynæ „ rationem habet: & ſimiliter quæcumque latria „ exhibetur Deo, orationis accipit rationem “.

Conſectarium Tertium.

III. Satisfactio in peccato habituali facta meritoria non eſt remiſſionis pœnæ. Veritatem hujus doctrinæ probe intellectæ nullus, puto, inficiabitur. Quomodo enim concipi poteſt, ut pro temporali pœna ſatisfaciat, qui debitor eſt æternæ pœnæ? Et quomodo poteſt Deus opus acceptare in ſatisfactionem, cui diſplicet auctor? 2. Quia, ut docet Catechiſmus Romanus Par. II. n. 73. „ Duo „ præcipue in ſatisfactione requiruntur: primum „ eſt, ut qui ſatisfacit, *juſtus ſit*, *ac Dei amicus*: „ Opera autem, quæ ſine fide, & caritate fiunt, „ nullo modo Deo grata eſſe poſſunt “. Quod & confirmat D. Thom. hic q. 14. art. 2. ubi aperte rejicit opinionem illorum, qui aſſerebant, *ſi aliquis in peccato exiſtens ſatisfaciat*, *ſatisfactio talis ei valet*, *ita quod ſi in peccato illo moreretur*, *in inferno de illis peccatis non puniretur*, ſcilicet quantum ad temporalem pœnam, quæ non dimiſſis peccatis adhuc debetur. Sic itaque hanc opinionem refellit inquiens: „ Sed hoc non poteſt „ eſſe: quia in ſatisfactione oportet, quod amicitia reſtituta, etiam juſtitiæ æqualitas reſtituatur, cujus contrarium amicitiam tollit... Æqualitas autem in ſatisfactione ad Deum non eſt ſecundum æquivalentiam, ſed magis ſecundum acceptationem ipſius. Et ideo oportet, quod etiamſi jam offenſa ſit dimiſſa per præcedentem „ contritionem, opera ſatisfactoria ſint Deo accepta; quod dat eis *Caritas*. Et ideo *ſine Caritate* opera facta non ſunt ſatisfactoria “. Quod & confirmat in IV. diſt. 19. art. 5. ſcribens: „ Cum „ in quovis opere conſiderentur & meritum, & „ *ſatisfactio*, quidam dixerunt, quod opera facta „ extra caritatem, poſtea ipſa accedente vivificantur, quantum ad hoc quod ſint ſatisfactoria „ reſpectu pœnæ dimittendæ; non autem quantum „ ad hoc quod ſint meritoria vitæ æternæ. Sed „ hoc non poteſt eſſe: quia utrumque habent, „ quod fiant *ex Caritate*, tanquam Deo accepta „ *per gratiam*. Et ideo eadem ratione, quod non „ vivificentur quoad meritum, nec vivificantur „ quoad ſatisfactionem “. Nec obſtat praxis antiquæ Eccleſiæ, quæ opera pœnalia a Pœnitentibus exigebat, priuſquam illis abſolutionem impertire-

tiretur; proinde dum adhuc erant in habituali peccato. Quandoquidem pœnitentialia opera præſtabantur a fidelibus, ut Deo pro injuria illi illata ſatisfacerent, ut acerbiorem dolorem de ſuis delictis conciperent, ut pravos habitus corrigerent, ad bona opera aſſueſcerent, vel etiam, ſi lubet, & in ſatisfactionem pœnæ temporalis, non quidem de condigno, ut præſtat ſatisfactio cum gratia conjuncta, ſed ſolum de congruo, & ex abundantia divinæ pietatis, quæ remittendo per abſolutionem Miniſtri culpam, & ſimul pœnæ temporalis partem juxta fervorem peractæ pœnitentiæ miſericorditer largitur. Id explicat D. Thom. hic q. 14. art. 3. ad 1. ſcribens: „ Quanto eſt major contritio, tanto magis diminuit de pœna; & quanto aliquis plura bona facit in peccato exiſtens, magis ſe ad gratiam contritionis diſponit. Et ideo probabile eſt, quod minoris pœnæ ſit debitor. Et propter hoc deberent a Sacerdote diſcrete computari, ut ei minorem pœnam injungat, inquantum invenit eum melius diſpoſitum “.

Conſectarium Quartum.

IV. Opera pœnalia in habituali peccato peracta, licet ſatisfactoria non ſint, valent tamen ad præceptum a Miniſtro impoſitum implendum. Hoc probat antiqua Eccleſiæ conſuetudo, quæ pœnalia opera a Pœnitentibus exigebat, & implenda jubebat, priuſquam per abſolutionem gratiam juſtificantem conſequerentur. Et ita docet Auctor lib. Sententiar. ad Annibaldum, qui D. Th. tribuitur in IV. Diſt. 16. art. 2. ad 2. ſcribens: „ Dicendum, quod quamvis non ſit abſolutus a pœna condigna ſatisfactoria; abſolutus tamen eſt ab ea, quæ injuncta fuit ab homine: dicitur enim quis obligari ad pœnam peccati, uno modo ex ipſo peccati reatu; ſecundo ex præcepto Eccleſiæ, quo Pœnitens li[illegible] in abſolutione. Quamvis autem ſatisfaci[illegible]li juxta præceptum Eccleſiæ, a [illegible]ſiæ ſe abſolvat; non tamen [illegible]atu po[illegible]æ peccato excuſatur “. Id patet [illegible] exem[illegible]adrageſimalis jejunii, quod licet [illegible] ab Eccleſia [illegible]itutum, & plebi chriſtianæ præceptum, [illegible] & [illegible]tisfactorium, & meritorium; illud tamen [illegible] violat, qui in peccato jejunat, licet nec ſatisfaciat, nec mereatur. Sunt tamen Theologi, qui diſtinguunt inter ſatisfactiones permanentes, & tranſitorias. [illegible]res illas dicunt, quæ aliquod ſui ſignum relinquunt, ut debilitas poſt jejunium, carentia pecuniæ facta eleemoſyna; poſteriores vero, quæ in actu, præſertim interiori, conſiſtunt, ut ſunt orationes. Qui in peccato habituali priora opera laborioſa eſt executus, præceptum Miniſtri implevit, & ſatisfactionem impoſitam plene exhibuit; at non ita, qui in peccato habituali poſteriora eſt executus; ex prioribus enim aliquid remanet, quod accedente Pœnitentia, & Contritione eſſe poteſt Deo gratum, & acceptum, & quodammodo vivificari; at de poſterioribus, cum nihil remaneat, nihil eſt, quod Deo placere poſſit, nec accedente pœnitentia; proinde iterari debent, ut aliquid fiat, quod ſit Deo gratum, & acceptum. Huic doctrinæ favere videtur S. Th. in IV. ſent diſt. 14. q. 1. art. 5. quæſtiuncula 3. ad 3. ſcribens: „ Aliquæ ſatisfactiones ſunt, ex quibus manet aliquis defectus in ſatisfacientibus, etiam poſtquam actus ſatisfactionis tranſiit; ſicut ex jejunio manet corporis debilitatio, ex eleemoſynis largitis diminutio ſubſtantiæ, & ſic de ſimilibus. Et tales ſatisfactiones in peccatis factæ non oportet, quod iterentur (ad ſatisfaciendum ſcilicet vel præcepto Eccleſiæ jejunium imperantis, vel Confeſſarii eleemoſynam ad pœnitentiam præcipientis) quia *quantum ad id, quod de eis manet* per pœnitentiam (ideſt accedente contritione, vel Sacramento) Deo acceptæ ſunt. Satisfactiones autem, quæ non relinquunt aliquem effectum in ſatisfaciente, poſtquam actus tranſiit, oportet, quod iterentur; ſicut eſt de oratione, & ſimilibus: actus autem interior, qui totaliter tranſiit, nullo modo vivificatur, ſed oportet, quod iteretur “.

Clariſſimus Juveninus, ſive Auctor Tract. de Sacramentis, putat S. D. hanc retractaſſe ſententiam in Summa, quando 3. p. q. 89. art. ult. docuit, & oſtendit opera bona in lethali peccato elicita nunquam vivificari etiam ſupervenient[illegible] caritate. Nam quod in Sententi[illegible] docuit, retractatione non indiget, [illegible] non adverſetur doctrinæ in S[illegible]a traditæ. Non enim S. D. docuit in primo loco vel eleemoſynam, vel jejunium in lethali peccato habitum reviviſcere per Contritionem, vel Sacramentum; ſed *quod remanet* ex illis operibus, debilitatem ſcilicet ex jejunio, imminutionem, & carentiam pecuniæ ob eleemoſynam, prodeſſe: hæc enim cum conjungi poſſint cum ſtatu gratiæ, jam incipiunt eſſe Deo gratæ, cum antea non forent. Qui igitur jejunavit in peccato, & poſtea Pœnitens gratiam recuperavit, debilitatem quam patitur ex jejunio, Deo offert, & illi jam grata eſſe incipit; & idem dicendum de carentia pecuniæ, de qua gaudere poteſt, & Deo offerre poſt pœnitentiam, unde fiat ſatisfactoria. Quod profecto dici non poteſt de illis operibus, quæ nullum relinquunt effectum; quæ cum factæ ſint in habituali peccato, nec amplius exiſtant vel in ſe, vel in ſuo effectu, profecto reviviſcere nullo modo poſſunt. Nullus itaque eſt locus retractationi, cum nullus ſit locus contradictioni.

Sed ad ſemitam revertentes, puto & orationes pro Pœnitentia impoſitas, licet in habituali peccato recitentur, valere ad implendum præceptum a Confeſſario impoſitum, dummodo fiant ex aliquo pietatis affectu, & deſiderio converſionis impetrandæ: tunc enim licet oratio ipſa Deo grata non ſit; pius tamen affectus, a quo imperatur, & cum quo ſociatur, cum ab ipſo Deo infundatur, illi gratus non eſſe nequit. At non ita ſentiendum de illo, qui opera ſatisfactoria ſibi impoſita in actuali peccato implet; puta Roſarium recitat cum voluntaria diſtractione, Miſſam audit mente voluntarie vagante, dum peregrinationem de una ad aliam Eccleſiam peragit, interim vel impudicis oblectatur mulierum occurrentium aſpectibus, vel pravis detinetur colloquiis: hic enim profecto impoſitam a Miniſtro non implet pœnitentiam; cum non opus bonum injunctum perficiat, quin immo novo commaculatur peccato. Quod pariter de eo dicendum, qui eſt non ſolum in ſtatu peccati, ſed in habituali affectu ad peccatum; ut uſurarius, concubinarius &c. qui pollicitus emendationem, & obtenta abſolutione, in concubinatu, vel in

fœ-

fœneratione perſeverat: hic profectò opera illi præſtituita exequutus, impoſitum a Miniſtro præceptum non implet, cum nullo modo faciat animo Deo placendi, vel illum placandi.

Conſectarium Quintum.

V. Satisfactio Sacramentalis a Pœnitente rite expleta affert aliquam ſaltem remiſſionem pœnæ temporalis, & gratiæ etiam ſanctificantis augmentum ex opere operato. Prima pars ab omnibus Theologis admittitur: ad hoc enim & datur, & tanquam pars Sacramenti habetur, ut ſcilicet aliquam afferat temporalis pœnæ peccatis debitæ remiſſionem, plus, minuſve, juxta operis exhibiti pretium, laborem, & pœnam, nec non fervorem, & caritatem Pœnitentis opus ipſum implentis. Pœnæ ſiquidem æternæ reatus jam per ipſum Sacramentum penitus ſublatus eſt. Ita docuit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 8. ubi nonnullis enumeratis effectibus ſatisfactionis ſic proſequitur: „ Neque vero ſecurior ulla via in Eccleſia Dei „ unquam exiſtimata fuit ad amovendam immi„ nentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœ„ nitentiæ opera homines cum vero animi dolo„ re frequentent ". Hinc docet S. Thom. in IV. diſt. 17. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 1. ad 4. „ Quod „ ſatisfactio, quæ non ſufficeret ad expiandam „ pœnam peccati ex quantitate pœnæ, ſufficit in„ quantum eſt pars Sacramenti, virtutem Sacra„ mentalem habens ". Alteri vero doctrinæ membro non pauci adverſantur Theologi, præſertim extra D. Thom. ſcholam. At eam expreſſe docet D. Th. 3. p. q. 90. art. 2. ad 2. ſcribens: „ Satisfactio confert gratiam, prout eſt in propo„ ſito (ſic enim ingreditur partem eſſentialem Sa„ cramenti, nimirum materiam proximam) & au„ get eam, prout eſt in executione; ſicut etiam „ Baptiſmus in adultis, ut ſupra dictum eſt ". Confirmatur etiam ſatis firmo argumento. Si enim ſatisfactio eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, ejuſdem Sacramenti naturam perticipet, oportet: aliter quomodo verum fiet, eam ad Sacramentum ut partem pertinere? Porro Sacramenti Pœnitentiæ, ſicut & ceterorum novæ legis proprium eſt vel gratiam conferre, vel augere ex *opere operato*; gratia jam collata eſt in ipſa Sacramenti ſuſceptione, ut inquit S. Thom. per ſatisfactionem, quatenus eſt in propoſito: ſupereſt igitur, ut incrementum conferat gratiæ, quando eſt in executione.

Conſectarium Sextum.

VI. Non valet Pœnitens pro uno peccato ſatisfacere, & non pro alio quoad reatum culpæ, & offenſæ; at quidem quoad reatum pœnæ temporalis. Primam partem aperte docet S. Th. hic q. 14. art. 1. „ Quidam dixerunt, quod poteſt de „ uno peccato ſatisfieri ſine alio, ut Magiſter in „ littera dicit. Sed hoc non poteſt eſſe. Cum „ enim per ſatisfactionem tolli debeat offenſa præ„ cedens, oportet, quod talis ſit modus ſatisfactio„ nis, qui competat ad tollendam offenſam. Of„ fenſæ autem ablatio eſt amicitiæ reſtitutio. Et „ ideo ſi aliquid ſit, quod amicitiæ reſtitutionem „ impediat, etiam apud homines, ſatisfactio eſſe „ non poteſt. Cum ergo quodlibet peccatum ami„ citiam caritatis impediat, quæ eſt hominis ad „ Deum; impoſſibile eſt, ut homo de uno pecca„ to ſatisfaciat, alio retento: ſicut nec homini „ ſatisfaceret, qui pro alapa ei data ſe ei proſter„ neret, & aliam ſimilem daret ". In qua S. D. doctrina manifeſtum eſt, ipſum loqui de ſatisfactione ipſa ordinata ad offenſam, & culpam tollendam, & Dei amicitiam recuperandam: profectò obtineri non poteſt, dum quis putat pro uno peccato ſatisfacere, & non pro altero; cum quodlibet peccatum amicitiam cum Deo abrumpat, & tollat. At obtenta per contritionem perfectam vel Sacramentum Pœnitentiæ venia, & offenſæ condonatione, jam redintegrata eſt cum Deo amicitia: ſupereſt tamen temporalis pœna luenda, quæ & finita eſt, & major, vel minor pro gravitate peccati: majori enim pœna debetur perjurio, quam mendacio; major homicidio, quam furto. Poteſt igitur, qui reus eſt & mendacii, & perjurii, prius pro mendacio ſatisfacere, quam pro perjurio, potius pro furto, quam pro homicidio; & ita pro uno peccato ſatisfacere, dum tamen pœnæ manet obſtrictus pro alio. Immo pro venialibus poteſt pro uno integre ſatisfacere, dum pro alio, cui affectu adhæreat, nunquam ſatisfaciat; cum nunquam dimittatur pœna vel leviſſima, niſi prius ablata ſit culpa. At cum peccata venialia Dei amicitiam non abrumpant, contingere poteſt, ut liber ſit a pæna pro aliquo veniali luenda, dum interim divinæ juſtitiæ manet obſtrictus ratione culpæ alterius venialis, a cujus affectu divelli negligit. Hæc mihi clara videntur, quæ cum Concina non diſtinxerit, hallucinatus eſt Diſſ. 5. cap. 2. n. 5. quæſt. 4.

CAPUT TERTIUM.

Antiquæ Eccleſiæ diſciplina de pœnalibus Satisfactionibus exponitur.

Doctrina.

I. *Antiqua Eccleſiæ diſciplina in Sacramento Pœnitentiæ ſeverior.*
II. *A primordiis Eccleſiæ ad medietatem ſecundi ſeculi nullum nondum tempus, vel gradus Pœnitentiæ conſtitutus.*
III. *Rigidior diſciplina adhibita uſque ad dimidium tertii ſeculi.*
IV. *Tertio ſeculo conſtituti Pœnitentium gradus, & efformati pœnitentiales Canones.*
V. *Primus gradus Pœnitentium. Fletus.*
VI. *Secundus gradus. Auditio.*
VII. *Tertius gradus. Subſtractio.*
VIII. *Quartus, & poſtremus gradus. Conſiſtentia.*
IX. *Epiſcopi poterant præfatorum graduum tempus vel protrahere, vel breviare.*
X. *Clerici majores veroſimilius publicæ Pœnitentiæ non ſubjiciebantur.*
XI. *Ex hac diſciplina exorti Canones Pœnitentiales.*
XII. *Quid ſignificent nonnullæ phraſes in laudatis canonibus adhibitæ.*
XIII. *Breviarium Canonum ex D. Caroli Inſtructionibus deſumptum.*

I. AN-

I. ANtiquam Eccleſiæ diſciplinam circa Pœnitentes rigidiorem, diuturnam, aſperiorem fuiſſe, nullus eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria, vel ſacra doctrina adeo hoſpes, & peregrinus, qui ignoret. At rigorem iſtum non ſemper æquali in gradu conſtitiſſe, varioſque fuiſſe ſive pœnarum gradus, ſive Pœnitentium ordines, ex Sanctis Patribus, & Conciliorum ſtatutis dignoſcere poſſumus. Hanc itaque Eccleſiæ diſciplinam a Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris minime ignorandam, in hoc capite aſſumimus exponendam brevi quidem calamo, ne Lectorum patientia, & tempore abutamur: nam qui uberiorem eruditionem deſiderat, eam ex Morino, Natali Alexandro, Druenio, aliiſque Scriptoribus poterit mutuari. Seculorum itaque ſeriem, & ordinem ſequor.

II. Ab Eccleſiæ primordiis ad medietatem uſque ſecundi ſeculi, quo tempore Montani hæreſis erupit, gravioribus quidem pœnis punita delicta legimus; at tempus, vel gradus Pœnitentiæ taxatos minime oſtendunt Eccleſiæ monumenta. Nam inceſtuoſum Corinthium traditum Satanæ in interitum carnis, ideſt, ut explicant Patres, durioribus carnis macerationibus afflictum, nondum expleto anno ad communionem reſtituit D. Paulus. Prima enim epiſtola ad Corinth. in qua & immane ab ipſo ſcelus admiſſum, & gravior impoſita pœna percenſetur, ſcripta fuit anno Domini circiter 51. & poſt Chriſti Paſſionem 24. ſecundam vero Epiſtolam, in qua pœnitentia relaxatur, poſt aliquot menſes, vel ad ſummum poſt annum datam fuiſſe cenſent Eruditi. Pari pacto adoleſcens ille vitæ perditiſſimæ, quem S. Joannes Evangeliſta ex prædonum duce pœnitentem reddidit, poſtquam, ut inquit Euſebius hiſt. lib. 7. cap. 17. *crebris precibus Deum pro illo invocavit, & continuis jejuniis ſe cum eo maceravit*, poſt breve tempus abſolutione, & communione donavit. In libro quoque Hermæ Paſtoris, licet durioris pœnitentiæ labores ſubeundi ſtatuantur peccantibus, nullum tamen ſive præfinitum tempus, ſive ſervandus ordo præſcribitur. Nec negotium faceſſit in canonibus Apoſtolorum, & in concione D. Petri, quæ extat apud Clementem Alexandrinum lib. 6. præſtitutum inveniri Pœnitentiæ tempus, cum utrumque opus tanquam ſuppoſititium, rejiciant cordatiores Critici.

III. A ſecundi ſeculi medietate uſque ad tertii dimidium circiter, invaleſcente Novatiana Hæreſi, etſi taxatum nondum fuerit Pœnitentiæ percurrendæ tempus, nec varii deſignati gradus, illud tamen prolixius fuit, & ſeverior introducta in Eccleſia diſciplina. Primæ partis teſtem adducimus ſilentium tum Concilii Romani ſub S. Cornelio, tum Carthaginenſis ſub S. Cypriano celebrati in cauſa lapſorum, in quibus licet plura circa lapſos ſancita ſint Decreta, nihil tamen conſtitutum legitur circa tempus, quo neceſſe foret lapſos in pœnitentiæ laboribus detineri. Poſterioris vero partis teſtimonium reddit S. Cyprianus, qui nimiam reprobat facilitatem, qua lapſis, Martyrum libellos exhibentibus, venia concedebatur. Sic enim primo ſeriem Pœnitentiæ deſcribit lib. de Lapſis: „ Orare oportet impenſius, & rogare, diem „ luctu tranſigere, vigiliis noctes in fletibus „ ducere, tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere, cinere „ in cilicio, & ſordibus volutari, poſt indumentum Chriſti perditum, nullum jam hic velle veſtitum, poſt diaboli cibum malle jejunium, juſtis operibus incumbere, quibus peccata purgentur, eleemoſynis frequenter inſiſtere “. Deinde ſic de facilitate dandæ veniæ conqueritur. „ Emerſit, fratres cariſſimi, novum genus cladis, & „ quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum „ fallens, & blanda pernicies, Contra Evangelii „ vigorem, contra Domini, ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & fallax pax, periculoſa dantibus, „ & nihil accipientibus profutura. Non quærunt „ ſanitatem pœnitentium, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi & extremi delicti memoria „ ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera, & „ plaga lethalis altis & profundis viſceribus inſita, „ diſſimulato dolore contegitur “. Denique ipſos Martyres monet, & hortatur, ut ſe difficiles præbeant in libellis pacis concedendis, ne diſciplinæ rigor relaxetur, ut conſtat ex ejus Epiſtola ad Martyres. Teſtimonio Sancti Cypriani addimus duplex Decretum Carthaginenſis Concilii, cujus meminit laudatus Martyr in epiſt. 52. ad Antonianum, in quorum primo decernabatur, ut lapſis, ſi urgeret mortis periculum, pax & communio ſtatim concederetur, in altero vero ſanciebatur, ut *a lapſis traheretur diu pœnitentia* (verba ſunt Sancti Cypriani) *& rogaretur dolenter paterna clementia*.

IV. Tertio vero declinante ſeculo ſeveriſſima fuit Eccleſiæ diſciplina, diverſique inducti Pœnitentium gradus, nec non præfinitum cuicumque gradui plurium annorum tempus pro criminum gravitate, unde & efformati Pœnitentiales Canones. Teſtes hujus veritatis ſunt SS. Gregorius Thaumaturgus, Baſilius, Gregorius Nyſſenus, aliique bene multi, qui diverſorum Pœnitentium graduum mentionem frequenter habent. Satis erit S. Baſilium afferre, qui Epiſt. ad Amphilochium ſic ſtatutum can. 56. ſcribit: „ Qui ſua ſponte interficit, & poſtea pœnitentiæ ductus eſt, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni ſic in eo diſpenſabuntur. Debet „ quatuor annis *flere*, ſtans extra fores Oratorii, „ & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem pronuntians. Poſt „ quatuor autem annos inter *Auditores* recipietur, „ & quinque annis cum ipſis egredietur. Septem „ autem annis cum iis, qui in *ſubtractione* orant, „ egredietur. In quatuor autem annis ſolum *ſtabit* „ cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps; „ iis autem expletis erit Sacramentorum particeps “. Ex quo teſtimonio patet, quatuor deſignatos fuiſſe in Eccleſia Pœnitentium ordines, ſive gradus, nimirum *Flentium*, *Audientium*, *Subſtratorum*, & *Conſiſtentium*, quorum conditiones, & onera exponam, ſtatim ac rationem reddidero, cur ſeverior invecta fuerit tunc temporis Eccleſiæ diſciplina, variique diſtincti gradus: videlicet, quia exorto Novatianorum ſchiſmate, qui poteſtatem negabant Sacerdotibus, & Eccleſiæ conceſſam dimittendi peccata, & peccantibus poſt Baptiſmum amplius ſupereſſe pœnitentiæ, & remiſſionis locum, Eccleſia, ut jus ſibi divinitus datum propu-

pugnaret, & apertius declararet, nec non oſtenderet, peccantibus poſt Baptiſmum locum eſſe veniæ, & remiſſionis, non ſine tamen magnis fletibus, & pœnitentiæ laboribus, novam pœnitentiam agendi formam, ut ita dicam, artificialem prudenter invexit, per quam & Hæretici confunderentur, & fideles a lapſibus in peccata rigore deterrerentur. Ad varios vero pœnitentiæ gradus explicandos accedo.

V. Statio 1. *Fletus*, ſive *Flentium*, non ideo ſic dicta, quaſi vel tunc ſolum flere inciperent peccatum ſuum, vel poſt hanc ſtationem non amplius ad deflenda peccata tenerentur; ſed quia Pœnitentes in ea conſtituti, ſaccum induti, & ſqualidas veſtes, capitibus cinere conſperſis, extra Eccleſiæ januam ſtantes, crimina ſua publica confeſſione vulgabant, & ad Fidelium Eccleſiam ingredientium genua provoluti, eos lacrymis, & gemitibus deprecabantur, ut pro ſe apud Deum, & Epiſcopum intercedere dignarentur. Interim omni prorſus Sacramentorum participatione carebant, nec manus eis imponebantur, nec peculiares pro eis preces vel a tota Eccleſia, vel nomine Eccleſiæ fiebant, ſed privatim fidelis populus pro eis orabat. Teſtem hujus ſtationis adducimus, præter ſuperius laudatum S. Baſilium, S. etiam Gregorium Thaumaturgum Epiſt. Canonica can. ult. ubi ſic ſcribit. „ Fletus eſt extra portam Oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, „ ut pro ſe precentur ". S. Jo. Chryſ. hom. 17. in Matth. ſic Antiochenos alloquitur. „ Cæterum prohibebo vos, ne ſacra hæc veſtibula conſcendatis, „ & immortalibus Myſteriis participetis, ut fornicatoribus, adulteris, & homicidiorum reis ". Nec deſunt hujuſce Pœnitentiæ exempla in Eccleſiaſtica Hiſtoria: unum dumtaxat afferam ex D. Hieronymo epiſt. 30. ad Oceanum de Fabiola, quæ ab adultero Marito ſe ſejunxerat, & contra Evangelii præceptum alteri nupſerat: „ cujus poſt mortem in ſe reverſa (verba ſunt S. Doctoris) quo „ tempore ſolent Viduæ negligentes, jugo ſervitutis excuſſo, agere ſe liberius, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, ſaccum induit, ut errorem publice fateretur; & tota Urbe ſpectante Romana, ante diem „ Paſchæ in Baſilica quondam Laterani, ſtetit in „ ordine Pœnitentium, Epiſcopo, Presbyteris, „ & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmiſit ". Hujuſce ſtationis tempus, ſicut & ceterarum, pro criminum gravitate longius erat, vel brevius. *Hyemantes* etiam aliquando vocati inveniuntur pœnitentes in hac ſtatione detenti, quippe qui ab Eccleſiæ ambitu ſemoti ſub dio, & in loco aeris tempeſtatibus expoſito conſiſtebant.

VI. Flentium Stationi ſuccedebat *Auditio*, ſeu Audientium gradus. In eo conſtituti Pœnitentes proximius ad Templum accedebant, & in Eccleſiæ veſtibulo morabantur, Pſalmorum cantum, Sacræ Scripturæ lectionem, Epiſcoporum, & Presbyterorum ſermones & Homilias audiebant. Quibus perſolutis ante Offertorium cum Catechumenis ejiciebantur. „ Auditio (ait S. Greg. Neocæſar. „ epiſt. can. can. 11.) eſt intra portam, & in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, ſtare uſque ad Catechumenos, & illinc egredi; audita enim Scriptura, & doctrina ejiciatur, & „ precatione indignus cenſeatur ". S. Gregorius Nyſſ. epiſt. ad Letojum. „ Eſt ergo (ſcribit) canone ſtatutum, ut qui fornicatione polluti ſunt „ in tribus annis ab oratione omnino expellantur, „ & in tribus ſint ſolius Auditionis participes ". His itaque nec oblationibus fidelium, nec Miſſæ Sacrificio adeſſe concedebatur, ſed Miſſa Catechumenorum expleta exire compellebantur.

VII. Tertius gradus *Subſtratorum* erat. Subſtrati autem dicebantur Pęnitentes, qui ab Auditoribus ſemoti intra Templi ambitum uſque ad Ambonem admittebantur (eſt autem Ambo locus, ex quo Evangelia, aliæque Sacræ Scripturæ populo legebantur). In hac itaque ſtatione ſubſtrati, ſive proſtrati, ſive genuflexi permanebant, quamdiu Epiſcopo viſum foret. „ Oportet (ſic gradum iſtum „ deſcribit S. Baſilius in epiſt. ad Amphilochium „ can. 22.) eos, qui mulierem vi rapuerunt, anno primo a precibus expelli, 2. autem ad auditionem admitti, 3. admitti ad Pęnitentiam „ (ideſt ad ſubſtrationem) 4. ad congregationem „ cum populo, abſtinentes ab oblatione ". Ex quo teſtimonio illud colligitur notatione dignum, videlicet in Eccleſia ſolum in ſubſtratione poſitos, Pęnitentium nomine fuiſſe dignatos: nam gradus Flentium, & Audientium ſolum pro mera & ſimplici præparatione ad Pęnitentiam habebantur. Pęnitentes vero in hac Statione conſtituti crebris orationibus, & frequenti manus impoſitione purgabantur, ulterius gravioribus exercebantur laboribus, & jejuniis, ac ubertim effuſis lacrymis ad Dei gratiam, & Eccleſiæ communionem recuperandam diſponebantur. Exibant autem cum Catechumenis, quando Sacrificium offerebatur, cui intereſſe nondum erat illis conceſſum.

VIII. Poſtremus Pœnitentiæ gradus erat Conſiſtentium, ita dictus quia Pęnitentes in Eccleſia cum cæteris fidelibus ſiſtebant, nec cum Catechumenis expellebantur, communium precum participes erant, ſalutari quoque Sacrificio illis intereſſe concedebatur, at ab ejuſdem participatione adhuc excludebantur: unde hic gradus apud veteres deſignatus invenitur nomine excommunicationis, a qua tandem ſolvebantur, quando omnibus expletis Pęnitentiæ laboribus jus communicandi iis reſtituebatur, & priſtinum dignitatis gradum cum ceteris fidelibus conſequebantur. Locus autem Conſiſtentibus deſignatus erat ab Ambone uſque ad Sanctuarium, ſed utrum cum ceteris commiſcerentur fidelibus, aut ab ipſis ſejungerentur, res eſt omnino incerta, cum Veteres de hoc ſileant. Hęc omnia hactenus expoſita luculenter traduntur a S. Gregorio Thaumaturgo in toties laudata epiſtola Canonica, in qua de Conſiſtentibus ſcribit: „ Congregatio, ſive conſiſtentia eſt, cum fidelibus conſiſtit, & cum Catechumenis non egreditur ".

IX. In Epiſcoporum arbitrio, ut etiam ſuperius innuimus, poſitum erat, in præfatis gradibus Pęnitentiæ agendæ tempus a ſacris canonibus conſtitutum vel protrahere, vel arctiori ſpatio includere. „ Penes autem Epiſcopos (ſic ſanciunt Patres Ancyrani Concil. can. 16.) erat poteſtas „ modum converſationis eorum probantes, vel „ humanius erga eos (Pęnitentes) agere, vel amplius tempus adjicere: ante omnia vero præcedens eorum vita, & poſterior inquinatur, & ita

„ hu-

„ humanius cum illis agatur “. Similiter penes Epiſcopum erat a ſingulis percurrendis Stationibus diſpenſare, & ab infimo ad ſuperiorem gradum nullo interpoſito medio transferre, quando id juſta cauſa, vel neceſſitas poſtulabat. Sic in Concilio Niceno I. can. 2. indultum legimus? „ Quotquot ſe metu, & lacrymis, atque patientia, vel „ bonis operibus, rebus, videlicet aptis operibus „ converſionem ſuam, non ſimulatione demonſtrat, „ hi definitum tempus Auditionis in oratione com„ municent (omiſſo videlicet ſubſtrationis gradu) „ poſtmodum vero licebit Epiſcopis de his ali„ quid humanius cogitare “. Sic etiam conceſſum legitur, ut relictis tribus prioribus gradibus ſtatim inter Conſiſtentes collocarentur, qui peccata ſua ſponte, ac magno dolore confiterentur. „ Si ac„ cuſati invicti fuerint (ſcribit S. Gregor. Neo„ cæſar. can. 9.) ſint ſimiliter in iis, qui ſubſter„ nuntur; ſi autem ſe ipſos annuntiaverint, & re„ ſtituerint, etiam precibus digni habeantur “.

X. Clerici Majores veroſimilius nunquam publicæ Pœnitentiæ addicti fuere. Id enim aperte teſtantur S. Optatus Milevitanus lib. 2. cont. Donatiſtas n. 26. & lib. 7. n. 14. S. Leo Papa epiſt. 2. qua diſerte affirmat, eſſe alienum ab Eccleſiaſtica conſuetudine Clericos publicæ adjicere Pęnitentiæ; S. Hieronymus epiſt. 93. S. Auguſtinus lib. de Baptiſ. cont. Donatiſt. cap. 1. S. Proſper lib. de Vita Contemplativa cap. 7. Concil. Carthag. V. can. 11. Toletanum IV. can. 24. Arauſicanum I. can. 4. Arelatenſe II. can. 12. Scio huic opinioni adverſari eruditiſſimum Morinum, qui oppoſitum aperte docet, & propugnat. At nullum profert ſatis firmum argumentum; & exempla ab ipſo adducta merito rejiciuntur ab Illuſtriſſimo Albaſpinæo in obſervationibus ad S. Optatum Milevitanum, ubi oſtendit, laudata exempla vel non eſſe de publicis Pęnitentiæ gradibus, vel de Clericis minoribus intelligenda.

XI. Ex hac itaque diſciplina exordium habuere Canones Pęnitentiales, quibus & pęnitentiæ tempus eſt præſtitutum, & modus deſignatus. Horum Canonum Pęnitentialium notitia carere non debent Confeſſarii; immo, ut docet Benedictus XIV. de Synodo, præſcribenda Sacerdotibus aſſidua antiquorum pęnitentialium canonum lectio. „ Non qui„ dem, ſubdit laudatus Pontifex, ut jam a mul„ tis ſeculis obſoletos ad uſum revocet, ſed ut eo„ rumdem notitia Confeſſariis prodeſſe queat ad „ aliqualem proportionem ſervandam inter diver„ ſas peccatorum ſpecies, & pęnitentiam pro ſin„ gulis imponendam; ac præterea, ut iidem Con„ feſſarii inde argumentum deſumant ad aperien„ dam Pęnitentibus admiſſorum ſcelerum gravita„ tem, quæ tam longa, tam aſpera, tamque for„ midanda vindicta etiam in hac vita ab Eccleſia „ coercebantur “. Quod Sapientiſſimus Pontifex late confirmat & Catechiſmi Romani, & plurium Synodorum doctrina, & Decretis; & præcipue S. Carolum laudat, qui vulgatos Canones Pęnitentiales, & plures alios ex antiquis Conciliis, aliiſque libris Pęnitentialibus in unum collegit, per decem diſtribuit Decalogi præcepta, eorumque lectionem ſummopere Sacerdotibus commendavit. Hos itaque Canones & nos hic ſubjiciemus, præmiſſis prius ex ipſo S. Carolo nonnullis explicationibus ad præfatorum Canonum intelligentiam.

XII. Tempus Pęnitentiæ antiquitus exprimebatur per certum dierum numerum, aliquando per Quadrageſimas, aliquando per annos. Cum Pęnitentia indicebatur per certum dierum numerum, v. g. decem, viginti, triginta &c. jejunare tenebantur præfatis diebus ſine intermiſſione in pane, & aqua. Cum vero indicebatur per quadrageſimam, jejunium pariter ſervandum erat per quadraginta dies in pane, & aqua, cui etiam addebatur, ut nudis pedibus incederent, matrimonio non uterentur, nec lineis, aut pretioſis veſtibus induerentur, & ſoli ſeorſim ab aliis cibum ſumerent. Si vero plures intra eundem annum indicebantur Quadrageſimæ, hæ ad tres redigebantur, quarum prima ante Natalem Domini decurrebat, altera ante Paſcha Reſurrectionis, tertia ante Feſtum S. Jo. Baptiſtæ; & hæc tredecim diebus abſolvebatur. Quando vero pœnitentia imponebatur ad unum, vel plures annos, in unaquaque hebdomada *per legitimas ferias*, ideſt, ſecunda, quarta, & ſexta in pane, & aqua jejunabat pęnitens per totum annum; Feria vera tertia, quinta, & ſabbato fructibus, oleribus, leguminibus, & ad ſummum piſciculis veſci conceſſum erat; diebus vero Dominicis & Feſtis Nativitatis, & Epiphaniæ, & per totam octavam Paſchæ a jejunio immunis erat. Pęnitentia ſecundi anni mitior erat; nam ſecunda, & quarta feria eodem cibo uti poterat, ac reliquis diebus, & ſolum feria ſexta in pane, & aqua jejunare tenebatur, ac tres quadrageſimas ſervare. In tertio vero, & reliquis tres tantum erant ſervandæ Quadrageſimæ.

BREVIARIUM CANONUM PŒNITENTIALIUM

Ex D. Caroli Instructionibus desumptum.

Contra primum Præceptum.

Qui Fidem Catholicam deſeruerit, Pęnitentiam aget annis decem.

Qui diabolo immolaverit, in Pęnitentia erit annis decem.

Qui aliquam Gentilium ſuperſtitionem ſecutus fuerit, Pœnitentiam aget annos duos.

Qui comederit ex ſacrificio Paganorum, pœnitens victitabit pane, & aqua dies triginta.

Qui cum Judæo cibum ſumpſerit, pœnitens erit dies decem, pane, & aqua victitans.

Qui auguriis, & divinationibus ſervierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annos ſeptem.

Qui Magos conſuluerit, in pœnitentia erit annis quinque.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, Pęnitentiam aget dies viginti.

Si quis ligaturas, aut faſcinationes fecerit, pęnitens erit annos duos per ferias legitimas.

Contra ſecundum Præceptum.

Si quis, poſtquam Deo voverit, ad ſeculum redierit, Pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane, & aqua.

F Qui-

Quicumque ſciens pejeraverit, quadraginta dies in pane, & aqua, & ſeptem ſequentes annos pœniteat, & nunquam in teſtimonium recipiatur.

Qui perjurium in Eccleſia fecerit, Pęnitentiam aget annos decem.

Qui ſciens pejerat domini impulſu, pœnitens erit quadrageſimas tres, & ferias legitimas. Dominus autem, qui præcepit, quadraginta dies in pane, & aqua, ſeptem ſequentes annos.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, quadrageſimam in pane, & aqua jejunet, & quamdiu vivit, omnes ſextas ferias; aut Monaſterium ingreſſus, jugi ſe Pœnitentiæ ſubdat.

Si quis coactus, & neceſſitate aliqua impulſus, perjurium commiſerit, erit in Pœnitentia quadrageſimas tres.

Qui compellit alium, ut falſum juret, quadraginta dies in pane, & aqua, & ſeptem annis in Pœnitentia erit.

Si quis jusjurandum, quo ſe Regi, & Domino aſtrinxerit, violaverit, in Monaſterio Pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ ſuæ.

Si quis jurejurando adſtrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo habeat, Pœnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua, per annum a Sacra Communione ſegregatus; ad caritatem vero celeriter redeat.

Si quis Deum, vel Beatam Virginem, vel aliquem Sanctorum publice blaſphemaverit, præ foribus Eccleſiæ diebus Dominicis ſeptem, in manifeſto, dum Miſſarum ſolemnia agantur, ſtet, & ultimo ex illis diebus, ſine pallio, & calceamentis ligatus corrigia circa collum, ſeptemque præcedentibus feriis in pane, & aqua jejunet, Eccleſiam nullo modo tunc ingreſſurus: recuſans, Eccleſiæ ingreſſu interdicatur: in obitu Eccleſiaſtica ſepultura careat.

Contra tertium Præceptum.

Qui opus aliquod ſervile die Dominico, feſtove fecerit, Pœnitentiam aget tres dies in pane, & aqua.

Qui die Dominico opus terrenum fecerit, dies ſeptem Pœnitentiam aget.

Si quis ante Eccleſiam ſaltationes fecerit, Pœnitentiam aget diebus tribus.

Si quis pranſus Miſſæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane, & aqua.

Si quis Sacram Communionem ſumpſerit poſt aliquam vel minimam deguſtationem, Pœnitentiam aget dies decem in pane, & aqua.

Si quis in Eccleſia confabuletur, cum divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane, & aqua.

Si quis jejunia a Sancta Eccleſia indicta violaverit, Pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

Qui in Quadrageſima jejunium violaverit, pro uno die Pœnitentiam aget dies ſeptem.

In Quadrageſima carne ſine inevitabili neceſſitate veſcens, in Paſcha non communicet, ac præterea a carne abſtineat.

Si quis jejunium quatuor Temporum non cuſtodierit, Pœnitens erit dies quadraginta in pane, & aqua.

Contra quartum Præceptum.

Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens erit in pane, & aqua.

Qui Parentes injuria affecerit, tres annos.

Qui percuſſerit, annos ſaptem.

Si quis contra Epiſcopum, & Paſtorem inſurrexerit, in Monaſterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ ſuæ, & omnia bona ejus proſcriptione publicentur.

Si quis Epiſcopi, vel Parochi doctrinam, vel præcepta irrideat, vel ſubſannet, aget in pane, & aqua Pœnitentiam dies quadraginta.

Contra quintum Præceptum.

Qui Sacerdotem voluntarie occiderit, carne, & vino abſtineat cunctis diebus vitæ ſuæ: quotidie, exceptis Feſtis, Dominiciſque, jejunet; non ingrediatur Eccleſiam quinque annis: ſed præ ejus foribus ſtet, & per annos decem non communicet.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, Pœnitentiam aget annis viginti octo.

Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut ſororem occiderit, toto vitæ ſuæ tempore non ſuſcipiat Corpus Domini, niſi in obitu, abſtineat a carne, & vino, dum vixerit, & jejunet feriis legitimis.

Qui filium ſuum, vel filiam voluntarie occiderit, extra patriam quinque annis exul fiat, deinceps viginti annis pœniteat.

Si qua mulier ſponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos: ſi nolens, quadrageſimas tres.

Qui ſceleris occultandi cauſa filium necaverit, Pœnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppreſſerit, Pœnitentiam aget dies quadraginta: deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias.

Cujus parvulus ſine Baptiſmo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat.

Qui mortem ſibi conſciverit, pro eo nulla in Miſſa commemoratio fiat, & Eccleſiaſtica ſepultura careat.

Quæ veneno, aut alio quovis modo maritum peremerit, Monaſterium ingredietur.

Si quis ſponte hominem occiderit, ad januam Eccleſiæ ſemper erit, & in obitu ſolum Communionem recipiat.

Si quis per iram ſubitam, aut per rixam hominem necaverit, Pœnitentiam aget annos tres.

Si caſu homicidium fecerit, Pœnitens erit quadraginta dies, & poſt quinquennium ad communionem recipiatur.

Si homicidii auctor fuit ob conſilium, quod dedit, Pœnitentiam aget annos ſeptem.

Si quis aliquem calumniaverit, vel ei aliquod membrum præciderit, Pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, id eſt, abſque vulnere, tres dies Pœnitentiam aget in pane, & aqua.

Si quis fratri ſuo, quem oderit, reconciliari non vult, tamdiu in pane, & aqua pœnitentiam aget, quoad reconcilietur.

Con-

Contra ſextum Præceptum.

Si ſolutus cum ſoluta concubuerit, pęnitens erit annos tres: & quanto ſæpius, tanto majori Pœnitentia afficietur.

Uxor, conſcio viro, mœchata in obitu ſolum communicabitur; ſi dignam Pœnitentiam egerit, poſt decem annos ſacram Communionem ſumat.

Si quis conjugem fornicari conſenſerit, diebus omnibus in Pœnitentia erit.

Vir ſolutus, ſi cum alterius uxore adulterium commiſerit, Pœnitentiam aget annos quinque, mulier ſeptem.

Si quis maritus ſemel lapſus eſt, Pœnitentiam aget annos quinque: ſi ſæpius, omnibus diebus vitæ ſuæ.

Si quis adoleſcens cum Virgine peccaverit, Pęnitentiam aget annum unum.

Qui balneum cum femina ingreſſus eſt, Pœnitentiam aget annos tres: qui concupierit virginem, quam poſtea uxorem duxit, Pœnitentiam aget annum unum; ſi vero non duxit, annos duos.

Vidua, quæ ſtuprum admiſerit, Pœnitentiam aget annum totum, & præterea in altero anno dies jejuniorum.

Cum duabus ſororibus fornicatus, Pœnitentiam aget toto vitæ tempore.

Qui inceſtum minus fecerit, Pœnitens erit annos duodecim.

Quicumque Sacerdos ſpiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittat, & perpetuam Pęnitentiam aget.

Qui Monialem violaverit, Pœnitens ſit annos decem.

Qui cum brutis coierit, Pœnitentia afficietur annorum decem, & diuturniori etiam pro perſonæ conditione.

Qui contra naturam coierit, ſi ſervus eſt, ſcopis caſtigabitur, & pęnitebit annos duos; ſi liber eſt, & matrimonio junctus, annos decem; ſi ſolutus, annos ſeptem; pueri, dies centum.

Quicumque lenocinium exercuerit, Pęnitentiam aget annos duos, & ſacram Communionem non accipiet niſi in fine vitæ.

Si quæ mulier, ceruſſa, aliove pigmento ſe oblinit, ut aliis viris placeat, Pęnitentia afficietur annorum trium.

Qui polluitur ob prava noctu deſideria, ſeptem Pſalmos recitabit, & dies triginta Pęnitentiam aget.

Contra ſeptimum præceptum.

Qui furatus eſt aliquid de Eccleſiæ ſupellectili, tres Quadrageſimas cum ſeptem ſequentibus annis pęnitebit.

Qui ſacras reliquias furatus eſt, ſeptem Quadrageſimas jejunabit.

Qui pecuniam Eccleſiaſticam furatus eſt, quadruplum reddet, & pęnitens erit annos ſeptem.

Qui Eccleſiam incenderit, Pęnitentiam aget annos quindecim: ſimiliter qui incendio conſenſerit.

Si quis ſepulcrum violaverit mala intentione, Pęnitens erit annos ſeptem.

Qui decimam ſibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum reſtituet, & Pęnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

Qui hoſpitalis domus adminiſtrator, aliquid de adminiſtratione ſubtraxerit, pœnitens erit annos tres.

Qui fregerit noctu alicujus domum, & aliquid ceperit, Pęnitentiam aget annum unum in pane, & aqua.

Si quis furtum de re minori ſemel, aut bis fecerit, Pęnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit: idcirco tamquam de furto Pęnitentiam aget.

Si quis uſuras accipit, rapinam facit; ideoque Pęnitentiam aget annis tribus, uno in pane, & aqua.

Omnes hæ pœnitentiæ pro furto datæ, ſemper præter reſtitutionem intelligendæ ſunt.

Contra octavum præceptum.

Qui falſum teſtimonium præſtiterit, toto vitæ tempore Communionem non ſuſcipiet.

Qui falſo teſtimonio conſenſerit, pęnitens erit annos quinque.

Qui proximo falſum crimen objecit, pęnitentia afficietur ut falſus teſtis.

Qui proximo detraxerit, Pęnitentiam aget dies tres.

Qui falſam ſtateram, menſuramque adhibuerit, pęnitens erit in pane, & aqua dies viginti, præter reſtitutionem.

Falſarius in pane, & aqua Pœnitentiam agat, quamdiu vivit.

Si quis facile detraxerit, falſumque in hoc dixerit, ſeptem diebus jejunabit in pane, & aqua.

Canones Pœnitentiales pro ſeptem peccatis Capitalibus.

Capitalia peccata, quæ principalia etiam vocantur, utpote a quibus omnia vitia principium habent, ſunt Superbia, ſeu Vanagloria, Avaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Gula, & Acedia, ſeu pigritia.

Pro Capitali, mortalique crimine, pęnitentia ſeptem annorum indicitur, niſi peccati gravitas, & perſonæ ſtatus, graviorem, & diuturniorem Pęnitentiam requirat.

Pro capitali crimine Pęnitentiam aget Laicus annos quatuor; Clericus quinque; Subdiaconus ſex; Diaconus ſeptem; Presbyter decem; Epiſcopus duodecim.

Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane, & aqua Pœnitentiam agat dies ſeptem; ſi per negligentiam, dies quindecim jejunabit; ſi per contemptum, dies quadraginta.

Diaconus, & alii Clerici pro Acedia pęnitentiam agent ſecundum judicium Presbyteri, Monachus jejunabit menſes tres in pane, & aqua; Clericus viginti dies: Laicus graviter redarguetur, & ad Pœnitentiam cogetur per Presbyterum.

Qui humanitatis gratia alium inebriare impulerit, eum ad bibendum excitando, Pęnitentiam aget dies ſeptem: ſi per contemptum prohibitionis, dies triginta.

Qui præ ebrietate, & crapula vomitum fecerit, ſi Presbyter, aut Diaconus, pęnitentiam agat dies quadraginta: ſi Monachus ſit, aut Clericus, dies triginta: ſi Laicus, dies quindecim, aut,

ut legitur in alio Canone, a vino, & a carne abſtineat dies tres.

Si quis gulæ cauſa ante horam legitimam jejunium fregerit, duos dies pœnitentiam aget in pane, & aqua.

Canones Pœnitentiales pro aliis peccatis.

Sacerdos excommunicatus, ſi celebret, tribus annis pęnitens ſit, per quos in ſingulis hebdomadis abſtinebit a carne, & vino ſecunda, quarta, & ſexta feria.

Si Presbyter in perpetuum depoſitus celebrare audeat, privetur Communione uſque ad ultimum diem; & ſi in Excommunicatione eſt, Viaticum tantum in fine vitæ ſumet.

Si Presbyter guttam Sanguinis Jeſu Chriſti cadere ſinat in terram, pęnitentiam aget dies quinquaginta. Si ceciderit in primam Altaris mappam, dies duos. Si ad ſecundam pervenerit dies quatuor; ſi ad tertiam, dies novem; ſi ad quartam, dies viginti. Si per inadvertentiam id fecerit, licet nullum inde malum, aut ſcandalum ortum ſit, tribus menſibus a ſui muneris adminiſtratione amovetur.

Qui ſciens ſe rebaptizandum curaverit, ſi quidem per hæreſim tale flagitium perpetrarit, Pœnitentiam agat annos ſeptem, tres quadrageſimas primi anni jejunet in pane, & aqua, & quarta, & ſexta feria aliorum annorum.

Si propter purificationem ſe rebaptizandum curaverit, Pœnitentiam aget annos tres: ſi per ignorantiam, non peccat quidem; nihilominus non promovetur ad Sacros Ordines, licet excellens, & eximius videatur.

Si Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſe rebaptizandum curaverit, per totam vitam Pœnitentiam aget.

Clerici, Monachi, & Monachæ, ſponte ſua per hæreticos baptizati, Pœnitentiam agent per annos duodecim.

Presbyter, qui clandeſtinis ſponſalibus interfuerit, ſuſpendatur ab officio ſuo annos tres.

Presbyter, qui mortuum corpus Altaris mappis involverit, Pœnitentiam aget annos decem, & menſes quinque; Diaconus autem annos tres, & menſes ſex.

Qui legata pia Eccleſiæ non ſolvit, uno anno Pœnitens ſit, & per legitimas ferias jejunet.

Qui ſui ſexus habitum mutaverit, Pęnitentiam aget annos tres, promittens emendationem.

Infirmos, & in carcere detentos viſitare negligens, Pęnitentiam aget dies decem, pane, & aqua victitans.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Non omnino aboliti Pœnitentiales Canones.*
II. *Nec divinæ juſtitiæ rigor imminutus, nec ſpiritus Eccleſiæ mutatus.*
III. *Publica Pœnitentia nec abolita eſt, nec abolenda; quo modo imponenda.*

Conſectarium Primum.

I. Licet ſeverior Eccleſiæ diſciplina immutata ſit, non tamen omnino aboliti Pœnitentiales Canones. Nam revera non aboliti cenſendi ſunt canones illi, qui normam præbere debent Pœnitentiæ Miniſtris ad idoneas pœnas criminibus injungendas, & quos Pœnitentibus exponere tenentur, ut, quid ipſi mereantur, agnoſcant. Audiatur mitiſſimus S. Carolus Borromæus in ſuis ad Confeſſarios admonitionibus cap. 8. „ Confeſſarius non debet Pœnitentiam ab antiquis Canonibus præſcriptam imponere, ubi videt Pœnitentem minime paratum, & diſpoſitum ad eam ſuſcipiendam; & tunc quidem ſatius fuerit faciliorem imponere, cum melius ſit ut plurimum Pœnitentes cum amore, & benignitate, ſine ulla tamen adulatione, quam cum rigore tractare: nihilominus tamen antiquos canones inculcandos eſſe, monendumque Pœnitentem pro gravitate criminum ſuorum, majorem, & ſeveriorem Pœnitentiam ſe mereri, ut impoſitam cum majori humilitate, & devotione ſuſcipiat ". Quod & poſtremis quoque ſeculis inculcarunt plures Epiſcopi, ut nimiæ Theologorum benignitati in ſatisfactionibus imponendis obſiſterent. Satis ſit afferre Decretum Eminentiſſimi Cardinalis a Turre in ſua Synodo Peruſina an. 1631. de Pęnit. cap. 5. ſic ſtatuentis: „ Caveant Confeſſarii juxta Tridentini Concilii Decretum, ne cum pęnitentibus indulgentius, quam par eſt, agant, pro graviſſimis videlicet delictis leviſſimas ſatisfactiones injungendo; ſed ad peccatorum vindictam, & caſtigationem, pro delicti gravitate, & perſonarum qualitate, quantum præſentium temporum ratio, & hominum infirmitas patitur, *proxime ad antiquorum canonum normam*, prudenter, & diſcrete accedant: admonitis pœnitentibus, quam cuique peccato Canones illi pœnitentiam ſtatuerint, ut cognoſcant, quanto benignius cum peccatoribus S. Mater Eccleſia his temporibus ad eos Deo reconciliandos agat; atque ita libentius injunctas ſibi pœnitentias ſuſcipiant, & majorem in futurum fugienda peccata diligentiam adhibeant ".

Conſectarium Secundum.

II. Nec divina juſtitia mitior facta eſt in exigenda pro admiſſis criminibus condigna ſatisfactione, nec ſpiritus Eccleſiæ in ea imponenda eſt immutatus. Et primum quidem certum eſt & exploratum: eodem enim modo Deus odio habet, & ſemper habuit peccata, & ſemper dignam a peccantibus expoſtulavit ſatisfactionem: unde & Præcurſor ad Pœnitentiam invitans peccatores, eis inculcabat, *facite* igitur *fructus dignos pœnitentiæ*. Quæ verba ſic explicat D. Greg. M. hom. 20. in Evangelia: „ Aliud eſt fructum facere Pęnitentiæ, aliud *dignum* fructum facere Pœnitentiæ. Ut enim de *dignis* Pœnitentiæ fructibus loquamur, ſciendum eſt, quod quiſquis illicita non commiſit, huic jure conceditur, ut licitis utatur, ſicque opera pietatis faciat, ut tamen, ſi voluerit, ea quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſi quis fornicationis culpam, vel fortaſſis, quod gra-

„ gravius eſt, in adulterium lapſus eſt, tanto a ſe „ licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & „ illicita perpetraſſe “. Si itaque veteres Pœnitentes, ut condignam exhiberent pro fornicatione, vel adulterio ſatisfactionem, ſeveriſſimam ſibi ſubeundam exiſtimabant ſeptem, vel quindecim annorum Pœnitentiam in cilicio, in cinere, in jejuniis, abſtinentiis, aliiſque corporis afflictationibus, & animi humiliationibus; quomodo nunc ſibi blandiri poterunt de præſtita condigna ſatisfactione fornicatores, & adulteri, ſi paucorum tantum dierum jejunium ſuſcipiunt, ſi aliquam orationem per menſem repetant, ſi aliqua eleemoſyna pauperibus ſubveniant? Profecto ſicut nec æqualem illis ſatisfactionem exhibent, ita nec æqualem a Deo ſperare indulgentiam poſſunt, niſi falſo credant, ſibi modo Deum veniam donare velle, quam primis pœnitentibus non niſi rigoroſo perſoluto pretio concedere conſueverat. Pari pacto Eccleſia mater piiſſima tolerat quidem immutatam diſciplinam; at quam maxime dolet de nimis Chriſtianorum in vivendo licentia, de tanto in pœnitentia amplectenda torpore, & difficultate; & ſuos premere gemitus, & ſuſpiria cogitur, quippe quæ non videt profutura. Quapropter ſaltem Miniſtris inculcat, ut, quantum humana patitur infirmitas, ſtudeant ad antiquorum Canonum normam Pœnitentium animos diſponere, & ad dignos pœnitentiæ fructus divinæ ultrici juſtitiæ in hac vita exhibendus hortari. Et merito D. Carolus Borromæus in Oratione ad Concilium Mediolanenſe VI. illos molliores Theologos exprobrat, qui Pœnitentium auribus inſuſurrant: *Non ferunt hæc tempora veterum Canonum, & antiquæ Eccleſiæ medicamenta. Sic jam diu viximus, ſic vixerunt, ita egerunt, qui ætate anteceſſerunt.* *Hos* (ſubdit) *clamores contemnendos, immo ardentius proſequendum; quoniam hæc una eſt medicina præſtantiſſima, maximeque opportuna ad remedium, ut quibus olim rationibus diſciplina Eccleſiaſtica ſata, & propagata fuit, iiſdem ipſis inſtauretur, & propagetur.* Et revera, ſi Pœnitentiæ rigor ideo inductus eſt, ut fideles non ſolum pro patratis criminibus Deo ſatisfaciant, ſed & terrore pœnæ ab eis perpetrandis arceantur; quomodo in tam blanda aliquorum Theologorum diſciplina peccandi licentiæ fræna imponentur, ſi, ut quidam illorum affirmare non verentur, *peccata facilius dimittuntur, quam committuntur*?

Conſectarium Tertium.

III. Publica Pœnitentia nec abolita eſt, nec abolenda. Nomine publicæ Pœnitentiæ non illam ſolemnem deſignamus, quæ in Pontificali Romano part. 3. tit. de expulſione publice Pœnitentium ab Eccleſia præſcribitur. Hæc enim ad ſolum ſpectat Epiſcopum, nec ſimplicibus Confeſſariis licet illam imponere; ſed ſolum Pœnitentes vero ſuorum criminum tactos dolore hortari poſſunt, ut Epiſcopo ſe ſiſtant, ab ipſo recipiendam, ſi ipſi viſum fuerit opportunum. De illa loquimur publica Pœnitentia, per quam publice peccantes inductum ſcandalum removere ſatagant; & hanc dicimus abolitam nullo modo eſſe (etſi vix ullum unquam videatur exemplum) immo a Concilio Tridentino, & Romano Catechiſmo præceptam, & inculcatam. Sic enim ſtatuit Tridentina Synodus ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 8. „ Apoſtolus monet publice peccantes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, „ & in multorum conſpectu crimen commiſſum „ fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum; huic „ condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo ſuo „ ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam “. Et in Catechiſmo Par. II. n. 67. „ Sapientiſſime illud ab Eccleſia obſervatum eſt, ut cum ab aliquo publice flagitium commiſſum eſſet, publica etiam pœnitentia ei indiceretur, ut ceteri timore perterriti deinceps peccata diligentius vitarent . . . . Et hoc perpetuum fuit, „ ut, qui ea commiſerant, antequam publicam „ pœnitentiam ſuſcepiſſent, non abſolverentur “. Immo & Rituale Romanum præſcribit, ne Confeſſarius abſolvat eos, qui publicum ſcandalum „ dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant “. Non eſt igitur abolita publica Pœnitentia, ſed nec abolenda ſub obtentu difficultatis ad eam obtinendam. Nam, ut ſcribit piiſſimus Epiſcopus Catalaunenſis Felix Vialard in ſua Inſtructione typis edita anno 1661. Gallico idiomate: „ Eccleſiaſtica diſciplina, quæ peccatores publicos publicæ ſubjicit Pœnitentiæ, „ ut ſanctiſſime fuit ab Apoſtolo ſtabilita, ita a „ Patribus omnibus, & Conciliis recepta, etiam „ in ſeculo præterito a Concilio Tridentino inſtaurata a Summis Pontificibus, ſanctiſque deinceps ſequentibus Præſulibus, & præſertim a „ S. Carolo cum inſigni utilitate populorum ſibi „ commiſſorum adhibita . . . . tam ſancta, & „ Apoſtolica, tam juſta, & utilis non minus „ neceſſaria eſt hoc corrupto, quo vivimus, ſeculo, quam in præcedentibus, ut ſcandala, quæ „ chriſtianam deturpant Religionem, cum bonorum omnium gemitu, penitus expellant, quippe quæ infinitam chriſtianorum multitudinem in „ inferos præcipitant “. Non eſt igitur tam ſalubris medicina ab Eccleſia tollenda, ſed inducenda, & conſervanda.

Quod ſi quæras, quinam ſint publicæ Pœnitentiæ ſubjiciendi, audi laudatum Præſulem ſic ſubdentem: „ Rogamus, & obteſtamur Decanos, „ Promotores, per caritatem Chriſti Domini noſtri, per gloriam ejus, & animarum ſalutem, „ quibus ſalvandis debent incumbere, per adventum ejus, ultimumque judicium, ut omni modo publicam Pœnitentiam introducere, & in Diœceſi noſtra fovere conentur: quocirca quoties ad „ ipſos acceſſerint *publice blaſphemantes*, *concubinarii omnibus noti*, *meretrices*, *ebrioſi*, *ſcandaloſi*, *Feſtorum*, *& Dominicarum dierum violatores*, *qui manifeſtas exercent inimicitias*, & alii „ ſimiles peccatores, iis abſolutionem non impertiantur, neque ad Sacramentorum participationem „ admittant, niſi prius ſcandalum ſuſtulerint, & „ publicam ſatisfactionem, peccati gravitati aliquo modo convenientem, præſtiterint, ſive peccatum ſuum confitendo cum dolore coram iis, „ quos ſcandalo affecerunt, vel etiam coram aliis „ viris honore dignis, ſive aliquid tribuendo ad Eccleſiæ ornatnm, ut ita ſcandalum aliquo modo „ re-

„ reparare valeant, ut illis præſcriptum fuerit, „ ſive alio denique aliquo modo ſcandali magnitu„ dini congruo. Præterea Curatos omnes, & Confeſſarios a nobis approbatos hortamur, ut eo„ dem modo ſe gerant erga peccatores publicos, „ neque his indulgentiores ſint propter rationes „ aliquas mundanas, nec infirmitatem aliquam „ ſuo munere minus dignam “. Ita piiſſimus, & ſtudioſiſſimus Præſul. Miror itaque P. Sanvitalem, qui luculentiſſima hæc noſtra poſtrema ſecula *aurea* vocavit, & celebravit, non eo etiam nomine ornaſſe, quia prorſus ab Eccleſia exulant publici blaſphematores, concubinarii, meretrices, ebrioſi, ſcandaloſi, lenones, fœneratores, maledici, ſatyrarum, & libellorum Auctores, in confirmationem adducto hoc valido argumento, quia nullus omnino eſt, qui Pęnitentiæ publicæ adjiciatur; adeo ut facilius videantur hujuſmodi perverſi homines a judicibus temporalibus pœnis coerceri, quam a Confeſſariis emendari. O tempora! o mores!

Quod ſi contingat, aurea hæc ſecula in lutea degenerare, & publicos emergere peccatores, blaſphemos, concubinarios, fœneratores &c. obſervent Confeſſarii, quod mox legimus a Tridentino Concilio ſtatutum, ut ſcilicet condignam pro modo culpæ pœnitentiam indicant, qua oſtendant ſe admiſſi facinoris pœnitere, & datam reparent offenſionem. Poterit itaque prudens Parochus (ad eam enim hujuſmodi publicos peccatores remittere debent privati Confeſſarii) ipſi jubere, vel ut in aliquo inſigni, & patenti loco Eccleſiæ, præſertim ante januam genuflexus, facem præferens manibus, vultu demiſſo, veſtitu humili, tempore parochialis Miſſæ moretur, vel nudis pedibus in publica Proceſſione incedat. Blaſphematoribus injungat, ut fune ad collum alligato SS. Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſione, vel ad Viaticum delatum comitentur. Fœneratoribus, ut publice in foribus Templi eleemoſynas diſtribuant, Concubinariis, ut per aliquot horas omnino extra Eccleſiæ januam genuflexi coronam Beatæ Virginis, vel Pſalterium Davidicum recitent. Omnibus denique, ut tempore Parochialis Concionis in loco aliquo conſpicuo vel genuflectant, vel ſtent, & ipſe de eorum conſenſu dicat, illum dati ſcandali, & præſtitæ offenſionis Deo, Eccleſiæ, & populo veniam petere; addens, quantum hoc ſit illi ſalutare, & glorioſum, cum peccare turpe ſit, pœnitere vero laudabile. In his omnibus tamen pro ſua prudentia rationem habebit, tum admiſſi criminis qualitatis, tum ipſius pœnitentis ætatis, ſexus, conditionis. Immo quandoque, ut innuit laudata Synodus „ poterit Epiſcopus hoc pœnitentiæ genus in aliud „ ſecretum commutare, quando ita magis judica„ verit expedire “.

CAPUT QUINTUM.

De Pœnitentia a Sacerdote imponenda.

DOCTRINA.

I. *Duplex Pœnitentia, alia medicinalis, alia pœnalis.*
II. *Medicinales Pœnitentiæ quomodo præſcribendæ.*
III. *Pro Pœnitentiis pœnalibus ſervandæ Regulæ. Regula 1.*
IV. *Regula 2.*
V. *Regula 3.*
VI. *Regula 4.*
VII. *Regula 5.*
VIII. *Regula 6.*
IX. *Regula 7.*

I. DUplex Pœnitentia injungi poteſt a Sacramenti Miniſtro vere Pœnitentibus, alia medicinalis, alia pęnalis, & affligens: prior ad præcavenda in futurum peccata conducit; altera ad ſatisfaciendum pro admiſſis criminibus inſervit. Utriuſque meminit, & utriuſque munia, & efficacitatem exponit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 8. docens: „ Proculdubio magnopere a peccato „ revocant, & quaſi fræno quædam coercent hæ „ ſatisfactoriæ pęnæ, cautioreſque & vigilantiores „ in futurum pęnitentes efficiunt: medentur quo„ que peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus „ male vivendo comparatos contrariis virtutum „ actionibus tollunt “. De vi vero ſatisfaciendi ſubdit: „ Neque ſecurior ulla via in Eccleſia Dei „ unquam exiſtimata fuit ad amovendam immi„ nentem a Domino pęnam, quam ut hæc pęni„ tentiæ opera homines cum vero animi dolore „ frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum ſa„ tisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, „ qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo om„ nis noſtra ſufficientia eſt, conformes effici„ mur, certiſſimam quoque inde arrham haben„ tes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur “. Hæ vero ſatisfactiones medicinales, pęnales aliquando per diverſa plane opera præſtantur, ut cum Confeſſarius ebrioſo jubet, ne tabernam ingrediatur, & per aliquot dies ſolum aquam bibat; prior medicinalis a peccandi periculo avertit, altera pro admiſſo peccato ſatisfacit; aliquando unum, & idem opus utrumque præſtat effectum, ut cum impudico jubet jejunium in pane, & aqua; hoc enim & vires libidinis comprimit, & pro commiſſis ſceleribus ſatisfacit.

II. Medicinales Pęnitentiæ neceſſitati, & qualitati tum pęnitentis, tum peccati ſunt aptandæ. Et primo quidem inſpiciendum, quinam ſit prædominans in corde affectus, qui peccatorem in crimina frequentius propellat, & huic medicina majori ſtudio aptanda. Qui itaque pronus eſt ad iram, ad contumelias in proximum, ad vindictam, quia ſuum deperit honorem, nobilitatem, gradum; mulier quæ libenter libidini proci conſentit, quia ipſi veſtes ſuppeditat, ornatus, monilia, & cetera fęminei ſexus ornamenta: Hi cogendi ſunt ad humilitatem ſectandam, ut ſe contemni patienter tolerent. Hortandus itaque prior, ut libenter cum ruſticis, & rudioribus converſetur, qui leges urbanitatis ignorant, ut a publicis ſpectaculis abſtineat, ut inſignia dignitatis per aliquod tempus vel deponat, vel celet. Mulier vero, ut ornatu depoſito modeſtiſſime veſtiat, torques aureos, anulos, margaritas, uniones deponat, parum in publicum prodeat, & tunc quidem modeſte induta, ut cum ſuis ancillis operetur, & domi etiam nonnulla viliora obeat miniſteria. Et ſic de cæteris præſtandum. Determinata vero admiſſa peccata ita curentur, ut oppoſitæ virtutis officia præ-

præſcribantur. Superbo humilitas commendetur, avaro liberalitas, guloſo, ebrioſo abſtinentia, jujunia indicantur: luxurioſo, & impudico carnis macerationes, mortis meditationes: perjuris, blaſphemis ſilentium, & ſolitudo, linguæ cuſtodia, &, quoties labitur, ut ſtatim pœnam aliquam ſubeat, vel terram oſculando, vel crucem in ea lingua fingendo, vel ipſam linguam morſu puniendo. Impudicis vero, mollibus, ſodomitis jubeat, ne unquam prope Altaria accedant, ſed in extremo Eccleſiæ angulo, genibus in terram poſitis, non in ſcabellis, oculis demiſſis, ſacris interſint, & orent, ne unquam audeant ſacrum Chriſti Corpus in Hoſtia intueri, bene quidem oculos defigant in ſepulcris, quando mortuorum corpora ſepeliuntur, ſe reputent tamquam ſpiritualiter leproſos, indignos proinde, qui ſacris officiis interſint. Omnibus denique frequentiam Confeſſionis (non vero Communionis) præſcribant, & frequentes quidem, ſed breves orationes pluries in die repetendas prę-ſtituant.

III. Quoad pœnales vero Pœnitentias hæ ſunt ſervandæ Regulæ.

Regula Prima.

Tenetur Miniſter aliquam ſatisfactionem imponere, adeo ut graviter peccet, ſi nullum indicat. Nam 1. ita jubet Tridentinum Concilium ſeſſ. 14. cap. 8. ſtatuens: „ Debent Sacerdotes Domini .... „ pro quantitate criminum, & Pœnitentium facultate ſalutares, & convenientes ſatisfactiones “. 2. Quia Judicis officium, quod exercet, non omnino impleret; pertinet enim ad judicem crimina punire. 3. Mutilum, & imperfectum relinqueret Sacramentum, utpote parte ſua integrali imminutum. Hinc & extremo morbo laborantibus aliqua eſt brevis, ſaltem alicujus jaculatoriæ orationis, imponenda pęnitentia, quam ſtatim adjutus a Confeſſario perſolvat: deinde aliam, quam, ſi convaleſcat, ſubibit, vel polliceatur, valetudine recuperata, iterum ſe ſiſtere Sacerdoti ad congruam accipiendam ſatisfactionem. Immo egregie docet Divus Thomas in IV. Diſtinct. 17. quæſt. 2. artic. 1, quæſtiuncula 1. ad 8. „ Quod licet tota „ pęna per contritionem remitti poſſit, tamen ad„ huc neceſſaria eſt Confeſſio, & ſatisfactio; tum „ quia homo non poteſt eſſe certus de ſua Con„ tritione, quod fuerit ad totum tollendum ſuffi„ ciens; tum quia Confeſſio, & *Satisfactio ſunt „ in præcepto*, unde tranſgreſſor conſtitueretur, „ ſi non confiteretur, & ſatisfaceret “. Immo & qui martyrium ſubiturus Confeſſionem præmitteret, ſine ſatisfactione abſolvi non deberet, cum & tunc ſit perfectum efficiendum Sacramentum nulla ſui parte mutilum; licet poſſet pro pœnitentia imponi voluntaria martyrii ſuſceptio: quod tamen non omnino tutum eſt, cum fieri poſſit, ut Tyrannus ſententiam mutet.

Regula Secunda.

IV. Pœnitentia imponenda eſt de præcepto, non libere, & de conſilio implenda. Id patet manifeſte ex Tridentino Concilio, qui in imponenda pęnitentia exercitium Clavium agnoſcit. Nam, ut inquit ſæpius l. cap. 8. ſeſſ. 14. Claves Sacerdotibus non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent. Porro ſi Pœnitentia ſolum per modum conſilii injungatur, pœnitentem minime ligaret, quippe qui liber maneret, ut erat, antequam ſatisfactio præciperetur. 2. Quia cum Miniſter Judicis ſuſtineat officium, pœnam imponere debet, qua peccatum puniat. Porro nulla eſt pœna, nulla punitio, quam reus ſponte recuſare poteſt. 3. Denique, ut vidimus n. præcedente ex D. Th. ſatisfactio *eſt in præcepto*, proinde non pro libito, ſed neceſſario ſubeunda. Eſt autem Pœnitentia imponenda ante abſolutionem, unde apparet Pœnitens vere contritus, & ad Deo ſatisfaciendum paratus: hæc enim animi præparatio ad ſatisfactionem exhibendam pars eſt ipſius contritionis. Ita docet S. Carolus in ſua Inſtructione pro Confeſſariis: „ Si opus fuerit, efficiat, ut rerum, fa„ mæ, honoris, in quo læſit, reſtitutio fiat, & „ *indicta ſalubri pœnitentia* eum abſolvat “. Immo ita jubent omnes Rituales Libri. Quod ſi Miniſter oblivīſcatur, nihil impedit, ne & poſt abſolutionem injungat.

Regula Tertia.

V. Licet poſſit Confeſſarius opera alias præcepta in ſatisfactionem injungere; tenetur tamen ſemper opus alias indebitum imponere. Et quidem primæ partis veritas conſtat, cum hujuſmodi opera etiam ex voto, vel præcepto debita, dummodo pœnalia ſint, poſſint eſſe ſatisfactoria, ut patet in ipſo martyrio, quod certe eſt maxime ſatisfactorium. Ideo S. Thom. in Supplem. quæſt. 15. artic. 2. ad 1. & ipſa hujus vitæ flagella, licet in ſe neceſſaria, poſſe tamen eſſe ſatisfactoria, docet: „ Quia quamvis illa flagella non ſint in po„ teſtate noſtra; tamen quantum ad aliquid ſunt, „ ut ſcilicet eis patienter utamur, & ſic homo „ faciat de neceſſitate virtutem: unde & merito„ ria, & ſatisfactoria eſſe poſſunt “. Immo addit D. Thom. Quodlib. 3. artic. 28. „ Etiam ea „ opera, quæ Pœnitens præter injunctionem ex„ preſſam facit, accipere majorem vim expiatio„ nis ex illa generali injunctione, qua Sacerdos di„ cit, *quidquid boni feceris*; *ſit tibi in remiſſio„ nem peccatorum* .... & quantum ad hoc ta„ lis ſatisfactio eſt Sacramentalis, inquantum vir„ tute Clavium eſt culpæ commiſſæ expiativa “. Altera vero pars oſtenditur ex Cancilio Tridentino jubente, ut pœnitentia imponatur ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem: quæ autem jam ex aliquo præcepto ſunt præſtanda, vindictæ, & caſtigationis rationem non habent; cum illa æque ſubeat etiam qui innocens eſt: & æquum eſt, ut peccator novo pœnitentiæ onere peccati ſui pondus ſentiat, ipſaque mens Eccleſiæ, jubentis ſatisfactionem a Sacerdote imponendam, eſt, ut quiſque peccator ſpeciali opere pœnali, & afflictivo, & ad hoc unum ordinato ſatisfaciat. Hinc merito nimiæ ſeveritatis arguitur a Tournelio ſententia Simonetti dicentis: videtur Confeſſarius graviter peccare, ſi pro gravibus peccatis imperet tantum opera aliunde præcepta, quantumvis ex ſe laborioſa ſint, & ſatisfactoria; quandoquidem graviſſimis onuſtus peccatis omnino piis, & juſtis æquipararetur, qui ſine ulla

la prorſus culpa opera præcepta, in ſe laborioſa, & ſatisfactoria ſubire debent. Nec valet doctrina S. Thom. quam adducit de flagellis cum patientia toleratis, & ſatisfactoriis. Nam docet quidem A. P. eam tolerantiam ad ſatisfactionem valere; at minime docet ſufficere ad Pœnitentiam, & ſatisfactionem in Sacramento exhibendam. Num vero contingere poſſit aliquando, ut non aliud opus pro ſatisfactione licite imponatur præter alias præceptum, concedit quidem Sylvius juſtis de cauſis, cujuſmodi ſunt, ſi advertat Confeſſarius Pœnitentem non habere opportunitatem aliter faciendi; vel ex tali indulgentia futurum prævideat, ut ad aliquid amplius deinde præſtandum ſtimuletur. Verum hæc doctrina mihi nimiæ eſt ſuſpecta benignitatis: vix enim capere valeo, quomodo qui opportunitatem habuit peccandi, non valeat opportunitatem reperire ſatisfaciendi; & quid amplius ſperandum ſit ab eo, qui dum confitetur, dum dolet, dum deteſtatur peccatum, tamen nonniſi ad opus alias præceptum pro ſatisfactione acceptandum diſpoſitus dignoſcitur. Verum cum hi caſus rariſſimi ſint, vel eſſe debeant, de illis potius eſt ex ſingularibus circumſtantiis dijudicandum, quam generali doctrina ſtatuendum.

Regula Quarta.

VI. Non eſt in poteſtate Miniſtri, quam maluerit, ſatisfactionem injungere; ſed penſare debet peccatum, peccandi modum, peccantis ſtatum, conditionem, & contritionis gradum. Ita aperte docet D. Thom. hic quæſt. 18. artic. 4. ubi requirit, num poſſit Sacerdos ſecundum proprium arbitrium ſolvere, & ligare, ſic ſcribens: „ Sacerdos operatur in uſu Clavium, ſicut inſtrumentum, & Miniſter Dei. Nullum autem inſtrumentum habet efficacem actum, niſi ſecundum quod movetur a principali agente. Et ideo dicit Dionyſ. in fine Eccleſiaſt. Hierarch. quod *Sacerdotibus utendum eſt virtutibus hierarchicis quomodo divinitas eos moverit* ... Unde ſi quis præter illum motum divinum uti ſua poteſtate præſumeret, non conſequeretur effectum, ut Dionyſius dicit; & præter hoc a divino ordine averteretur, & ſic culpam incurreret. Et quia pœnæ ſatisfactoriæ infligendæ, medicinæ ſunt, ſicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, ſed variandæ ſunt ſecundum arbitrium medici non propriam voluntatem ſequentis, ſed ſcientiam medicinæ: ita pœnæ ſatisfactoriæ in canonibus determinatæ non competunt omnibus; ſed variandæ ſunt ſecundum arbitrium Sacerdotis divino inſtinctu regulatum ". Idem ſtatuit & Tridentina Synodus jubens: „ Ut Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, *pro qualitate* criminum, & *Pœnitentium facultate*, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungant, ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur ". Hinc apparet, quam falſa ſit plurium Caſuiſtarum doctrina, & præſertim Segnerii in ſua Confeſſarii Inſtructione, nimirum, quandoque licere Pœnitentis inſpecta imbecillitate pro graviſſimis ſceleribus levem pœnitentiam imponere, illud tamen monendo, pœnitentiam longe ſeveriorem eſſe purgatorio igne ſubeundam. Quandoquidem ſi hæc imbecillitas ex corporali infirmitate oriatur, profecto tolerandum, ſi lenis injungatur Pœnitentia pro gravioribus criminibus, dummodo tamen ſi convaleſcat, ſeveriorem ſubire debeat. At ſi imbecillitas ex ſpiritus deficientia, & doloris tepore proficiſcatur, neganda abſolutio, & excitandus tepor, ac excutienda ſocordia, infernum comminando, & æternas pœnas, non fovenda ſpe luendæ poſt mortem pœnæ in Purgatorio.

Regula Quinta.

VII. Juxta Canones Pœnitentiales debet Confeſſarius pœnam imponere, ſervata tamen debita moderatione, quæ nec in nimiam degeneret laxitatem, nec nimiam præſeferat ſeveritatem. Ita docent & D. Thom. lo. mox laud. & S. Raymundus in Summa lib. 3. §. 41. ſcribens: „ Satisfactionem pro diverſis criminibus ſecundum Pœnitentiales Canones eſſe imponendam, nec debere Sacerdotem a forma prædicta recedere, niſi propter cauſam, & in hoc conſiſtit ejus arbitrium, ſcilicet pro qua, vel pro quibus circumſtantiis, & quantum, & quando poſſit augeri, vel minui pœna Canonica. Et hæc eſt opinio tutior, licet difficilior ". Idem confirmat & S. Antoninus P. III. tit. 17. cap. 2. ſcribens: „ Pro quolibet peccato mortali eſſet regulariter ſeptennis pœnitentia imponenda, quæ magis, vel minus aſpera ſecundum majoritatem, & minoritatem criminum, & circumſtantiarum, & compunctionum erit. Sed hodie omnes Pœnitentiæ ſunt Confeſſoris arbitrio taxandæ, conſideratis circumſtantiis perſonarum, & criminum ". Et revera non alia de cauſa Summi Pontifices, Præſules, & Concilia ſcientiam Confeſſariis inculcant Pœnitentialium Canonum, niſi ut ad eorum normam pro qualitate, & quantitate criminum convenientes imponant ſatisfactiones. Quamobrem optime Confeſſarios inſtruit S. Carolus Borromæus in ſuis Inſtructionibus docens: „ Sacerdos Canones Pœnitentiales conſulat, quibus licet cum prudentia, diſcretione, & modo, pro Pœnitentis contritione, qualitate, ſtatu, aliiſque circumſtantiis uti debeat: obſervandi tamen ſunt, ita ut juxta eos quaſi traditam ſibi regulam Sacerdos ſe gerat, prout expedire ei viſum fuerit. Et quando Pœnitentiam Canonibus antiquis præſcriptam non imponet, id tamen Pœnitenti ſignificabit, ut ad contritionem eum moveat, & leviorem injunctam pœnitentiam ipſe ardentius exequatur, motus ſcilicet ex hodiernæ Eccleſiæ benignitate, qua antiquioris diſciplinæ rigor mitigatur ". Sit itaque Confeſſarius in imponenda Pœnitentia prudens, ita ut non tam levis ſit, ut Eccleſiæ Claves contemptui exponat, & ſeipſum Pœnitentium ſuorum criminum participem efficiat; nec tam gravem, & longam debet imponere, ut pœnitens vel eam non poſſit acceptare, vel acceptatam plene, perfecteque non valeat implere.

Re-

Regula Sexta.

VIII. Pœnitentiæ ſatisfactoriæ imponendæ tales ſint, ut peccata commiſſa puniant, & futura crimina removeant. Ad hoc enim ſatisfactio, ut ſuperius diximus, ordinatur. Itaque pro peccatis carnalibus imponenda ſunt jejunia, vigiliæ, peregrinationes, quæ & carnem affligant, & recalcitrantem compeſcant. Si Sacerdotes ſint, Confeſſarius ab Altaris Sacrificio removeat, nunquam vero eo die quo turpe crimen admiſſum eſt, celebrare concedat; quod ſi ſine infamia, ac ſcandalo abſtinere non poſſit, Miſſæ ſtipendium pauperi in eleemoſynam dandum jubeat, & ut aliquibus diebus carnibus abſtineat. Avaris, furibus, fœneratoribus, præter reſtitutiones neceſſarias, injungendæ ſunt eleemoſynæ juxta eorum facultates; quod ſi pauperes ſint, ut in publica domo, vel hoſpitali pauperibus inſerviant, vel in carcere poſitos viſitent, & conſolentur. Perjuris, blaſphematoribus ſevera ſunt injungenda jejunia, etiam in pane, & aqua, iis præſertim diebus, quibus vel blaſphemaverint; ut genibus flexis, vel brachiis in modum crucis protenſis, mane, & veſpere aliquandiu orent, & de prolatis perjuriis, & blaſphemiis veniam petant, cruces in pavimento lingua pingendo. Ebrioſis, ut aliquibus diebus a vino abſtineant, ut nunquam merum bibant, ſed mixtum. Maledicis, detractoribus, mala imprecantibus, ut pro proximis orent. Miſſas audiant, eleemoſynas largiantur. Sacrilegis vero, & Sacramentorum profanatoribus, ut frequenter Eccleſiam viſitent, a Deo ſuorum ſacrilegiorum veniam petant, Euchariſtiam in proceſſione, vel ad infirmos delatam ſocientur, oleum, ceram, vel aliud ad ornatum Auguſtiſſimi Sacramenti tribuant, vel in propria Parœcia, vel in ea Eccleſia, in qua Sacramenta profanarunt. Confeſſionem frequentem imperet; at Euchariſtiam deſiderare faciat, ſuam indignitatem illis exprobrando. Nobilibus vero ſuperbis, impudicis, iracundis veſtium ſericarum, nec non auri ornamenta prohibeat, venationes, recreationes, ludos etiam licitos vetet: Ut pauperibus copioſas elargiantur eleemoſynas, ut oppreſſos pupillos, ac viduas protegant & officii, & pecunia. Si Magiſtratum gerant, ut lites cito judicent, carceribus detentos viſitent, conſolentur, &, quantum patitur juſtitia, cito a vinculis ſolvant. Quod ſi poſt vitam per plures annos male, ac peſſime ductam reſipiſcant, & generali Confeſſione ſuæ ſaluti conſulere ſerio velint, impellendi, ut vel ante, vel poſt Confeſſionem per aliquot dies in aliquod Monaſterium, ſive remotum locum ſe recipiant, ubi pœnitentem in fletu, jejuniis, humi cubatione, pſalmodia vitam agant. Artificibus, mercatoribus, labore manuum viventibus, cum illis jejunia imponi non poſſint, & pleriſque nec eleemoſynæ, injungendum eſt, ut Miſſam quotidie, ſi poſſint, audiant, tempus operis præveniendo, illudque ſomno ſubtrahendo; ſint minus, ut mane, & veſpere aliquod orationis penſum perſolvant, poſt quod terram oſculantes Deo de admiſſis peccatis veniam petant, &, ut ab illis præſerventur, efflagitent. In diebus vero feſtis, ultra Miſſam de præcepto, aliam audiant, aut per mediam horam in Eccleſia morantes, inibi Roſarium, Coronam, Officium B. Virginis recitent, Concioni interſint, & poſt prandium vel veſperis, vel Sacramenti adorationi, ubi expoſitum eſt, interſit, vel, ubi hæc non habentur, ſaltem per integram horam in Templo orent. Quod ſi pauperes ſint, anguſti, & afflicti, ſuos labores, anguſtias, egeſtatem patienter tolerent, ſingulis diebus Deo offerant, identidem repetentes, *fiat voluntas tua*. Fœminis autem, ſi impudicæ ſint, ſi de ſua pulcritudine ſuperbientes, ſi maledicæ, inverecundæ, injungenda ſunt jejunia, ſolitudo, &, ſi ſui ſint juris, ut non ſolum modeſte veſtiant, ſed etiam omnem abjiciant ornatum, & vilia dumtaxat induant veſtimenta; ut pro pauperibus gratis laborent, eorum veſtes ſarciant, & alias in eleemoſynam largiantur; in feſtis diebus domi orationi vacent, in cubiculo abditæ ſilentium per aliquot horas ſervent, ſpirituales libros legant. Adoleſcentibus vero filiis familias, qui pollutionibus, vel turpibus etiam cum aliis attrectationibus corpus ſuum commaculant, cum nec jejunia imponi poſſint, quia communi menſæ aſſident, nec eleemoſynæ, cum pecunia careant, nec humicubationes, vel lectulis aſperitates, quia cum aliis vel in eodem cubili vel ſaltem cubiculo dormiunt, curandum eſt, ut parentibus dicant, ſe ex devotione in ſabbatis ad honorem Virginis a cœna, ab obſonio abſtinere velle, & hoc illis in ſatisfactionem injungatur: quod ſi vel dicere vereantur, vel non impetrent, injungendum, ut matutinum jentaculum, & pomeridianum omittant, & quod ſibi datum eſt, pauperibus diſtribuant; ut ſi quam accipiunt pecuniam, in eleemoſynam largiantur, ut matutinas, & veſpertinas orationes devote recitent genuflexi, nulloque modo innixi vel ſcabello, vel ſedili; ut funiculum nodis aſperum circa renes, vel coxendicem arcte alligatum per aliquot horas in dies deferant, immo deferant ſemper, ſed laxatum, & tunc ſtringendum cum urget tentatio; in calceis lapillos ponant, queis ambulando torqueantur; & præſertim in omnibus feſtis diebus Confeſſario ſe ſiſtant, &, quæ admiſerunt, peccata confiteantur. Hæ ſunt ſatisfactiones, quas Confeſſarii pro ſua prudentia ſeligere poterunt, & Pœnitentium conditionibus, & criminum qualitatibus aptare.

Regula Septima.

IX. Quoad Pœnitentiæ durationem, & tempus, profecto nec ita brevis eſſe debet Pœnitentia, ut ſtatim abſolvatur; nec ita diuturna, ne Pœnitens nimium gravatus eam omittat. Itaque ſi ita poſtulat criminum gravitas, & multitudo, & orationes, ac eleemoſynæ injungendæ ſunt, orationes per hebdomadam, menſem, annum ſunt extendendæ, ut de admiſſis ſceleribus recordetur, & doleat; & ſemper injungendum, ut perſoluto penſo orationis a Deo veniam petat, & contritionis actum conetur elicere, vel ſaltem, ad removendos ſcrupulos, formulam actus contritionis ore devote, & attente recitet. Hinc ſi Roſarium ſit injungendum, vel Officium B. Virginis, mandet, ut primum in tres dies dividat, partem in ſingulis diebus recitando, alterum, ut diviſum recitet, puta ſtatim poſt Confeſſionem Matutinum cum Laudibus, aliquanto poſt, Horas matutinas, & poſt pran-

prandium, vel veſpere reliquum, quod ſupereſt, & ita in aliis diebus, ſi per plures dies recitatio præcipiatur, hoc enim pacto orationi aſſueſcit. Similiter ſi eleemoſyna imponatur elargienda, hæc per plures vices diſtribuatur, diſtinctis temporibus, & diebus, ut liberalitati, & actibus bonis aſſueſcat. In ſatisfactionibus imponendis talis fiat diſtributio, ut Pœnitentis memoriam non turbet, ſed vel omnes uno numero comprehendantur, puta ſepties recitet Roſarium, vel Pſalmos Pœnitentiales, ſeptem Miſſas audiat, ſepties eleemoſynam tribuat, ſeptem ſabbatis jejunet, ſeptem menſibus confiteatur, & ſimilia; vel per tempora diſtribuat, puta quotidie oret, bis in hebdomada jejunet, ſemel in menſe confiteatur, &c.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Falſa rejicitur Caſuiſtarum doctrina.*
II. *Etiam pro venialibus, & mortalibus alias confeſſis eſt injungenda Pœnitentia.*
III. *Satisfactio neceſſario non eſt abſolutioni præmittenda.*
IV. *Qui opera ex præcepto debita omiſere, illis pro ſatisfactionis parte illorum impletio eſt injungenda.*
V. *Semel impoſitam ſatisfactionem Miniſter, qui impoſuit, mutare poteſt.*
VI. *Immo & alius ab eo diverſus.*
VII. *Quid agendum Confeſſario, qui imponendæ Pœnitentiæ, & Pœnitenti, qui impoſitæ obliviſcuntur.*

Conſectarium Primum.

I. FAlſa eſt doctrina nonnullorum Caſuiſtarum docentium, omitti poſſe ſatisfactionis injunctionem, ſi prudenter judicetur, Pœnitentem vel per præcedentia opera ſatisfeciſſe, vel plenariam indulgentiam eſſe lucraturum. Nam 1. ſatisfactio eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, & quidem, ut docet Tridentina Synodus, per Claves Eccleſiæ impoſita: non licet igitur mutilum relinquere Sacramentum, & imperfectum ſacramentale judicium. 2. Quis præſumere, nedum certo ſcire poteſt, ſe per præcedentia opera integre pro peccatis ſatisfeciſſe? Præterquamquod, cum illa opera ſint in peccato emiſſa, vim condignæ ſatisfactionis habere non poſſunt. Quis igitur prudens Miniſter ſatisfactionem certo, & de præcepto injungendam, pro incerta, & vana ſatisfactione omittere præſumat? 3. Indulgentiæ plenariæ acquiſitio incerta eſt, plane difficilis, & rara; onus ſatisfactionis perſolvendæ certum, præceptum, neceſſarium: non licet igitur hoc pro illa omittere. Præterea Indulgentiæ ſunt in ſubſidium noſtræ paupertatis, & inſufficientiæ ad Deo ſatisfaciendum, non in noſtræ deſidiæ, ac negligentiæ fomentum: non enim Indulgentiæ proſunt, ut ſcribit piiſſimus Baronius, *ignavis, otioſis, ac negligentia torpeſcentibus, ſed iis qui, quantum ſuppetunt vires, bene operari non prætermittunt*, & qui pro virili bonis, & laborioſis operibus Deo ſatisfacere ſatagunt; qui tamen adhuc, cum non valeant totum pœnæ debitum divinæ juſtitiæ ſolvere, ad Indulgentias, ad theſaurum Eccleſiæ confugiunt. Ita docent Paſtores ſapientiſſimi. Cardinalis Le Camus in ſuis Conſtit. Synod. tit. de Indulg. monet: „ Perverſam eſſe doctrinam, qua Indulgentiarum ſacrilegus fit abuſus, cum peccatoribus perſuadetur, quod ad faciendam pœnitentiam minime teneantur . . . . Jubilæa, & Indulgentiæ a SS. Pontificibus iis ſolum conceduntur, qui ad proficuum eorum uſum diſponunt ſe per veram pœnitentiam “. Cardinalis Denoffius idem adhuc clarius inculcat in ſua Paſtorali Inſtructione, docens: „ Confeſſarii vitent omnino abuſum, quem aliqui introducunt, dum in tempore Jubilæi, aut Indulgentiæ alicujus plenariæ, ſub prætextu quod, ſi ad litteram adimpleantur operæ præſcriptæ in Bullis Pontificiis, remittitur non ſolum culpa, ſed etiam pœna peccatis debita, imponunt magnis peccatoribus leviſſimas pœnitentias: quia ſcilicet hæc praxis contraria eſt intentioni Eccleſiæ, quæ vult quidem adjuvare filios ſuos, ut per indulgentias poſſint ſatisfacere pro pœnis debitis, quas aliqui non poſſunt omnino perſolvere, aut propter debilitatem virium, aut propter brevitatem vitæ, aut certe quia vix aliquando pœnitentias peccatis convenientes impleverunt; ſed Eccleſia non intendit diſpenſare a lege divina, quæ ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos obligat, aut pigritiam, ſeu negligentiam inſpirare in exercendis operibus ſatisfactoriis tantopere in ſacra Scriptura, & a SS. Patribus commendata “. Longe autem laxior, & ſcandaloſa eſt doctrina quam ex De Lugo reſcribit Viva, ſcilicet eum, qui lucratur indulgentiam plenariam, non obligari ad pœnitentiam, *etiamſi detur in medicinam*; quia Medicus non præcipit, ſed ſuadet, & ſolus Judex præcipit pœnam. Solum vero ad laxitatis turpitudinem tenui velo obtegendam addit de Lugo, non intelligendum de medicina ſimpliciter neceſſaria ad vitanda peccata futura, ad quam quidem non ex præcepto Confeſſarii, nec reſpectu habito ad Sacramentum, ſed obligatur jure naturæ. Nonne hoc eſt in praxi *peccatis connivere, & indulgentius cum pœnitentibus agere*, & alienorum peccatorum participes effici, quod & deteſtatur, & comminatur S. Tridentina Synodus?

Conſectarium Secundum.

II. Si in Sacramento Pœnitentiæ abſolutio datur etiam pro ſolis venialibus peccatis, vel pro mortalibus alias confeſſis, ſatisfactio eſt injungenda, quæ licet levis, ſub gravi tamen eſt implenda. Utramque doctrinæ noſtræ partem oppugnant Probabiliſtæ, inter quos de Lugo, qui cenſent, poſſe in tali Confeſſione omitti onus ſatisfactionis, & impoſitum non obligare ſub gravi, ſi ſatisfactio levis ſit, his futilibus argumentis. 1. Quia non major eſt obligatio imponendi Pœnitentiam, quam eam impoſitam implendi: porro certum eſt, levem pœnitentiam ſub mortali non obligare. 2. Quia ſi ſcrupuloſus pluries intra horam accedat, ut ab oblitis abſolvatur, neceſſe non eſt, ut nova ſemper imponatur pœnitentia. 3. Quia politicus judex non graviter peccat, ſi leviorem pœnam, quam reus meretur, ex clementia non infligat. At noſtra doctrina & probabilior eſt, & unice vera, ea firma, & ine-

& ineluctabili ratione, quia Sacramentum ſua integrali parte mutilare eſt ipſum profanare. Et quidem primum argumentum falſo innititur principio, ſcilicet levem in Sacramento Pœnitentiæ impoſitam ſatisfactionem omittere grave non eſſe peccatum. Nam plane oppoſitum verum eſt; quandoquidem licet levis ſit pœnitentia in ſe, gravis eſt tamen in ordine ad Sacramentum, quod integrat, & perficit; & qua deficiente mutilum eſt, & imperfectum. Quod ſi particulam *enim* omittere in conſecratione Euchariſtiæ grave peccatum eſt, licet nec ad eſſentiam, nec ad integritatem pertineat Sacramentalis formæ; quanto magis gravius erit piaculum levem pœnitentiam omittere, quæ Sacramenti partem integrantem conſtituit. In Sacramentis enim omnia, quæ ad illorum vel eſſentiales partes, vel integrantes pertinent, ſummi ſunt habenda momenti. Scrupuloſus ad oblita peccata manifeſtanda accedens, plerumque non eſt abſolutione donandus, cum peccata non oblita ſint, ſed in cumulo manifeſtata, quæ ſolum ſupervacanee ſigillatim recitat. Quod ſi revera alicujus peccati ſpecie diſtincti ab aliis oblitus confiteatur, ſicut directe eſt ab illo abſolvendus, ita & nova indicenda, vel jam data augenda pœnitentia, ut Sacramentum perficiatur. Quod politicus judex levem pœnam reo remittendo non graviter peccet, nec vindicativam juſtitiam graviter lædat, id contingit, quia ſi ſupremus eſt, remittere eam poteſt, & condonare; ſi ſubdelegatus, prudenter præſumere poteſt a ſuperiori judice fore remittendam, vel ab ipſo ſummo rigore non exigendam. At Miniſtri Sacramenti & ſubdelegati judices ſunt, & optime noverunt a Supremo judice nullum relinqui impunitum peccatum, ſed vindictam expoſcere, vel a reo ſponte in hac vita ſolvendam, vel poſt mortem in Purgatorio luendam.

Conſectarium Tertium.

III. Quamvis neceſſe non ſit, ut ſatisfactionis opera prævie ad abſolutionem impleantur, quandoque tamen expedit, & a Miniſtro exigendum eſt, ut Pœnitens per opera aſpera, & laborioſa ad juſtificationem ſe diſponat. Prima pars eſt de ſe manifeſta. Chriſtus enim Pœnitentiæ Sacramentum inſtituendo non præcepit abſolutioni præmittendam ſatisfactionem. Eccleſia quoque, licet aliquandiu duris laboribus pœnitentes exercuerit, id tamen non ſemper exegit, &, cum ad diſciplinam pertineat, mutare potuit. Hinc a tredecim ſeculis in Eccleſia Græca viget conſuetudo abſolutionem largiendi etiam ante exhibitam ſatisfactionem, ut probat Morinus lib. 6. cap. 24. ex Græcorum Euchologiis, & Scriptoribus. In Eccleſia vero Latina hunc eundem morem jam a pluribus ſeculis obtinere, res eſt facti notiſſima. Hinc merito Clemens XI. Queſnellianam propoſitionem 87. damnavit, aſſerentem: *Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate eſt, dare animabus tempus... incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.* Et prævie alia proſcripta fuit Petri de Oſma affirmantis: *Pœnitentes non ſunt abſolvendi, niſi peracta prius pœnitentia eis injuncta.* Quibus & aliæ tres ſunt accenſendæ damnatæ ab Alexandro VIII. nimirum 16. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei idipſum quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxim, mox abſolvendi, ordo Pœnitentiæ eſt inverſus.* 18. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed pro abuſu.* Altera vero pars eſt quoque certa etiam apud benigniores Caſuiſtas, ut affirmat De Lugo Diſq. 14. n. 170. & Arriaga diſp. 38. n. 29. teſtatur: „ Dicere poſſum, me multoties cum aliquibus juvenibus hoc „ remedio uſum (præmittendi ſcilicet ſatisfactionem abſolutioni) & feliciter illud mihi ſucceſſiſſe “. Et revera, cum Pœnitens nec ſuorum ſcelerum gravitatem ſentit, nec niſi levem oſtendit diſplicentiam potius quam dolorem, eſt hortandus, ut orationibus, jejuniis, piis operibus lumen a Deo petat miſeriam ſui ſtatus dignoſcendo, & vires ad vitam mutandam depoſcendo. Idem dicendum de iis, qui pravis ſunt irretiti habitibus, qui occaſiones peccandi vitare negligunt, qui inimicitiam, & odium proximi ex corde pellere non volunt, qui impoſitas pœnitentias ex inertia non implevere; hi optime ad eas implendas ſunt primum cogendi, antequam abſolvantur. Sed de his iterum ſuo loco.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui opera præcepta omiſit, illi pro ſatisfactionis parte illorum impletio eſt ingiungenda. Frequenter accidit, Fideles confiteri de non ſervato jejunio in Quadrageſima, & Vigiliis, de Miſſæ auditione omiſſa in die feſto, Clericos quoque de neglecta Breviarii recitatione: his itaque primo loco jubendum, ut omiſſa opera ſuppleant, & tot diebus jejunent, tot Miſſas audiant, toties Breviarium, vel æquivalentem Pſalmorum quantitatem recitent, quantum ſatis eſt ad omiſſa opera ſarcienda. Et ratio eſt manifeſta, ſi enim vere dolent, & de commiſſo crimine eos pœnitet, nihil magis cordi habere debent, quam non impletum ſuo tempore præceptum juſta compenſatione ſarcire. Præterea, ſi levior injungatur pœnitentia, quam ſit onus omiſſum, profecto ex ſua iniquitate lucrum reportabunt, nec facile a nova omiſſione abſtinebunt. Et tamen ad hoc etiam ordinata eſt Pœnitentialis ſatisfactio, ut peccandi propenſionem coerceat. Nam, inquit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 8. *Proculdubio magnopere a peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* At quo fræno coercebitur, quomodo cautior reddetur, & vigilantior, qui pro omiſſo Officio ad ſeptem Pſalmos pœnitentiales recitandos adſtringitur? Quomodo coercebitur a violatione jejunii, qui pro integra Quadrageſimalis jejunii tranſgreſſione vigeſies Roſarium recitare, vel tenuem aliquam largiri eleemoſynam adſtringitur? Qui vero diem feſtum laborando violavit, non eſt adſtringendus ad ceſſationem ab opere ſervili in die feriali, niſi forte lucro abſolute non indigeat ad ſui, ſuæque familiæ ſuſtentationem; quod tamen rarum eſt, cum ad violandum diem feſtum per opus ſervile non niſi egentes, & cauſa lucri artifices impellantur;

ſed

ſed vel privandus lucro ex opere ſervili reportato, ipſum in pauperes diſtribuendo, vel cogendus per plures dies feriatos ad Sacrum audiendum. Quid igitur? inquies. Erit ne, qui Quadrageſimale jejunium integre violavit, adſtringendus ad aliam Quadrageſimam poſt Paſcha celebrandam? Qui per annum Breviarii neglexit recitationem ad duplex Officium quotidie recitandum? Quidni reſpondeo, pro jejunio Quadrageſimali violato totidem diebus jejunium indicere? Sic enim aperte Pariſienſi Populo proteſtatus eſt piiſſimus Columberius in ſuo Sermone de jejunio, & quadrageſimali abſtinentia ſcribens gallice, quod latine reddo: ,, Puto pœnitentiam (violantis quadrageſimale jejunium, & hoc peccatum in Paſchate confitentis) ita falſam eſſe, ut abſolvere non auderem, divini Sanguinis timens profanationem, niſi prius diſpoſitum paratumque agnoſcerem ad jejunandum quadraginta diebus poſt Paſcha ". Sed ſi hoc durum videtur, durius profecto erit gehennali igne pœnam etiam ſolum temporalem luere. Mitius tamen agerem, & illi pro ſatisfactione juberem, ut integro anno feria IV. jejunaret. Qui per annum Breviarium omiſit, illum cogerem, ut vel quotidie Officium B. V. & Defunctorum integrum recitaret; vel per biennium ſingulis hebdomadibus totum Pſalterium orando percurreret, quod vix æquaret penſum omiſſum, vel ſi nimia oratio ita illius mentem defatigaret, ut attente recitare non poſſet, imponerem quotidianam alicujus infirmi viſitationem, vel ut pueros in chriſtiana doctrina, vel litteris erudiendos gratis ſuſciperet. Dixi impletionem omiſſi operis præcepti injungendam pro parte ſatisfactionum, cum alterius quid amplius addendum ſit in pœnam lethalis admiſſi peccati.

Sed quod ſemper me coanguſtavit, eſt, pœnitentiam reperire pro fœminis maritalem fidem adulterio violantibus, quod profecto graviſſimum eſt peccatum, decem annorum pœnitentia in Canonibus punitum. Non enim jejunia imponi poſſunt, cum Mariti menſæ aſſidere debeat, & cum illo juxta familiæ conditionem veſci; non vigiliæ, & humi cubationes, quos præſentia Mariti impedit; non eleemoſynæ, pleræque enim pauperes ſunt, & egeſtate fortaſſis ad adulterium compulſæ. Superſunt itaque orationes, quas longius protrahere non permittit vel cura familiæ, vel ad lucrum operandi neceſſitas. At in his ſimilibuſque caſibus puto locum habere prudentem SS. Antonini, Caroli, & Franciſci Saleſii œconomiam, ſcilicet ut inquit primus: *Si Sacerdos non poteſt gaudere de omnimoda purgatione Pœnitentis, ſaltem gaudeat, quod liberatum a gehenna tranſmittat ad Purgatorium*. Alter vero par. 4. Inſtruct. Pœnit. dicit: *Si Sacerdos ita expedire videat, Pœnitentem interroget, an poſſit, an ne dubitet Pœnitentiam ſibi injunctum peragere, alioquin eam mutabit, & minuet*. Poſtremus denique inſinuat: *Confeſſarius melleis, & conſolatoriis verbis imponere debet pœnitentias . . . & petere ſemper debet ab eo, an Pœnitentiam injunctam libenter faciat: quod ſi videret eum anguſtiari, rectius faceret aliam ei leviorem imponendo*. Immo & idem docere videtur D. Thom. in IV. diſt. 20. q. 1. ar. 2. q. 2. ad 3. ſcribens: ,, Sacerdos minorem condigno Pœnitentiam injungens non ſemper peccat: tum quia non poteſt determinate quantitatem pœnæ agnoſcere, quamvis aliquando conſideratis Regulis Patrum determinare poſſet; tum quia quandoque etiam ex induſtria minorem pœnitentiam imponens plus prodeſt Pœnitenti, quam noceat, qui forte magnitudine pœnæ poſſet a pœnitentia peragenda impediri propter debilitatem virtutis adhuc in eo de novo recuperatæ: & ideo negligit minus damnum, ut majus evitet; & iterum paulatim confortatus in eo divinus timor ad plura Pœnitentiæ opera peragenda ipſum incitabit propria ſponte, quam Sacerdos eadem ſecundum quantitatem peccatorum injungere potuiſſet ". Huic tamen lenitati olei, & vini eſt miſcenda aſperitas. Quamobrem adulteris fœminis nobilibus, & non egentibus præſcriberem, ut ab omni cibo, & potu extra horas prandii, & cœnæ abſtineant, in menſa & parcius comedant, & a delicatioribus cibis abſtinentes, vilioribus ſint contentæ; ut quantum Mariti voluntas, & ſtatus ſui patitur conditio, modico utantur ornatu, viliores induant veſtes, monilia, gemmas, aurum deponant, animi relaxationes, & oblectamenta vel deferant, vel plurimum coerceant, & eorum loco lectioni, orationi vacent; eleemoſynas copioſas, etiam cum aliqua alicujus commodi privatione injungerem; adderem Sacramenti Pœnitentiæ frequentiam, & juxta emendationis, & Pœnitentiæ fructus Communionem concederem. Vilioribus vero, & pauperibus fœminis injungem, ut ſaltem quater in die brevem aliquam orationem, puta quinque Pater, & Ave brachiis vel poſt terga, vel ante revinctis, vel in modum Crucis extenſis, & genibus nudis recitarent, veniam petentes admiſſi ſceleris, ut aliquando in pane, & aqua jejunent, vel ſi debiles ſint, & operari debeant, cibo ſe reficiant, a vino tamen abſtinentes; denique ut patienter labores, paupertatem, moleſtias vitæ ſuſtineant, Deo offerant in ſuorum peccatorum ſatisfactionem. Et idem dicendum de filiis, filiabuſque familias, qui vel inter ſe, vel cum famulis impudicas committunt actiones, quos pro flagitii immanitate congrua ſatisfactione puniendi, vel a crimine cohibendi vix efficax remedium, vel convenientem modum Sacer Miniſter valet reperire.

Conſectarium Quintum.

V. Pœnitentiam ſemel impoſitam Miniſter, qui impoſuit, commutare poteſt, at non extra Confeſſionem. Et quidem poſſe, & licite nullus eſt, qui ambigat; quia idem eſt juriſdictionis Sacramentalis exercitium, tum in pœnitentia imponenda, tum in ea commutanda: & ſicut poteſt, & debet Miniſter pœnitentiam pro ſatisfactione injungere; ita juſta expoſcente cauſa illam poteſt vel minuere, vel commutare. Quod autem hoc præſtare non poſſit extra Confeſſionem, inficiantur plures benigniores Theologi, qui cenſent eumdem Confeſſarium, etiam poſt plures horas, immo & poſt aliquot dies, ſi peccatorum Pœnitentis meminerit, poſſe requiſitum etiam extra Sacramentum impoſitam mutare ſatisfactionem. At noſtra poſita doctrina & probabilior eſt, & tutior: quandoquidem ſatisfactionis injunctio actus eſt ſpiritualis poteſtatis, & uſus clavium, qui nonniſi in foro Sacramentali locum habere poteſt; alioquin extra tale fo-

ſorum data ſatisfactio non eſſet Sacramentalis. Non tamen neceſſe eſt, ut Sacramentale judicium eodem tempore mathematice fiat, ſed ſufficit, ſi moraliter perduret; ut contingit in pœnitente, qui poſt diſceſſum a Confeſſionali vel impoſitæ pœnitentiæ non recordatur, vel ejus implendæ impotentiam deprehendit, quam tunc, quando impoſita fuit, non ſenſit: unde ſtatim ad Confeſſarium revertitur, & fortaſſis per aliquod tempus expectat, donec Pœnitentem, quem tunc Confeſſarius audit, dimittat; tunc enim licite poteſt Confeſſarius & pœnitentiam injungere, & etiam ſi opus ſit commutare, cum cenſeatur idem Sacramentale judicium, & miniſterium perdurare. At, ſi plures fluxerint horæ, multoque magis dies integer præterierit, tunc novum inſtituendum judicium, proinde nova habenda Confeſſio, ſaltem quantum ſufficit ad ſtatum Pœnitentis cognoſcendum; &, ſi opus ſit, nova danda abſolutio, & commutanda impoſita ſatisfactio, ut ſit Sacramentalis.

Conſectarium Sextum.

VI. Etiam ab alio Confeſſario æquali, vel ſuperiori prædito poteſtate commutari poteſt ex juſta cauſa impoſita ſatisfactio, ſed repetita Confeſſione. Prior pars poſitæ doctrinæ conſtat: nam pœnitentiam commutando non in alium Confeſſarium exercet juriſdictionem, ſed in pœnitentem, cui liberum eſt, licitumque ſua peccata idoneo ad hoc delecto Miniſtro manifeſtare, ejus judicio non ſolum ſemel, ſed & iterato ſe ſubjicere, ut docet S. Raymundus lib. 3. §. 6. ſcribens: „ Ad illud, quod „ ultimo loco quærebatur, utrum Sacerdotes facere poſſint commutationem jejuniorum, vel alterius ſatisfactionis ad petitiones ipſorum pœnitentium, credo quod ſic, dum tamen diſcrete, „ & propter cauſam circa ſubditos ſuos, alias non „ licere “. Conſentit & D. Antoninus 3. p. tit. 14. cap 15. ſcribens: „ Si non videtur ſibi poſſe „ facere (Pœnitentiam) vel nimis difficile, propter quod petit ſibi commutari, poteſt fieri, etiamſi alteri confiteatur, quam ei, qui eam impoſuit “. Alteram vero partem, quæ poſtulat, ut iteretur Confeſſio, oppugnant nonnulli Theologi, quibus favent D. Antoninus loc. laud. & Petrus de Palude, putantes ſufficere, ſi exponat cauſas, & motiva commutandæ pœnitentiæ. At noſtra aſſertio & probabilior, & unice vera eſt: quia, ut inquit Tridentinum Concilium, *Sacerdotes judicium Sacramentale incognita cauſa exercere non poſſunt, neque æquitatem in pœnis injungendis* (vel moderandis, & commutandis) *ſervare*. Porro ideo poteſt Confeſſarius alterius Confeſſarii ſatisfactionem commutare, quia poteſt de eadem cauſa aliud judicium inſtituere. At quomodo hocce inſtituet judicium, niſi crimina illi innoteſcant, unde dignoſcere valeat æquitatem, & proportionem impoſitæ ſatisfactionis, & utrum hæc adhuc aliquo modo ſervetur in comutatione facienda? Oportet igitur, ut cauſam cognoſcat per iteratam pœnitentis confeſſionem; cui tamen ſemper liberum erit ad priorem pœnitentiam redire, cum ſolum in ſui favorem facta ſit commutatio, cui beneficio poteſt renuntiare. Addimus, commutationem ex juſta cauſa faciendam: poteſtas enim a Chriſto ſuis collata Miniſtris data eſt in ædificationem, non in deſtructionem; ſua propterea abuteretur poteſtate Miniſter, qui ſine legitima cauſa alterius judicium commutaret, & quod ille juſte ligavit, injuſte ſolvere auderet. Oportet etiam, ut qui commutationem aggreditur, ſit vel ſuperioris, vel ſaltem paris juriſdictionis: nam ſi qui ſatisfactionem impoſuit, ſit ſuperioris jurisdictionis, tunc inferior Miniſter commutare eam non poterit; quia judicium ultra ſuæ juriſdictionis limites non valet protendere. Nec obſtat aliquorum Theologorum aliter ſentientium ratio, ſcilicet per factam Superiori manifeſtationem jam ſublatam caſus reſervationem, proinde poſſe ab alio etiam inferioris juriſdictionis Miniſtro ferri judicium. Quandoquidem non ſolum peccata reſervantur, ut impetrandæ abſolutionis difficultate magis ab illis deterreantur Fideles; ſed etiam, ut inquit Tridentina Synodus, *ut a peritioribus Medicis periculoſiores morbi curentur*; qui finis profecto fruſtratur, ſi quod a Superiore, & peritiore Medico, & judice ſancitum decretumque fuit, ab inferiore mutetur. Ita docet S. Antoninus loc. laud. ſcribens: „ Quod videtur intelligendum, ſi Pœnitentia fuit data pro peccatis, a „ quibus iſte abſolvere potuiſſet. Nam data pro „ caſibus reſervatis non poſſet commutari, niſi in „ caſu neceſſitatis; puta ſi impletio illius pœnitentiæ poſſet illi eſſe periculoſa, vel cauſa infirmitatis, vel ruinæ ſpiritualis, & ipſe Pœnitens non „ commode poſſet habere recurſum ad illum, qui „ primo injunxit: tunc enim præſumendum eſt „ quod eſſet contentus de hujuſmodi permutatione “.

Conſectarium Septimum.

VII. Si forte Confeſſarius ex oblivione pęnitentiam non imponat, ſi ſine ſcandalo poterit, Pęnitentem ad ſe revocabit, illique congruam ſatisfactionem jubebit; ſi vero nequeat, doleat quidem coram Deo de ſua oſcitantia, & de illo quærendo minime ſolicitus ſit, ſed ſolum revertentem iterum ad Pęnitentiæ Tribunal de præterita oblivione admoneat, & defectum reſarciat. Si vero Pęnitens hanc omiſſionem advertat, vel impoſitæ Pęnitentiæ ſit oblitus, ſi poterit, ad Confeſſarium reverti debet, & ab eo ſatisfactionem accipere: nec arbitretur ſe melius ſupplere, etſi ſeveriorem ſibi ſponte aſſumat; nam ſatisfactio a Sacramenti Miniſtro impoſita majoris eſt efficacitatis, quam alia a Pęnitentis voluntate aſſumpta, ut docet D. Th. Quodl. 3. quæſt. 13. art. 1. ſcribens: „ Opus, „ quod quis facit ex injunctione Sacerdotis, dupliciter valet Pęnitenti, uno modo ex natura „ operis, alio modo ex vi Clavium. Cum enim „ ſatisfactio a Sacerdote injuncta ſit pars Pęnitentiæ, manifeſtum eſt, quod in ea operatur vis „ Clavium, ita quod amplius valeat ad expiandum peccatum, quam ſi proprio arbitrio homo „ faceret idem opus. Hoc tamen non impedit, „ quin nequeat Miniſter Pęnitentiæ opus aliquod „ ſatisfactorium ſub diſcretione, & pro libito Pęnitentis imponere, puta Sabbato jejunabis, vel „ eleemoſynam pauperi elargieris, prout tibi libuerit: tunc enim licet videatur electio fieri a „ Pęnitente, tamen cum facta electione opus ſit „ imperatum, & ad Sacramentalem ſatisfactionem „ ordinatum, ſua virtute, & efficacia non pri-

„ va-

„ vatur “. Et paulo poſt ſubdit: „ Sacerdos „ poteſt Pœnitenti ſatisfactionem injungere, vel „ ex proprio arbitrio, vel ex conſilio alieno. Eſt „ ergo dicendum, quod ſicut poteſt Sacerdos injun„ gere ſatisfactionem Pœnitenti ex arbitrio alieno, „ ita ex arbitrio ipſius Pœnitentis; ſicut ſi dicat, „ *facies hoc, ſi potes, & ſi non potes, facies hoc*: „ & ſimile videtur, cum Sacerdos dicit, *quidquid* „ *boni feceris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum* “.

CAPUT SEPTIMUM.

De Satisfactione a Pœnitente acceptanda, & implenda.

Doctrina.

I. *Pœnitens tenetur ſatisfactionem acceptare, & implere.*
II. *Quomodo poſſit impoſitam ſatisfactionem recuſare.*
III. *Prompte pœnitentia implenda, & juxta tempus, & modum præſtitutum.*
IV. *Et quidem per ſe, non per alium.*
V. *Niſi Miniſter juſta de cauſa concedat.*

I. INter conditiones veræ Confeſſionis recenſuimus Pœnitentis obedientiam, per quam ſit *parere paratus* ſententiæ Sacerdotis in Sacro Tribunali prolatæ, & ad ſatisfactoria ſibi injungenda opera implenda. Tenetur itaque Pœnitens & acceptare, & implere injunctam ſatisfactionem. „ Is „ veram pœnitentiam agit (inquit S. Cyprianus de „ Lapſis) qui Dei, & Sacerdotis præceptis obe„ diens, operibus juſtis Dominum promeretur “. Peccat igitur lethaliter, nec eſt abſolutione dignandus pœnitens, qui Pœnitentiam ſibi legitime præſtitutam vel acceptare recuſat, vel acceptatam negligit implere. Ratio eſt manifeſta, tum quia oſtendit, ſe non vere de admiſſis peccatis dolere, qui pro iis Deo ſatisfacere vel recuſat, vel negligit; tum quia Pœnitentiæ Sacramentum ſua ſpoliat integritate. Ita docent communiter Theologi cum S. Antonino 3. P. tit. 14. cap. 18. §. 19. ſcribente: „ Pœnitentiam autem, ſeu ſatisfactionem, quæ „ ſibi imponitur a Confeſſario, facere debet: nam „ ſi ex negligentia omittit cum propoſito non ſatis„ faciendi id, quod injunctum eſt pro mortalibus, „ mortaliter peccat; & ſi ejus eſt oblitus, tenetur „ iterum confiteri; ſed ſi ejus recordatur adhuc, ſi „ vult eam facere, non tenetur iterum confite„ ri “.

II. Poteſt licite Pœnitens modeſte Confeſſario exponere, quæ ſibi occurrunt, vel occurrere poſſunt in acceptanda, vel implenda ſibi impoſita Pœnitentia difficultates. Hæ autem conſurgere poſſunt vel ex parte Miniſtri indocti, & imperiti, qui incautas, & imprudentes jubeat ſatisfactiones, ut ſi Pœnitenti injungeret profeſſionem Religioſam, vel votum caſtitatis, vel uxori peregrinationem, vel infirmo jejunia: tunc enim poſſet licite Pœnitens has ſatisfactiones recuſare, utpote quæ vel ejus poteſtatem excedunt, vel Pœnitenti congruæ non ſunt. Nam, ut explicat D. Th. in IV. Diſt. 16. in expoſitione l iteræ, onus implendi ſatisfactiones impoſitas „ intel ligendum eſt de iis, quæ Sacerdos, inquan„ tum habet clavem ſcientiæ, & auctoritatis, poſt „ divinum judicium, & non ſecundum humanum „ errorem injungit. Introitus autem in Religio„ nem, cum ſit voluntatis, non poteſt alicui in„ jungi; & ſi aliqui Canones injungere inveniun„ tur, magis eſt conſilium, quam præceptum: qua„ libet enim pœnitentia taxata, leviſſima Religio „ eſt major ſatisfactio, inquantum homo abdicat „ propriam voluntatem, qua nihil eſt homini ca„ rius “. Et confirmat S. Antoninus l. l. dicens: „ Quando Sacerdos aliquid injungit Pœnitenti per „ ſpecialem ſatisfactionem, per commiſſionem ad „ iſtam tenetur ex præcepto; alias eſt tranſgreſ„ ſor, & committit ſpeciale peccatum inobedien„ tiæ. Si tamen injungeret Sacerdos alicui, quod „ intraret Religionem, vel conſuleret, non tene„ tur eam acceptare “. Difficultas etiam inſurgere poteſt ex parte Pœnitentis, qui perſpicit ſe vel nimium pœnitentia gravari, vel eam implere ſine gravi difficultate non poſſe; puta ſi pauperi eleemoſyna injungeretur, manuali opere laboranti jejunium in pane, & aqua, vel infirmo longa peregrinatio: & tunc æquæ licitum eſt Pœnitenti cauſas exponere, quibus recuſare compellitur impoſitam ſatisfactionem, petendo vel diminutionem, vel commutationem, quam profecto prudens Miniſter non negabit. Abſit tamen, ut adprobemus Salmanticenſium, aliorumque Probabiliſtarum doctrinam, affirmantium licere Pœnitenti recuſare ſibi impoſitam ſatisfactionem, *ſi ſibi conſtaret eſſe injuſtam*. Quandoquidem de difficultate ſubeundi pœnitentiam, de obſtaculis, quæ ejus impletionem impedire poſſunt, valent quidem Pœnitentes judicare, & Miniſtro exponere: verum de juſtitia vel injuſtitia, nec non de majori vel minori menſura ſatisfactionis ad Pœnitentem non pertinet judicare; ſed quando ejus non ſuperat vires, ſe humiliter ſubjicere debet, licet fortaſſis ſibi ſupra culpam videatur. Ita docet S. Thom. Quodl. 3. qu. 3. art. 1. ſcribens: „ Peccator eſt debitor „ ſatisfactionis dupliciter: uno modo ex injunctio„ ne Sacerdotis: alio modo ex peccato commiſſo: „ unde ſi contingant, quod Sacerdos minorem ſa„ tisfactionem imponat Pœnitenti, quam ſit illa, „ ad quam obligatur ex quantitate ſui peccati, „ ſubtracto eo: quod remittitur virtute Clavium, „ & contritionis præcedentis; nihilominus Pœni„ tens ad aliquid ulterius obligatur, quod ſi in „ hac vita non perficiet, in Purgatorio exſolvet. „ Et e converſo, ſi Sacerdos imponat majorem „ pœnitentiam, quam Pœnitens facere teneatur „ penſata remiſſione, quæ eſt facta per vim Cla„ vium, & contritionem præcedentem, nihilomi„ nus Pœnitens *tenetur facere*, quod ſibi injun„ ctum eſt, ſi adſit facultas “. Quod & confirmat in IV. Sent. Diſt. 20. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 2. dicens: „ Pœnitens, cui major con„ digno Pœnitentia injuncta eſt, tenetur eam ex„ plere ex Sacerdotis injunctione, qui non ſolum „ debitum pœnæ conſiderat, ſed peccato reme„ dium adhibet “. Immo addit A. P. aliquando pro levioribus peccatis graviorem Pœnitentiam a Miniſtro impoſitam Pœnitentem ſubire teneri, l. l. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 2. his addactis rationibus: „ Vel quia peccato unius difficilius poteſt reſiſti, quam peccato alterius; ſicut ju„ veni pro fornicatione imponitur major pœni„ ten-

„ tentia, quam ſeni, quamvis minus peccet, vel „ quia in uno peccatum eſt periculoſius, ſicut in „ Sacerdote, quam in alio, vel quia multitudo „ valde prona eſt ad illud peccatum; & ideo per „ pœnam unius alii ſunt exterrendi.

III. Pęnitentiam prompte implere debet Pœnitens, & juxta modum, ac tempus a Miniſtro prę-ſtitutum. Veritas hujus doctrinæ eſt omnibus manifeſta, ſolum aliqua indiget explicatione. Et primo quidem quando Pęnitentiæ Miniſter tempus implendæ ſatisfactionis non deſignavit, quantocius implere debet Pęnitens; quia ſatisfactionis impletio eſt debiti ſolutio, illatæ injuriæ reparatio, quæ profecto diu ſine culpa differri non poſſunt. Quamobrem, ut optime animadvertit Juveninus Tr. de Sacram. tanta eſſe poteſt negligentia in ſatisfactione implenda, ut gravem noxam inducat, & animum oſtendat minime de ſua ſalute ſollicitum: ideoque ſi reperiantur adeo in hoc deſides, & negligentes, ut ad Confeſſionem accedant, non impleta, adhuc alterius Confeſſarii Pęnitentia, quam implere commode poterant, illis abſolutionem differre poterit, quoadusque ſatisfecerint. Hæc tamen celeritas in implenda pęnitentia moraliter penſanda eſt, attentis circumſtantiis pęnitentis, & operis injuncti, quod ſi impleri poteſt eodem die, in craſtinum non eſt differendum. Si vero Miniſter tempus deſignavit, & modum Pęnitentiæ, parere debet Pęnitens etiam in his circumſtantiis, quæ aliquando partem præcipuam conſtituunt Pœnitentiæ; puta ſi ſubeat, ut quotidie mane, & veſpere genibus flexis, aut nudatis, aut brachiis in crucis modum extenſis aliquam recitet orationem, veniam petendo pro ſceleribus admiſſis, & tempus ſervare debet, & modum. Similiter ſi jubeat, ut feria IV. jejunet, vel Sabbatis in honorem B. Virginis, vel feria VI. in memoriam dominicæ Paſſionis, tenetur ſtatis diebus jejunare, ita tamen, ut ſi forte ſit legitime a jejunio præpeditus tali die, minime tamen ab onere liberatus cenſeatur, ut nonnulli benigniores Theologi autumant, ſed alio die implere tenetur, quippe quia circumſtantiæ temporis non eſt cauſa, nec finis præcepti, ſed ſolum quid accidentale. Similiter qui per hebdomadam, vel menſem recitare debet penſum aliquod orationis, ſi vel ex malitia, vel ex oblivione omittat, ſupplere tenetur vel tempus prorogando, vel bis recitando. At ſi Confeſſarius jubeat Pœnitenti, ut per annum ſingulis feriis IV. jejunet, licet Vigilia aliqua eo die eveniat, vel Quatuor temporum jejunium, ſupplere non tenetur, ſed eodem jejunio duplici ſatisfacit præcepto. Similiter ſi ei jubeat, ut per annum ſingulis diebus Miſſæ interſit, non tenetur bis Miſſam audire in die Feſto. Secus ſi jubeat, ut ſingulis diebus feſtis Miſſam audiat, tunc enim unicæ Miſſæ auditione duplici præcepto & Eccleſiæ, & Confeſſarii minime ſatisfacit. Quoad hæc & ſimilia, quæ occurrere poſſunt, legantur quæ diximus Tract. De Legibus Diſſ. 3. cap. 9. n. 13. & 14.

IV. Tenetur Pęnitens ſatisfactionem per ſe implere, & non per alium; nec eam poteſt etiam, pro ſuo libito, in aliam meliorem commutare. Prima pars conſtat ex damnatione propoſitionis 15. ab Alex. VII. latæ, quæ dicebatur: *Pœnitens propria auctoritate poteſt ſibi ſubſtituere alium, qui loco ipſius Pœnitentiam impleat*. Rationem reddit D. Th. hic q. 13. art. 2. ſcribens: „ Pœna ſatisfactoria eſt in remedium; unde non eſt permittendum, quod aliquis pro alio pœnitentiam agat, niſi defectus aliquis appareat in pœnitente, vel corporalis, per quem ſit impotens ad ſuſtinendum, vel ſpiritualis, per quem non ſit promptus ad portandam pœnam “. Quibus verbis duo inſinuat S. Th. 1. non poſſe pœnitentem propria auctoritate alium ſuo loco ſubſtituere in implenda ſatisfactione, quia illi eſt in remedium. 2. Nec a Miniſtro hoc concedendum, niſi iis duabus poſitis conditionibus. Et revera, ſi ut inquit Tridentina Synodus, „ Satisfactoriæ pœnæ „ quaſi fræno quodam coercent, cautioreſque, & „ vigilantiores in futurum pœnitentes efficient “: profecto qui per alios ſatisfaciunt, hoc fructum, & finem minime conſequuntur. Altera vero pars non minus certa eſt: nam Sacramentalis pœnitentia eſt actus Eccleſiaſticæ juriſdictionis, & poteſtatis Clavium exercitium; unde nihil in hoc poteſt Pœnitentis voluntas, nec ulla eſt illi conceſſa libertas. Præterea Pęnitentia ſponte ſuſcepta non eſt Sacramenti pars, ut enim talis ſit, eſt a Sacramenti Miniſtro imponenda: mutilum igitur remaneret Sacramentum, & ſua integrali parte minutum. Non deſunt tamen, qui cenſent, poſſe in opus evidenter melius ab ipſo Pęnitente commutari ex præſumpto Sacerdotis conſenſu, qui ſemper velle prudenter exiſtimatur, quod magis Pœnitentia ſaluti confert. Verum hæc doctrina, licet apparenter probabilis, in ſe tamen minus vera eſt: quandoquidem prudens Miniſter melius ſcire poteſt, quid Pęnitenti valeat prodeſſe, quam ipſe Pęnitens. 2. Quia non minor eſt poteſtas Sacerdotis in ſatisfactione imponenda, quam Eccleſiæ in ſuis præceptis. Sicut igitur non licet fidelibus opera ab Eccleſia præcepta in meliora commutare, puta auditionem Miſſæ in die feſto in liberalem eleemoſynam, vel in auſterum jejunium; ita nec licet Pœnitenti opus ſatisfactorium ſibi impoſitum, etiam in melius commutare. Ita ſentiunt communiter etiam benigniores Theologi, inter quos eſt De Lugo.

V. Poteſt tamen ex juſta cauſa Confeſſarius permittere Pœnitenti, an per alium ſatisfaciat, dummodo tamen ipſe non torpeat, ſed pro modulo ſuo conetur ſaltem ex parte per ſe ſatisfacere; & tunc alterius opus eſt ſatisfactorium pro altero. Prima pars conſtat ex D. Th. doctrina mox data, ubi ex duplici capite docet concedi poſſe, ut quia pro alio ſatisfacere valeat, videlicet ſi ſit impotens ad ſuſtinendum, vel quia non ita promptus apparet ad portandam pœnam. Alteram vero partem docet idem Angelicus l. l. ſcribens: „ Pęna ſatisfactoria eſt ad duo, ſcilicet ad ſolutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando. „ Inquantum eſt remedium ſequentis peccati, ſic „ ſatisfactio unius non prodeſt alteri; quia ex je- „ junio unius caro alterius non domatur; nec ex „ actibus unius alius bene agere conſuevit . . . . „ Sed quantum ad ſatisfactionem debiti unus poteſt pro alio ſatisfacere, dummodo ſit in caritate, ut opera ejus ſatisfactoria eſſe poſſit . . . „ Unde dicitur in vitis Patrum, quod propter „ caritatem unius, qui alterius fratris ſui caritate ductus pœnitentiam fecit pro peccato, quod „ non commiſerat, alteri peccatum, quod com-

„ mi-

„ miſerat , dimiſſum eſt . Nec exigitur etiam „ quantum ad ſolutionem debiti , quod ille , pro „ quo fit ſatisfactio , ſit impotens ad ſatisfaciendum ; quia etiamſi eſſet potens , alio ſatisfaciente pro ipſo , ipſe a debito immunis eſſet “ . Qui tamen pro alio ſatisfacit , non arbitretur ſe ſimul poſſe & pro ſe ſatisfacere , & eodem tempore poſſe & ſuam implere pœnitentiam , & alterius. Quod licet aliqui Theologi concedant , aperte inficiatur D. Th. l cit. ad 3. ſubdens : „ In ſolutione debiti attenditur quantitas pœnæ : ſed in „ merito attenditur caritatis radix . Et ideo ille , „ qui caritate pro alio meretur ſaltem merito congrui , etiam ſibi magis meretur ; non autem qui „ pro alio ſatisfacit , etiam pro ſe ſatisfacit : quia „ illa quantitas pœnæ non ſufficit ad utrumque „ peccatum : tamen ſatisfaciendo pro alio ſibi meretur aliquid majus , quam ſit dimiſſio pœnæ , „ ſcilicet vitam æternam .

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Nonnullæ laxæ ſententiæ indicantur.*
II. *Non licet ad gravem , ſed congruam Pœnitentiam declinandam a Miniſtro , abrupta confeſſione , recedere .*
III. *Non cenſetur commutare ſatisfactionem , qui juſſus jejunare juxta morem Eccleſiæ , ſponte in pane , & aqua jejunat .*

Conſectarium Primum .

I. ADmittendæ non ſunt improbabiles nonnullorum Theologorum benigniorum laxæ ſententiæ , nimirum I. Sporerii aſſerentis doctrinam Theologorum affirmantium „ Liberum eſſe pœnitenti acceptare , vel repudiare penitentiam a „ Confeſſario impoſitam , licet maxime poſt Tridentinum *non intrinſece* , ſed *tamen extrinſece* „ eſſe probabilem “ , quia , ut inquit Tamburinus , *non videtur Tridentinum damnare voluiſſe opinionem , quam doctiſſimi viri ſequebantur .* Numquid tanta eſt Theologorum Doctorum auctoritas , ut ſententiam ex doctrina , ſtatutis , & Decreto Concilii minime probabilem ſola ſua aſſertione reddere valeant probabilem ſola ſua aſſertione reddere valeant probabilem ? Profecto hoc mihi videtur , privatam auctoritatem præferre velle totius Eccleſiæ auctoritati in Concilio congregatæ , & rem mature expendenti , judicanti , & definienti , Quid quod ? Concilium docet , ſtatuit , declarat 1. Debere Miniſtros pœnitentiæ pro qualitate criminum , & pęnitentis facultate , ſalutares , & convenientes ſatisfactiones injungere . 2. Si pro graviſſimis delictis leviſſimas injungat , illis indixit reos eſſe perverſæ conniventiæ , & aliorum delictorum participes fieri . Et tamen Theologi docere audent , probabile adhuc eſſe , nec teneri convenientes ſatisfactiones imponere ; nec ſi leves pro graviſſimis peccatis injungant , reos eſſe perverſæ conniventiæ , nec participes fieri aliorum criminum , Profecto hoc eſt aperte Concilio contradicere , & Eccleſiæ doctrinam neſcio an aſpernari , an irridere . II. *Neminem eſſe ſine abſolutione dimittendum , qui nollet acceptare pœnitentiam impoſitam , paratus Deo ſatisfacere in hac , vel in altera vita , dummodo aliquam vel leviſſimam pœnitentiam ſubire velit , v. g. aliquot Pater , & Ave , tunſionem pectoris &c.* Sed amabo , quis credet eum vero dolore ſuorum ſcelerum , fornicationum, blaſphemiarum , furtorum , impudicitiarum tangi , qui nonniſi leviſſimam ſubire vult pęnitentiam , & congruam recuſat ſatisfactionem ? Quid vero ſignificant ea verba , paratus *ſatisfacere in hac vita ?* Quomodo enim paratus ſatisfacere , ſi Sacerdoti ſatisfactionem imponenti obſiſtit ? Quid vero *in altera* , ubi non ſatisfactio exhibetur Deo , ſed per ſatispaſſionem crimina purgantur ? Præterea , nonne Caritas erga ſeipſum præcipit , ut ex duobus malis , quod minus eſt , eligatur ? Quis itaque ſic deſipiens , ut cum poſſit Deo utcunque ſatisfacere in hac vita ſe ipſum puniendo , malit in Purgatorio Dei vindicis manus experiri ? Non ita profecto docent Patres . Audiatur S. Cæſarius Arelatenſis Serm. 104. in Appendice Sermonum S. Auguſtini , ſic terrens hos pœnitentes fictos : „ Illi , qui capitalia crimina committunt , ſi quamdiu vivunt , „ ea redimere Pęnitentiæ medicamentis noluerunt , „ ad illum ignem , de quo dicit Apoſtolus , *ipſe* „ *tamen ſalvus erit ſic quaſi per ignem* , venire „ non poterunt ; ſed magis illam duram , & irrevocabilem ſententiam audituri ſunt , *diſcedite a* „ *me maledicti in ignem æternum* . Et ideo qui ab „ illo Purgatorii igne deſiderant liberari , crimina capitalia non admittant , aut ſi jam committunt fructuoſam agant pœnitentiam , & illa parva , vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non deſiſtant “ . S. Innocent. I. hos nec abſolutione dignandos docet epiſt. 1. „ De ponderere delictorum exiſtimando Sacerdotis eſt judicare , & attendat ad Confeſſionem Pœnitentis , & „ ad fletus , atque lacrymas corrigentis , ac tunc „ jubere dimitti , cum *viderit congruam ſatisfactionem* “ . Hinc merito rejiciendam , damnandamque pronuntiavit Natalis Alexander hanc propoſitionem : *Abſolvi poteſt Pœnitens , nulla , vel ſolum leviſſima ſatisfactione impoſita , ſed in Purgatorio dilata .* III. *Leviſſima pœnitentia imponi poteſt etiam pro graviſſimis ſceleribus , ſi in pœnitente vehementiſſima appareat contritio .* Licet enim 1. Innoc. III. doceat , pro contritionis magnitudine ſatisfactionem eſſe temperandam ; tamen & vehementiſſima contritio rara eſt , & incerta , & onus congruæ ſatisfactionis certum . 2. Quo magis Pœnitens dolet de culpa , eo magis ardet deſiderio ſatisfaciendi Deo offenſo ; & tantum abeſt , ut leviorem pœnitentiam exoptet , quin immo majori deſiderat punitione multari . 3. Innocentius adhuc vere , & maxime contrito competentem pęnitentiam jubet imponi : non eſt igitur vehemens contritio juſta leviſſimæ pęnitentiæ imponendæ cauſa . IV. Falſa eſt ſententia Theologorum docentium , poſſe Pęnitentem per annum differre Sacramentalem ſatisfactionem , quando Confeſſarius tempus non definivit , contra indolem , & naturam omnium legum , votorum , obligationum , quas, cum nullum eſt præfixum tempus , quamprimum moraliter implendas , ipſa naturalis ratio dictat , & ſic etiam poſtulat Sacramenti dignitas .

Con-

Conſectarium Secundum.

II. Non licet Pœnitenti ad gravem , & congruentem declinandam Pœnitentiam abrupta Confeſſione a Miniſtro recedere. Patet manifeſte. Is ſiquidem Pœnitens clare oſtendit , ſe de ſuis criminibus minime dolere , nec Deo velle ſatisfacere. Quapropter de his ſcribit Sanctus Bernardinus ſerm. 3. poſt 5. Dominic. „ Occurrit in „ Confeſſione , ſicut in mercatoribus vendentibus „ pannos ejuſdem bonitatis, conditionis, & ſolu- „ tionis ; & unus vendit pannum ſuum pro mi- „ tiori pretio, quam alter : certe ille mercator „ habebit majorem concurſum , qui vendit mino- „ ri pretio, quam , qui vendit majori. Ita ho- „ die accidit in Confeſſione. Quia Confeſſores, „ qui dant minores pœnitentias , habent majorem „ concurſum , quam dantes magnas ; & ſic fit mer- „ catura de pœnitentiis , & ſic peccatores deci- „ piuntur , & mittuntur ad inferos : & iſti , qui „ vadunt ad tales , qui dant minores pœniten- „ tias , cauſa evitandi bonos Confeſſarios , cauſa „ non habendi congruas pœnitentias , & magnas , „ *non plus contritionis habent , quam Diabolus* “. Quod ſi Pœnitens , dum confitetur , advertit Miniſtrum eſſe minus habilem , & idoneum , nihil interrogantem , culpas & crimina minime diſcernentem , finem Confeſſionis urgentem , non reprehendentem , immo laudantem , ſi debita ſervata reverentia abſolutionem recuſaret , ab illo recedens , ut meliorem ſibi Miniſtrum nanciſceretur , minime peccaret. Sicut enim licet Confeſſario indiſpoſitum Pœnitentem ſine abſolutione dimittere ; ita licet Pœnitenti Miniſtrum minus idoneum declinare , cum æqualiter de utriuſque ſalute agatur.

Conſectarium Tertium.

III. Non cenſetur commutare ſatisfactionem Pœnitens , qui juſſus jejunare juxta morem Eccleſiæ , ipſe ſponte in pane , & aqua jejunat , qui proinde & ſatisfacit præcepto Miniſtri , & jejunium illud veram habet rationem ſatisfactionis ſacramentalis. Ratio eſt manifeſta : nam totum illud , quod ipſi præceptum eſt , implet , abſtinentiam nimirum a carnibus , & unicam refectionem ; quod vero ipſe addat abſtinentiam ab omni cibo præter panem , hoc eſt ſupra mandatum aliquid addere , quod illi licitum eſt , nulloque modo vetitum. Similiter ille per ſe cenſetur ſatisfacere , qui juſſus certam eleemoſynæ quantitatem dare pauperibus , eam Parocho tradit egentibus diſtribuendam : tunc enim , quod juſſum eſt , implet ; cum mens ſit Miniſtri , ut ſua pecunia pauperum ſublevet indigentiam , & parum refert , utrum hoc manu ſua , vel alterius præſtet ; niſi tamen & hanc diſtributionem ad ipſius Pœnitentis vel humiliationem , vel vincendam repugnantiam Miniſtrum præcepiſſe appareat.

Et hic omittendum non eſt monitum , quod omnibus Confeſſariis prabent peritiores Theologi , immo & Præſules in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus , nimirum non debere Pœnitentiæ Miniſtrum , ſi vel eleemoſynas , vel Miſſas in ſatisfactionem imponat , ſibi , vel Monaſterio ſuo applicare , vel applicandas committere. Audiatur ſanctiſſimus Præſul Carolus Borromæus in Inſtructionibus Confeſſarios prudentiſſime monens : „ Ut Sacerdos liberius circa Pœnitentem debito „ fungatur officio , & auctoritate in ejus utili- „ tatem ſemper gaudeat , ab omni avaritiæ ſpe- „ cie alienus videri debet. Hinc non modo non „ petat , ſed nec velle ſe habere ſignificet pe- „ cuniam , aliamve rem pro ſuſcepti in Confeſ- „ ſione laboris munere ; immo verbis , vel po- „ tius factis , ab his omnibus abhorrere ſe de- „ monſtret. Cum pro Pœnitentia Miſſas injun- „ xerit , ſibi , aut Eccleſiæ ſuæ , aut Mona- „ ſterio dicendas non addicat : quod idem ſer- „ vabitur in reſtitutionibus incertis , aut voto- „ rum commutatione. Nec ipſe pecuniæ , a- „ liuſve rei reſtituendæ provinciam aſſumat , „ niſi neceſſitas ad id eum adegerit , ne ſcili- „ cet Pœnitens dignoſcatur , tumque apocham „ recipiat ab eo , cui reſtitutionem contulerit , „ quam poſtea Pœnitenti tradat : ita denique „ ſe gerat , ut nec minimam avaritiæ labis ſu- „ ſpicionem inducat “.

REFLEXIO.

I. Duo ſunt profecto maxime legenda in hac Sacramenti Pœnitentiæ parte , debitam reſpiciente ſatisfactionem pro peccatis Deo exhibendam , Pœnitentium ſcilicet torpor , ſocordia , negligentia in ea ſubeunda ; & Miniſtrorum nimia indulgentia , & falſa benignitas in ea remittenda , minuenda , & pene dixerim abolenda. Et priorum quidem excutiendus torpor , arguenda ſocordia , damnanda negligentia , illis neceſſitatem , utilitatemque ſatisfactionis inculcando. Audiant itaque Sanctum Gregorium , ſive Auctorem lib. 6. Commentar. in lib. Regum inter ejus opera , ſic eos hortantem : „ Vindicta peccati „ quaſi medicina eſt , ut apoſtema reatus , quod „ converſione compungitur , confitendo purgetur , „ affectioniſque medicina ſanetur. Signum ergo „ veræ converſionis non eſt in oris confeſſione , „ *ſed in afflictione* Pœnitentiæ. Tunc namque „ bene converſum peccatorem cernimus , cum di- „ gna afflictionis auſteritate delere nititur , quod „ loquendo confitetur. Unde Joannes Baptiſta „ male converſos Judæos ad ſe confluentes incre- „ pans ait : *Genimina viperarum , quis oſtendet* „ *vobis fugere a ventura ira ? Facite ergo dignos* „ *fructus Pœnitentiæ.* In fructu ergo , non in „ foliis , aut ramis Pœnitentia cognoſcenda eſt. „ Quaſi arbor quippe bona voluntas eſt. Con- „ feſſionis ergo verba quid aliud ſunt , niſi fo- „ lia ? Non ergo nobis folia propter ſe ipſa , „ ſed propter fructum expetenda ſunt ; quia id- „ circo omnis Confeſſio peccatorum expetitur , ut „ fructus pœnitentiæ ſubſequatur. Unde & Do- „ minus arborem foliis decoram , fructu ſterilem „ maledixit , quia confeſſionis ornatum non re- „ cepit ſine fructu afflictionis “. Et revera quis eos credat vere pœnituiſſe , qui Deo ſatisfacere detrectant ? Nam , ut inquit Sanctus Auguſtinus epiſt. 54 al. 183. nihil aliud agit , quem veraciter pœnitet , niſi ut quod male fecerit impunitum eſſe non ſinat. Eo quippe modo ſibi non

non parcente, ille parcit cujus altum, juſtumque judicium nullus contemptor evadit. „ Sunt „ enim (ſubdit in Pſalm. 50. vitæ quædam gra„ via, & mortifera, quæ niſi per *vehementiſſimam* „ *moleſtiam* humiliationis cordis, & contritionis „ ſpiritus, & *tribulationis Pœnitentiæ* non laxan„ tur, nec dimittuntur per claves Eccleſiæ. Si „ enim tu te cœperis judicare, ſi tibi cœperis „ diſplicere, Deus veniet, ut miſereatur. Si „ tu te punire volueris, parcet ille. Qui au„ tem agit pœnitentiam, ſui punitor eſt. Sit „ oportet ipſe ſeverus in ſe, ut in eum ſit miſe„ ricors Deus“. Unde merito Sanctus Baſilius in Pſalm. 32. ſic ad veram ſatisfactionem pœnitentes hortatur: „ Quoniam in corpore pecca„ vimus, quando membra noſtra ſerva peccati ad „ iniquitatem præbuimus, corpore item confite„ remur, eodem in peccati diſſolutionem uſi in„ ſtrumento. Maledixiſti? Benedices. Circum„ veniſti proximum in negotio? Redde. In „ ebrietatem cecidiſti? Jejuna. Arroganter & „ ſuperbe egiſti? Humiliare. Invidiſti? Con„ ſolare. Occidiſti? Martyrio ſubito, aut cer„ te quod martyrio æquivalere queat, per exo„ mologeſim proprium corpus affige. Tunc de„ mum poſt Confeſſionem dignus fueris, qui Deo „ pſallas in decachordo Pſalterio“.

II. At, quod magis lacrymas excutit, nimia eſt Miniſtrorum falſa benignitas, crudelis miſericordia. In Probabiliſtarum libris nihil inculcatur magis, quam in peccatores indulgentia, ne Confeſſio (inquiunt) per duras pœnitentias reddatur odioſa, ut per Confeſſiones frequentes, ad emendationem utiliſſimas, Sacerdotes medeantur peccatis per *medicinas benigniores*, quia benignæ pœnitentiæ plus proſunt, quam rigidæ: & denique Indulgentiarum uſus eſt modus ſatisfaciendi utilior, & certior, quam obſervatio Canonum Pœnitentialium. Sed iſtorum ora obſtruunt Catechiſmi Romani ſapientiſſimi Auctores, dum e contra lamentantur Par. 2. cap. 5. num. 67. „ Quod, poſtquam tantum de veteris „ diſciplinæ ſeveritate remiſſum eſt, atque ita „ *Caritas frigeſcit*, ut jam plerique ex fideli„ bus ad peccatorum veniam impetrandam nullum „ intimum animi dolorem, atque gemitum cor„ dis neceſſarium putent, illud ſatis arbitren„ tur, ſi ſpeciem tantum dolentis habeant“. Sic illos redarguit Sanctus Cyprianus de Lapſis vociferans: „ Quam magna deliquimus, tam „ granditer defleamus, alto vulneri diligens, „ & longa medicina non deſit, Pœnitentia cri„ mine minor non ſit .... Qui peccantem blan„ dimentis adulantibus palpat, peccandi fomi„ tem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta, ſed „ nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit, „ promovet ad ſalutem. *Quos diligo* (inquit „ Dominus) *redarguo*, *&* *caſtigo*. Sic opor„ tet & Dei Sacerdotem non obſequiis decipien„ tibus fallere, ſed remediis ſalutaribus provi„ dere ..... Aperiendum vulnus eſt, & ſecan„ dum, & putaminibus amputatis medela for„ tiore curandum. Vociferetur, & clamet, li„ cet æger impatiens per dolorem, gratias aget „ poſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem. Emerſit „ enim, fratres chariſſimi, novum genus cla„ dis, & quaſi parum perſecutionis procella ſæ„ vierit, acceſſit ad cumulum ſub *miſericordiæ ti*„ *tulo* malum fallens, & blanda pernicies. Contra „ Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei „ legem, temeritate quorumdam laxatur incau„ tis communicatio, irrita & falſa pax, *periculo*„ *ſa dantibus*, & nihil accipientibus profutura. „ Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram „ de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de pec„ catoribus excuſſa eſt, graviſſimi, extremique „ delicti memoria ſublata eſt: operiuntur morien„ tibus vulnera, & plaga lethalis altis, & pro„ fundis viſceribus infixa diſſimulato dolore con„ tegitur“.

III. At inquiunt, hæc vetuſtiſſimæ ſunt, & rigidæ diſciplinæ lamenta; modo alia plane diverſa, & mitior viget in Eccleſia conſuetudo. Verum & fallunt, & falluntur; mitior ſiquidem diſciplina ſpiritum Pœnitentiæ non abſtulit, „ Sed falſas (inquit Concilium Romanum ſub „ Gregor. VII. celebratum) Pœnitentias dici„ mus, quæ non ſecundum auctoritatem San„ ctorum Patrum pro qualitate criminum impo„ nuntur“. Et Concil. Pariſienſe VI. docet: „ Quoniam multi Sacerdotum partim incuria, „ partim ignorantia modum Pœnitentiæ reatum „ ſuum confitentibus ſecus, quam jura Canoni„ ca decernunt, imponunt, utentibus quibuſ„ dam codicillis contra canonicam auctoritatem „ ſcriptis, quos Pœnitentiales vocant, & ob id „ non vulnera peccatorum curant, ſed potius „ fomentis palpant, incidentes in illud prophe„ ticum, *væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cu*„ *bito manus*, *&* *faciunt cervicalia ad decipien*„ *das animas* .... Presbyteri imperiti ſolerti „ ſtudio ab Epiſcopis ſuis inſtruendi ſunt, qua„ liter & confitentium peccata diſcrete inquire„ re, eiſque congruum modum, ſecundum ca„ nonicam auctoritatem Pœnitentiæ noverint im„ ponere. Quoniam hactenus eorum incuria, „ & ignorantia multorum flagitia remanſerunt „ impunita; & hoc ad animarum ruinam per„ tinere dubium non eſt“. Audiant denique ex Sancto Carolo præſentis temporis ſervandam diſciplinam, quam ille in Inſtruct. Confeſſar. ſic exponit: „ Cum hæc Parochus pro pruden„ tia, caritateque ſua ſpectabit, tum vero ma„ xime videbit, ut ne pro peccatis gravibus le„ viſſimas pœnitentias imponat, id quod & Con„ feſſoribus, & Pœnitentibus periculoſum eſt, cum „ id a Sacris litteris, & Conciliorum Decretis, „ & a Sanctorum Patrum ſententia alienum ſit. „ Nam divinæ litteræ ab iis, qui pœnitentiam a„ gunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos Pœ„ nitentiæ faciant, utque ad Dominum convertan„ tur in jejunio, fletu, & planctu. Et vero qui „ peccatis gravioribus leves quoſdam Pœnitentiæ „ modos imponunt, hi conſuunt pulvillos ſub o„ mni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub ca„ pite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Im„ mo Concilium Tridentinum docet, alienorum „ peccatorum participes fieri eos Confeſſores, qui, „ dum cum Pœnitentibus indulgentias agunt, le„ viſſima quædam opera pro graviſſimis delictis „ injungunt“.

IV. Rogo itaque (cum piiſſimo Cardinali Aguirre Diſſ. 8. de Inſtauratione priſcorum Canonum Excur. 4.) ego Sacerdos nimium indignus, & olim,

,, & olim , ac diu fortaſſe minus caute verſa-
,, tus in excipiendis Confeſſionibus multorum, &
,, remiſſus in ſatisfactionibus imponendis : Ro-
,, go, inquam per viſcera miſericordiæ Jeſu Chri-
,, ſti quosvis alios Confeſſarios , ut reflectamus
,, omnes ad verba Concilii Tridentini , cum Spi-
,, ritu Sancto in ea dogmatica Seſſione loquentis .
,, Conſideremus identidem illorum gravitatem ,
,, & ſi forte in ea parte deliquimus , ac alieno-
,, rum peccatorum participes facti fuimus ob im-
,, becillitatem , ac deſidiam noſtram , faciamus
,, dignos pœnitentiæ fructus , ſtudeamuſque de ce-
,, tero , ut & alii pariter illos faciant . Alio-
,, quin & ipſi pſeudo-pœnitentes ob deſidiam no-
,, ſtram relabantur , dicaturque de nobis multo
,, potiori jure , quam de Sacerdotibus quibusdam
,, Hiſpaniæ in hoc canone 12. Concil. Tolet. III.
,, ſæpius laicis tribuendo deſidioſam pœnitentiam,
,, ad lamentanda rurſum facinora poſt acceptam
,, pœnitentiam relabuntur " .

DISSERTATIO V.

DE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ MINISTRO.

PLura ſunt, quæ in ſacro Pœnitentiæ Miniſtro ad valide, licite, digne, utiliter hoc Sacramentum miniſtrandum requiruntur: nec a vero aberravero, ſi dixero omnes penes virtutes in ipſo requiri, & quidem in gradu non tenui, nec medio:ri, ſed magno, & ſummo. Difficile ſiquidem arduum, ſublime, & divinum eſt hocce miniſterium, in quo homo & divinum æmulatur judicium, & divinam adæquat omnipotentiam. Quis enim, *dicebant merito Judæi*, poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? *Et denique divinæ viſcera miſericordiæ induit. Triplex ab eo eſt munus exercendum Judicis, Doctoris, & Medici: quamobrem ſapientia indiget, doctrina, & peritia. De his itaque ejus officiis in hac Diſſertatione diſputabimus, in quibus omnia amplectemur, quæ ad Tyronum inſtructionem neceſſaria, utilia, opportuna judicabimus.*

CAPUT PRIMUM.

De Miniſtro Confeſſionis, & ſcientia requiſita ad judicis officium rite exercendum.

DOCTRINA.

I. *Solis Epiſcopis, & Presbyteris conceſſa abſolvendi a peccatis poteſtas.*
II. *Oſtenditur Scripturarum teſtimoniis, & traditione Eccleſiæ.*
III. *Scientia neceſſaria eſt Confeſſario.*
IV. *Quinam ea careant.*
V. *Quæ neceſſario noviſſe debet Confeſſarius.*
VI. *A Probabiliſtarum doctrinis abhorrere.*
VII. *Qualis, & quanta ſit ſcientia neceſſaria Confeſſariis.*
VIII. *Animi fortitudo Confeſſario neceſſaria.*
IX. *Nulla ſpe, vel timore, vel temporali reſpectu moveatur.*

I. SOlis Epiſcopis, & Presbyteri convenit poteſtas abſolvendi a peccatis. Hanc catholicam veritatem inficiati ſunt Waldenſes, & Wicleſiſtæ, inter quorum errores Hiſtorici, & præſertim Rayneri s lib. 5. illum referunt, quo affirmabant, bonos Laicos, non malos Sacerdotes, jus habere, & poteſtatem abſolvendi a peccatis. Quare Concilium Conſtantienſe hanc Wicleffi propoſitionem damnavit: *Laicum, ſi vir frugi fuerit, clavium poteſtate a Chriſto accepiſſe.* Hanc hæreſim adoptarint XVI. ſeculi Novatores, teſte Pallavicino, qui in Hiſtoria Tridentini Concilii lib. 12. cap. 1. narrat, inter articulos examini, & definitioni Patrum propoſitos, hunc quoque locum habuiſſe, videlicet Sacerdotes non habere poteſtatem ligandi, & ſolvendi, niſi Spiritus Sancti gratia, & caritate ſint præditi; & non eos ſolos eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſtianis eſſe dictum, *Quæcumque ſolveritis* &c. quorum verborum virtute abſolvere poſſunt a peccatis.

II. At hunc errorem rejiciunt & Sacræ Scripturæ teſtimonia, & perpetua Eccleſiæ, & SS. PP. traditio. Scripturæ ſiquidem ligandi, atque ſolvendi poteſtatem ſolis concedunt Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, quos ſolum in perſona Apoſtolorum alloquebatur Chriſtus Dominus. Quare optime docuit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 1. „ Dominus Sacramentum Pœni„ tentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis „ excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: „ Accipite Spiritum S., quorum remiſeritis pec„ cata &c. Quo tam inſigni facto, & verbis tam „ perſpicuis poteſtatem remittendi, & retinendi „ peccata ad reconciliandos fideles poſt Bapti„ mum lapſos Apoſtolis, & eorum legitimis ſuc„ ceſſoribu fuiſſe communicatam, univerſorum „ Patrum conſenſus ſemper intellexit". Quamobrem traditionem Eccleſiæ ad catholici dogmatis confirmationem ſtatim adducimus. Et 1. quidem omnia & Orientalium, & Occidentalium Eccleſiarum Euchologia, & Ritualia proferimus, in quibus & modus, & forma Pœnitentiæ Sacramentum conferendi præſcribitur, & nemini præter Sacerdotes hocce miniſterium, & poteſtas tribuuntur. 2. Omnium plane Conciliorum in hoc adſtruendo dogmate conſenſum, quæ quotieſcumque de Clavium poteſtate meminerunt, ſemper hanc ſolis Sacerdotibus convenire diſertiſſime affirmarunt. 3. Denique Patrum omnium ſeculorum teſtimonia, qui ubique in ſuis libris, homiliis, tractatibus, ubi de Pœnitentia loquuntur, clamant, inculcant poteſtatem ſolvendi, & ligandi ſolis Sacerdotibus fuiſſe a Chriſto conceſſam. Origenes hom. 2. in Lucam ſcribit: „ Eſt adhuc ſeptima „ licet dura, & laborioſa per Pœnitentiam remiſ„ ſio peccatorum, cum non erubeſcis Sacerdoti „ indicare peccatum tuum". S. Cyprianus lib. de Lapſis loquens de illis, qui in corde ſuo thura Idolis offerre decreverunt, ſcribit: „ Quoniam „ de hoc cogitarunt, hoc ipſum apud Sacerdotes „ Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes exomo„ logeſim conſcientiæ ſuæ faciant". S. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 20. poteſtatem peccata remittendi in ſola Chriſti Eccleſia reperiri affirmat, quia inquit: „ Hoc jure ſibi vendicat Ec„ cleſia, quæ veros Sacerdotes habet; hæreſis ven„ dicare non poteſt, quæ Sacerdotes Dei non ha„ bet". Et paulo poſt: „ Jus hoc ſolis permiſſum „ eſt Sacerdotibus". S. Jo. Chryſoſt. lib. de Sacerd. latiſſime de hac poteſtate diſſerit, expendens ſuperius adducta Chriſti Domini verba, & ex hoc

ca-

capite excelſam, ac ſublimem Sacerdotis dignitatem extollit. Innoc. I. epiſt. ad Decentium cap. 7. „ Ceterum de pondere æſtimando deliſtorum Sacerdotis eſt judicare “. S. Leo M. epiſt. 82. „ Mediator Dei, & hominum Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus pœnitentiæ actionem darent, & eoſdem ſalubri confeſſione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent “. Idem docent & ceteri Patres, a quorum teſtimoniis recitandis abſtineo brevitatis gratia; tum quia legi poſſunt apud Polemicos Theologos; tum quia plura recitavimus in ſuperioribus Diſſertationibus, cum & de poteſtate Clavium, & de neceſſitate Confeſſionis diſſeruimus. Solum poſtremo loco addimus Tridentini Concilii Canonem, quo catholicam veritatem definivit, ſtatuens: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali exiſtunt, poteſtatem ligandi, & ſolvendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum*, quæcumque ligaveritis ſuper terram &c. *quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata... anathema ſit.*

III. Conſtituti itaque Judices Presbyteri, qui ligare debent, & ſolvere, duplici indigent virtute, ut a ſemita æquitatis in ſuis judiciis non abſcedant: *Scientia* ſcilicet, per quam leges probe calleant, ad quarum amuſſim ſua proferant judicia; & fortitudine, qua omni prorſus abjecto humano reſpectu, quod juſtum eſt, decernant. Et quidem ſcientiæ neceſſitatem adſtruunt Canones Eccleſiæ. Can. *Qui vult*, diſt. 6. de Pœnit. indicitur: „ Caveat ſpiritualis judex ... ut non careat munere ſcientiæ. Oportet enim, ut ſciat cognoſcere, quidquid debet judicare: judiciaria enim poteſtas hoc expoſtulat, ut, quod debet judicare, diſcernat “. Hinc merito conqueritur S. Greg. in Paſtor. p. 1. „ Nulla ars doceri præſumitur, niſi intenta prius meditatione diſcatur. Ab imperitis ergo paſtorale miniſterium qua temeritate ſuſcipitur, quoniam Ars eſt artium regimen animarum? Quis autem cogitationum vulnera occultiora eſſe neſciat vulneribus viſcerum? Et tamen ſæpe qui nunquam ſpiritualia præcepta cognoverunt, cordis ſe medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum jura neſciunt, videri Medici carnis erubeſcunt “. Porro ſcientiam ſuam haurire debent a Sacra Scriptura, a Conciliis, a Patribus, & ab Eccleſiæ Doctoribus; hi enim ſunt veri fontes ſcientiæ, & ſapientiæ, ex quibus occurrentium caſuum deciſiones haurire debent. In his diutius immorandum non eſt; fuſius enim diſputatum eſt in Prodromo ad hanc Moralem Theologiam, ubi & qua cautione legendi ſint recentiorum Caſuiſtarum libri, late explicavimus.

IV. Falſo ſibi blandiuntur de ſufficienti ſcientia pro judicio Confeſſionis, qui ſolum aliquem Caſuiſtam legerint, & ejuſdem doctrinas in mente habent. Hoc quidem ſufficere autumant plures benigniores Caſuiſtæ cauſam ſuam agentes. Unde ſcribit Lacroixius: „ Putant Llamas, & Stoz ad hoc munus (Confeſſarii) *ſatis doctos* eſſe illos, qui Summam Caſuum diligenter legerint, aut attente audierint explicari “. At non ita ſentiunt cordatiores Theologi. Audiatur S. Bonaventura in Prologo ſui Confeſſionalis ſic dicens: „ Cum ſecundum D. Gregorium, cura Paſtoralis ſit Ars Artium regimen animarum, & occultiora ſint vulnera cogitationum, quam viſcerum, horrendum profecto eſt, videre Sacerdotes noſtri temporis, qui ſacram Scripturam, in qua præfati regiminis ars ſufficientiſſime traditur, & jura Canonica, & ſcripta Doctorum, in quibus pleniſſime declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam neſciunt, & tamen cordis Medicos in audiendis Confeſſionibus ſe profiteri impudenter non metuunt. Talium ergo Deo odibili ignorantiæ per obedientiam, ut dixi, compulſus ſubſcripta informatione ſimplici ſtudui, ſicut potui, quamvis non ut debui, ſubvenire “. Immo non ſemper adprobatio ab Epiſcopo facta, eſt idoneum argumentum ſufficientis ſcientiæ. Nam, ut optime obſervat ipſe Segnerius in laudato Opere de Confeſſ. Inſtruct. ipſa adprobatio ſcientiam ſupponit, non confert, nec oculos præbet cæco. Quamobrem qui novit ſe ſufficienti ſcientia carere, conceſſa poteſtate uti non debet: quod ſi dubitet de ſua ſufficientia, ſi dubium ſit ſcrupuloſum, quia ſtudio, & diligentia navavit operam, & ſolum timet, ne ſibi ſtatim doctrinæ occurrant, vel eas peculiaribus caſibus aptare ſciat, ex conſilio ſui Directoris dubium deponat, & ſacrum exerceat miniſterium. At ſi dubium prudens ſit, vel quia non ſatis ſtuduiſſe certo novit, vel ſe hebetis agnoſcit ingenii, inepti ad rite diſcernenda peccata, vel ad Pœnitentes inſtruendos, monendos, corrigendos, profecto abſtinere debet, ſaltem dum interim ſufficientem ſibi comparet ſcientiam, & Sacrorum librorum lectione adjumenta ſibi præparet ad Pœnitentes cum fructu erudiendos.

V. Quæ neceſſario noviſſe debet Confeſſarius, exponit S. Carolus Borromæus in Inſtructionibus de Sacramento Pœnitentiæ ſcribens: „ Quoniam Confeſſarius Miniſter Judicis, & Medici ſimul perſonam gerit: ut &, quod ad Judicem attinet, ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ levia ſint, quove modo corrigenda, pro cujuſvis hominis ordine, & genere judicare poſſit .... In primis Sacramenti hujus doctrinam omnem recte noſſe ſtudebit, ita ut quæ illius ratio, qui effectus, quæ illius partes, quæ illarum partium vis, & natura, perite intelligat. Quæ peccata mortalia, & quæ venialia cognoſcat. Peccati circumſtantias ſciat, quæ præſertim mutant ſpeciem, & quæ in Confeſſione explicandæ ſunt, quæ reſtitutionis onus inducunt. Cenſurarum rationem, & vim recte intelligat, & quibus criminibus illæ annexæ ſint. Caſus reſervatos in promptu habebit, ita ut recte ſciat, qui jure Canonum Summo Pontifici, qui rurſus Epiſcopo reſervati ſunt. Differentiam ſatisfactionum pœnitentialium etiam probe noſcat, ac præterea Canones Pœnitentiales, ut infra ordine Decalogi explicatos. Memoria tenebit caſus, quibus Confeſſio ſit iteranda. Cognitum etiam habere debet Confeſſarius omnis, ac præterea animadvertere, antequam ad audiendas Confeſſiones accedat, quanta ſit auctoritas, poteſtaſque juriſdictionis ſuæ, ita ut cum novit & quos, & a quibus peccatis, cenſuriſque abſolvere poſſit, tum etiam caveat, ne facultatis ſuæ fines prætergrediatur.

VI. A doctrinis Probabiliſtarum, eorumque pernicioſo ſyſtemate abhorrere quam maxime debet. Hujus doctrinæ veritatem luculentiſſime oſtendunt, quæ diximus in Tract. de Ratione humana Diſſ. 1. cap. 3. & 4. nec non tota Diſſ. 3. Extrema tamen rigoris, & laxitatis declinare, debet, ut docet S. Auguſtinus in Pſalm. 118. ſcribens: „ Parum, & „ nimium duo ſunt inter ſe contraria. Parum eſt, „ quod minus eſt, quam oportet; & nimium eſt, „ quod plus, quam oportet. Horum in medio mo„ dus eſt, quod dicitur *ſatis eſt*, & utique utile „ eſt, ut in vita, & in moribus non plus, quam „ oportet, nihil omnino faciamus “. At quis ita ſapiens, ut hoc medium invenire queat in tanta præſertim Magiſtrorum frequentia, ac diſſenſione? Ipſe profecto non aliam viam ſuggerere poſſum, quam ipſe in praxi conſtanter teneo, ſcilicet S. Thom., Probabilioriſtarumque doctrinis adhæreo, in eorum aliquibus, licet paucis, diſſenſionibus veritatem coram Deo quærendo, argumenta, rationes expendo, quos me doctiores agnoſco, conſulo, ſi veritatem, vel quod magis illi accedit, reperio, acquieſco, ſin minus, quod tutius eſt, ſequor, & amplector.

VII. Scientia non æqualis, & eminentiſſima exigitur in omnibus Confeſſariis. Certum eſt enim, nec omnes eſſe poſſe doctiſſimos, nec ſolos peritiſſimos eſſe debere Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtros; alioquin populi chriſtiani neceſſitati conſulere, & auxiliari non poſſent ſupremi Eccleſiæ Paſtores: ſed ſufficit mediocris, & conveniens tum abſolute, tum reſpective: abſolute quidem, ut explicat Innoc. IV. in cap. *Cum in Cunctis*, Extra. de Elect. & Elect. poteſt. „ Scientiam reputamus eminentem, quæ „ ſubtiles quæſtiones diſcutere, & definire novit, „ & in promptu reſponſiones habet. Ille habet „ mediocrem, quæ ſcit aliquo modo examinare „ negotia, quamvis ad omnia neſciat reſpondere, „ & qui in libris veritatem eorum, quæ ſcire te„ netur, ſcit quærere, etſi in promptu omnia „ non habeat “. Et hanc ſufficere docet S. Thom. in IV. Sent. diſt. 17. in explicatione textus dicens: „ Hæc ſcientia, etſi non ſit major, tamen tanta „ debet eſſe, ut ſciat diſtinguere inter peccatum, „ & non peccatum, vel etiam inter peccatum mor„ tale, & peccatum veniale: quod ſi in aliquo „ erit dubitatio, poſſet ad diſcretiores recurrere “. Reſpective vero in ordine ad loca, & perſonas, quorum conſcientias regere debet. Quis enim non noverit, majorem requiri ſcientiam in Confeſſariis majorum urbium, quam pagorum, oppidorum, villarum, & in illis, qui Mercatores, Proceres, Magiſtratus dirigunt, quam qui ruſticorum, fœminarum, & vilioris popelli confeſſiones excipiunt? In omnibus tamen ea certe requiritur ſcientia, quam n. 4. ex D. Caroli Inſtructionibus exſcripſimus.

VIII. Præter ſcientiam requiritur, ſicut in judice temporali, ita in ſpirituali infracta animi fortitudo, qua omnes humanos reſpectus contemnat, nihilque aliud ſincere, & ex animo quærat, quam Deum, & ſalutem animarum, non plauſus curet, non exiſtimationem in populo, non Pœnitentium frequentiam amet, qui ſi Rigoriſta, vel Janſeniſta audiat, non turbetur, non moveatur. Talis ſit, qualem ſibi quærebat, & exoptabat Princeps quidam, ut narrat P. Albertus de Albertis Paradox. diſp. 2. cap. 9. nu. 63. „ Audivi ego (ſcribit) Me„ diolani in Templo Roſæ ex ore P. Campana ce„ leberrimi ex Ordine Dominicano Concionatoris „ in publica Concione apophthegma de quodam „ Principe pulcherrimum, qui cum Sacerdotem, „ quem ſibi Confeſſarium cupiebat deligere, quæ„ reret, ajebat illum ea conditione præditum vel„ le, non qui timeret Principem, ſed qui Principi „ timorem incuteret. O aureum dictum, non quo„ vis tantum Principe, ſed Principum ſapientiſſi„ mo Salomone digniſſimum! Qui Confeſſarii mu„ nere rite fungi vult, neceſſe omnino eſt, ne „ quemquam, aut ullum ſuorum, vel ſuarum Pœ„ nitentium metuat, nec vereatur ullum, ullam„ ve... amittere, vel dimittere. Quo virili ani„ mo imbutus Confeſſarius humana ſpernens, fa„ ciem hominum formidare neſcius, Deique glo„ riam, & animarum bonum dumtaxat ſpectans, „ pœnitentes qui monendi ſunt, libere monebit, „ a via perditionis removebit, opportunis remediis „ imbecillos curabit “.

IX. Abſit etiam oportet cujuſcumque temporalis emolumenti vel ſui, vel ſuorum ſpes omnis, & deſiderium. Et hic quoque aliud proderit exemplum proferre, adductum a ſapientiſſimo, & piiſſimo Cardinali Borromæo in ſua III. Concione ad cœtum Confeſſariorum. Sic enim ajebat ille italico ſermone, quod latine reddo: „ Vixit non multis „ ab hinc annis in celebri Italiæ urbe nobilis Ma„ trona, quæ ob nimiam cum viro paris nobilita„ tis familiaritatem ſcandalum afferebat: quamob„ rem Confeſſarius eam amplius non audire, ſed „ dimittere ſtatuit. Quod cum mulieri denuntiaſ„ ſet, illa multum conturbata eſt, plurimas produ„ xit in ſui excuſationem rationes, & argumenta, „ quæ omnia ſapienter refutavit ſacer Miniſter, „ concludens denique ſe nec poſſe, nec velle eam „ abſolvere, niſi ſcandalum prius removeret, eam „ a ſe dimiſit. Hanc dimiſſionem acerbe tulit „ Matrona, & Confeſſario reſpondit: Pater, quo„ niam tu me dimittis, diſcedam; at ſcito, me „ in animo meo ſtatuiſſe, hanc tuam Eccleſiam „ totam auream reddere velle, & argenteam: non „ deerunt proinde, qui me benignius excipient. „ Ad quæ verba juſto zelo excandens, torviſque „ oculis Matronam inſpiciens reſpondit Sacerdos: „ Perverſa mulier, tibi merito convenit Apoſtoli „ dictum, *pecunia tua tecum ſit in perditionem*, „ *quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſide*„ *ri*: & ſurgens a ſacro Tribunali tacitus diſceſ„ ſit. O ſancta Clauſtra, & Monaſteria (exclamat „ piiſſimus Cardinalis) ſi talibus abundarent Re„ ligioſis! O felices populi, ſi talibus ſemper re„ gerentur Paſtoribus! “ Nam quod Confeſſariorum fortitudinem frequentius frangit, eſt perverſa iſta ſpes, & deſiderium alicujus temporalis emolumenti, quæ eo ſuavius decipit, quia illud non in ſui cedit emolumentum, ſed Eccleſiæ, ſed Monaſterii. Audiatur etiam piiſſimus Albertus de Albertis l. laud. ſcribens: „ Ubi Confeſſarius „ in metu eſt, ne detecta veritate, & paterna mo„ nitione adhibita pœnitentes alienet, atque hæ „ alium ſibi Confeſſarium adoptent, in magno ſa„ ne damnationis æternæ periculo tam Confeſſarius „ ipſe, quam Pœnitentes verſantur. Nam hujuſ„ modi Confeſſarius urgenti diſcrimini ſemper ob„ jectus eſt, ne hujuſmodi anxio timore, qui

to-

„ totus ex aliqua caducæ rei cupiditate, quæſtu-
„ que fallente, excæcante, illaqueante verita-
„ tem, quam aperire deberet, ſupprimat, occa-
„ ſionibus proximis interdicere negligat, opinioni-
„ bus, quæ vere probabiles non ſint, innitatur,
„ non ſalutem pœnitentium, ſed propria lucra, &
„ commoda ſectetur, atque ita propriam conſcien-
„ tiam illaqueet; cumque ſub mortali admonere
„ tenetur, ignave diſſimulet, atque ita animam
„ ſuam ipſe perdat, unaque plurimas aliorum, at-
„ que aliarum, quibus dux ad ſalutem eſſe debue-
„ rat ".

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Nunquam Diaconis conceſſa poteſtas abſolvendi a peccatis.*

II. *Non ſemper defectus ſcientiæ in Confeſſario nullam reddit abſolutionem.*

III. *Non eſt neceſſe ad valorem abſolutionis determinatum judicium de qualitate, & quantitate peccatorum.*

IV. *Sufficit ad valorem abſolutionis notitia ſtatus Pœnitentis.*

V. *Non tenetur ſequi opinionem probabilem Pœnitentis.*

VI. *Num aliquando poſſit Pœnitentis opinioni ſe accommodare?*

Conſectarium Primum.

I. Nunquam Diaconis conceſſa fuit poteſtas abſolvendi a peccatis. Oppoſitum docet Morinus, qui putat urgente neceſſitate in Eccleſia Latina Diaconibus factam aliquando poteſtatem Pœnitentium Confeſſionem excipiendi, eoſque a peccatis abſolvendi. Suam doctrinam nonniſi aliquorum Patrum, & Conciliorum dictis fulcit. S. Cyprianus epiſt. 13. de Pœnitentibus ſic ſcribit: „ Si incom-
„ modo aliquo, & periculo occupati fuerint, non
„ expectata præſentia noſtra, apud Presbyterum
„ quemcumque præſentem, vel ſi Presbyter re-
„ pertus non fuerit, & urgere exitus cœperit,
„ *apud Diaconum* quoque exomologeſim facere de-
„ licti ſui poſſint, & manu eis in pœnitentiam im-
„ poſita veniant ad Dominum cum pace ". Nomine vero exomologeſis apud Cyprianum Pœnitentiam ſignificari nullus eſt, qui ambigat. 2. Synodus Illiberitana ſub initium IV. ſeculi can. 13. ſanxit, „ *poſſe Diaconum*, ſi Sacerdos juſſerit,
„ dare pœnitentibus Communionem ". 3. Alcuinus, Ordo Romanus, aliique primæ ætatis Scriptores, immo Concil. Eboracenſe an. 1194. & Londinenſe an. 1200. paſſim docent, in abſentia Epiſcopi, & Presbyteri, *a Diacono* deberi ſuſcipi Pœnitentes, & ſancta Communione donari. 4. In jure quoque Canonico Cap. *Fures*, Extra. de Furtis 5. Decret. tit. 18. ſtatuitur: „ Fures, & latro-
„ nes, ſi in furando, & deprædando occiduntur,
„ viſum eſt pro eis non eſſe orandum; ſed ſi
„ comprehenſi, & vulnerati Presbytero, *vel Dia-*
„ *cono* confeſſi fuerint, communionem eis non ne-
„ gamus ". Addit & rationem ex Sacramenti neceſſitate deſumptam: nam ſicut, inquit, quilibet eſſe poteſt Miniſter Sacramenti Baptiſmi, quia eſt ſummæ neceſſitatis; ita ſaltem Diaconis eſt concedendum, ut in pari extremæ neceſſitatis gradu liceat abſolutionem impartiri. Verum adducta teſtimonia commode interpretantur Theologi de abſolutione non a peccatis, ſed a Cenſuris, & pœnitentiæ implendæ onere. Quamobrem facultas a S. Cypriano conceſſa Diaconis excipiendi Pœnitentium exomologeſim, & manus eis imponendi in mortis articulo, non ſignificat, eos potuiſſe Sacramentaliter abſolvere, ſed ſolum a Canonicis pœnis, & ſatisfactoriis pœnitentiis in mortis articulo conſtitutos pœnitentes ſolvere, & per manuum impoſitionem non a culpis, ſed a Canonica pœnitentia, & privatione Euchariſtiæ liberare, ſeu ſolutos declarare. Nec negotium faceſſat vox *Exomologeſis*, qua utitur Sanct. Cyprianus, hæc enim etiam apud ipſum, & alios antiquiores Patres æquivoca eſt; modo enim totam Sacramentalem denotat actionem; modo ſolum publicam Confeſſionem; modo tantum canonicam reconciliationem, vario propterea in ſenſu ſumenda juxta locorum exigentiam, nunquam vero contra Eccleſiæ doctrinam interpretanda. 2. Canon vero Illiberitani Concilii non de Sacramentali Pœnitentia loquitur; ſed de Sacramenti Euchariſtiæ miniſtratione, quam a Diaconis concedi poſſe & priſca, & præſens etiam Eccleſiæ diſciplina admittit. 3. Similiter Alcuinus, Ordo Romanus, & laudata Concilia ſolum concedunt Diaconis, dum dicunt eos poſſe Pœnitentes ſuſcipere, ut in abſentia Presbyterorum valeant eos a Cenſuris, aliiſque vinculis, quibus fortaſſis tenerentur, abſolvere; quam facultatem, cum ſit mere Eccleſiaſticæ juriſdictionis, etiam Diaconis convenire poſſe non inficiantur Theologi. Quod ſi quandoque inveniantur Diaconi peccatorum Confeſſionem excepiſſe, id eis conceſſum fuit non in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſed ad majorem Pœnitentis, ita cupientis, humiliationem, & internæ contritionis manifeſtationem; quod & apud Laicum fieri poſſe docet D. Th. hic q. 8. art. 2. Ceterum vetitum ſemper fuiſſe Diaconis ſacramentaliter Pœnitentes abſolvere, teſtatur idem Alcuinus lib. de Divinis Officiis ſcribens cap. de jejunio: *Claves Regni Cæleſtis ſolis Epiſcopis, & Presbyteris traditæ ſunt.* 4. Textus juris Canonici laudatus a Morino mendoſus eſt, nec legendum, *ſi Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint*, ſed, *ſi Presbytero, & Deo*, ſicuti legitur in Canone Concilii Triburienſis, ex quo textus ille depromptus eſt. Rationem vero a Morino adductam refellit D. Th. hic q. 8. a. 1. ad 2. ſcribens: „ Baptiſmus
„ eſt Sacramentum majoris neceſſitatis, quam Pœ-
„ nitentia quoad Confeſſionem, & abſolutionem;
„ quia quandoque Baptiſmus prætermitti non pot-
„ eſt ſine periculo ſalutis æternæ, ut patet in pue-
„ ris, qui non habent uſum rationis: ſed non eſt
„ ita de Confeſſione, & abſolutione, quæ tan-
„ tum ad adultos pertinet, in quibus Contri-
„ tio cum propoſito confitendi, & deſiderio ab-
„ ſolutionis ſufficit ad liberandum a morte æter-
„ na ".

Conſectarium Secundum.

II. Non ſemper defectus ſcientiæ in Sacerdote nullum reddit, & invalidum Sacramentum. Nam ſi

Pœnitens bona fide, & ſincere ſua crimina Confeſſario exponat, licet hic ex ſcientiæ deficientia diſcernere, & determinare neſciat, num lethalia ſint peccata, vel venialia, dummodo tamen certo noverit illum peccaſſe, nihil deeſt ad valorem Sacramenti: ſunt nimirum ex parte Pœnitentis actus requiſiti Confeſſionis, & doloris, & ex parte Miniſtris forma, & intentio abſolvendi. Fiet tamen invalida Confeſſio, ſi vel Confeſſarius ex defectu ſcientiæ abſolvat a reſervatis; nam ignorantia juriſdictionem non confert, ut ſuo loco dicemus; vel ſi ipſe Pœnitens mala fide, & data opera imperitum eligeret Confeſſarium, qui qualitatem ſuorum criminum dignoſcere non valeret, validum enim eſſet argumentum, ipſum non vere de ſuis peccatis pœnitere, & illorum velle gravitatem tegere, & in Sacramento occultare; proinde teneretur Confeſſionem repetere.

Conſectarium Tertium.

III. Neceſſe non eſt, ut Confeſſarius de ſingulis peccatis determinatum proferat judicium quantum ad ejus qualitatem, vel quantitatem. Quandoquidem plura ſunt peccata præcipue interna, quorum qualitatem nec ipſe Pœnitens novit: unde Pſalmiſta ait, *Delicta quis intelligit?* neſcit enim, num conſenſerit, vel non conſenſerit, utrum prompte rejecerit; ſimiliter num quæ ignorans admiſerit, ab ipſa ignorantia, niſi a toto, ſaltem a tanto excuſentur. Quod multo magis verum eſt de quantitate peccatorum, quæ vix, ac ne vix quidem, præcipue in generalibus, vel raris Confeſſionibus reperitur. Sufficit itaque, ſi Confeſſarius periculum Pœnitenti exponat peccandi lethaliter, & ea, quæ expoſuit, peccata vel eſſe fortaſſis mortalia, vel certe dici non poſſe ſolum venialia: quamobrem teneri vigilare, pugnare, ab ipſis toto ſtudio abſtinere: & ſimiliter exprobret negligentiam accedendi frequentius ad Confeſſionem, ex qua oritur illa culpabilis oblivio, quæ integritatem impedit Confeſſionis.

Conſectarium Quartum.

IV. Ut recte judicet, tenetur Confeſſarius omnia audire, & intelligere peccata, quæ Pœnitens in Confeſſione manifeſtat: dum tamen abſolvit, ſatisfactionemque injungit, neceſſe non eſt, ut diſtinctam ſingulorum notitiam habeat; ſed ſufficit, ut ſtatum Pœnitentis præſentem menti habeat. Et quidem teneri Confeſſarium omnia audire, & cognoſcere Pœnitentis peccata, eſt de ſe manifeſtum: ſicut enim Pœnitens ex divino præcepto tenetur omnia, & ſingula peccata clare, & diſtincte ſacro Miniſtro manifeſtare; ita & iſte illa audire, & cognoſcere eodem jure tenetur. Præterea rectum non poterit efformare judicium de ſtatu Pœnitentis, nec congruam imponere ſatisfactionem, ut inquit Tridentina Synodus, *niſi in ſpecie, & ſingillatim peccata cognoſcat.* Hinc peccant graviter Confeſſarii, qui ex negligentia, vel ignorantia lethalia peccata vel audire non curant, vel interrogando cognoſcere. Similiter non excuſantur a gravi culpa qui ſurdaſtri, vel dormientes, vel diſtracti non bene audiunt; qui cantu reſonante, quid Pœnitentes dicant, non intelligunt; qui Pœnitentem balbutientem, vel impeditum lingua non capiunt: nam tenentur vel a Confeſſionibus audiendis abſtinere, vel opportuniore loco, & tempore Pœnitentes audire: ſicut enim præfata impedimenta Pœnitentem non excuſant ab integra Confeſſione habenda; ita nec Confeſſarium ab integra eorum auditione, ad quam Confeſſio ordinatur. Immo bona fides Pœnitentem excuſare poſſet, qui hujuſmodi Miniſtris confiteretur, eorum vel infirmitatem, vel torporem, vel ignaviam ignorans: at non excuſat ipſum Miniſtrum, qui tenetur omnia removere impedimenta, quæ integram Confeſſionis auditionem, ac proinde & juſtum Sacramentale judicium impediunt. At, ſi opus ſit per plures vices longam Confeſſionem excipere, & etiam ad emendationis experimentum abſolutionem differre, neceſſe non eſt, ut tunc omnium, & ſingulorum recordetur peccatorum; cum hoc, niſi impoſſibile, admodum difficile ſit: ſed ſatis erit, auditis jam ſingillatim Pœnitentis peccatis, illius ſtatim ante mentis oculos habere, ut adhuc juſtum efformare poſſit judicium, & congruam imponere ſatisfactionem; quæ non ſingulis peccatis neceſſario reſpondere debet, ſed ſtatui, conditioni, & quantitati, ac qualitati criminum ſaltem in confuſo cognitorum aptanda eſt.

Conſectarium Quintum.

V. Non tenetur, nec debet Confeſſarius opinione probabili Pœnitentis ſe accommodare. Veritatem hujus doctrinæ evincunt ea omnia, quæ in Tract. de Ratione humana per plures Diſſertationes diximus, ad oſtendendum Probabiliſmum nec eſſe, nec eſſe poſſe rectam humanarum actionum regulam. Sed præſertim legantur, quæ habentur Diſſ. 3. cap. 9. conſect. 5. ubi oſtendimus, Confeſſarios probabiliſmum ſequentes munia Judicis, Medici, & Doctoris non recte implere, ſed in perniciem animarum exercere. Nam ut ſpirituales Judices tenentur multo magis, quam temporales, ſecundum probabiliorem ſententiam judicare: ut Medici propinare debent ſalutares medicinas, quæ ſpiritualium ægrotorum infirmitates curent. Doctrina autem probabiliſtica conducit ſuis benignioribus ſententiis ad excuſanda peccata, ad animi pravos affectus fovendos, ad paſſiones demulcendas. Ut Magiſtri debent ſanas, tutaſque doctrinas docere, ita urgente & divino, & naturali præcepto, cum hæ ſolæ per viam regiam veritatis ad Cælum valeant deducere. Semita vero Probabiliſmi fallax eſt, cum æquæ per veritatem, & falſitatem hominem ad ſalutem æternam pervenire poſſe falſiſſime doceat. Legatur totum præfatum Caput, & iteratæ lectionis non pœnitebit.

Conſectarium Sextum.

VI. Non licet Confeſſario ſe opinioni Pœnitentis acommodare, quamvis ipſi Pœnitenti probabilior videatur, & contraria Confeſſarii ſolum probabilis, quamdiu Confeſſarius in ſua opinione perſiſtit. Explicatur prima poſita doctrina. Contingere poteſt, ut Pœnitens vir doctus, & etiam pius, aliquam doctrinam ut probabiliorem teneat, quæ libertati faveat? Confeſſarius vero

ro ex oppoſito cenſeat contrariam doctrinam Legi faventem eſſe probabiliorem. Patet enim manifeſte & ipſos Probabilioriſtas inter ſe diſſidere, licet non probabilitatem pro regula habeant, ſed ſolam veritatem, vel doctrinam veritati proximiorem. Hic itaque Confeſſor ex Pœnitentis confeſſione detegit, ipſum ſequi opinionem, quam ipſe probabilius falſam reputat: monet itaque Pœnitentem, ut a praxi hujus ſententiæ recedat, qui reſpondet ſe rem expendiſſe, & pro certo comperiiſſe ſententiam ſuam, nedum probabilem, ſed & probabiliorem, & proteſtatur ſe Probabiliſmum deteſtari, & ſequi quod ſibi probabilius, & vero proximius apparet, proinde ſententiam ſuam prudenter eligere, nec ab ea ſe velle recedere. Quæritur igitur, num Confeſſarius, licet oppoſitam doctrinam & ipſe probabiliorem, veramque putet, Pœnitentis dictis acquieſcere poſſit, & in ſua ſententia perſiſtentem abſolvere. Non deſunt Theologi, qui id licere ſentiunt, inter quos eſt Petrus Collet, qui Tom. 1. pag. 187. decet: ſi Pœnitens opinionem ſuam multo probabiliorem, & veram judicare pergat, eum tunc abſolvi debere credimus. At oppoſitum mihi longe probabilius videtur, nec licere puto Confeſſario contra propriam mentem, & doctrinam Pœnitentem abſolvere. Et 1. quidem, quia ut exclamat S. Bonaventura in Confeſſ. cap. 4. *O inauditum philoſophandi genus! Judex ſententiam ferre debet ab arbitrium Rei, & Reus judicio Judicis obtemperare non tenetur?* 2. Judex debet judicare ſecundum leges, quarum ſi interpretatio dubia ſit, ſecundum id, quod ſibi probabilius, & veroſimilius apparet, ita definiente Innocentio XI. in damnatione 2. propoſitionis. Porro Confeſſarius, qui doctus hic ſupponitur, & pius, re diligenter expenſa judicat ſententiam ſuam probabiliorem eſſe, veritatique magis conformem. Quare igitur debet, immo poterit ſolum, propriam ſententiam deſerere, ut ſequatur alienam? Ratio aliqua ſit, oportet, quæ illum moveat; alioquin imprudenter mentem mutaret. At quænam ratio iſthæc, quæ ejus mentem mutet? Num argumenta, quæ pro pœnitentis opinione proferuntur? At hæc expendit, nec efficacia perſenſit. Num Theologorum, ſententiæ Pœnitentis faventium, auctoritas? At hæc eliditur auctoritate aliorum Theologorum, quos pro ſe ſtare jam probe novit. Num ipſius Pœnitentis & doctrina, & pietas etiam ſibi comperta? At merito timere poteſt Pœnitentem hallucinari, & occulta aliqua paſſione regi, aut præoccupatione duci; agitur enim de ſententia ſuæ libertati favente: non poteſt igitur ei cedere, nec ejus ſententiæ acquieſcere; proinde nec abſolutionem impertiri, ſed ad alium judicem remittere. Quod ſi Confeſſor minus peritus ſit, & ex ſola præoccupatione contrariæ adhæreat ſententiæ, cujus argumenta non bene expendit, poterit quidem Pœnitentis rationes audire; & ſi coram Deo nullo ductus humano reſpectu, deprehendat Pœnitentis doctrinam & ſolidioribus fulciri momentis, & ſua præconcepta opinione veritati proximiorem; tunc poterit ſententiam ſuam mutare, & Pœnitentis acquieſcere doctrinæ, quem tunc abſolveret, non contra propriam mentem atque doctrinam, ſed ex comperta ſibi, & cognita veritate, vel majori veriſimilitudine. At quamdiu propriam retinet ſententiam, contra eam judicare non poteſt: nam vel vera eſt; & ſic contra veritatem judicaret; vel erronee etiam ſi lubet, concepta; ſed contra conſcientiam etiam erroneam agere non licet, quæ ſi ſit invincibiliter erronea, etiam ipſum a culpa excuſabit; ſi vero ſit vincibilis, deponere quidem tenebitur, at ſolum veritate comperta, non aliena tantum ductus, & quidem ſuſpecta, auctoritate Pœnitentis, quæ illum ab una fortaſſis vera in aliam erroneam abducat. Quare jure merito Conventus Cleri Gallicani anni 1700. hanc regulam tamquam certam, firmam, & tutam ſtatuit: *Nemini licet eligere eam ſententiam, quam non veritati magis conſentaneam duxerit.* Nam ſubdit „ Quod in praxi eam nobis liceat ſequi ſententiam, quam nec ipſi, ut probabiliorem, eligendam judicamus, hoc novum, hoc inauditum, „ hoc certis ac notis Auctoribus poſtremo demum „ ſæculo proditum, & ab ipſis pro regula morum „ poſitum, repugnat huic effato a Patribus celebrato, *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus*, nec habere poteſt chriſtianæ regulæ ſecuritatem ". Quæ licet præſertim in Probabiliſtarum doctrinam dicta ſint, locum tamen obtinent & in noſtra poſitione; nam 1. Confeſſarius Pœnitentis ſententiæ acquieſcens *eligeret eam ſententiam, quam non veritati magis conſentaneam duceret.* 2. Quia *in praxi* reſpectu Pœnitentis *ſententiam ſequeretur, quam ipſe ut probabiliorem eligendam minime judicaret.*

CAPUT TERTIUM.

De juriſdictione in Confeſſario, ut Judice, requiſita.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit juriſdictionis poteſtas.*
II. *Neceſſaria eſt ad licite, & valide abſolvendum.*
III. *Duplex eſt, alia ordinaria, alia delegata.*
IV. *Quomodo delegata juriſdictio obtineatur.*
V. *Qui ordinariam habent juriſdictionem, ea uti poſſunt & in aliena Diœceſi, non vero qui delegatam.*
VI. *In articulo mortis quilibet Sacerdos abſolvere poteſt.*
VII. *Nullus ſimplex Sacerdos ſine licentia Epiſcopi valide Confeſſiones excipere poteſt.*
VIII. *Adprobatus ab Epiſcopo alicujus Diœceſis poteſt etiam aliorum Epiſcoporum ſubditos ad ſe venientes abſolvere.*
IX. *Regulares ad ſuorum Concellitarum Confeſſiones audiendas Epiſcopi adprobatione non indigent.*
X. *Prælati delegatam juriſdictionem valent certis limitibus circumſcribere.*
XI. *Juriſdictio putativa aliquando ſufficit ad valide abſolvendum.*
XII. *Juriſdictio dubia, & probabilis non ſufficit ad valorem Sacramenti.*
XIII. *Nec probabilior, quando certa haberi poteſt.*

I. DUplex in Sacerdote diſtinguenda poteſtas tum in ordine ad Pœnitentiæ Sacramentum,

tum, tum ad alia quædam Sacramenta: alia quæ *Ordinis* dicitur; alia *juriſdictionis*. Prior eſt illa, quæ in ipſa ordinatione confertur, & characterem in anima per Sacramenti ſuſceptionem impreſſum comitatur, quando Epiſcopus ordinato manus imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittentur eis* &c. Poſterior vero juriſdictionis in facultate conſiſtit regendi, & gubernandi ſpiritualiter ſubjectas ſibi perſonas. Quamobrem hæc poteſtas juriſdictionis in Sacramento Pœnitentiæ definiri poteſt: *Poteſtas, qua Sacerdos, ut judex, fert in alterum, tanquam in ſubditum ſententiam in foro pœnitentiali, & conſcientiæ tantum*. Diſputant Theologi, quomodo hæc juriſdictionis poteſtas a poteſtate Ordinis diſtinguatur. Sunt enim, qui putant diſtingui ex parte termini tantum, quatenus ſcilicet quilibet Sacerdos vi ſuæ Ordinationis jure divino poteſtatem conſequitur abſolutam omnino & completam dimittendi peccata; & ſolum incompletam ex parte termini, ſive materiæ, ideſt ſubditorum, qui niſi ab Eccleſia aſſignentur, eam poteſtatem in actu exercere non valet. Alii vero putant, diſtingui etiam ex parte principii: quia licet in Ordinatione conferatur poteſtas phyſica completa in ordine ad producendam gratiam in pœnitente; non confertur tamen poteſtas moralis, quæ in juriſdictione conſiſtit: quæ poteſtas non ipſum terminum, ideſt ſubditum, reſpicit, ſed ipſum Sacerdotem, qui ſine tali juriſdictione aptus non cenſetur, nec idoneus ad judicis exercendum officium; eo ferme pacto, quo quis poteſt omnia habere requiſita ad judicis officium recte riteque exercendum, puta ſcientiam, prudentiam, legum peritiam &c. quin tamen jure poſſit judicis munus exercere, niſi a Principe ſubditi deſignentur, quos regat & judicet. Et hic modus explicandi diſtinctionem poteſtatis Ordinis a poteſtate juriſdictionis magis videtur conformis & Conciliorum verbis, & D. Thom. doctrinæ, qui explicans, quomodo Schiſmatici, & Hæretici careant ſpirituali poteſtate abſolvendi, ſcribit 2. 2. q. 39. art. 3. in corp. „ Cum ergo dicitur tales (Schiſ„ maticos) non habere poteſtatem ſpiritualem, „ intelligendum eſt de poteſtate ſecunda (ſcilicet „ juriſdictionis) vel ſi referatur ad primam pote„ ſtatem (ſcilicet Ordinis) non eſt referendum ad „ ipſam eſſentiam poteſtatis, ſed ad legitimum „ uſum ejus“. Quibus verbis carentiam poteſtatis S. D. non refundit in deficientiam termini, ſeu ſubditorum, ſed in ipſum Miniſtrum, qui caret legitimo uſu acceptæ poteſtatis. Differunt etiam in hoc hæ duæ poteſtates, quod Ordinis poteſtas æqualis eſt in omnibus Sacerdotibus; poſterior vero inæqualis, quippe quæ major in uno reperitur, quam in altero.

II. Hæc juriſdictionis poteſtas neceſſaria eſt nedum ad licite, ſed & ad valide abſolvendum. Ita docent communiter omnes Theologi, & definitum fuit tum in Concilio Florentino, tum in Tridentino. In priori ſiquidem in Decreto unionis declaratum, ſtatutumque fuit, Miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ eſſe Sacerdotem *habentem auctoritatem abſolvendi ordinariam, vel ex conceſſione Superioris*. In altero vero ſancitum: „ Quo„ niam natura, & ratio judicii illud expoſcit, „ ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; per„ ſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſi„ mum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius mo„ menti abſolutionem eſſe debere, quam Sacer„ dos in eum profert, in quem ordinariam, vel „ ſubdelegatam non habet juriſdictionem“. Et revera cum, ut docet S. Synodus, & nos ſuperius pluries diximus, Sacramentum Pœnitentiæ ſit a Chriſto Domino inſtitutum per modum judicii, judicium vero, quod actus eſt juriſdictionis, nonniſi in ſubditos valeat exerceri, ne dum licite, ſed & valide; ſponte conſequetur ad valide, & licite abſolvendum neceſſe eſſe, ut poteſtati Ordinis & poteſtas addatur juriſdictionis, quomodo ſemper in Eccleſia ſervatum fuit, & cuſtoditum. Nam etiam in antiquiori diſciplina ſtatutum fuit, ſimplicibus Sacerdotibus non convenire, nec poſſe illos vel abſolutionem dare, vel Pœnitentiam imponere, niſi ab Epiſcopo accepta poteſtate, ut videre eſt in epiſtola S. Ignatii ad Smyrnæos, in Tertul. l. de Baptiſmo cap. 17. in Concil. Illiber. can. 32. & in Carthagin. III. can. 32.

III. Hæc juriſdictionis poteſtas duplex eſt, alia, quæ *ordinaria* dicitur, alia *delegata*. Prior illis convenit Sacerdotibus, qui beneficium obtinent, cui eſt animarum cura annexa; uti ſunt 1. Summus Pontifex, Epiſcopi, eorumque Generales Vicarii, ſicut & Vicarii Capitulares Sede vacante, denique Parochi omnes, & Eccleſiarum Paſtores, quocumque donentur nomine. Inter Regulares vero Generales, Provinciales, Superiores locorum ordinariam habent in ſuos ſubditos juriſdictionem. Archiepiſcopis quoque, dum actu Suffraganei Diœceſim viſitant, Canoniſtæ juriſdictionem ordinariam attribuunt ſubditos Epiſcopi ſacramentaliter abſolvendi. Qui poteſtatem habent ordinariam, aliis delegare poſſunt, ut patet in jure Canonico. Excipiuntur tamen Parochi: licet enim ordinaria fruantur poteſtate, nequeunt tamen Sacerdotem ab Epiſcopo non adprobatum in ſubſidium ad confeſſiones etiam ſuorum ſubditorum audiendas vocare; ut ſtatuit Trid. Concil. ſeſſ. 23. poſſunt tamen alios Parochos accerſere, cum ipſi ſint ab Epiſcopo ad Confeſſiones audiendas adprobati. Excipiuntur etiam certe Superiores Regulares Conventuum, & Monaſteriorum, quia in hoc eorum auctoritas per generalia ſtatuta, maxime accedente auctoritate Apoſtolica, reſtricta fuit: quapropter non poſſunt delegare pro libito, ſed attendere debent, quid ſtatuant proprii Ordinis Conſtitutiones. Et certe, ut obſervat Donatus tract. 4. n. 1. d. 3. receptum eſt, ut Superiores locales Confeſſarios deligere nequeant, niſi a Provinciali approbentur: & in Ordine Prædicatorum ex recentioribus Capitulorum Generalium Decretis ſtatutum eſt, ut nullus in eo habeatur idoneus ad excipiendas Confeſſiones, niſi in publico examine in ſtudiorum Conventibus habendo per ſtatutos Examinatores, & Adprobatores idoneus declaratus ſit, a quo ſaluberrimo ſtatuto ſapientiſſime Supremi Moderatores nec in toto, nec ex parte diſpenſant.

IV. Poteſtas delegata habetur vel per delegationem, vel per approbationem Prælati juriſdictionem ordinariam habentis. Licet *delegatio*, & *adprobatio* ſint inter ſe diſtinctæ, in idem tamen quoad facultatem excipiendi Confeſſiones recidunt. Nam delegatio indicare videtur collationem juriſdictionis eam non habenti; adprobatio vero ſo-

ſolum declarationem aptitudinis, & capacitatis ad hoc munus obeundum, quod illi demandatur. Inducta eſt hæc diſtinctio præcipue in favorem Regularium, qui cenſent facultatem, & poteſtatem audiendi fidelium Confeſſiones eſſe ſibi a Romanis Pontificibus conceſſam, quamobrem delegatione Epiſcopi non indigere, ſed ſola ejus approbatione, qua concedat munus hoc in ſua Diœceſi exercere. Verum hæc diſtinctio & quoad ipſos in idem omnino recidit: quandoquidem cum Tridentinum Concilium decreverit, & ſubſequentes Pontifices aperte declaraverint, Regulares nec valide, nec licite poſſe ſecularium Confeſſiones audire, niſi adprobatione accedente, & licentia Epiſcopi; ſi licentiam negent, & adprobationem recuſent Epiſcopi, negant etiam Pontifices Summi juriſdictionem: ſicut ſi Epiſcopi licentiam Regularibus limitent, vel quoad tempus, puta per annum, vel quoad locum, puta in ſola Civitate, vel quoad Pœnitentes, puta ſolum quoad confeſſionem virorum, Pontifices quoque nonniſi juriſdictionem illis limitibus circumſcriptam largiuntur.

V. Qui juriſdictionem ordinariam habent, eam exercere poſſunt etiam in aliena Diœceſi, non vero qui delegatam. Prima pars hujus propoſitionis evincitur. Quia juriſdictio non locum reſpicit, ſed perſonas: quamobrem ubicumque Judex ordinarius ſuum reperit ſubditum, ſuper eum poteſt ſuam exercere juriſdictionem; cum maxime per ea, quæ fiunt ſine ſtrepitu judicii, alienum territorium minime violatur. Quod etiam declaratum fuit a Sacra Concilii Congregatione, qui in una Poſnanienſi dubium propoſitum, *An Curati unius Diœceſis, vocati a Parochis alienæ Diœceſis, poſſint in iſta audire Confeſſiones tam ſuorum ſubditorum, quam alienorum abſque licentia Epiſcopi*, ſic definivit 3. Decembris 1707. *Affirmative quoad ſubditos, negative quoad alios*. Refertur hæc Deciſio noviſſime a Lambertino Inſtit. 86. n. 7. Alteram vero partem non admittunt plures Theologi, qui putant, ſufficere delegationem Superioris perſonæ ſubjectæ, qui niſi ſuam limitet delegationem, eam concedere cenſetur ſuper præfatos ſuos ſubditos, ubicumque reperiantur. Verum obſtat Conſtitutio ſeptima Clementis X. num. 3. ſic aperte declarantis, & ſtatuentis: „ Religioſos „ ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſecularium in ſua „ Diœceſi audiendas adprobatos, non poſſe in „ alia Diœceſi eos abſque Epiſcopi Diœceſani „ approbatione audire; *quamvis Pœnitentes ſub-* „ *diti ſint ejus Epiſcopi, a quo ipſi Religioſi* „ *jam fuerant approbati* “. Nec obſtat reſponſio, quam P. Concina ex Viva reſcribit, ſcilicet ea Conſtitutione vetari, ne Regulares adprobati in una Diœceſi queant in altera Diœceſi abſolvere illius Diœceſis ſubditos; minime vero vetari, ut ceteri habentes juriſdictionem, aut ordinariam, aut delegatam, poſſint ſubditos propriæ Diœceſis, in qua ſunt adprobati, abſolvere in aliena Diœceſi. Nam, ſi ſermo ſit de ordinaria juriſdictione donatis, nulla eſt controverſia, ut vidimus: at, ſi ſermo ſit de præditis ſola delegata juriſdictione, quinam erunt iſti, qui hanc delegatam juriſdictionem in aliena Diœceſi poterunt exercere? Non Regulares certe, quibus aperte vetitum eſt. Erunt igitur ſoli Presbyteri ſeculares. At tantum abeſt, ut iſtis hoc conceſſum ſit, ut Lambertinus laud. Inſtitut. 86. immo a fortiori id ipſis vetitum eſſe inferat, nulloque modo conceſſum. Unde recitato Clementis X. Decreto ſubdit, „ quod ſi in „ Regularibus locum habet, multo magis hoc ob- „ tinere debet in Presbyteris ſecularibus “. Si enim hoc non datum eſt Regularibus, qui in toto orbe juriſdictionem habent a Summis Pontificibus, non exercendam tamen ſine licentia, & adprobatione Epiſcoporum; quanto minus hoc concedendum ſecularibus Presbyteris, qui limitatam; & delegatam juriſdictionem non niſi ab uno Epiſcopo, & in ſua Diœceſi acceperunt? Subdit tamen Concina attendendam eſſe conſuetudinem legitimam locorum, quod libenter admittimus, addentes tamen legitimam conſuetudinem concedere, ut qui ordinaria ſunt donati juriſdictione, etiam in aliena Diœceſi eam poſſint exercere, ut patet ex ſuperius laudata deciſione Congregationis Concilii; at delegatam ſolum habentes poteſtatem, ſive Regulares ſint, ſive ſeculares, extra Diœceſim, in qua approbati ſunt, ea uti non poſſunt, ita jubente Clemente X.

VI. In mortis articulo quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, hæreticus, degradatus, a peccatis, & cenſuris omnibus poteſt, abſolvere. Et quidem quemlibet Sacerdotem, etiam nullam habentem ſive ordinariam, ſive delegatam juriſdictiouem, facultate donari, & poteſtate abſolvendi ab omnibus cenſuris, & peccatis declaravit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 7. dicens: „ Pie admodum, „ ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem „ Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla „ ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo o- „ mnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes a quibuſ- „ vis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt “. Verum de Sacerdotibus hæreticis, excommunicatis vitandis, ſeu non toleratis, hæreticis, & ſchiſmaticis, plures Theologi dubitarunt, num hac facultate, & poteſtate donentur. Fagnanus quidem aperte docuit, & propugnavit, nec in articulo mortis conſtitutum poſſe a Sacerdote excommunicato vitando, hæretico, & ſchiſmatico abſolvi, afferens etiam declarationem Sacræ Congregationis Concilii, quæ ejus ſententiam confirmaſſe videtur. Auctoritas Fagnani, multoque magis Congregationis deciſio plures Auctores, inter quos eſt Concina, in ſuam pertraxit ſententiam; a qua tamen probabilius alii plures nobiliores Theologi recedunt; & quidem his ducti firmioribus argumentis; 1. quidem auctoritate Concilii Tridentini, quod nullam omnino apponit exceptionem, & eodem tenore loquitur & de Sacerdote abſolvente, & de moribundo abſolvendo: & quemadmodum dicit *quemlibet* moribundum abſolvi poſſe; ita dicit *omnes* Sacerdotes abſolvere poſſe: ſicut igitur nullus excipitur moribundus; ita nullus excluditur Sacerdos. 2. Ratione ab ipſo Concilio adducta, nimirum *ne aliquis pereat*. Porro ſi Excommunicati vitandi, hæretici, & Schiſmatici non poſſent valide abſolvere in mortis articulo, plures de æterna ſua periclitarentur ſalute, non quidem in Italia, & locis Catholicorum, ſed ubi hæreſis, vel infidelitas dominatur, & præſertim in Oriente, ubi plures ſunt Sacerdotes hæretici, paucique Catholici. 3. D. Thom. hic q. 8. a 6. expreſſe docet, nulla appoſita exceptione, vel limitatione, in fine vitæ quemlibet a quolibet Sacerdote abſolvi poſſe; & po-

& poteſtatem hanc ab ipſa ſua ordinatione repetit, per quam ex virtute Clavium habet poteſtatem *indifferenter in omnes*, & quantum *ad omnia peccata*. Porro hæc poteſtas, quæ cum ipſo conſecrationis charactere conjungitur, impeditur quidem in Sacerdotibus juriſdictione carentibus; at vires ſuas exerit, ſi periculum immineat mortis, *quia*, ut ſubdit S. D. *neceſſitas non habet legem*, *ideo quando neceſſitatis articulus imminet*, *per Eccleſiæ ordinationem non impeditur*, *quin abſolvere poſſit*; *ex quo habet Claves etiam ſacramentaliter*, *& tantum conſequitur ex abſolutione alterius*, *ſicut ſi a proprio Sacerdote abſolveretur*. Ad deciſionem vero Congregationis a Fagnano adductam reſpondet Ferrarius in Add. V. Moribundus, „ Eruditiſſimum P. Franciſcum Mariam Campioni in Inſtructione ad Confeſſarios cap. 42. num. 12. referre ex Cardinali Albitio par. 1. de Inconſtantia Fidei cap. 18. & 19. " Quod prædicta declaratio Sacræ Congregationis Concilii adducta a Fagnano non reperitur in Regeſtis Congregationis, ſignum quod non emanavit, vel fuit expuncta, occaſione cujuſdam Epiſcopi, qui in examine interrogatus, an Sacerdos nominatim excommunicatus poſſit abſolvere in articulo mortis, reſpondit affirmative, unde fuit excitatum murmur ob doctrinam Fagnani, & dubio delato ad Innoc. XI. juſſit ſupprimi quæſtionem, neque amplius dubitari de opinione affirmativa, nempe pęnitentem in articulo mortis, in defectu alterius Sacerdotis habilis, licite, & valide abſolvi poſſe a Sacerdote excommunicato vitando, ſeu degradato, aut hæretico ". Et certe huic doctrinæ tamquam tutæ adhærens Legatus a latere Sedis Apoſtolicæ in Belgio in ſua Inſtructione pro Catholicis inter hæreticos degentibus docuit, „ Serio monendos bonos Catholicos, quod ſicut ſemper vitare debent Refractarios Sacerdotes (Janſeniſtas deſignat, quorum aliqui etiam nominatim erant anathemate perculſi) ſic cavere debent, ne ex tali reflexione exponant ſe periculo moriendi ſine Sacramentis, ſi factis opportunis diligentiis habendi Sacerdotem morigerum, uti debeant opera cujuſcumque Sacerdotis etiam refractarii; cum in tali caſu ſufficiat *Character Sacerdotalis ad valide* impertiendam abſolutionem ſacramentalem, ſine qua nullo modo decedere debent ". Hæc quidem mihi vera ſunt, & maxime probabilia. Verum, cum non omnino certa ſint, Moribundus ſuæ debet ſaluti conſulere actum concipiendo perfectæ Caritatis, & Contritionis, quem etiam ex circumſtantia temporis ſub præcepto tenetur elicere, omnibus conſentientibus Theologis, qui præceptum eliciendi actus virtutum Theologicarum urgere docent in principio morali, & in fine vitæ. Sunt tamen, qui diſtinguunt inter periculum, & articulum mortis, hunc conſtituunt in morte ex aliquo morbo inſtante, illud in certitudine morali imminentis mortis; ut in milite mox pugnaturo, in fęmina difficilem partum mox enixura, in viatore & longam, & periculoſam adorturo navigationem: hic tamen pro eodem accipiuntur & articulus, & periculum mortis, quando hoc ſecundum grave ſit, & neceſſarium, & ita imminens, ut priori omnino æquiparetur.

VII. Qui Parochiale non obtinet Beneficium, ſive Regularis ſit, ſive Secularis, valide audire Confeſſiones non valet, niſi ſit ab Ordinario adprobatus. Ita aperte decrevit, & indixit Tridentina Synodus ſeſſ. 23. cap. 15. ſtatuens: „ Quamvis Presbyteri in ſua Ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe ſecularium, etiam Sacerdotum, Confeſſiones audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur; & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus ". Hinc revocata omnia Regularium privilegia, quibus olim conceſſa fuerat audiendi confeſſiones abſque Epiſcoporum approbatione poteſtas. Quod Tridentini Decretum confirmarunt ſequentes Pontifices. S. Pius V. Conſtitutione incipiente *Romani Pontificis*, declarans inſuper omnes etiam Magiſtros, Lectores, in Theologia graduatos huic legi ſubjectos eſſe. Greg. XV. in Conſtit. incipiente *Inſcrutabili*. Et Alexander VII. propoſitionem damnavit 13. in ordine dicentem: *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſte reprobato*. Immo cum in Galliis nonnulli aſſererent, Regulares non teneri ex Decreto Tridentini approbationem Epiſcoporum obtinere, eo nomine, quod in illo Regno præfatum Concilium receptum non eſſet, niſi quoad Deciſiones Dogmaticas, & Fidem reſpicientes, Brevi ſpeciali ad hoc dato eam doctrinam damnavit, & reprobavit, tamquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, in hæreſim, & Schiſma inducentem, Sacro Concilio, & Apoſtolicæ Sedi injurioſam.

VIII. Approbatus ab Epiſcopo alicujus Diœceſis poteſt etiam aliorum Epiſcoporum ſubditos ad ſe venientes abſolvere, dummodo nulla interveniat fraus, vel dolus. Ita fert communis Eccleſiarum ſaltem in Italia conſuetudo, in quibus Confeſſarii quoslibet ad ſe adventantes, etiam ex aliis Dięceſibus, audiunt, & abſolvunt; niſi forte in fraudem hoc faciant Pęnitentes ad evitandam vel cenſuram, vel reſervationem propriæ Dięceſeos. Nec aliter ſtatuit S. Carolus Borromæus, dum in Concilio Mediolanenſi III. tit. de iis, quæ ad Sacramentum Pęnitentiæ pertinent, indixit: „ Qui ad Confeſſarium etiam Regularem in aliena Dięceſi commorantem *dedita opera* ſe conferens peccata ſua ſit confeſſus, niſi Confeſſarius illius & ab Epiſcopo loci, & a confitentis Ordinario ad Confeſſiones audiendas probatus erit, ei tanquam inconfeſſo Parochus Euchariſtiæ Sacramentum non præbeat; illius præterea Ordinarius, cujus confeſſionem ille Sacerdos Confeſſarius non probatus audierit, ne eum patiatur in ſua Dięceſi confeſſiones per biennium audire, neque itidem concionari ". Et in hoc ſenſu intelligendus Natalis Alexander, dum utriuſque Epiſcopi approbationem poſtulare videtur Reg. 3. ſic enim concludit: Alia eſt ratio viatorum, & peregrinorum, qui *dedita opera* ad Confeſſarium in alia Dięceſi commorantem, & a ſuo Ordinario non approbatum, ſeſe non conferunt, dum *ſine fraude* extra ſuam Dięceſim verſantur, ſubjiciuntur tantiſper Epiſcopis locorum, ubi ſunt, quantum ad Sacramenta.

IX.

IX. Regulares pro ſuorum Concellitarum Confeſſionibus audiendis non indigent Epiſcopi adprobatione: ſufficit enim, ſi juxta ſuorum Ordinum Regulas, & Conſtitutiones a ſuis ſint adprobati Superioribus, qui tamen nec cogere poſſunt abſolute ſubditos ad ſibi propria confitenda peccata. Veritas hujus propoſitionis ſatis eſt manifeſta; nam Regulares non Epiſcopis, ſed propriis Prælatis ſubditi ſunt, ad quos ſpectat ſpiritualem juriſdictionem pro ſuorum ſubditorum confeſſionibus audiendis aliis Sacerdotibus delegare. Nec Concilium Tridentinum aliquid circa Regulares innovavit, quos ſuis frui privilegiis conceſſit; ſed ſolum de Confeſſionibus ſecularium Epiſcopis ſubditorum Regularium imminuit poteſtatem, & privilegia revocavit. Superiores tamen nec poſſe, nec debere ſuos ſubditos ad ſibi confitendum obſtringere declaravit Clemens VII. in Decreto die 26. Septembris anni 1624. quod ab Urbano VIII. confirmatum fuit, & ſtatutum: „ Non licere Superioribus Regularium „ Confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando pec- „ catum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſi- „ met ſubditi ſponte, & proprio motu id ab iis „ petierint; ſed teneri in ſingulis domibus depu- „ tare duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſub- „ ditorum numero majori, vel minori, iique ſint „ docti, prudentes, & Caritate præditi, qui a non „ reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſer- „ vatorum abſolutio committatur, quando caſus „ occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in „ primis Confeſſarius judicaverit “.

X. Prælatus, qui ordinariam habet juriſdictionem, dum alteri delegatam confert poteſtatem, libere valet certis limitibus circumſcribere. Veritas hujus doctrinæ, quoad ſeculares Presbyteros, nulli ſubjacet controverſiæ: nam cum ipſi totam ſuam juriſdictionem a proprio Prælato accipiant, liberum eſt ei eo plane modo, quo ſibi videbitur conferre, limitare aut extendere. Solum quoad Regulares, qui cum a Pontificibus donati ſint illimitata facultate ad audiendas confeſſiones perſonarum cujuſcumque generis ad ſe accedentium, & toties, quoties voluerint, & ubilibet, poſito quod accedat Epiſcoporum conſenſus, & adprobatio, aliqui Theologi, & quidem magni nominis cenſuerunt, liberum eſſe quidem Epiſcopis conſenſum dare, & adprobationem concedere; at illo ſemel præſtito, hac ſemel conceſſa, non poſſe poteſtatem a Pontificibus Regulari a ſe adprobato jam conceſſam limitare. Sed omnem controverſiam omnino diremit 1. Congregatio Concilii die 2. Julii anni 1587. ſuo Decreto; quod confirmatum fuit a Clemente X. Conſtitutione, quæ incipit *Superna*, qua ſtatuit, „ Illos „ Religioſos, qui ad Confeſſiones audiendas ido- „ nei generaliter reperti fuerint ab Epiſcopo, ge- „ neraliter quoque, & indiſtincte, abſque aliqua „ limitatione temporis, certorumque locorum, aut „ generis perſonarum in Diœceſi propria admit- „ tendos; quoad ceteros vero, qui non adeo ido- „ nei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio „ Ordinariorum relinqui ipſos cum limitata facul- „ tate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire vi- „ debitur, probare, & admittere “. Et Alexandro VIII. in cauſa Andegavenſi Epiſcopi, & Regularium an. 1659. propoſitionem afferentem, *non poſſe Epiſcopos limitare, ſeu reſtringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confeſſiones audiendas, neque ulla ex parte revocare*, reprobavit ut falſam, temerariam, ſcandaloſam, & erroneam. Hinc factum eſt, ut Epiſcopi ad invidiam declinandam omnes Regulares nulla facta diſtinctione pares faciant, & limitatam ad annum omnibus adprobationem concedant; quin tamen qui ſe idoneos generaliter reputant, poſſint illimitatam juriſdictionem ſibi uſurpare; quia licet injuſte hanc apponerent Prælati limitationem, non per hoc ipſam obtinerent: ſicut enim invalide abſolvit, qui ab Epiſcopo eſt etiam injuſte reprobatus; ita & invalide abſolveret, qui limites poteſtatis ſibi conceſſæ, licet injuſte appoſitos, tranſilire auderet.

XI. Juriſdictio putativa aliquando ſufficit ad valide abſolvendum. *Putativam* juriſdictionem voco, quæ bona fide a Pœnitente creditur adeſſe in Miniſtro, qui revera tamen ea caret. Hæc ex duplici capite præſumi poteſt, nimirum vel ex errore communi, quo omnes, vel maxima pars populi Presbyterum habet pro legitimo Pœnitentiæ Miniſtro; vel ex aliquo titulo colorato, quia nimirum Parochiale beneficium ab Epiſcopo obtinuit, licet invalide, quia ſimoniace; unde omni prorſus caret juriſdictione, quam tamen omnes merito putant habere, unde communis error cum titulo colorato conjungatur. Omnes Theologi, & Canoniſtæ conſentiunt, communem errorem cum titulo colorato ſufficere ad juriſdictionem obtinendam, per quam valide abſolvantur quicumque a tali Miniſtro abſolvuntur; licet ipſe probe noverit titulum nullum eſſe; ſed graviſſime peccat juriſdictionem, quam non habet, perverſe uſurpando. At non ita conſentiunt, quando ſolum intervenit error communis abſque ullo titulo colorato. Sunt plures Probabiliſtæ, quibus & nonnulli adhærent Probabilioriſtæ, qui putant, etiam ſolum communem errorem ſine titulo colorato juriſdictionem conferre, his moti argumentis: 1. Quia cum pia Mater Eccleſia in titulo colorato cum errore communi juriſdictionem conferat in favorem Pœnitentium, ne innumeræ animæ miſere pereant, aut gravibus anxientur ſcrupulis, ſemper ſollicitæ, num a legitimo regantur Paſtore: porro hoc idem incommodum ſequitur & in errore communi ſine titulo colorato, ſi juriſdictionem non ſuppleat pia Mater Eccleſia. Verum oppoſita opinio probabilior eſt. Hinc Romanus Theologus in editione Romana Bibliothecæ Lucii Ferraris hanc notam appoſuit, in qua doctrinam exſcripſit P. Danielis Concina, licet ipſo minime citato. Sic itaque ſcribit in Appendice V. juriſdictio. „ Etſi notum eſt Romanis Cenſoribus, „ Patrem Dominicum, Viva, nonnuloſque alios „ Probabiliſtas cum noſtro Ferrario opinari, ſo- „ lum errorem communem ſine titulo colorato „ ſufficere ad juriſdictionem, qua valide Pœniten- „ tes abſolvuntur; tamen hanc aſſertionem ſine „ adnotatione vulgandam Romæ non eſſe cenſue- „ runt: nam doctis quampluribus viris laxa, at- „ que falſa omnino viſa eſt hæc opinio; cum præ- „ ſumi Eccleſiæ conſenſus rationabiliter non poſ- „ ſit titulo colorato deficiente “. Quando adeſt titulus coloratus (verba ſunt Danielis Concina a prædicto Romano Cenſore exſcripta) nempe quando „ Sacerdos ſubit examen coram Epiſcopo, „ quando obtinet in conſpectu hominum beneficium, & ab omnibus Parochus tam ſolidis fun- „ damentis habetur, ſapienter & provide S. Mater

„ Ec-

„ Eccleſia confert juriſdictionem. At Sacerdotes ini- „ qui exponunt ſe in Tribunali fide mala ad Con- „ feſſiones excipiendas; & iſtis Eccleſia juriſdictio- „ nem confert ob utilitatem Fidelium? Ita ne ve- „ ro? At non vides, hinc majora, & horrendiora „ conſequi abſurda, quam ſit utilitas Pœniten- „ tium? Nam admiſſa hac doctrina, & perſuaſione „ in populo Chriſtiano, quod validæ ſint Confeſ- „ ſiones, & abſolutiones talium fictorum Confeſſa- „ riorum, jam aperitur janua omnibus iniquis, & „ ſceleratis Sacerdotibus fingendi ſe Confeſſarios, „ diſſeminandi errores, hæreſes, & ſeducendi po- „ pulum chriſtianum. Siquidem, ut credantur „ Confeſſarii, ſat eſt, inquit P. Viva, ut error „ non ſit *ſupinus*, & *craſſus*, ſed probabilis. Quid „ autem eſt facilius hoc errore probabili, contra- „ rio errori ſupino & craſſo? Nam nemo præſu- „ mitur malus, niſi probetur. Ergo quoties fide- „ les vident Sacerdotem ſedentem in Tribunali, „ præſumere debent eſſe Confeſſarium, licet non „ ſit; & error communis ſemper probabilis erit, „ & non ſupinus. Utilitas ergo pœnitentium, „ quæ obtruditur pro fundamento juriſdictionis ab „ Eccleſia collatæ, inepta res eſt, ſi conferatur „ cum univerſali damno, & perturbatione Mini- „ ſterii, & ſcandalis, & abſurdis, quæ ſequeren- „ tur, ſi conſiſteret præfata opinio P. Viva, & „ aliorum. Titulus coloratus perquam rarus eſt. „ Errores iſti communes, non ſupini, ſed proba- „ biles frequentiſſimi forent, ſemel admiſſa do- „ ctrina, quod hujuſmodi Confeſſiones, & abſolu- „ tiones validæ eſſent “. Hanc Cenſuram vidit, & legit P. Ferrarius ſimul cum aliis Cenſuris ab eodem Romano Theologo pronuntiatis; & licet plures alias refutaverit, & reprehenderit, huic tamen nihil reponendum cenſuit, pondere ratio- num ex Concina a Theologo mutuatarum plane convictus. Ab hac itaque doctrina non eſt rece- dendum, & hæc certe in praxi tenenda, cum agatur de Sacramentorum valore, & de æter- næ ſalutis periculo, omni ſtudio, & contentione vitando.

XII. Juriſdictio dubia, & probabilis non ſufficit ad valorem Sacramentorum. Hanc doctrinam op- pugnant plures Probabiliſtæ, & quidem etiam quan- do certa haberi poteſt, ea univerſali ratione Pro- babiliſmi, nimirum prudenter illum agere qui pro- babilem ſequitur opinionem. Verum hanc doctri- nam falſam eſſe omnia ea evincunt argumenta, quæ Probabiliſmum falſam eſſe morum regulam e- vincunt. Inſuper peculiaribus argumentis hujus do- ctrinæ falſitas evincitur. Nam 1. qui probabiliter judicat ſe habere juriſdictionem probabilem, etiam judicat ſe non habere; cum æquales rationes pu- gnent & pro affirmante, & pro negante juriſdi- ctionem. Dubius igitur ſit, oportet; & in dubiis omnia jura clamant, *tutior pars eſt eligenda*. Et S. Auguſtinus tanquam theologicum, & catholi- cum axioma ſtatuit præſertim in Sacramentorum ſuſceptione, *graviter peccare in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quod certis incer- ta præponit*; ita enim ſcribit de Baptiſmo lib. 1. cap. 3. 2. Adducta doctrina damnata eſt in propo- ſitione 1. ab Innoc. XI. proſcripta, ajente: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinio- nem probabilem de valore Sacramenti, relicta tu- tiore, niſi vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Or- dinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis*. Tutior igitur ſententia eſt amplectenda cum de valore agitur Sacramenti. At juriſdictio ad valorem Sacramen- ti attinet: ea enim deficiente nullum eſt Sacra- mentum: Ergo non probabilis, ſed certa eſſe de- bet juriſdictionis poteſtas. Minime, inquit P. Vi- va, nam damnavit Pontifex ſolum ſententiæ pro- babilis uſum in materia, & forma Sacramentorum, quæ ſunt de jure Divino, non ex parte juriſdi- ctionis, quæ eſt ſolum de jure eccleſiaſtico; proin- de „ debuiſſet aperte damnare opinionem de juriſ- „ dictione probabili, ſi voluiſſet, quod non ſolum „ in iis, quæ pertinent ad materiam, & formam, „ ſed etiam in iis, quæ pertinent ad juriſdictionem, „ ſequamur opinionem tutiorem “. At falſam, & laxam eſſe hanc interpretationem, & ipſe benigniſ- ſimus Probabiliſta Lacroixius confitetur, qui aper- te in alio Theologo Vivæ explicationem rejicit, & refutat lib. 6. part. 3. quæſt. 5. n. 37. ſcribens: „ Quamvis enim Filguera explicans hanc propoſi- „ tionem damnatam, putet non prohiberi praxim „ illius in rebus, quæ non ſunt de jure divino, „ ſed tantum de jure Eccleſiaſtico, uti ſunt mul- „ ta in materia Matrimonii; ſententia tamen illa „ *rejicitur ab omnibus*. Et ratio eſt, quia finis da- „ mnationis erat, ne Sacramentum exponeretur „ periculo nullitatis, cui exponitur, quando aliquid „ omittitur, *quod ad valorem requiritur, etiam de* „ *jure tantum eccleſiaſtico* “. Præterea ubi in da- mnata propoſitione apparet veſtigium, aut vola diſtinctionis faciendæ inter ea, quæ ſunt juris divini, materiam ſcilicet & formam, & ea, quæ ſunt juris mere eccleſiaſtici, cujuſmodi eſt juriſ- dictio? Nonne aperte ea omnia complectitur, quæ valori Sacramenti obeſſe poſſunt? Porro valorem Sacramenti omnino tollit, ſi deſit omnino juriſdi- ctio, probabiliter, ſi probabiliter deſit; nec minus exponitur periculo fruſtrationis Sacramentum, ſi probabilis tantum adhibeatur materia, quam ſi pro- babilis dumtaxat adſit juriſdictio. Uſus itaque pro- babilis opinionis quoad utrumque damnatus; quia, ut inquit Lacroixius, *finis damnationis eſt, ne Sa- cramentum periculo nullitatis exponatur*. Falſa igi- tur, & laxa eſt habenda Vivæ, & Aſſeclarum do- ctrina, & a praxi eliminanda.

XIII. Nec juriſdictione probabiliore utendum eſt, quando certa haberi poteſt: in caſu vero ne- ceſſitatis etiam juriſdictionis probabilis conceditur uſus. Huic quoque doctrinæ adverſantur nonnulli Probabilioriſtæ, inter quos Billuartus his motus ar- gumentis: 1. quia hæc eſt conſuetudo, & praxis communis Confeſſariorum. 2. Juriſdictio ſecundum jura acquiritur conſuetudine, ſeu juſta conſuetudo eſt ſignum juriſdictionis acquiſitæ. 3. Confeſſarii continuo forent ſuſpenſi, & anxii, plurimoſque pœ- nitentes non abſolutos dimittere cogerentur; eſt e- nim frequens iſte caſus. 4. Veriſimile eſt, quod ſi revera Confeſſarius careat juriſdictione, quam pru- denter, & probabilius putat ſe habere, eam in hoc caſu ſuppleat benigna Mater Eccleſia. 5. Li- citum eſt ſequi ſententiam probabiliorem. Neque ſimile eſt, dum agitur de valore Sacramenti defe- ctu materiæ, & formæ, quia hunc defectum ſup- plere non poteſt Eccleſia, ſi reipſa deſit materia, aut forma, quamvis probabilius credatur adeſſe: defe-

defectum autem juriſdictionis ſupplere poteſt, & certe moraliter ſupplet, dum prudenter adeſſe creditur propter rationes allatas. Et denique concludit: Sicque noſtra reſolutio judicio reflexo eſt certa moraliter; quamvis juriſdictio ſit tantum probabilior. At Auctor ſuo Probabilioriſmo hallucinatus eſt, quem parum puto a putido Probabiliſmo diſtare, cum & ipſe egeat fulcro principii reflexi. Veritatem autem poſitæ meæ aſſertionis ſic oſtendo. Pontifex damnando uſum Probabiliſmi in adminiſtratione Sacramentorum juſſit, non ut probabilior amplecteretur ſententia, ſed *tutior;* non enim dixit relicta *probabiliore*, ſed relicta *tutiore:* quando igitur certa juriſdictio obtineri poſſit, locum habere amplius non poteſt probabilior; hæc enim in conſpectu certæ juriſdictionis nec probabilior eſt, nec tutior, immo nec tuta, adhuc enim aliquo fruſtrationis periculo exponit Sacramentum, quod vitari poteſt certam, non probabiliorem adhibendo juriſdictionem: quod magis conſtabit argumentorum ſolutione. Ad primum enim dicimus, unde novit Billuartus hanc obtinere conſuetudinem, & praxim communem Confeſſariorum abſolvendi cum juriſdictione probabiliore, quando certam habere poſſunt? Nonne & hoc dicere poſſunt, & dicunt revera Probabiliſtæ, hanc eſſe praxim, & conſuetudinem omnium Confeſſariorum Probabiliſmi ſectatorum abſolvendi cum juriſdictione probabili; & tamen hæc eorum conſuetudo, & praxis perverſa eſt; ita pariter perverſa eſt conſuetudo abſolvendi cum juriſdictione probabiliore, quando certa haberi poteſt. Quod autem addit, juriſdictionem acquiri conſuetudine, ſeu conſuetudinem eſſe ſignum juriſdictionis acquiſitæ, negatur a pluribus Theologis. Quare Concina ſcribit, *ſententiam negantem juriſdictionem acquiri ſola conſuetudine communiorem eſſe*. Qui vero conſentiunt, & docent juriſdictionem conſuetudine acquiri poſſe, addunt tamen, dummodo accedat conſenſus ſaltem tacitus Superioris. Sed aperta contradictione, hic obſiſtit Eccleſia, dum decernit Pontifex non licere abſolvere, niſi *tuta*, *& certa* juriſdictione, præcipiendo, ut in collatione Sacramentorum *tutiorem* ſequamur doctrinam. Præterea & ipſi Probabiliſtæ hanc conſuetudinem jactare poſſunt, ac proinde acquiſitam juriſdictionem. Ad 3. unde tanta in Confeſſariis anxietas, turbatio, ſuſpenſio? Cur plurimos Pœnitentes dimittere cogerentur defectu certæ juriſdictionis? Quinam ſunt iſti tam frequentes caſus, in quibus neceſſe ſit uti juriſdictione non certa, ſed probabiliore? Profecto nec video, nec capio, & vana mihi videntur terriculamenta. Et mihi certe nunquam contigit, licet a triginta, & amplius annis Confeſſiones excipiam, eſſe anxium, vel ſuſpenſum de mihi conceſſa juriſdictione. Nam hæc habetur vel beneficio, vel approbatione Epiſcopi: alterutro poſito nullum poteſt oriri dubium, nulla anxietas de carentia, vel inſufficientia juriſdictionis. Solum dubium aliquod oriri poteſt circa caſus reſervatos. At pro his peculiares traduntur Regulæ omnino tutæ, & certæ, quas ſuo loco dabimus. Et certe, ſi conſtet peccatum commiſſum eſſe mortale, & ſolum dubitem, num ſit reſervatum, abſolvere minime poſſum; licet probabilius judicem non eſſe reſervatum; quia in Sacramentis conferendis tutior ſententia eſt eligenda; ſed vel Superiori remittendum, vel licentia abſolvendi obtinenda. Si vero certus de reſervatione, dubitem ſolum, an ſit mortale, & probabilius judicem non eſſe mortale, abſolvere poſſum, certus omnino de juriſdictione, cum Epiſcopi nonniſi peccata certa ſibi reſervent. Ad 4. Non eſt præſumendum Eccleſiam ſupplere defectum juriſdictionis in eo, qui abſolvit ſolum probabiliore ductus opinione de ſua juriſdictione; cum aperte illi uſum hujus doctrinæ vetet, & jubeat, ut *tutiorem*, non probabiliorem ſequatur doctrinam; alioquin & ipſi Probabiliſtæ idem præſumere poſſunt, & revera præſumunt in caſu juriſdictionis tantummodo probabilis. 5. Licet quidem in aliis doctrinis probabiliorem doctrinam præeligere, quia nihil eſt, quod vetet; at in conferendis Sacramentis probabiliorem certæ doctrinæ præponere omnino non licet, id vetante Eccleſia, quæ tutiorem jubet ſectandam doctrinam, ita poſtulante Sacramenti religione, ne fruſtrationis periculo exponatur; ita denique exigente animarum ſalutis cura, & ſtudia, quibus in Sacramenti collatione tuto, non probabilius conſulendum eſt. Denique licet ſit diſcrimen inter deficientiam materiæ, & formæ, quarum defectum Eccleſia ſupplere nequaquam poteſt, & defectum juriſdictionis, quem ſupplere poteſt; non tamen putandum eſt, eam ſupplere ad libitum Theologorum, & juxta illorum ſententias, & futiles opiniones, ſed quando non aliter providere poteſt animarum ſaluti. Sic autem non eſt præſumendum, ſupplere ad favendum temeritati, & imprudentiæ Confeſſarii, qui, cum poſſit certam habere juriſdictionem, & tutiorem ſequi doctrinam, ut illa expreſſe jubet, & præcipit, probabiliore utitur juriſdictione, & non tutam eligit opinionem, ſed tantum probabiliorem. Apparet igitur doctrinam Billuarti nec directe, nec reflexe eſſe moraliter certam; cum fundamenta, queis innititur, ſint falſa, vel incerta, vel nutantia. Nunquam itaque licet, cum haberi poteſt certa juriſdictio, probabiliore tantum abſolvere. At, ſi certa haberi non poſſit, & neceſſitas Pœnitentis urgeat, tunc probabiliore uti conceſſum eſt, immo & ſolum probabili, ſicut dicitur de materia, & forma; quia melius eſt probabiliore, vel etiam probabili, immo & incerto medio ſaluti animæ conſulere, quam certæ perditioni illam relinquere.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Parochi nequeunt ſibi eligere in Confeſſarium Sacerdotem ab Epiſcopo non adprobatum, ſicut probabilius nec inferiores Prælati Regulares.*

II. *Simplex Sacerdos non valet nec a venialibus abſolvere.*

III. *Regularibus neceſſaria non eſt Epiſcopi licentia, ut aliorum Regularium Confeſſiones excipiant.*

IV. *Illicite Regulares excipiunt Confeſſiones Secularium ſola Epiſcopi conceſſione ſine ſuorum Superiorum conſenſu, & fortaſſis etiam invalide.*

V. *Regulares ſpeciali egent approbatione ad Monialium etiam ſibi ſubditarum Confeſſiones audiendas.*

VI.

VI. *Parochi non egent ulteriori adprobatione, niſi dimiſſa Parochia.*
VII. *Poſſunt Epiſcopi conceſſam Regularibus poteſtatem revocare.*
VIII. *Limitationes, & conditiones ab Epiſcopis appoſitæ quomodo intelligendæ.*
IX. *Non ceſſat delegata juriſdictio morte, vel translatione Epiſcopi.*

Conſectarium Primum.

I. PArochi nequeunt ſibi eligere in Confeſſorem Sacerdotem ab Epiſcopo non adprobatum; & probabilius nec locales Superiores Regulares Concellitam ſuum in ſua Religione ad Confeſſarii munus non admiſſum, & adprobatum. Et quidem Parochis interdictum ſibi deligere in Confeſſarium Sacerdotem non adprobatum ab Epiſcopo patet ex propoſitione 16. ab Alex. VII. damnata aſſerente: *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non adprobatum ab Ordinario.* Num autem hac poteſtate careant Prælati Regulares inferiores, locales ſcilicet, ut Priores, Rectores, Guardiani, Præpoſiti, dubitant merito Theologi. Qui affirmant, nituntur privilegio in jure conceſſo lib. 5. Decret. tit. 38. cap. 16. *Ne pro dilatione*, ubi hæc habentur: ,, Ne ,, pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat ,, animarum, permittimus Epiſcopis, & aliis Su- ,, perioribus, nec non *minoribus Prælatis exem- ,, ptis*, ut etiam præter ſui Superioris licentiam, ,, providum, & diſcretum poſſint ſibi eligere Con- ,, feſſarium ". Porro Superiores locales ſunt vere Prælati. Ergo poſſunt ſibi eligere Confeſſarium abſque alterius Superioris licentia. Verum alii probabilius oppoſitum tenent. Nam 1. merito dubitant, an Superiores locales Conventuum in laudato privilegio comprehendantur. Duo enim exiguntur, ut quis eo poſſit uti privilegio; 1. ut ſit Prælatus; 2. ut ſit *exemptus*, ut notavit S. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 2. §. 2. Superiores vero locales, Prælati quidem dici poſſunt, at non exempti, cum ſubditi ſint Provinciali, Viſitatori, Generali. Unde Angelus de Clavaſio in Sum. V. *Confeſſio* ſcribit: ,, Notandum, quod tales inferiores Epiſcopis oportet, ,, quod ſint immediate ſub Papa; quia exempti, ,, qui habent Abbatem, vel Generalem, & hujuſ- ,, modi ſupra ſe, non poſſunt ſibi eligere Confeſ- ,, ſorem ". 2. Quia uſus hujus privilegii eis videtur ablatus per generales Conſtitutiones Ordinis, quibus ſtatutum fuit, nulli licere Confeſſiones audire, nec ad id quemquam idoneum reputari debere, niſi juxta leges per ſtatutos Examinatores, & Adprobatores fuerit ad munus Confeſſarii aſſumptus. Quamobrem ſicut per Tridentinum reſervata ſolis Epiſcopis facultate Confeſſarios adprobandi, non amplius licet Parochis ſibi eligere in Confeſſarium Sacerdotem non adprobatum: licet ipſos in præfato privilegio comprehenſos viri doctiſſimi, & præſertim Natalis Alex. hic Reg. 14. cenſeant: ita reſervata facultate in Ordinibus Religioſis certis Superioribus adprobandi Confeſſarios, vetitum eſt localibus Superioribus quemquam ſuum Religioſum, ſicut pro aliis, ita & pro ſe adprobare, & in Confeſſarium aſſumere. 3. Quia propoſito S. Congregationi dubio, an Superiores Regulares poſſint aſſumere in Confeſſarium ſuum Sacerdotem, cum vota eſſent diviſa, Summus Pontifex reſpondit, *tutiorem* partem eſſe ſequendam, ut refert Suarez diſp. 28. de Pœnit. ſect. 4. n. 7. Et revera ita ſentiunt Ferrari in ſua Bibliotheca V. *Prælatus Regularis* n. 59. & noviſſime P. Gabriel Angelus a Vicentia de Privileg. Reg. par. 2. cap. 2. omnino legendus.

Conſectarium Secundum.

II. Non licet Sacerdotibus ab Ordinario non adprobatis nec a venialibus peccatis, nec a mortalibus alias confeſſis abſolvere. Veritatem hujus doctrinæ inficiantur plures Probabiliſtæ, qui putant, ſimplicem Sacerdotem poſſe a venialibus abſolvere, & a mortalibus alias rite confeſſis, immo & a mortalibus invincibiliter in confeſſione oblitis, & etiam a mortalibus bona fide ſimul cum venialibus ſimplici Sacerdoti confeſſis. Verum has omnes doctrinas omni probabilitate nudavit Innoc. XI. in ſuo Decreto circa frequentem Communionem Romæ dato die 12. Febr. an. 1679. in cujus initio abuſum appellat, quod quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non adprobato ab Epiſcopo: & in fine mandat Epiſcopis, ,, ne permittant, ,, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non ,, adprobato ab Epiſcopo, aut Ordinario: Et, ſi ,, Parochi, & Confeſſarii, etiam Regulares, aut ,, quicumque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant ,, Deo Optimo Maximo ſe rationem eſſe redditu- ,, ros; neque defuturam Epiſcoporum, & Ordina- ,, riorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in ,, contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societa- ,, tis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis ,, per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpe- ,, cialiter tributa ". Quod ſi vetitum eſt a ſolis venialibus abſolvere, multo magis dicendum vetitum abſolvere a mortalibus, licet alias in Confeſſione manifeſtatis, vel invincibiliter oblitis, vel bona fide confeſſis. Nec dicant, hujuſmodi abſolutionem declarari quidem illicitam, at non invalidam; cum ideo ſit illicita, quia invalida, defectu ſcilicet juriſdictionis, quam ſimplici Sacerdoti non adprobato non convenire clare Pontifex & ſupponit, & declarat.

Conſectarium Tertium.

III. Regulares non indigent approbatione Epiſcopi, ut aliorum Regularium Confeſſiones excipiant, immo nec ſecularium ad eorum familiam pertinentium. Prima pars hujus doctrinæ eſt manifeſta: quandoquidem Concilium Tridentinum ſolum ſtatuit, ne Regulares ſecularium Confeſſiones audiant ſine Epiſcopi approbatione; de Regularibus vero nihil omnino immutavit, ſed permiſit ipſos ſuis frui privilegiis, quibus illis conceſſum eſt, ut, ſola ſuorum Superiorum approbatione, poſſint & ſuorum Concellitarum, immo & aliorum Ordinum Religioſorum Confeſſiones excipere, dummodo tamen iſti a ſuis Superioribus poteſtatem acceperint confitendi Religioſo alterius Ordinis, ſi tamen hanc habeant poteſtatem. Nam in Ordine P. P. ſoli Generali Magiſtro facultas reſervatur concedendi ſubditis ſuis, ut confiteantur Religioſo alterius Ordinis, Religioſi vero, qui vel in itinere ſunt, vel de Superiorum ſuorum licentia in aliquo loco mo-

morantur, vel ad Quadrageſimales Conciones habendas, vel aliquod aliud munus & officium exercendum, ibique Confeſſarii ſui Ordinis copiam non habent, poſſunt alteri Sacerdoti Seculari, ab Epiſcopo tamen adprobato, vel Regulari in ſua tamen Religione adprobato valide, & licite confiteri. Quod privilegium & ad Cappucinos extendit Bened. XIV. in ſuis literis in forma Brevis datis die 30. Martii 1742. Quoad Seculares vero de familia in Monaſteriis degentes Greg. XV. ſua Conſtitutione *Inſcrutabili* data 9. Febr. an. 1622. & poſtea Clemens X. conſtitutione *Superna* data 22. Junii an. 1670. declararunt, & decreverunt. „ In Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta „ Regularia inſtituta vivitur, poſſe tam Superio„ res Regulares, quam Confeſſores Regularium „ eorumdem Monaſteriorum, ſeu Collegiorum audi„ re Confeſſiones illorum ſecularium, qui inibi ſunt „ vere de familia, & continui commenſales, non „ autem illorum, qui ipſis tantum deſerviunt “.

Conſectarium Quartum.

IV. Regulares licite ſecularium Confeſſiones excipere nequeunt, niſi adprobationi Epiſcopi accedat & ſuorum Superiorum licentia, & adprobatio: num vero valide, prorſus incertum. Et quidem licite non poſſe, non ſolum obſiſtentibus, & repugnantibus, ac invitis Superioribus, ſed vel ſolum ignorantibus, & inconſultis, docet S. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 10. ſcribens: „ Religioſus non „ debet audire Confeſſiones etiam illorum, qui „ habent licentiam eligendi ſibi Confeſſarium quem„ cumque, etiamſi haberent a Papa, ſine auctoritate, & ſine licentia ſui Superioris; quia ſine „ ſuo Superiore velle, & nolle non habet “. Et paulo inferius: „ Per hoc, quod Papa daret li„ centiam alicui, quod poſſet ſibi eligere quem„ cumque etiam Religioſum pro audientia Con„ feſſionum, vel pro prædicatione, ex iſta licen„ tia non debet Religioſus audire Confeſſionem, „ vel prædicare ſine licentia ſui Superioris, vel „ Prælati, vel Abbatis “. S. Præſuli conſentiunt pene omnes Theologi, etiam benigniores, Navarrus, Tamburinus, Lezana, Miranda, Bordonus, Natalis Alexander, Concina, aliique. Et ratio eſt manifeſta, quia, ut docet S. Th. Quodl. 10. art. 10. ad 3. „ Religioſus vi voti obedientiæ, „ cum ſeipſum Prælato ſubjecerit, quantum ad „ generalem diſpoſitionem vitæ ſuæ, non habet „ proprium velle, vel nolle; ſed tenetur in omni„ bus ab ejus voluntate, ac beneplacito depende„ re, nec ſine ejus conſenſu *munus* ullum, licet „ *ſanctum*, ſibi arrogare “; multoque minus Miniſterium Confeſſionis, quod ſummi momenti eſt. His accedunt quorumcumque Ordinum Decreta, & Statuta vetantia, ne quis abſque Superioris adprobatione, vel licentia confeſſarii munus exerceat. Hinc optime infert Concina, hos Regulares a gravi peccato non excuſari; licet in ſtatutis Ordinis nulla ſit contra illos lata cenſura, vel gravis pœna, nec ſit ſub rigoroſo præcepto vetitum; quia ſemper tranſgreſſionem continet voti obedientiæ in re graviſſima; & innumera ſequerentur in Ordinibus Religioſis abſurda, ſi Religioſi excuſſo obedientiæ jugo in re tam gravi, procurata ſibi, Superiore omnino inſcio, Ordinariorum adprobatione libere, ac licite poſſent Secularium Confeſſiones audire. Num vero validæ eſſent abſolutiones ab hujuſmodi Sacerdote datæ, res eſt admodum incerta, quæ nec facile dirimi poteſt, cum ab humana voluntate res pendeat, & a poſitivis Legibus atque Statutis. Negant itaque harum abſolutionum validitatem plures etiam nobiliores, tum benigniores Theologi, Paſſerinus de *Hominum ſtatu & Offic.* Tom. 2. q. 187. art. 1. Bordonus *Var. Reſ.* par. 1. Reſol. 36. quæſt. 11. Henriquez, Fagundez, Rodriquez, Portel, Caſtropalao, aliique, his permoti argumentis. 1. Quia Regularis juriſdictionem obtinet a Sede Apoſtolica, quæ illius capacem non declarat, niſi accedat Prælatorum conſenſus, & adprobatio. Nec Epiſcopi adprobatio juriſdictionem conferre poteſt perſonæ ineptæ, & incapaci ad eam obtinendam; cujuſmodi eſt Religioſus, a ſuis Superioribus non præſentatus, nec adprobatus. 2. Pro Ordine vero Prædicatorum ſpeciale profertur Breve a Julio III. conceſſum Miniſtro Generali, quo irritæ declarantur, & nullæ omnes licentiæ ab Ordinariis conceſſæ Religioſis ejuſdem Ordinis ad audiendas Confeſſiones abſque ſuorum Prælatorum conſenſu, & licentia. Oppoſitum vero tenent plures etiam rigidiores Theologi S. Antoninus, Tamburinus, Miranda, Lezana, Rotarius, Natalis Alexander, aliique, & quidem non ſpernendis argumentis. Et 1. quidem nihil, inquiunt, deeſt Regulari ab Epiſcopo adprobato ad valide Confeſſiones ſecularium audiendas: non character; eſt enim Sacerdos; non juriſdictio, quæ illi ab Epiſcopo conceditur, & qui ſolus eam ſuper gregem ſuum dare poteſt, & hanc dumtaxat requirit etiam in Regulari Tridentina Synodus, quæ de Prelati Regularis licentia alte ſilet, nec ullam indicat illius neceſſitatem. Votum vero obedientiæ, per quod Religioſus non habet proprium velle, vel nolle, efficit quidem, ut illicite, non ut invalide conceſſa utatur juriſdictione; ſicut efficit, ut illicite quidem Miſſæ Sacrificium contra Superiores voluntatem applicet; applicatio tamen valida eſt. Breve vero Julii III. conceſſum Ordini PP. ut teſtatur Paſſerinus, non de juriſdictione ab Epiſcopis data loquitur, ſed de facultatibus audiendi Confeſſiones, vel eligendi Confeſſarios obtentis a Legatis, Nuntiis, Pœnitentiaria, & aliis. Quamobrem hanc opinionem altera probabiliorem exiſtimo. Sed quid prodeſt hæc probabilioritas, cum agatur de Sacramenti valore, in quibus non quod probabilius, ſed quod tutius, eſſe adhibendum mandat Eccleſia? Tria tamen omnino ut certa habenda ſunt. 1. Regularem ea conceſſa juriſdictione utentem graviter peccare contra votum obedientiæ, ut diximus; & quia Sacramentum periculo nullitatis exponeret, non ſine animarum maximo periculo, & detrimento. Alterum plane certum, non eſſe fidendum abſolutioni habitæ a Regulari a ſuo Superiore minime approbato; ſed conſulendum Pœnitenti, cui hic defectus innoteſceret, ut apud alium Sacerdotem Confeſſionem repeteret, cum de ejus valore inter Theologos diſputetur. Tertium denique non minus certum, etſi nonnulli Probabiliſtæ inficientur, ſcilicet, Regularem nullam obtinere a Papa juriſdictionem, quæ non conceditur, niſi Religioſis a ſuis Superioribus pro Confeſſionibus excipiendis adprobatis; proinde Regularium privilegiis nec frui, nec uti poſſe.

Con-

Conſectarium Quintum.

V. Regulares Epiſcopali indigent adprobatione, ut Monialium, etiam Ordini ſuo ſubjectarum, Confeſſiones valeant excipere, licet ſint jam pro Confeſſionibus ſecularium adprobati. Sic enim declaravit, & ſtatuit Greg. XIV. Conſtitutione incipiente *Inſcrutabili*, ubi hæc habet §. 5. „ Confeſſores vero, ſive ſeculares, ſive regulares; „ quomodocumque tam ordinarii, quam extraordinarii ad Confeſſiones Monialium, etiam Regularium ſubjectarum, audiendas, nullatenus „ deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur & approbationem, quæ „ gratis concedatur, obtineant ". Quod & confirmavit Clemens X. in Bulla *Superna*. Billuartus tamen aſſerit, Gregorii Conſtitutionem ſuſpenſam fuiſſe pro Regnis Hiſpaniæ ab Urbano VIII. & Bullam Clementis VIII. plura continere, quæ extra Italiam non ſervantur; & præſertim derogatum videri, ſaltem in Belgio, ſtatuto, quo decernitur, Regulares generaliter approbatos ad audiendas Confeſſiones ſecularium, egere præterea ſpeciali approbatione Epiſcopi ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſcientibus, & non contradicentibus Superioribus. Quod, an verum ſit, expendant Theologi Hiſpani, & Belgæ. Ubi autem vigent præfatæ Conſtitutiones, Confeſſarii, ſive ſeculares, ſive regulares pro ſecularibus adprobati ſpeciali adhuc indigent approbatione pro Monialibus, & pro uno Monaſterio admiſſi, pro alio indigent nova approbatione, & Extraordinarii toties ſunt approbandi, quoties caſus deputationis contigerit, ut declaravit Clemens X. laudata Conſtitutione. Excipiuntur tamen a Benedicto XIII. ab hac lege Superiores Generales, aut etiam Provinciales cujuſque Ordinis Regularis, „ quibus, inquit Pontifex, ut Confeſſiones „ Monialium ſibi ſubjectarum dumtaxat, abſque „ ſpeciali approbatione Epiſcopi Diœceſani, audire licite, & valide poſſint permittimus, & indulgemus ", in Conſtitutione, quæ incipit *Paſtoralis Officii*.

Conſectarium Sextum.

VI. Parochus, quamdiu Beneficium obtinet, alia non indiget approbatione pro Diœceſi, in qua Parochus eſt. Si vero Parœciam dimittat, nova indiget adprobatione, ut valide abſolvat. Prima pars ab omnibus admittitur, præſertim in noſtra Italia, ubi Parochi unius Parœciæ ab aliis Parochis in ſubſidium vocantur, quotieſcumque ejus indigent opera; nec Epiſcopi huic conſuetudini ſibi notæ & compertæ obſiſtunt: quod ſi repugnarent, profecto tunc non liceret a Parochis extra propriæ Parœciæ limites Confeſſiones audire. Et revera ita pro ſua Diœceſi ſtatuit S. Carolus Borromæus, qui in ſua Diœceſana Synodo XI. monet: „ Ne quis Parochus Confeſſionem audiat hominum alienæ Parochiæ, niſi a nobis, Vicario„ ve generali noſtro ſcriptam hujus rei facultatem „ generatim, aut ſigillatim habeat ". Et jure merito, quia, ut obſervat Barboſa, fieri poteſt, quod aliquis ſit idoneus pro una Parochia, & non pro alia, pro una Diœceſi, & non pro alia, in qua alii mores ſunt, alia commercia, leges, diſciplina. Immo addit, ita fuiſſe a Sacra Congregane deciſum. Billuartus tamen ita Parochorum dilatat juriſdictionem, ut velit illos toto chriſtiano orbe eligi poſſe in Confeſſarios, vel per Bullam v. g. tempore Jubilæi, vel delegationem Parochi in proprias oves, ea ſola ratione, quia Concilium duos ſtatuit titulos, quibus aliquis reddatur idoneus ad audiendas confeſſiones, plane diverſos, ſcilicet *Parochiale Beneficium*, & Epiſcopi *adprobationem*. Sicut itaque, inquit, qui ab omnibus Epiſcopis adprobaretur, aſſumi poſſet in Confeſſarium toto chriſtiano orbe, ita & qui Beneficium parochiale obtinet; non attendens ad unumquemque Epiſcopum pertinere deſignationem idonei Miniſtri pro ſuis ovibus, proinde adprobatos ab omnibus Epiſcopis poſſe in omni loco confeſſiones audire: at non ita, ſi extraneus Parochus ab ipſis ovibus accitus in Miniſtrum eligatur, inſcio & inconſulto Paſtore. Ad rationem vero Barboſæ, cujus vim perſentit, reſpondet: „ Cum difficile „ ſit terminos ponere, & determinare, ad quos „ ſe extenderet adprobatio Parochi, magis conſultum viſum eſt Concilio, rem in ſua generalitate relinquere, & diſcretioni Paſtorum dimittere, ut nonniſi idoneos pro ſuis ovibus admittant ". At cur difficile eſt terminos ponere, & determinare extenſionem adprobationis Parochorum? Nonne determinata eſt juriſdictio Epiſcoporum, qui extra ſuam Diœceſim erga alienos ſubditos Epiſcopalem ſuam juriſdictionem nec in minimo exercere poſſunt? Cur igitur & idem non determinandum de Parochis, ita ut extra Diœceſim, in qua adprobati ſunt, juriſdictionem extendere non valeant? Præterea non Paſtoribus tantum, juxta Billuartum, relictum eſſet admittere idoneos, ſed & ipſis ovibus, qui Parochum plane alienigenam in Confeſſarium aſſumere poſſent; & Epiſcopi tenerentur eos ſolos in Paſtores aſſumere, quos noſſent pro toto orbe idoneos ad Confeſſiones excipiendas. Deciſionem vero a Barboſa appoſitam authenticam non eſſe, mira confidentia pronuntiat. Hinc & illud notandum, Billuartum ſuperius, ut Eccleſiæ Decretum eludat de eligenda ſententia tutiore in collatione Sacramentorum, Probabilioriſtam agere, & probabiliorem juriſdictionem ſufficientem decernere ad Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum; hic vero, ut Parochorum dilatet in toto Orbe juriſdictionem, Probabiliſtam ſe oſtendere, cum hanc ſententiam nonniſi probabilem appellet; atque ita docere, ſufficere etiam juriſdictionem probabilem juxta falſam, ſed communem Probabiliſtarum ſententiam; proinde licitum eſſe in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore. Atque ita contingat, oportet, quærentibus non veritatem, ſed benignitatem, & facilitatem, quam niſi in Probabilioriſmo, quem ad invidiam declinandam affectant, reperiunt, ad Probabiliſmum confugiunt, at non quaſi propria docentes, ſed referentes aliena. Belle, & acute, & non ad inſipientiam ſibi. At quæſtionem diremit ſapientiſſimus Benedictus XIV. qui ſua Bulla data anno 1744. incipiente *Apoſtolica indulta* declaravit, in quocumque indulto Apoſtolico, in quo facultas conceditur eligendi ſibi Confeſſarium *ab Ordinario adprobatum*, a quo abſolvi poſſit a criminibus, aut cenſuris reſerva-

vatis, debere *eundem Confeſſarium eſſe approbatum ab Epiſcopo Diœceſano, & Ordinario illius loci*, in quo Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtratur: quare non ſufficere approbationem aliorum Epiſcoporum, vel ejuſdem Epiſcopi, ſi non ſit amplius loci Ordinarius. Nec obſtat ibi ſermonem non eſſe de Parochis. Nam ſub univerſali illa clauſula *ab Ordinario approbatis* comprehenduntur. Duplici enim modo Epiſcopi approbant, vel juriſdictionem ordinariam tradendo collatione Beneficii parochialis, vel juriſdictionem delegatam ſimplici approbatione. Confeſſarius itaque eligendus ab Indultariis eſſe debet approbatus ab Ordinario loci alterutro modo; nec ſufficit ut alterutro modo ſit ab aliis Epiſcopis approbatus. Quod ſi Parochus Beneficio renuntiaverit, cum tunc ei ceſſet cura animarum, nova indiget adprobatione, ut confeſſiones & valide, & licite valeat excipere. Sic enim declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini, quæ interrogata, an Sacerdos, qui aliquando approbatus, & idoneus judicatus ſit, atque ideo in Parochum aſſumptus fuerit, haberi etiam nihilominus debeat adhuc idoneus ad confeſſiones valide audiendas, ita ut hæc particula Decreti *Beneficium obtineat* extendatur, ut etiam velit *obtinuerit*. Reſpondit: *Non haberi*. Hanc deciſionem refert Barboſa par. 2. de Off. & Poteſtate Epiſcopi Alleg. 25. §. 16.

Conſectarium Septimum.

VII. Poteſt Epiſcopus licentiam, & adprobationem Regularibus denegare, & conceſſam revocare, non tamen ſine juſta cauſa, & injuſte etiam vel denegata, vel revocata, invalide Regulares abſolverent. Et primo quidem poſſe Epiſcopum licentiam Regulari denegare, nullus eſt qui ambigat; cum nulla ſit lex, nullum præceptum obligans Epiſcopos ad Regulares pro Confeſſionibus adprobandos: nec Regulares jus ullum habent, vi cujus ad hoc munus aſſumi debeant. Hinc licet injuſte Regularem petentem adprobationem, & examini ſe ſubjicientem Epiſcopus repellat, non ideo poteſt valide Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare; licet fortaſſis id olim conceſſum fuerit; cum hac de re privilegia omnia fuerint revocata. Quare merito damnata fuit propoſitio n. 13. quæ aſſerebat: *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*. Poſſe autem juſta de cauſa; tum ipſum miniſterium Confeſſionis reſpiciente, tum vitam, & morum honeſtatem, datam facultatem revocare, declaravit Clemens X. in ſæpius laudata Conſtitutione *Superna*, decernens: „Cum „ præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qua„ litas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas, „ utique ea cauſa ad Confeſſionis miniſterium per„ tinet; ac proinde nihil obſtat, quo minus ob „ eam poſſit Epiſcopus Regulares a ſemetipſo ap„ probatos ſuſpendere, aut repellere a Confeſſio„ nibus audiendis". Immo licet Epiſcopus non valeat omnes Confeſſarios unius Monaſterii a ſe adprobatos ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendere, inconſulta Sede Apoſtolica, ut declaravit laud. Pontifex Clemens X., nihilo tamen minus, ſi Epiſcopus ad hoc deveniret, non tamen poſſent illorum aliqui Confeſſiones audire, ut affirmant nonnulli Theologi, Peyrinus, Bordonius, Lezana, aliique putantes, ſuſpenſionem illam nullam eſſe, & invalidam, cum limites excedat Epiſcopalis poteſtatis: quandoquidem jura vetantia Epiſcopis, ne omnes unius Monaſterii Confeſſarios a ſe adprobatos ſuſpendant, nullam habent clauſulam irritativam facti; nec reddunt ipſo jure nullam, & invalidam ſuſpenſionem, ſed ſolum per judicem irritandam: quoadusque igitur non irritetur, Epiſcopo etiam injuſte agenti parendum eſt.

Conſectarium Octavum.

VIII. Non omnes limitationes ab Epiſcopis poſitæ Regularibus, ad Confeſſiones audiendas adprobatis, licet non ſerventur, invalidam reddunt abſolutionem. Diximus capite ſuperiore num. 10. poſſe Epiſcopos facultatem Regularibus conceſſam certis limitibus circumſcribere, & conditionibus afficere. Porro poſſunt hæ limitationes, ſeu conditiones vel ipſam Sacramenti ſubſtantiam reſpicere, vel rectum modum illud adminiſtrandi. Limitationes itaque, vel conditiones, quæ ipſam Sacramenti ſubſtantiam reſpiciunt, ſi non ſerventur, nullum & invalidum efficiunt Sacramentum: hujuſmodi ſunt limitationes pertinentes ad perſonas, & tempus. Si enim Epiſcopus pro ſolis adprobet viris, non licita, nec valida eſt abſolutio fœminis data: pariter ſi adprobatio ſit ad annum, vel ſex menſes, expleto præfinito tempore, omnis perit juriſdictio conceſſa, & nullæ ſunt datæ poſtmodum abſolutiones. Tempus tamen aliquando ad ſolum *modum* pertinet; ut cum Epiſcopus vetat Regularibus, ne ante ſolis ortum, vel poſt ſolis occaſum mulierum Confeſſiones excipiant: id enim Epiſcopus præcipit, ut majori, qua fieri poteſt, ſanctitate Sacramentum adminiſtretur, & ut ſiniſtrarum ſuſpicionum occaſio removeatur. Quapropter audiens Confeſſiones mulieris vel ante ſolis ortum, vel poſt ſolis occaſum, illicite quidem ageret; ut invalida non eſſet habenda Confeſſio, niſi forte Epiſcopus adderet, *ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus ipſo facto incurrenda*: tunc enim clare oſtenderet, Epiſcopum reſpicere eam conditionem, tamquam pertinentem ad ſubſtantiam Sacramenti. Limitatio quoque loci aliquando ſubſtantiam reſpicit, aliquando modum. Subſtantiam quidem, ſi Epiſcopus Regularem adprobet tantum pro parvo Oppido, ubi ſitum eſt Monaſterium; quia ſic oſtendit, ſe judicare Religioſum illum idoneum ſolum pro illo parvo loco, ubi raro difficiliores caſus occurrunt, proinde alia ſuæ Diœceſis loca excipere. Modum autem reſpiciunt omnes illæ limitationes, quæ in litteris adprobationis communiter apponi ſolent, videlicet *ut in Eccleſiis tui Ordinis, ubi degis de familia, audire poſſis Chriſti fidelium Confeſſiones;* in aliquibus additur, *& in aliis de licentia Rectorum, & Parochorum:* vel ut in aliis, *in Eccleſiis tui Ordinis, ubi degis de familia, non vero in domibus privatis, niſi infirmorum duntaxat Confeſſiones &c.* quæ formulæ omnes non ita ſunt accipiendæ, quaſi conditionem deſignent, qua non ſervata juriſdictio ceſſet, nullaque, & invalida ſit data abſolutio; ſed ſolum ut modi convenientes ad rite, & recte Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum. Id optime animadverterunt 1. Paſſerinus de Stati-

 bus

bus q. 187. art. 1. n. 183. ſcribens: „ Limitationem illam *in Eccleſia tui Ordinis* intelligendam „ eſſe, non ut conditionem taxativam, ſed ut diſtinctionem modalem ad explicandum id, quod „ eſt de æquitate, ut ſcilicet invitis Rectoribus „ non audiantur Confeſſiones in eorum Eccleſiis “. Clericatus, cujus auctoritas magni hac in re facienda eſt, cum per plures annos in Diœceſi Patavina Vicarii generalis munere functus ſit, To. 2. Decif. 38. de Sacram. Pœnitentiæ nu. 32. ſcribit: „ Verba illa in Regularium approbationibus „ poni *demonſtrative*, non *taxative*; ideſt ut deſignetur locus aliquis, ubi Regulares commiſſum ſibi munus exerceant, non ut quæcumque „ alia loca excludantur “.

Conſectarium Nonum.

IX. Juriſdictio conceſſa per adprobationem ab Epiſcopis ad Confeſſiones audiendas non ceſſat morte, vel amotione Epiſcopi. Veritas hujus doctrinæ patet ex pene univerſali conſuetudine in tota Eccleſia vigente; ſcilicet quod Confeſſarii mortuo, vel translato Epiſcopo ab excipiendis fidelium Confeſſionibus non ceſſant, donec vel taxatum conceſſionis tempus elabatur, vel a ſucceſſore conceſſa revocetur juriſdictio. Ubi & illud obſervandum, non poſſe Vicarium Capituli Sede Vacante conceſſam Regularibus juriſdictionem revocare, ex privilegio Clementis IV. in quo dicitur: „ Ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod licet vobis a nonnullis Patriarchis, Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis audiendi „ Confeſſiones ſubditorum ſuorum ... licentia ſit „ conceſſa, quia tamen ipſis Prælatis decedentibus uti licentia hujuſmodi Eccleſiis ſic vacantibus dubitetis, Nobis humiliter ſupplicaſtis, „ ut providere vobis ſuper hoc paterna dilectione „ curaremus. Veſtris igitur ſupplicationibus inclinati, præſentium vobis auctoritate concedimus, „ ut hujuſmodi caſu poſſitis uti libere prædicta licentia, donec viduatis Eccleſiis proviſum ſit de „ Paſtore “. Porro hoc privilegium nec ceſſaſſe, nec revocatum eſſe, ſive a Tridentino, ſive a poſterioribus Summis Pontificibus, ſed vigere, & vim obtinere, conſtat ex duplici declaratione Congregationis Concilii, altera die 5. Septembris 1603. altera 27. Julii 1604. in quibus ſtatutum fuit: „ Regulares prævio examine approbatos ab Epiſcopo defuncto, non poſſe a Capitulo, ſeu ejus „ Vicario Sede Vacante examinari propter privilegium Clementis IV. “ Ex hoc privilegio, & Deciſione Congregationis fimbrias dilatare ſtatim conati ſunt Regulares, putantes ſcilicet ſibi licere excipere fidelium Conceſſiones, etiam elapſo termino ab Epiſcopo præſtituto, abſque ulla præfati Vicarii adprobatione: quam tamen doctrinam falſam judico; & ſi quis probabilem appellare vellet, nunquam tamen in praxi deducendam: eſſet enim abſolvere cum juriſdictione mere probabili; quod ſuperius oſtendimus nullo pacto licere. Nam Pontifex Clemens IV. ſupponit licentiam ab Epiſcopis conceſſam, etiam poſt eorum obitum, durare: quæ ſi non duret, jam extincta eſt; at audiens Confeſſiones juriſdictione utitur nullo modo conceſſa extra tempus limitatum. Qui hac de re plura volet, legat P. Gabrielem Angelum a Vicentia de *Privilegiis Regularium* P. I. cap. 11. & 12. ex quo illa decerpſimus.

CAPUT QUINTUM.

De Caſuum Reſervatione.

DOCTRINA.

I. *In quo poſita ſit Reſervatio caſuum.*
II. *Quinam poſſint hanc reſervationem apponere.*
III. *Quomodo Regulares Prælati ſibi caſus valeant reſervare.*
IV. *Caſus Summo Pontifici reſervati.*
V. *Bulla Bened. XIV. auferentis poteſtatem abſolvendi complices.*
VI. *Et Epiſcopi quos caſus ſibi poſſunt reſervare.*
VII. *Nonnulla in Caſibus reſervatis notanda.*
VIII. *Peccata mere interna non ſunt reſervanda.*
IX. *Debent eſſe externa malitia mortalia.*
X. *Graviora, & atrociora.*
XI. *Et certa.*
XII. *Quodnam dubium a reſervatione liberet.*

I. CAſuum reſervatio poſita eſt in limitatione, & reſtrictione juriſdictionis in Confeſſario, ſive Parocho, ſive ſolum adprobato, per quam a certis deſignatiſque criminibus abſolvendi caret poteſtate. Porro hujuſmodi limitationem, ſive reſervationem apponere ſolis convenit Supremis Paſtoribus, qui in inferiores Sacerdotes juriſdictionem exercent, ſemperque in uſu fuit in Eccleſia Catholica. Unde docet Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 7. „ Magnopere vero ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus „ noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non a quibuſvis, ſed a Summis „ dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur “. Et jure merito, nam ipſis directe, & præcipue dictum eſt, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Unde ſubdit laudata Synodus: „ Hanc delictorum reſervationem „ conſonum eſt divinæ auctoritati, non tantum in „ externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere “.

II. Poteſtas itaque caſus reſervandi convenit 1. Summo Pontifici, ut docet laudata Synodus loc. cit. ſubdens: „ Unde merito Pontifices Maximi „ pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa „ tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo „ potuerunt peculiari judicio reſervare “. Quapropter merito ſcribit Natalis Alexander de Sacram. Pœnit. cap. 5. Reg. 36. „ Inconcuſſa veritas eſt, eaque ad fidem pertinens, Romanum „ Pontificem in tota Eccleſia poſſe reſervare ſibi „ caſus. Quædam crimina Eccleſia Gallicana agnoſcit Summo Pontifici reſervata, a quibus ne „ abſolvant Confeſſarii, poteſtatem abſolvendi a „ Sede Apoſtolica non habentes, diligenter cavet “. Eadem poteſtas in ſua Diœceſi etiam cuilibet Epiſcopo conceſſa eſt, ut ſubdit laud. Synodus: „ Neque dubitandum eſt, quando omnia, „ quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem „ Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in „ ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat “.

III. Prælatis quoque Regularibus competit hæc po-

poteſtas, cum ordinariam habeant in proprios ſubditos juriſdictionem, & auctoritatem in eos exerceant quaſi Epiſcopalem. Verum hanc poteſtatem Summi Pontifices limitarunt. Nam Clemens VIII. ſuo Decreto edito die 16. Maji anni 1593. 1. undecim deſignavit caſus, præter quos Regulares Prælati alios non poſſint ſibi reſervare. 2. Quod ſi aliud ſit grave crimen, quod ob Religionis conſervationem, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum Superioribus videatur, decernit, ut non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura diſcuſſione, & conſilio. Caſus a Clemente deſignati hi ſunt. 1. Veneficia, incantationes, ſortilegia. 2. Apoſtaſia a Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eo pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conventus fiat egreſſio. 3. Nocturna, & furtiva e Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5. Juramentum falſum in judicio regulari, ſeu legitimo. 6. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto. 7. Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterii, aut Conventus. 8. Furtum de rebus Monaſterii, ſeu Conventus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. 9. Lapſus carnis opere conſummatus. 10. Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ. 11. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores. Hic autem duo ſunt notanda. 1. Non jubere Pontifices, ut Superiores Regulares omnes iſtos caſus ſibi reſervent, ſed quos ſaluti animarum judicaverint expedire, cum non ſit mandatum de reſervatione facienda, ſed de non extendenda ultra præfatos caſus. 2. In Ordine Prædicatorum etiam Priores poſſe ſibi vel omnes, vel aliquos e præfatis caſibus reſervare, habetur in Conſtit. Prolog. n. 10. lit. S.

IV. Circa caſus Summo Pontifici reſervatos optime ſcribit Natalis Alexander l. l. Regula 36. „ In corpore Juris Canonici, in Concilio Tridentino, pleriſque Summorum Pontificum Conſtitutionibus quamplurimæ habentur excommunicationes Summo Pontifici reſervatæ, ſed non omnes ubique receptæ ſunt, aut vigent.... Inter Summorum Pontificum Conſtitutiones, quibus Caſus Romano Pontifici reſervati continentur, celeberrima eſt Bulla Cœnæ Domini, ita nuncupata, quod die Cœnæ Domini quotannis Romæ ſolemni ritu promulgatur “. Qui tamen ſolemnis ritus jam ab aliquibus annis ſub Pontificibus Clemente XIV. & Pio VI. feliciter regnante ceſſavit. „ Verum Bullam iſtam in nonnullis Provinciis & Regnis non eſſe receptam notum eſt. Recepta eſt alicubi. Diſciplinæ res eſt, quam Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum optima Mater, & magiſtra variam in variis Eccleſiis tolerat, tum in hac ſpecie, tum in aliis “. Certum tamen eſt Hæreſis crimen etiam quoad eorum fautores, receptores, & defenſores ubique terrarum agnoſci tanquam Summo Pontifici reſervatum, ſicut & percuſſionem atrocem Clerici, Templorum exuſtionem, ſimoniam, & alia, quæ a Natali Alexandro referuntur, & in Galliis tanquam Papæ reſervata agnoſcuntur. Præterea in Italia, & extra urbem Romam reſervati ſunt Summo Pontifici, etiam reſpectu Regularium, quinque ſequentes caſus deſignati in Decreto Congregationis Epiſcoporum, & Regularium de ſpeciali mandato Clementis VIII. ſcilicet 1. Violatio Clauſuræ Monialium ad malum (ideſt inhoneſtum) finem. 2. Provocatio, & pugna in duello juxta Decreta Concilii Tridentini, & Conſtit. Greg. XIII. incipientem *Ad tollendam*. 3. Injectio violenta manus in Clericos juxta Canonem. 4. Simonia realis. 5. Confidentia beneficialis. Sunt & alii Caſus, quos Clementis VIII. Succeſſores ſibi reſervarunt, in quibus tamen attendenda ſunt Bullarum tenor, & verba: ſi enim ita Pontifices eos caſus ſibi reſervant, Regularium privilegiis derogando expreſſe, & aperte, clarum eſt nec Regulares abſolvere poſſe; ſi vero non derogant privilegiis, ſed ſolum dicant, ea ſibi reſervari, ut a nullo *abſolvi poſſint*, non intelliguntur Regularium privilegia imminuta, ſed ipſos poſſe abſolutionem impertiri.

V. At attendendæ ab omnibus Conſtitutiones Benedicti XIV. circa abſolutionem complicis in crimine. In quarum 1. quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ* data anno 1741. Kal. Junii: I. Innovat Conſtitutionem Gregorii XIV. contra ſollicitantes, & confirmat Decreta omnia hac de re edita a Congregationibus Cardinalium, & iterum ſtatuit, Confeſſarios 1. pœnitentes ſuos ad turpia ſollicitantes denuntiandos eſſe ab eodem Pœnitente; quæ denuntiatio facienda eſt, licet Confeſſarius fuerit ſimplex Sacerdos, nulloque modo ad Confeſſiones excipiendas adprobatus. 2. Licet Pœnitens ſollicitationi conſenſerit. 3. Licet poſt ſollicitationem longum jam effluxerit tempus. 4. Licet ſollicitatio facta ſit a Confeſſario non pro ſe, ſed pro alio. II. Progreditur ad complices in peccato carnali, & 1. Omnes Confeſſarios, ſive Seculares, ſive Regulares cujuſcumque Ordinis, Societatis, Inſtituti in toto Chriſtiano orbe privat juriſdictione abſolvendi ſuos complices in præfato crimine carnali: quam juriſdictionem nunquam quocumque titulo ſive Jubilæi, ſive Bullæ Cruciatæ obtinere poſſint; ſed ſemper data abſolutio a tali complice nulla omnino ſit, tanquam data a juriſdictione carente. 2. Confeſſarios, qui auſi fuerint abſolutionem dare complici, excommunicatione ferit ipſo facto incurrenda, & Sedi Apoſtolicæ reſervata. III. In alia Bulla incipiente *Apoſtolici muneris*, in confirmationem, & declarationem præcedentis data, declarat ſolum in articulo mortis conceſſum, a complice abſolutionem validam dari; at ipſum Confeſſarium & lethaliter peccare, & anathemati ſubjacere. IV. Ut & culpam vitet, & pœnam, in hoc extremo caſu teneri Confeſſarium complicem tota ſedulitate, & ſollicitudine ſatagere, ut alius vocetur Confeſſarius, etiam ſimplex Sacerdos non adprobatus, qui morientis Confeſſionem excipiat, ſi id poſſit citra ſcandalum, & infamiam; alioquin hanc diligentiam, & curam omittens valide quidem abſolvet, at ipſe culpam, & pœnam nequaquam evitabit.

VI. Sunt pro inferioribus Confeſſariis, etiam Regularibus, reſervati caſus omnes, quos Ordinarii in ſuis Diœceſibus, ſive Synodali Conſtitutione, ſive

ſive privato Decreto ſibi reſervant, qui non, ut quidam putarunt, ſola notoria crimina ſibi reſervare poſſunt, ſed, ut Tridentina Synodus aperte declaravit, quæ *atrociora*, *& graviora* ſunt, inter quæ profecto nonnulla etiam occultiſſima. Sapientiſſimus tamen Bened. XIV. in ſuo de Synodo Opere lib. 5. cap. 5. n. 4. Epiſcopis ad inſtar regulæ pro caſuum reſervatione nonnulla generalia monita, & Decreta a Sacris Congregationibus emanata proponit, cujuſmodi ſunt. 1. Ne in reſervatione modum excedant. 2. Ut non paſſim, ſed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervent, quorum reſervatio ad chriſtianam diſciplinam retinendam conferat, & in ædificationem, non autem in deſtructionem cedat; ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrorum coarctata poteſtate, Sanctæ Matris Eccleſiæ piæ menti contrarius effectus ſequatur. 3. Ne ſibi ſuperflue reſervent caſus jam alias Sedi Apoſtolicæ reſervatos. 4. Ne illos caſus promiſcue reſervent, quibus annexa eſt Excommunicatio major, cujus abſolutio nemini reſervata ſit, niſi forte propter frequens ſcandalum, vel aliam neceſſariam cauſam. 5. Neque caſus, in quibus abſolutio, niſi cum reſtitutione, vel executione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur. 6. Neque illos, qui etſi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti verſantur, & frequenter inter idiotas evenire ſolent, ut damni dati, & ſimilium. 7. In peccatis etiam carnalibus reſervandis multa utantur circumſpectione propter periculum ſcandalorum, in iis maxime perſonis, in quas ob acceſſum ad Confeſſarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad Ordinarios, ſuſpicionis aliquid cadere poteſt. Quæ ſaluberrima monita ab Epiſcopis noſtræ præſertim Italiæ cuſtodiuntur, quippe qui & ſumma moderatione, & chriſtiana prudentia paucos ſibi reſervant caſus, & benigniſſime rogantibus Confeſſariis abſolvendi poteſtatem largiuntur.

VII. Sunt itaque in caſuum reſervatione nonnulla notanda. Nimirum 1. Summo Pontifici ordinarie non ſunt reſervata crimina, niſi ob excommunicationem eidem reſervatam, excepto tamen crimine *male promoti*, quod eſt Pontifici reſervatum ex Conſtit. 90. Sixti V. incipiente *Sanctum*, *& ſalutare* &c. abſque ulla tamen excommunicatione. 2. Inutilis eſt reſervatio venialium peccatorum, cum & ſine confeſſione dimitti poſſint, & nullus teneatur venialia peccata confiteri. Inſpecta tamen poteſtate juriſdictionis, per quam & ipſa venialia peccata etiam Sacramentaliter remittuntur, abſolute ſibi reſervare poſſent Epiſcopi: quod tamen merito cavent; ſicut nec peccata mortalia rite per Confeſſionem deleta ſibi reſervant, licet iterum Sacramentalis abſolutionis materia eſſe poſſint.

VIII. Peccata mere interna non ſunt ſibi a Prælatis reſervanda. Ita docet Bened. XIV. de Synodo loc. ſup. laud. ſcribens: „ Illud præ ceteris cavere debet Epiſcopus, ne peccata, quantumvis „ gravia, ſed mere interna, ſibi reſervet: licet „ enim hæc reſervari queant, ſicut docet . . . . „ Suarez ſcribens de Fide diſp. 21. ſect. 4. n. 2. „ *Solent aliqui Epiſcopi etiam hæreſim mentalem* „ *reſervare, quod quidem in ſummo rigore juris* „ *facere poſſunt, quia reſervatio non eſt uſus juriſ-* „ *dictionis externi fori, ſed eſt ablatio juriſdictio-* „ *nis pro foro Sacramentali, quam Epiſcopus ſicut* „ *dare poteſt, ita etiam auferre*; non eſt tamen in „ praxi receptum, ut unquam reſerventur . . . . & „ quinimo Sotus in IV. Diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. „ actus mere interni reſervationem acriter reprehendendam exiſtimat . . . hinc nec Epiſcopi, nec „ Summi Pontifices actus mere internos ſuis reſervationibus complecti unquam conſueverunt “. Unde etſi peccatum hæreſis graviſſimum ſit, ſolum, cum in externum prodit, Summo Pontifici reſervatur, & quamdiu intra animum conſiſtit, reſervationem effugit.

IX. Peccata reſervationi ſubjicienda eſſe debent externa malitia lethali completa. Et primum quidem apparet: quia peccata mere interna, & quæ ſunt in ſe venialia, non ſubjiciuntur ab Ordinariis reſervationi: oportet igitur, ut in peccato & malitia ſit mortalis, & ſit externa. Quare ſi actus exterior ſit in ſe venialis, licet ex interiore malitia fiat mortalis, ut cum quis manum Monialis leviter contrectat, licet animo lethaliter impudico, non incurrit reſervationem conſtitutam pro impudicitia cum Moniali quoquo modo peracta, vel attentata; quia illa levis attrectatio manus veniale peccatum in ſe eſt, & ſolum ex interno pravo affectu mortale. Hinc non leviter hallucinatus eſt Billuartus, dum ſcribit clariſſimum Berti l. 34. c. 5. §. 2. ex proſcriptione propoſitionis Theologi docentis in Veneta Diœceſi (ubi inter caſus reſervatos enumeratur, *quælibet impudicitia cum Monialibus peracta, vel quocumque modo attentata*) docentis, inquam, non eſſe reſervatos actus ſubimpudicos de ſe veniales, *ut vellicare genas, & tangere mammillas*, intuliſſe peccatum externum ex ſe veniale, affectu autem interno mortale reſervari, & opinionem contrariam vocaſſe laxam, & heſternam commentationem. Nam nec per ſomnium ſic docuit Berti, ſed oſtendit actus, quos Venetus Theologus appellabat *ſubimpudicos, & de ſe veniales*, proinde minime reſervationi ſubjectos, licet ex interna mortali impudicitia proficiſcentes, revera, & in ſe eſſe mortales, etiam quoad exteriorem malitiam; & hanc doctrinam Sedem Apoſtolicam confirmaſſe, cogendo Auctorem ad ſuam retractandam propoſitionem; ut videre eſt ex ejuſdem Auctoris retractatione, ex Epiſtolis P. Concinæ ad Epiſcopum N. N. Sic itaque ſcribit Berti l. l. Poſt multa . . . . . Auctor aſſertionem, ſive doctrinam, ſcilicet *vellicare genas, & tangere mammillas eſſe actus ſubimpudicos, & ſolum de ſe veniales*, retractavit, eamque Romana, & univerſalis Inquiſitio proſcripſit die 16. Aprilis hujus an. 1744. Et quidem jure meritoque (ſubdit Berti) prædicti enim actus non *veniales dicendi ſunt, ſed mortales*; quod probat doctrinam Sancti Thomæ qua Auctor laxæ propoſitionis abutebatur ad eam firmandam vindicando, & explicando. Hanc vero erroneam hujus Theologi opinionem, appellantis hujuſmodi actus *ſolum ſubimpudicos, & de ſe veniales*, in individuo, & cum Moniali ſine ulla neceſſitate peractos, cum ſint *de ſe, & externa malitia mortales*, vocavit *laxam, & heſternam commentationem*, non vero doctrinam communem Theologorum, optime docentium actus externos de ſe, & in individuo veniali tantum culpa commaculatos, licet pravo interiori affectu mor-

mortali coinquinentur culpa, non eſſe reſervationi obnoxios. Legatur Opus Italicum inſcriptum *Difeſa della Dottrina dell'Angelico Dottor S. Tommaſo ſopra l' articolo 4. della q. 154. 2. 2.* in Lucca 1746.

X. Peccata, quæ Reſervationi ſubjiciuntur, oportet ut ſint etiam graviora, & atrociora, & in ſuo genere completa. Ita enim inſinuat Tridentinum Concilium, dum ſeſſ. 25. cap. 7. dicit: „ Magnopere ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere .... ut *atrociora* quædam, & *graviora* crimina non a quibuſvis, ſed a Summis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur". Et optime animadvertit piiſſimus Gerſonius in Epiſt. ad quemdam Epiſcopum, moderationem eſſe in caſuum reſervatione tenendam: „ Conſtat enim (ſcribit) certiſſime per plures expertos in Confeſſionibus audiendis tempore iſto, quod reſervatio ſtricta quorumdam caſuum, præſertim in gravioribus, & occultis ſpeciebus peccati carnalis, retrahit innumeros a confeſſione talium peccatorum; ſicut ſunt pueri, & puellæ, & mulieres verecundiſſimæ, & rurales rudiores, a quibus vix poteſt extrahi confeſſio talium peccatorum, quantumcumque Confeſſor ſit ſollicitus, humilis, moroſus, & diſcretus. Quod ſi remittantur ad Prælatum, vel Pœnitentiarium de longinquo, vel in publico, refugiunt, & horrent, expertumque eſt millies, quod non vadunt". Tota legatur Epiſtola, & lectionis non pœnitebit. Reſervantur etiam peccata in ſuo genere completa, niſi forte & ipſa ſceleris attentatio tanta ſit, & turpis, ut reſervationi ſubjici mereatur. Quamobrem ubi reſervatus eſt inceſtus, vel homicidium, ſemper intelligitur in primo caſu conſummata copula cum conſanguinea, vel affine, & in altero mors ſecuta. Eapropter non ſubſunt reſervationi impudicæ actiones, etiam turpiſſimæ, cum conſanguinea, vel affine, ſi abſit copula; nec reſervatur homicidium, licet vulnus & lethale fuerit, & animo occidendi inflictum, ſed mors non eſt ſecuta.

XI. Sunt etiam Theologi, qui non niſi *certa* delicta putant reſervationi ſubjacere; adeo ut quodcumque dubium tollat reſervationem. Verum hæc doctrina non eſt uſquequaque vera. Nam 1. certo non liberat a reſervatione dubium exoriens ex ignorantia, & imperitia Confeſſarii, qui caſus reſervatos vel non legit, vel eſt lectionis oblitus: ſicut enim ut in confectariis dicemus, ignorantia reſervationis in Pœnitente ipſum a reſervatione non liberat; ita nec ignorantia Confeſſarii eam tollit. 2. Nec quæ procedit ex laxo Caſuiſtarum opinandi modo, qui in quocumque caſu rationem dubitandi inveniunt, & contradictorias opiniones, probabiles conſtituunt; qui modus profecto totam chriſtianæ Moralis faciem defœdat, atque corrumpit. Solum igitur difficultas oriri poteſt de dubio prudenti, & a paritate, ac vi rationum pro utraque parte exoriente. Hoc autem duplex eſſe poteſt, nimirum juris, & facti. Juris dubium habetur, quotieſcumque certum eſt admiſſum mortale peccatum, ſed dubitatur, num ſub reſervatione cadat. Dubium vero facti conſurgit, quando certum eſt peccatum eſſe reſervatum, ſed ſolum dubitatur, num vel perfecta deliberatione ſit perpetratum, proinde ſolum veniale ſit habendum, vel Pœnitens dubitat, an commiſerit, vel non.

XII. Non deſunt Theologi, etiam magni nominis, & ſanioris doctrinæ, qui utrumque dubium a reſervatione liberare conantur, inter quos Tournelius, quia, inquiunt, ſecundum Regulam 15. Juris in 6. *Odia ſunt reſtringenda, & favores convenit ampliari*. Et Reg. 9. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*. Porro caſuum reſervationem & inter odioſa enumerant, & pœnalem pronuntiant: quilibet autem Judex in dubio ſemper a pœna reum eximit. Sed probabilius, & quidem verius, alii Theologi cenſent, in dubio facti locum non eſſe reſervationi, cum Superiores nonniſi certa, & lethalia peccata ſibi reſervent; non vero illa, de quibus merito dubitatur, vel an fuerint commiſſa, vel num fuerint mortalia. At in dubio juris delictum reſervationi ſubeſſe optime docent: nam tunc dubia efficitur poteſtas juriſdictionis in Miniſtro, quem directe reſpicit reſervatio, cui conceſſam limitat poteſtatem; licet indirecte & ipſum afficiat Pœnitentem, qui idoneum Miniſtrum quærere debet. Cum igitur dubium eſt, num peccatum certo commiſſum ſit reſervatum, jam dubia eſt in Miniſtro juriſdictio: abſolvere autem cum juriſdictione dubia non licet, cum nec liceat cum juriſdictione probabili, ut ſuperius docuimus, quia periculo fruſtrationis exponeretur Sacramentum; eſt enim juriſdictio neceſſaria ad valorem Sacramenti. Ita docent ſaniores Theologi, & hæc ſententia unice vera, & in praxi tenenda, ut & ipſi fatentur Probabiliſtæ, qui ſolum excipiunt caſum neceſſitatis; quæ tamen exceptio non eſt ita abſolute admittenda: nam neceſſitas pœnitentis juriſdictionem dubiam non efficit certam niſi in articulo mortis, in quo certum eſt nullam eſſe reſervationem. Nec reſervatio inter odioſa eſt recenſenda, cum ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ maxime favens, & plebi Chriſtianæ utilis, in cujus bonum, & ædificationem inſtituta eſt, ut inquit Tridentina Synodus: nec pœnalis ſolum eſt, ſed & medicinalis, quippe quæ gravioribus morbis & efficacius per peritiores Miniſtros medetur; &, ne iterum relabantur peccantes, fortius retinentur.

CAPUT SEXTUM.

De Poteſtate abſolvendi a reſervatis.

DOCTRINA.

I. *A reſervatis quinam poſſint abſolvere.*
II. *Quibus conveniat juriſdictio delegata.*
III. IV. *Quid conceſſum Epiſcopis a Tridentino.*
V. *Ampliſſima Regularium privilegia revocata, vel imminuta.*
VI. VII. VIII. *A quibus caſibus nequeant abſolvere Regulares.*
IX. *Quibus Privilegiis gaudeant circa ſuos Religioſos.*
X. *A quibus nec ipſos valeant abſolvere.*
XI. *Num Prælati Regulares valeant ſuos ſubditos a cenſuris abſolvere.*

I. A Criminibus reſervatis abſolvere poſſunt, qui vel ordinaria pollent juriſdictione, vel ſunt delegata donati. Quamobrem ex primo capite 1. a reſervatis abſolvit ille, qui ſibi reſerva-

vavit: eadem enim ordinaria poteſtate, qua criminum abſolutionem ſibi reſervat, eam etiam impertitur. 2. Abſolvunt etiam, qui reſervanti ſunt in juriſdictione ſuperiores, vel etiam pares. Hinc Summus Pontifex ab omnibus criminibus abſolvit ab inferioribus Prælatis ſibi reſervatis. Archiepiſcopus quoque in actuali viſitatione, non tamen extra illam, abſolvit a criminibus a ſuffraganeo Epiſcopo reſervatis. Nuntii quoque, ſive Legati Apoſtolici, præſertim de Latere, a caſibus Summo Pontifici reſervatis abſolvere poſſunt juxta ſibi datam in Legatione poteſtatem. Inter Regulares vero, quo amplior eſt in Præſule juriſdictio, eo amplior eſt hujuſmodi poteſtas. Hinc Generalis abſolvit a criminibus, quæ Provinciales ſibi reſervant; ſicut & iſti abſolvunt a reſervatis per locales Superiores. Vicarius Generalis Epiſcopi a reſervatis Epiſcopo liberat, cum quo unum Tribunal conſtituit, ſicut & Vicarius Capituli Sede vacante. Qui hac ordinaria pollent juriſdictione, delegatam poteſtatem aliis poſſunt impertiri.

II. Hanc autem delegatam juriſdictionem dupliciter impertiri poſſunt Prælati: 1. directe ipſi Confeſſario, illi concedendo, ut vel ab aliquo, vel a pluribus, vel ab omnibus etiam abſolvere valeat. 2. Indirecte per ipſum Pœnitentem, illi facultatem impertiendo eligendi ſibi Confeſſarium per quem a reſervatis abſolvatur: tunc enim ab ipſo electus Miniſter delegata donatur juriſdictione in reſervata, a quibus Pœnitentem illum poterit abſolvere. Hoc pacto Summus Pontifex quemcumque Sacerdotem aſſumere poteſt in toto Chriſtiano orbe, a quo quibuſcumque peccatis abſolvatur; ſicut & Epiſcopus in ſua Diœceſi quemlibet Sacerdotem aſſumere ad Confeſſarii munus poterit, per quem a ſibi reſervatis abſolvatur, immo extra Diœceſim quoque, ſed ſolum ſibi ſubditum; quod & Prælatis Regularibus aptandum eſt juxta ſuæ dignitatis gradus, & juriſdictionis amplitudinem.

III. In Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 6. conceſſum fuit Epiſcopis, ut poſſint a quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſibi ſubditos in Diœceſi ſua, vel per ſeipſos, vel per Vicarium ad id ſpecialiter deputatum, in foro conſcientiæ abſolvere. 2. Etiam ab hæreſis crimine in foro conſcientiæ, ſed per ſe tantum, non vero per Vicarium. Verum hæc ampliſſima poteſtas limitata fuit per Bullam Cœnæ Domini, in qua adimitur quibuſcumque *etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis* poteſtas abſolvendi a caſibus in ea contentis, & Summo Pontifici reſervatis. Quamobrem in Provinciis, ubi acceptata eſt, ut inquit Juveninus, illi eſt parendum; in aliis vero, ut in Galliis, in quibus vigorem non obtinet, ſua manet Epiſcopis conceſſa a Tridentino poteſtas. Hanc enim diſciplinæ varietatem ad pacem, & concordiam ſervandam tolerat Romana Eccleſia. Quapropter merito eam nonnullorum Theologorum univerſalem doctrinam propoſitione 3. his verbis comprehenſam Alex. VII. damnavit: *Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus ſermo eſt, anno* 1629. 18. *Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata fuit*. In cua proſcriptione, ut egregie notat Benedictus XIV. de Synodo lib. 9. cap. 4. num. 10. licet directe mendacium aſſertæ tolerantiæ revincatur; indirecte tamen & ipſa doctrina reprobatur. Quapropter nec Galliarum Epiſcopi ab hæreſis crimine occulto abſolvere poſſunt: quia ſicut apud ipſos non eſt recepta Bulla Cœnæ Domini, ita nec eſt receptum Decretum Tridentini facultatem abſolvendi ab hæreſi Epiſcopis concedentis; cum ibi nec publicatum ſit, nec receptum fuerit Concilium Tridentinum quoad Decreta *diſciplinam* reſpicientia, ut optime animadvertit laud. Bened. cit. lib. cap. 5. n. 1. & 2. Quamobrem eo in ſtatu ſunt Præſules Gallicani, in quo erant ante Concilium, quando certe crimen hæreſis erat Summo Pontifici reſervatum; cum facultas abſolvendi in eo Concilio data ſit omnibus Epiſcopis. Eapropter Comitia Generalia anni 1585., & plura Concilia Provincialia ſtatuerunt petendum a Summis Pontificibus uſum Decreti Concilii Tridentini, ut oſtendit laudatus Pontifex omnino legendus. Poſſunt tamen ab hæreſi abſolvere Epiſcopi, & Fidei Quæſitores, quotieſcumque aliquis abjurata coram ipſis ſua hæreticali ſecta, ad gregem revertitur Catholicæ Eccleſiæ; quæ abſolutio in externo foro data, valet etiam pro foro conſcientiæ. Ubi & illud notandum, in caſibus ob excommunicationem Summo Pontifici reſervatis, ſi forte reus ab excommunicatione ignorantia, vel alia legitima cauſa excuſetur, ſublatam tunc & reſervationem, proinde poſſe a quolibet Confeſſario abſolutionis beneficium obtinere.

IV. Ab omnibus aliis caſibus Summo Pontifici reſervatis abſolvere poſſunt Epiſcopi, quando crimina occulta ſunt juxta ſibi datam a Tridentino poteſtatem. Negat quidem Fagnanus hanc poteſtatem in caſu violationis Clauſuræ Monialium ad malum finem adductis in Cap. Dilectus 15. de tempor. eod. n. 32. & 33. decretis Sacræ Congregationis, & Declaratione Pontificia ad Archiepiſcopum Florentinum. At concedunt plures Theologi, & Canoniſtæ, Tamburinus de Jure Abbatum, & Abbatiſſarum diſp. 9. qu. 15. n. 1. Monacellus par. 1. in Append. adnot. ad Conſtitut. 8. S. Pii V. n. 4. Donatus in Praxi Reg. T. 4. Tract. 4. q. 8. n. 9. Et in caſu occultæ violationis tum ad vitandum ſcandalum, tum ob difficultatem recurrendi ad Summum Pontificem, vel etiam per epiſtolam ad Sacram Pœnitentiariam, ideo cenſerem, poſſe Epiſcopum abſolvere tum ex præfata conceſſione Concilii Tridentini, tum quia eidem Concilio non apparet aperte derogatum in Bulla S. Pii V. incipiente *Decori, & honeſtati*: tum denique quia ex praxi, & conſuetudine Epiſcopi in tali caſu abſolvunt. Ab excommunicatione quoque lata in can. Concilii Lateranenſis II. contra percuſſores Religioſorum can. *Si quis ſuadente* 24. cauſa 17. q. 4. etiam gravi & enormi abſolvere poſſunt Epiſcopi, ſi occulta ſit. In Galliis tamen, teſte Juvenino, reſervata habetur Summo Pontifici *Percuſſio Epiſcopi, aut alterius Prælati, etiam non atrox, ſicut & occiſio etiam non cruenta, mutilatio membri alicujus, vel atrox, hoc eſt cum copioſa aliunde, quam e naribus, effuſione ſanguinis; aut cum indignitate ali-*

aliqua maxime injurioſa, *percuſſio cujuſcumque in Sacris Ordinibus conſtituti*, *tonſuram*, *& veſtem tum Clericalem*, *tum Religioſam geſtantis*, *nulla facta diſtinctione inter occultam*, *& publicam*, *ſicut & Simonia realis in Ordinibus*, *aut Beneficiis*; item *Confidentia*, cujus criminis in Italia, & excommunicationis, & aliarum pœnarum ipſi inflictarum abſolutionem Summo Pontifici reſervatam communiter cenſent Theologi, & Juris Canonici Doctores.

V. Regularibus ampliſſima olim conceſſa fuere privilegia abſolvendi a quibuſcumque caſibus, ſive Papæ, ſive Epiſcopis reſervatis. At modo hæc Privilegia partim revocata, partim ſunt diminuta. Immo & ab Alex. VII. damnata fuit ceu ſcandaloſa propoſitio 36. aſſerens: *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis*, *quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum*. Et 1. quidem a caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis abſolvere minime poſſunt ex Decreto Clementis VIII., & Urbani VIII. proinde nec ab hæreſi occulta. Quamobrem merito damnata fuit ab Alex. VII. propoſitio aſſerens: *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſeculares ab hæreſi occulta*, *& ab excommunicatione per eam incurſa*. Nec admittenda opinio Lucii Ferraris, & Felicis Poteſtatis affirmantium, licere Regularibus abſolvere a caſibus dubie in Bulla Cœnæ contentis, ea de cauſa, quia in Decreto Congregationis edito anno 1602. juſſu Clementis VIII. quo alterum Decretum explicavit, ea verba omiſit in priori recitata, *clare*, *vel dubie contentis*. Nam ex præfatorum verborum omiſſione non ſequitur conceſſam Regularibus facultatem abſolvendi a caſibus dubie contentis in Bulla Cœnæ, dubio tum juris, tum facti; ſed permiſſum Confeſſariis, ut juxta ſaniorem doctrinam in dubio videant, num ſint abſolvendi in tali dubio verſantes, quos abſolvi poſſe in dubio facti, ut ſuperius docuimus, licite pronuntiamus; in dubio vero juris, aperte inficiamur.

VI. Nequeunt etiam Regulares abſolvere a ſequentibus caſibus in Decreto Clementis VIII. anno 1602. Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Hujuſmodi ſunt 1. violatio immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregorii XIV. 2. Violatio Clauſuræ Monialium ad malum finem (ſcilicet inhoneſtum) facta. 3. Provocatio, & pugna in duello. 4. Injectio manus violentæ in Clericos. 5. Simonia realis ſcienter contracta. 6. Confidentia beneficialis: qui omnes caſus adnexam habent excommunicationem majorem, a qua pariter, utpote reſervata Summo Pontifici, abſolvere nequeunt Regulares. Non abſolute tamen reſervati ſunt præfati caſus, ſed ſolum in Italia, & extra urbem, in qua tamen urbe alio Decreto præfati Clementis interdicitur Regularibus abſolutionem impertiri in caſibus publicis violatæ clauſuræ Monialium ad malum, ideſt inhoneſtum finem, & violatæ immunitatis Eccleſiaſticæ, & a Presbytericidio publico.

VII. Abſolvendi etiam poteſtate carent Regulares a caſibus Epiſcopis reſervatis, & a Cenſuris ab homine latis; nec non ab irregularitatibus diſpenſandi. Primum expreſſe pluribus Decretis, & Conſtitutionibus vetitum Regularibus fuit, & præſertim a Clemente X. in Bulla *Superna* §. 7. expreſſe declaratum, *Habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis*, *non ideo a caſibus Epiſcopis reſervatis poſſe abſolvere*. Quamobrem merito damnata fuit ab Alex. VII. propoſitio 12. quæ aſſerebat: *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis*, *non obtenta ad id Epiſcoporum licentia*. Alterum quoque expreſſe declaratum habetur a Clemente VIII. Conſtit. incipiente *Quæcumque a Sede* ubi ſic habetur: „ Decernimus, „ ut iidem Confeſſarii (de Regularibus loquitur) „ a quavis excommunicatione ab homine lata ab„ ſolvere, & ſuper irregularitatibus, tam ex „ aliquo defectu provenientibus, quam occaſio„ ne delicti contractis, cum aliquo diſpenſare „ prætextu dictorum privilegiorum nullo modo „ poſſint “.

VIII. Sunt & alii excipiendi caſus, a quibus abſolvere non poſſunt Regulares, illi ſcilicet, quos ſibi reſervarunt Pontifices poſt Decretum Clementis VIII. eorum privilegiis expreſſe derogando; ut certe præſtat Bened. XIV. in ſua Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1. dum ſibi reſervat crimen illorum, qui per ſe, vel per alios, Sacerdotes innoxios apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis accuſant; cujus criminis, dicit, ita ſibi, ac Summis Pontificibus Succeſſoribus ſuis abſolutionem reſervare, ut a nullo Sacerdote *quovis privilegio*, *auctoritate*, *& dignitate munito* abſolvi poſſit, niſi in mortis periculo. 2. Quando complici juriſdictionem omnem aufert abſolvendi ſuum complicem a peccato turpi, ubi clauſulas omnes quorumcumque privilegiorum derogatorias profundit; quod tamen factum non lego in ea parte, qua abſolventem complicem, præter nullitatem abſolutionis, etiam anathemate ferit; cujus abſolutionem ſibi, & Succeſſoribus ſuis reſervat, nullo tamen addito verbo privilegiis derogante; quod eſt & in aliis tum ejuſdem, tum aliorum Pontificum, poſt Clementis VIII. Decretum, editis Conſtitutionibus obſervandum; in quibus ſi ſimiles derogatoriæ phraſes legantur, & ipſos Regulares privilegiatos afficiunt, & eorum privilegia vel abrogant, vel reſtringunt. Nec per hoc a Paſſerino noſtro diſſentio, monente ex Conſt. Urb. VIII. ad derogandum privilegiis Regularium nullam eſſe neceſſariam ſpecialem derogationem. Quod verum agnoſco, cum ſatis ſit, ſi Pontifices dicant, ut vidimus in laudata Conſtit. Bened. XIV. *ut a nullo quovis privilegio munito abſolvi poſſit* a reſervato crimine.

IX. Non ita tamen imminuta ſunt Privilegia Prælatorum Regularium quoad ſuos ſubditos: ea enim omnia ferme intacta ſervarunt Pontifices, immo & ampliarunt, & quidem prudenti œconomia, tum ad ſubveniendum prompte piorum Religioſorum ſpiritualibus infirmitatibus, in omnia enim peccata labi poteſt humana fragilitas: tum ad comprimendas pravorum evagationes, ſub obtentu ſpiritualis neceſſitatis adeundi Curiam, vel ſupremos Moderatores fortaſſis longius diſſitos. Poſſunt itaque 1. Superiores Regulares, immo & Confeſſarii ab Ordine adprobati ſuos Concellitas abſolvere ab omnibus iis criminibus, a quibus vel ex ordinaria poteſtate, vel ex privilegio ſeculares poſſunt abſolvere (exceptis tamen caſibus in ipſa Religione a Superioribus ſibi reſervatis, de quibus poſtea dicemus) cum Religioſi non ſint

de-

deterioris conditionis. 2. Poſſunt etiam abſolvere Superiores Regulares Religioſos ſibi ſubditos a caſibus in Bulla Cœnæ contentis. Scio quidem plures, & quidem magni nominis Theologos, & Canoniſtas huic ſententiæ non acquieſcere. At rem R. P. Gabriel Angelus a Vicentia in ſuo Opere de Regularium privilegiis edito Venetiis anno 1768. rem accurate expendit, & adductis Summorum Pontificum Gregorii XI. Martini V. Eugenii IV. Sixti IV. Leonis X. Pii V. & Bened. XIII. luculentiſſimis conceſſionibus, & argumentis in contrarium propoſitis, & per plura capita ſolutis, & dirutis, ita ut affirmantem ſententiam nedum probabilem, ſed & moraliter certam ac tutam, meo videri, reddiderit. Immo eos abſolvere poſſe etiam a crimine hæreſis occultæ nonnulli arbitrantur per privilegium conceſſum a Bened. XIII. in ſua Bulla *Pretioſus* præcedentium Pontificum conceſſiones innovando, & confirmando, quam in hoc articulo revocatam non cenſent a Clemente XII. qui ſolum eam limitavit, & revocavit quantum ad eas conceſſiones, quæ in cauſa erant litium, diſſenſionum, & turbarum inter Epiſcopos & Regulares, inter Regulares & Laicorum ſodalitates &c. Hæc autem conceſſio ſolum verſatur in ſecretiſſimo conſcientiæ, & Sacramenti Pœnitentiæ foro, quod nulli ſubeſt contentioni. At re maturius expenſa, & perlectis Bullis Sixti IV. *Regimini*, Julii II. *Exponi Nobis*, Pii V. invenitur quidem conceſſum Superioribus Regularium, ut a caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis poſſint abſolvere, & etiam reſervatum ſolum crimen relapſus in hæreſim; at ſpecialiter conceſſum, ut a crimine hæreſis etiam occultæ abſolvere poſſint, non legi. Porro cum pluribus tum Summorum Pontificum, tum Congregationum Decretis declaratum ſit, in facultatibus abſolvendi a caſibus in Bulla Cœnæ contentis, facultatem ab hæreſi abſolvendi non cenſeri comprehenſam, niſi *expreſſis verbis* ea concedatur facultas; quam declarationem, & Decreta innovavit, & inculcavit etiam Bened. XIV. in duplici Conſtit. *Inter præteritos* §. 9. n. 85. & *Convocatis* n. 53. non adeo moraliter certum eſt, facultatem ab hoc crimine abſolvendi conceſſam Superioribus Regularibus, ſicut eſt facultas abſolvendi ab aliis criminibus in eadem Bulla contentis; proinde hac probabili juriſdictione uti non auderem in Sacramento Pœnitentiæ.

X. Sunt tamen aliqui caſus omnino excepti, a quibus Superiores nequeunt ſuos ſubditos abſolvere, & hi continentur in Bullis Sixti IV. in Julii II. Sunt autem hujuſmodi 1. Relapſus in hæreſim. 2. Schiſma. 3. Falſificatio litterarum Apoſtolicarum. 4. Delatio prohibitorum ad infideles. 5. Et conſpiratio in Romanum Pontificem. Nec audiendus P. Didacus ab Aragonia, qui primi, & poſtremi caſus reſervationem non admittit. Primi quidem ob privilegium Greg. XIII. conceſſum Præpoſito Generali extinctæ Societatis Jeſu; quod tamen privilegium cum ab ipſo Generali acceptatum non fuerit, immo ei expreſſe renuntiaverit, & modo omnino ceſſaverit, ad alios Mendicantes per fontem exſiccatum manare non poteſt. Poſtremum, quia illius mentio non habetur in generalibus Ordinis ſui Conſtitutionibus. Verum cum expreſſe excipiatur a Julio II. in ea Bulla, qua ampliſſimam concedit Superioribus Regularibus abſolvendi facultatem, ſicut privilegio in eis conceſſo fruuntur, ita & reſervationis onus detrectare non debent.

XI. Poteſtate donantur etiam Superiores Regulares abſolvendi ſuos ſubditos ab omnibus aliis cenſuris, & criminibus ex Eccleſiaſtica lege Summo Pontifici reſervatis, & etiam diſpenſandi ab irregularitatibus, quas ob patrata crimina incurrerint. Id patet ex Bullis Clementis IV. *Virtutis conſpicuos*, Sixti IV. Conſtit. *Regimini univerſalis Eccleſiæ*. Julii II. Conſtitut. 2. Pauli III. Conſtit. *Licet debitum*, Pii V. Conſt. *Dum ad Congregationem*, & alia Conſt. incipiente *Romani Pontificis*, qua expreſſe concedit Prioribus Conventualibus, & cæteris omnibus Superioribus Ordinis Prædicatorum eam facultatem erga proprios ſubditos, qua ex Tridentino donati ſunt Epiſcopi erga Clericos, & Laicos ſibi ſubjectos. Conſtat autem in Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. conceſſum Epiſcopis in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Apoſtolicæ Sedi reſervatis . . . . abſolvere in foro conſcientiæ poſſe. Et poſtremo Bened. XIII. in Bulla *Pretioſus* aperte declarat, Prælatos Ordinis PP. diſpenſare poſſe ſuper quamvis irregularitate, ex homicidio voluntario orta dumtaxat excepta. Poſſe tamen Magiſtrum Ordinis ab irregularitate hujuſmodi diſpenſare cum fratribus ſuis ſubditis, *dummodo homicidium non fuerit apenſatum*, *& intra Clauſtra extiterit conſummatum*. A Cenſuris tamen nominatim inflictis abſolvere minime poſſunt, cum firma ſemper conſiſtere debeat generalis regula: *A Cenſura ſpeciali nominatim lata ab homine, neminem abſolvere vel liberare poſſe, niſi illum, qui eam tulit, ejuſque Succeſſorem, aut Superiorem, aut Delegatum ab illis*, ne confundantur judicia, & quem alter damnavit, alter abſolvat. Excipiendam etiam arbitror irregularitatem ex hæreſi occulta contractam; cum enim ſuperius docuerim, non poſſe Superiores Regulares ab eo crimine abſolvere; cohærenter dicendum eſt, nec ab irregularitate eam conſequente diſpenſandi poteſtate illos donari.

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Ignorantia ſive Pœnitentis, ſive Confeſſarii reſervationem non tollit.*

II. *Impediti accedere ad Summum Pontificem abſolvi poſſunt ab Epiſcopis.*

III. *Ordo Eccleſiaſticus ſervandus etiam in articulo mortis.*

IV. *Quinam ſint Superiores Regulares, qui ſuos ſubditos valeant a reſervatis abſolvere.*

V. *Non licet abſolvere directe a non reſervatis, & indirecte a reſervatis.*

VI. *Inculpabiliter oblitus reſervata, ea pandere tenetur legitimo Miniſtro.*

VII. *Invalida eſt abſolutio a reſervatis data a non habente facultatem, licet inculpabiliter eam largiatur.*

VIII.

VIII. *Quando reſervationi ſubſit, qui extra Diœceſim reſervantis crimen reſervatum committit.*
IX. *Confeſſarius delegatus pro reſervatis poteſtatis ſibi conceſſæ limites non tranſiliat.*

Conſectarium Primum.

I. Ignorantia reſervationis nec in Miniſtro, nec in Pœnitente ipſam tollit reſervationem. Non deſunt benigniores Theologi, qui hujus doctrinæ veritatem vel extenuant, vel inficiantur his argumentis. 1. Quia reſervatio pœna eſt, legem ignoranti non infligenda. 2. Quia excommunicationem non incurrunt eam ignorantes; unde inferunt nec reſervationem. At noſtræ ſubſcribunt doctrinæ tanquam unice veræ pene omnes Theologi etiam Probabiliſtæ; ut videre eſt apud Lacroixium, qui noſtram ſententiam *communiſſimam* vocat. Et revera, cum reſervatio ſit ſubtractio poteſtatis juriſdictionis in Confeſſario, nequit ignorantia hanc poteſtatem juriſdictionis conferre. Utique, reponit Viva; at ſaltem hæc ignorantia impedit, ne Confeſſarii cenſeatur limitata juriſdictio. Et cur cenſeri non debet limitata? Nonne abſolute ſunt reſervati caſus? nonne abſolute indictum Confeſſario, ne a reſervatis abſolvat? nullo igitur fundamento extenditur juriſdictio. Nec urget paritas excommunicationis: ab hac enim excuſare poteſt ignorantia etiam vincibilis, cum in ſolos feratur contumaces. Sunt igitur tanquam falſæ, & laxæ rejiciendæ opiniones nonnullorum Probabiliſtarum, qui docent 1. etiam inadvertentiam ad reſervationem ab ea excuſare. 2. Etiam ignorantiam vincibilem. 3. Poſſe prima vice abſolvi ignorantem reſervationem, ipſum tamen de ea monendo. Nam hæ propoſitiones, ſi quam haberent probabilitatem, cum nullam omnino habeant, adhuc in praxi nullius forent uſus; cum abſolvere nemo poſſit ſola juriſdictione probabili, ut ſuperius oſtendimus.

Conſectarium Secundum.

II. In caſibus Summo Pontifici reſervatis Epiſcopi abſolvere poſſunt illos, qui vel in perpetuum, vel ad longum tempus Sedem Apoſtolicam adire impediuntur. Hi autem potiſſimum ſunt, præter in periculo mortis conſtitutos, 1. Regulares, qui vagari non permittuntur. 2. Mulieres, quæ difficillime admodum Curiam adire poſſunt. 3. In puerili ætate conſtituti. 4. Senes. 5. Infirmi, & qui ſumma debilitate detinentur. 6. Pauperes, qui peregrinationis, & itineris ſubire non poſſunt expenſas; non enim tenentur mendicare, niſi forte talis eſſet eorum conditio, ut ex ſola mendicatione viverent. 7. Subjecti aliis, nimirum mancipia, & filii familias, qui a Patre, & domino recedere non debent. Poſſunt etiam Epiſcopi abſolvere a percuſſione Clerici abſolute ſi levis ſit; a mediocri, & enormi, ſi occulta ſit; vel ſi publica, cum impeditis adire Pontificem. Nonnulla tamen notanda ſunt. 1. Si adſit Legatus Sedis Apoſtolicæ, illum Pœnitentes adire debent. 2. Si res moram patiatur, ad Sacram Pœnitentiariam eſt recurrendum. Nec audiendi Canoniſtæ aliter ſentientes; cum revera abſolute impediti adire Pontificem non dicantur, qui per epiſtolam, vel ſupplicem libellum abſolutionem a Supremo Hierarcha obtinere poſſunt. Puto tamen non teneri mittere procuratorem. 3. Si impedimentum ſit perpetuum, abſolute poſſunt ab Epiſcopis abſolvi ſine onere ſe præſentandi, non quidem ad abſolutionem obtinendam, cum ſint directe abſoluti, ſed ad parendum mandatis Pontificis; ut habetur Cap. *ea noſcitur*, Cap. *de cetero*, Cap. *de Monialibus* tit. 39. *de Sententia Excommunicationis*. Quod ſi ceſſante impedimento non obediunt, in aliam incidunt excommunicationem. 4. Quando ratione impedimenti Epiſcopus poteſtatem habet abſolvendi a reſervatis Summo Pontifici, eam exercere poteſt etiam per alium, videlicet vel generalem Vicarium, vel alium Confeſſarium ſpecialiter ad hoc delegatum: tunc enim ea poteſtas competit Epiſcopo de jure ordinario, quando eam alteri velit delegare. Nulli conceſſa cenſenda eſt facultas abſolvendi ab hæreſi occulta, ne tempore quidem Jubilæi, niſi conceptis verbis talis poteſtas concedatur, ut ſuperius diximus. Similiter nec illi, qui a Sede Apoſtolica facultatem habent abſolvendi a caſibus Summo Pontifici reſervatis, cenſentur poteſtate donati abſolvedi a caſibus Epiſcopis reſervatis, ut declaravit Clemens X.

Conſectarium Tertium.

III. Licet in articulo mortis quilibet Sacerdos poſſit ab omni crimine abſolvere, eſt tamen ordo Eccleſiaſticæ juriſdictionis ſervandus. Explicatur. Nam ſimplici Sacerdoti eſt præferendus Sacerdos pro Confeſſionibus adprobatus; & huic Sacerdos, qui poteſtatem habet abſolvendi a cenſuris, ſi Pœnitens ſit vel reſervatorum criminum reus, vel aliqua innodatus cenſura, quæ Sacramentorum receptionem impediat. Quod ſi ſimplex Sacerdos incepta confeſſione pœnitentem comperiat vel reſervatorum criminum reum, vel cenſura innodatum, non tamen debet a ſuo miniſterio ceſſare, ſed & proſequi poterit confeſſionem, & abſolutionem elargiri; quia tunc eſt legitimus Pœnitentiæ Miniſter, cum in articulo mortis cuilibet Sacerdoti a quocumque crimine abſolvendi, & a quacumque cenſura liberandi ſit per Tridentinum conceſſa poteſtas. Et in Rituali Romano præſcribitur: *Si periculum mortis immineat, deſitque Confeſſarius approbatus, quilibet Sacerdos poteſt a quibuſcumque peccatis, & cenſuris abſolvere.* Nec gravandus Pœnitens in tanto periculo conſtitutus, ut duobus Sacerdotibus confiteatur. Immo Eminentiſſimus de Noailles Archiepiſcopus Pariſienſis in ſua Paſtorali de reſervatis Caſibus declarat: „ Si adeſt, aut „ haberi facile poteſt, qui facultatem habeat ab„ ſolvendi a caſibus reſervatis, abſtinere a Con„ feſſione audienda debet is, qui hanc facultatem „ non habet; niſi tamen prudenter judicaverit ori„ turum tunc ſcandalum, aut moribundum id „ minus ægre laturum “. Servanda tamen ſemper regula in Jure Canonico conſtituta, a D. Th. in IV. Sent. q. 8. a. 3. ad 2. & ab omnibus Theologis recepta, ſcilicet abſolutum in articulo mortis a reſervatis, non eſſe adſtringendum, ſi evaſerit, ſiſtere ſe Superiori; cum pro eo tempore omnis ſit ſublata reſervatio: at non ita, ſi ſit excommunicatione innodatus, vel alia cenſura; nam abſolvi quidem poterit, ſed impoſito onere ſiſtendi ſe

ſe Superiori, & exigendo etiam, ſi opus, ſit, juramentum.

Conſectarium Quartum.

IV. Privilegiis a Summis Pontificibus conceſſis Regularibus pro ſuis ſubditis a cenſuris, & peccatis abſolvendi uti poſſunt etiam Superiores locales, ſcilicet Priores, Guardiani &c., niſi a propriis Conſtitutionibus hæc facultas limitetur. Id patet ex Bulla S. Pii V. qui in hiſce privilegiis pares facit Priores Provincialibus, immo & Generali Magiſtro. Addidi tamen, niſi obſtent Conſtitutiones Ordinis. Nam P. Gabriel Angelus a Vicentia putat in Ordine Minorum localium Superiorum valde reſtrictam, & limitatam eſſe poteſtatem, nec integre in ſuo Ordine acceptatam Bullam S. Pii V. Monet proinde optime P. II. cap. 32. n. 4. quod quiſque debet proprii Ordinis Conſtitutiones, atque ſtatuta conſulere, in quibus ſi Superiores locales a privilegii participatione excludantur, abſtinendum eis erit a prædictæ poteſtatis uſu, atque exercitio. Quod ſalubre monitum & locum habet in alia affini quæſtione, num ſcilicet omnes Confeſſarii in Religione pro Confeſſionibus adprobati valeant, petita licentia Superioris, licet non conceſſa, Concellitas ſuos abſolvere ſemel a caſibus in Ordine reſervatis, an ſolum ad Confeſſiones audiendas a Superioribus deputati. Statuit enim Clemens VIII. ut „ Superiores in ſingulis domibus deputent „ duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubdi- „ torum numero majori, vel minori . . . . quibus „ reſervatorum abſolutio committatur, quando ca- „ ſus occurrit “. At Urbanus VIII. idem Decretum confirmans hujus deputationis non meminit; immo videtur concedere, omnibus Confeſſariis hanc poteſtatem convenire, ſcilicet petendi facultatem abſolvendi a Superioribus; ſubdit enim: „ Sanctitas ſua declaravit, ut ſi hujuſmo- „ di Regularium Confeſſariis, caſus alicujus re- „ ſervati facultatem petentibus, Superior dare „ noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vi- „ ce pœnitentes regulares, etiam non obtenta a „ Superiore facultate, abſolvere, quod eſt & de „ Cenſuris intelligendum “. Verum, ut diximus, attendenda cujuſque Ordinis diſciplina, & praxis.

Conſectarium Quintum.

V. Non eſt certo probabilis opinio, quæ docet, urgente neceſſitate celebrandi, vel communicandi, poſſe Confeſſarium pro reſervatis non approbatum, directe a non reſervatis, indirecte vero a reſervatis abſolvere. Non deſunt Theologi, & quidem magni nominis, & ſanioris doctrinæ, ut ex antiquioribus S. Antoninus, Cajetanus, Soto, aliique, ex recentioribus Habert, Suarez, Dictionarii Pontaſiani Continuatores, & Concina, qui licitam putant in caſu neceſſitatis abſolutionem indirectam a reſervatis, cum onere tamen reſervata pandendi Miniſtro poteſtatem in ea habenti: „ Hunc neceſſitatis articulum excepiſſe Superiorem „ merito præſumitur. Quemadmodum enim te- „ mere præſumitur benignitas Matris Eccleſiæ ne- „ ceſſitate ſublata; ita merito præſumitur non „ ademiſſe ſuis Miniſtris facultatem abſolvendi a „ reſervatis neceſſitate urgente “. Et revera, ſi ea premente neceſſitate, & deficiente copia Confeſſarii, non urget præceptum divinum de Confeſſione præmittenda Euchariſtiæ a coinquinato lethali peccato, unde licite cum ſola contritione accedere poteſt ad Altare; multo magis in eadem neceſſitate ceſſabit præceptum Eccleſiæ de non abſolvendo a reſervatis. Verum hanc doctrinam non puto certo probabilem, ſed nutantem, & dubiam, & quidem ob validiora, quæ contra proferunt argumenta, Sylvius in Supplem. q. 20. art. 2. Ethica Amoris, Pontaſius V. Caſus reſervati, Collector Andevagenſis, & noviſſime Cuniliati. Nam 1. certum eſt abſolutionem datam a non habente vel ordinariam, vel delegatam juriſdictionem nullius eſſe momenti; ut declaravit Tridentina Synodus, quæ ſolum ab hac generali regula *caſum mortis* excipiendo, ceteros neceſſitatis caſus in ea regula incluſiſſe dicendum eſt: in noſtra autem hypotheſi in caſus reſervatos Confeſſarius nec ordinariam, nec delegatam obtinet juriſdictionem: ergo nec abſolvere poteſt. Nec obſtat ceſſare præceptum divinum de Confeſſione facienda, quando non adeſt copia Confeſſarii. Nam præceptum divinum non eſt determinate de Confeſſione præmittenda Euchariſtiæ a peccatore, ſed de *probatione præmittenda*, dicente Apoſtolo: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Porro hæc probatio eo modo præmittenda eſt, quo fieri poteſt, juxta Chriſti, & Eccleſiæ inſtitutionem, ideſt per Confeſſionem, ſi adeſt idoneus Miniſter, vel per contritionem, ſi deſit ejus copia: alioquin liceret in eo caſu confiteri cuilibet Sacerdoti nulla juriſdictione donato, quod nemo dicet. Ceſſat igitur præceptum divinum in noſtro caſu ob deficientiam idonei Miniſtri. Idem dicendum de alio argumento deſumpto ex præſumpta benignitate Eccleſiæ; nam hæc ipſa benignitas poſſet dilatari etiam ad Miniſtrum nullam habentem juriſdictionem: ſi enim urgente neceſſitate pia Mater Eccleſia juriſdictionem confert in caſus reſervatos, cur & præſumendum non eſt concedere in omnia peccata cuilibet Sacerdoti, ne peccator ſine abſolutione ad ſacram Menſam accedat? Hæc igitur præſumpta benignitas non niſi ex quadam conſurgit imprudenti commiſeratione, qua factum vellemus quod Eccleſia fieri minime cenſet. Quid? quod hæc præſumptio meo videri penitus everſa videtur Decreto Clementis VIII. jubentis ſub excommunicationis pœna, ne Miniſter non habens in reſervata juriſdictionem, *in nullo caſu etiam NECESSITATIS, vel impedimenti, niſi in articulo mortis*, ab ipſis reſervatis abſolvat? Accedit & teſtimonium Epiſcopi Narnienſis Nicolai Terzago teſtantis, ſacram Pœnitentiariam adprobaſſe doctrinam, adfirmantem Sacerdotem, qui ad evitandum ſcandalum, vel ob aliud motivum, aut impedimentum a reſervatis abſolvit, excommunicationis incurrere ſententiam, &, ſi celebravit, irregularitatem. Non eſt igitur danda abſolutio directe a non reſervatis, & indirecte a reſervatis, quacumque urgente neceſſitate, mortis excepto periculo.

Con-

Conſectarium Sextum.

VI. Qui inculpabiliter oblitus fuerit confiteri peccatum reſervatum ſive apud communem Confeſſarium, ſive etiam apud alium in reſervata juriſdictionem habentem, tenetur illud iterum confiteri legitimo Miniſtro. Prima hujus conſectarii pars quoad Confeſſionem factam apud communem Confeſſarium, ab omnibus admittitur Theologis ob perſpicuam rationem: quia licet indirecte remiſſum ſit peccatum, adhuc tamen eſt in Confeſſione manifeſtandum; & cum ſit reſervatum, directe non niſi ab habente juriſdictionem poteſt tolli. Altera vero pars de Confeſſione facta Superiori, vel delegato Miniſtro, abſolvendi a reſervatis pollenti juriſdictione, a pluribus impugnatur Theologis, & præcipue a Tournelio, qui putat ablatam eo in caſu reſervationem. 1. Quia eam tenent plurimi Theologi, & tot quidem, ut torrentem efficiant; non ſolent autem Epiſcopi in ſtatutis ſuis (ut ipſe ſcribit) a graviorum Theologorum torrente recedere. 2. Confeſſarius ille vult abſolvere pœnitentem, ut dicit in formula abſolutionis, *quantum poteſt*, *& ille indiget*: vult ergo & a reſervatis abſolvere. 3. Quia ſequeretur etiam tempore Jubilæi illum, qui alicujus peccati reſervati eſſet oblitus, eo elapſo, nonniſi a Superiore, vel habente poteſtatem abſolvi poſſe: quod tamen inficiantur oppoſitæ doctrinæ Auctores. 4. Quia ſic ſtatutum legitur in pluribus Epiſcopalibus Inſtructionibus, quibus declaratur, ablatam in eo caſu reſervationem, ut in Bleſenſi, Eboracenſi, & Pariſina Diœceſibus. Sed hæc minime nos cogunt a poſita doctrina recedere. Nam peccatum per oblivionem inculpatam omiſſum, licet coram Deo remiſſum, eſt tamen adhuc & in Confeſſione pandendum, & idoneo Miniſtro manifeſtandum, ut directe abſolvatur, & Eccleſiæ clavibus ſubjiciatur. Porro in noſtro caſu nunquam directe abſolvitur, nunquam clavibus Eccleſiæ debito ſubjicitur modo: non primo, quando confitetur Sacerdoti in reſervata juriſdictionem habenti, tunc enim per oblivionem omiſit; non quando Confeſſario manifeſtat, tunc enim deeſt in Miniſtro juriſdictio: nunquam igitur directe abſolvitur. Præterea reſervationis effectus minime habetur, videlicet ut Superiori, vel habenti juriſdictionem manifeſtetur, a quo juſta monitione corrigatur, & convenienti ſatisfactione puniatur. Nec obſtant oppoſita argumenta. Non primum; quia Theologorum torrens facile grandeſcit, exundat tum ratione Probabiliſmi dominantis, tum quia ſine examine ſe mutuo exſcribunt, & citant; & præterea non pauci ſunt Theologi, qui noſtræ adhærent doctrinæ ceu probabiliori, qui licet torrentem non efficiant, non tamen contemnendum rivulum conſtituunt. Non 2. quia illa formula, ego te abſolvo, *quantum poſſum*, *& tu indiges*, non ab omnibus adhibetur, nec ab omnibus præſcribitur Ritualibus. Præterea verba illa non ſignificant diſtinctam voluntatem abſolvendi a reſervatis, ſicut & illa verba, *ſi teneris aliquo vinculo excommunicationis*, *ſuſpenſionis*, *& Interdicti*, non important abſolutionem a cenſuris, niſi ignotis: nam compertæ ſunt ab idoneo Miniſtro ſolvendæ. Jubilæum vero eſt gratia ipſi Pœnitenti facta, qua per inculpabilem oblivionem non privatur; proinde elapſo etiam Jubilæi tempore poteſt a reſervatis oblitis abſolvi. Dum e contra, qui Jubilæi tempore irritam ex ſua culpa (ſecus, ſi bona fide) confeſſionem voluntarie facit, etſi reſervata tunc pandat crimina, tamen a reſervatione non liberatur; cum gratia Jubilæi ſolis vere pœnitentibus concedatur. Quod & dicendum de illo, qui ſacrilega Confeſſione reſervata crimina Superiori panderet; nam nec tunc a reſervatione liberatur, quæ a Superiore non confertur, niſi vel per Sacramentalem abſolutionem, vel per delegationem. Statuta autem in pluribus Epiſcopalibus Inſtitutionibus ſolum probant, Epiſcopos illos in eo caſu reſervationem tollere, quod profecto in eorum poſitum eſt arbitrio; non vero ſemper ablatam eſſe reſervationem *jure*, ut ita dicam, *communi*. Id patet in Pariſienſi Decreto, in quo dicitur quidem ablatam eſſe reſervationem, ſed cum hac reſtrictione, *quando* ſcilicet *memor factus non poteſt ad eumdem*, *cui prius confeſſus eſt*, *regredi*: quæ limitatio & fruſtranea eſſet, & injuſta, ſi jam per Confeſſionem habenti juriſdictionem factam, etiam in caſu oblivionis ſublata eſſet reſervatio. Immo Epiſcopus Pariſienſis ea clauſula indicat talem Confeſſionem ad reſervationem tollendam de ſe minime ſufficere; ſed ſolum hoc ipſum concedere, quando difficilis ſit recurſus ad eumdem Confeſſarium. Porro hæc omnia argumenta, & reſponſiones ad objecta id ſaltem evincunt, benignam opinionem vel dubiam eſſe, vel ad ſummum æque, ac oppoſitam probabilem. Eapropter, cum jam docuerimus, minime licitum uti juriſdictione vel dubia, vel ſolum probabili, ſponte conſequitur in praxi eſſe tutiorem eligendam.

Conſectarium Septimum.

VII. Irrita eſt abſolutio data a Confeſſario, qui circa reſervata poteſtate deſtitutus vel ex culpa vel ex oſcitantia Pœnitentem a reſervatis abſolvit. Non deſunt Theologi, qui cenſent, Confeſſarium ex oſcitantia, & ſine culpa abſolventem a reſervatis valide abſolvere; quia prudenter præſumitur eo in caſu Superiorem conferre juriſdictionem. Si enim Deus, inquiunt, peccatoribus indulget peccata, quæ per oblivionem in confeſſione omittuntur; pari pacto præſumendum eſt, eam eſſe Superioris ſibi caſus reſervantis mentem, ut inferior, ſi forte inculpate ex inadvertentia abſolvat, valide abſolvat. Optandum quidem eſſet, ut Superiores hanc ſuam eſſe mentem declararent. Dum tamen hoc non declarant, judicandum juxta id, quod certum & compertum eſt; proinde irritam habendam datam abſolutionem ſive a reſervatis, utpote a Miniſtro juriſdictione carente in reſervata, ſive etiam a non reſervatis, cum judicium ſuum dimidiare non poſſit, & partim abſolvere, partim retinere. Et revera S. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 12. narrat in Concilio Baſileenſi agitatam hanc quæſtionem, & reſolutum, Confeſſario, qui imprudenter abſolvit a reſervatis, curandum, ut legitimam obtinent a Superiore facultatem, „ qua habita (verba ſunt S. Præſulis) „ vocet Pœnitentem, & per aliquem modum coopertum interroget de aliquibus, quæ ſibi confeſ- „ ſus eſt, quaſi volens melius informari, ac ſi non „ ple-

„ plene intellexiſſet, & ſi quæ alia commiſit cri„ mina poſtea; & ſic abſolvat ab omnibus ite„ rum, & tunc, & prius alias auditis“. Putat igitur irritam habitam fuiſſe datam abſolutionem; fruſtra enim ſic præſcriberetur diligentia adhibenda. Quid igitur præſtandum, inquies, hocce caſu a Confeſſario? Reſpondeo, ſi ex culpa abſolvit a reſervatis, excommunicationem incurrit, latam in pluribus Conſtitutionibus contra audentes abſolvere a caſibus & S. Sedi, & Epiſcopis reſervatis. Unde ex hoc novo jure corrigendum, quod docet D. Antoninus 1. p. tit. 17. cap. 4. „Quicumque ab„ ſolvit aliquem ab aliquo peccato, in quo non „ poteſt, ſive quia eſt reſervatum Epiſcopo, ſive „ quia nullam habet poteſtatem, aut auctoritatem, „ quamvis graviter peccet, præcipue quando ab„ ſolvit ſcienter, vel etiam ex ignorantia juris „ craſſa, non tamen cenſuram aliquam, ſeu ex„ communicationem ex hoc incurrit, ſive ſit Cle„ ricus ſecularis, ſive Religioſus dictum abſolvens“. At ſi per inadvertentiam etiam leviter culpabilem, juxta modum inadvertentiæ, peccat, ſed cenſura minime ligatur. Uterque tamen tenetur, ut ſubdit laudatus Præſul, illum, quem ſic abſolvit, „ adviſare de ſuo errore, ſi cognoſcit, vel poteſt „ invenire“. In quo tamen præſtando ſumma eſt adhibenda cautela, tum ne Confeſſionis ſigillum lædat, tum ne pœnitentem turbet, aut ſcandalo afficiat. Poterit itaque illum ad ſe revertentem in ipſa Confeſſione de ſuo errore certiorem facere, & ad poteſtatem habentem remittere, vel ſi facultatem obtinuit abſolvendi, illum ad iteratam ſui criminis confeſſionem provocare, & deinde & de illo, & de aliis peccatis abſolvere. Si vero non accedat, ipſum ad ſe revocet, & petita licentia loquendi de præcedente confeſſione, illum de ſuo errore moneat, atque hortetur, ut ſuæ conſulat ſaluti ad legitimum recurrendo Miniſtrum, vel de obtenta facultate a Superiore certiorem faciat, paratumque ſe oſtendat ad ipſum abſolvendum. Quod ſi denique id præſtare nequeat, quia vel pœnitentem non agnoſcit, vel diſcernere non valet, a Deo ſui ſive flagitii, ſive erroris veniam petat, & pœnitentem illum Deo commendet, ut in ſequenti ſua confeſſione abſolutionem conſequatur, directe quidem a non reſervatis, & indirecte a reſervatis, quibus ſe detineri invincibiliter ignorat; cum in omni confeſſione abſolvantur peccata inculpabiliter vel oblita, vel ignorata.

Conſectarium Octavum.

VIII. Qui crimen commiſit extra Diœceſim Epiſcopi reſervantis, non poteſt in ejus Diœceſi a communi Confeſſario abſolvi. Oppoſitum docet Viva, Dianæ auctoritate munitus, putantis reſervationi tunc non ſubjacere. At minus probabilis eſt habenda hæc doctrina; cum reſervatio ipſum Miniſtrum afficiat, cui eſt juriſdictio limitata. Et patet ex doctrina ſuperius allata cap. 3. n. 8. ſcilicet accedentes ex alia Diœceſi bona fide cum peccatis in ea reſervatis, non tamen in ea, ubi Confeſſionem habet, abſolvi poſſunt: ita ex adverſo, qui ex aliena Diœceſi, ubi aliquod crimen non eſt reſervatum, in alia confiteatur, ubi reſervatum eſt, minime a communi, & non privilegiato Confeſſore abſolvi poteſt; quippe qui juriſdictionem in illa non habet. Idem igitur dicendum & de illo, qui reſervata commiſit extra Diœceſim reſervantis, in hujus enim Diœceſi nonniſi ab habente facultatem abſolvi poterit. Quod multo magis verum eſt de peccato in aliquo Monaſterio Diœceſis, licet Epiſcopi juriſdictioni minime ſubjecto, commiſſo, quod a nullo poteſt abſolvi, niſi ab habente in reſervata juriſdictionem. At aliter dicendum de perſonis Epiſcopi reſervantis juriſdictioni minime ſubjectis; ut ſunt aliquibus in locis Canonici, in omnibus, Regulares: hi enim a reſervatis ab Epiſcopo abſolvi poterunt etiam a non habente ab ipſo Epiſcopo in reſervata juriſdictionem. Et ratio eſt manifeſta: quandoquidem juriſdictio in illas perſonas exercenda non ab Epiſcopo deſcendit, ſed a Superiore Pœnitentis dimanat, qui cum eam tribuat abſque reſervatione, poterit abſolvi reus a reſervatis quidem ab Epiſcopo, at non reſervatis a Superiore juriſdictionem conferente. Nec dicas, Confeſſarium eſſe debere ab Epiſcopo adprobatum. Hoc enim ſolum requiritur, tanquam conditio a Pontificibus præſtituta, ut quis ab exemptis, vel privilegiatis aſſumi poſſit in Confeſſarium; non vero quaſi juriſdictionem accipiat ab Epiſcopo. Hinc Regularis, qui de licentia ſui Superioris ſeculari Presbytero confitetur, abſolvi poterit a reſervatis ab Epiſcopo, at non a reſervatis in ſuo Ordine, a quibus ſolum abſolvi poterit juxta facultatem a Superiore Religioſo confitenti conceſſam.

Conſectarium Nonum.

IX. Confeſſarius delegatus pro reſervatis poteſtatis ſibi conceſſæ limites non tranſiliat. Veritas hujus propoſitionis eſt de ſe manifeſta, & ſolum aliquibus declaratur exemplis. Qui errans petit a Superiore facultatem abſolvendi a crimine non reſervato, quod putat reſervatum, non poteſt ab alio peccato vere reſervato abſolvere; quia tunc nulla in reſervata poteſtate donatur. Confeſſarius facultatem petens pro abſolutione alicujus reſervati ſceleris, non poteſt eam ſibi applicare; nam activa illi conceditur facultas alium abſolvendi, non paſſiva, ut ab alio poſſit abſolvi; quæ duo plane diſtincta ſunt, & ab Epiſcopis tanquam diſtincta habentur. Qui facultatem habet abſolvendi illimitate penitentem ab aliquo caſu reſervato, poteſt illum abſolvere, licet pluries lapſus ſit in idem crimen, antequam abſolvatur; ſecus vero, ſi concedatur limitate pro una vice tantum, vel pro crimine tantum ſemel commiſſo: nam in priori caſu nulla eſt reſtrictio quoad numerum, ſed ſolum quoad ſpeciem; in altero vero facultas limitatur & quoad ſpeciem, & quoad numerum. Qui facultatem habet abſolvendi a caſu reſervato, non tamen facultate donatur abſolvendi a cenſura reſervata. Ut enim docet in ſua Inſtructione Eminentiſſimus Noallius Pariſienſis Epiſcopus: „Cum „ caſus reſervatus non ſit cenſura, nec cenſura ſit „ caſus reſervatus, facultati, quam Epiſcopus con„ cedit a caſibus reſervatis, non conjungitur de ſe „ facultas abſolvendi a cenſuris, quæ illi annexæ „ eſſe poſſunt, ſi modo & illæ cenſuræ ſint & ipſæ „ reſervatæ, nec viciſſim. Cui ergo conceſſa eſt „ facultas abſolvendi a caſibus reſervatis, poteſt „ quidem a cenſuris non reſervatis, ſi quæ ſint

„ anne-

„ annexæ caſibus, quos in confeſſione audiet, pœ„ nitentem abſolvere, non autem ab iis cenſuris, „ quarum abſolutionem ſibi ſuperior reſervavit; „ niſi pariter expreſſe conceſſa fuerit illi facultas „ abſolvendi a cenſuris reſervatis. Debet autem „ confitentem prius abſolvendum a cenſuris ad Su„ periorem remittere, quam eum a peccatis ab„ ſolvere “. Quamobrem, ſi c. ex. in aliqua Diœceſi ſit caſus reſervatus in Clerico publica ebrietas, cui ſit annexa ſuſpenſio ipſo facto incurrenda, & Epiſcopo reſervata, habens facultatem abſolvendi a reſervatis, poterit quidem a crimine abſolvere Clericum, at non a ſuſpenſione liberare, niſi & ad hoc ſit ſpeciali facultate donatus. Quando vero pro ſpeciali caſu requiritur facultas ab Epiſcopo, tunc & abſolvendi a cenſura cenſetur conceſſa facultas. Ut ſi quis petat facultatem abſolvendi ab abortu fœtus animati effectu ſecuto, illique concedatur, cenſetur conceſſa & facultas abſolvendi ab excommunicatione eidem annexa, & Epiſcopo ſpecialiter reſervata, ut declarat laudatus Archiepiſcopus ſubdens: „ Attamen quando conceditur „ facultas abſolvendi a caſu aliquo, aut a caſibus „ aliquibus in particulari, qui expoſiti fuerint „ concedenti facultatem, & quibus annexam cen„ ſuram eſſe fuerit eidem declaratum; tunc ſimul „ conceditur facultas abſolvendi a cenſura anne„ xa. Neque neceſſe eſt tunc facultatem nomina„ tim exprimi “. Ita ex Juvenino, ſive Auctore Tractatus de Sacramentis Tom. 2. cap. 7. §. 8. Denique, qui reſervatum crimen commiſit in confidentiam facultatis obtinendæ, abſolvi poteſt ab habente facultatem abſolvendi vel ab illo, vel omnibus peccatis reſervatis; dummodo non ſit expreſſe appoſita in conceſſione exceptio, *dummodo non peccaverit in confidentiam abſolutionis facilius obtinendæ*: licet enim ſit circumſtantia delictum aggravans, poteſtatem tamen delegatam non minuit.

CAPUT OCTAVUM.

De forma in Sacramentali judicio adhibenda.

DOCTRINA.

I. *Quotupliciter exprimi poſſit abſolutionis forma.*
II. *Ex Inſtitutione Chriſti forma importat actum judicii.*
III. *Verba formæ non fuerunt a Chriſto determinata.*
IV. *Olim in Eccleſia Græca forma deprecativa in uſu fuit.*
V. *Et etiam nunc retineri probabile eſt.*
VI. *Validam eſſe plura oſtendunt argumenta.*
VII. *In Eccleſia Latina formulæ deprecativæ uſus obtinuit.*
VIII. *Qui tamen nec univerſalis, nec perpetuus fuit.*
IX. *Nunc ſolum obtinet forma indicativa.*

I. QUemadmodum cetera Sacramenta, ita & Pœnitentia ſua conflatur materia, quam in actibus Pœnitentis ſitam ſuperioribus Diſputationibus oſtendimus, & forma, quæ ex verbis actum judicialem, abſolutionem, ſeu liberationem a vinculo delictorum ſignificantibus conſtituitur. Porro triplici modo pronuntiari poteſt, ſive exprimi hocce abſolutivum judicium, 1. indicativo, dicendo *Ego te abſolvo*; 2. deprecativo, pronunciando *abſolve, quæſumus Domine, famulum tuum a peccatis ſuis*; 3. imperativo, ut ſi quis dicat, *eſto abſolutus a peccatis tuis*.

II. Ex Chriſti inſtitutione forma Sacramenti Pœnitentiæ actum importat judicialem, quo extrinſecus ore Sacerdotis peccatorum exprimatur remiſſio. Veritas hujus doctrinæ patet ex ipſis verbis Chriſti Domini, quibus abſolvendi poteſtatem contulit Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, exercendam per modum judicii, crimina audiendo, expendendo, & quæ liganda ſunt, quæve ſolvenda, diſcernendo. Sententia vero, quæ pronuntiatur, cognita Rei alicujus cauſa, per modum actus judicialis Reum ſive abſolventis, ſive condemnantis profertur. Itaque ex Chriſti inſtitutione ſat erit, ut forma talis adhibeatur, quæ actum exprimat judicialem peccata remittentem. Qui actus profecto non ſolius ſit mentis, & intellectus, ſed & linguæ, & ore exterius exprimatur; cum Sacramenta ex exterioribus ſignis conſtituantur, ut diximus in Tr. de Sacramentis in genere.

III. Verba, quibus hujuſmodi proferatur Judicium, a Chriſto determinata minime fuere, ſed Eccleſiæ determinationi relicta. Et revera, ſi qua forma conceptis, & determinatis verbis a Chriſto ad remiſſionem peccatorum inſtituta fuiſſet, hæc ex Evangelio, & Canonicis Libris foret deſignanda, non diſcurſu deducenda. Certum eſt autem, nullibi in Scriptura reperiri deſignatum, quibus verbis facienda ſit abſolutio, vel quibus verbis determinate uſi ſint Apoſtoli. Temere igitur affirmabitur, Chriſtum talibus potius verbis indicativis, vel imperativis Sacramenti formam alligaſſe. Cum autem ad Sacramenta conficienda ſicut determinata opus eſt materia, ita & determinata forma opus ſit; utriuſque determinationem Chriſtus in aliquibus Sacramentis, iis præſertim, quæ non in re aliqua materiali, & corporea conſiſtunt, ſed in humanis actibus, ſuæ reliquit Eccleſiæ, quæ, Spiritu S. dirigente, ea decerneret in individuo, quæ ad Sacramenti effectum demonſtrandum magis congrua viderentur; ut diximus præſertim de Formis in Tract. de Sacr. in gen. cap. 5. n. 3. Illud tamen certum eſt, imperativam formam nunquam in Eccleſia adhibitam, ſed ſolum vel deprecativam, vel indicativam.

IV. Olim in Eccleſia Græca formam Sacramentalis abſolutionis verbis deprecatoriis fuiſſe expreſſam, non levibus argumentis oſtendunt plures eruditi Viri. Nam in pluribus Euchologiis, & Ritualibus Græcis non alia præſcripta legitur pro Sacramento Pœnitentiæ forma, niſi per preces, & orationes. Hujus generis Euchologia tria exhibet Morinus lib. 8. cap. 12. unum Cryptæ ferratæ ante annos ſupra ſeptingentos exſcriptum, alterum Barberinum priore multo antiquius, tertium denique recentius, in quibus omnibus pro Sacramenti Pœnitentiæ forma nonniſi preces, & orationes recenſentur. Petrus Arcudius quoque lib. 4. de Concordia Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis cap. 3. confitetur, formam Pœnitentiæ in aliquibus Euchologiis græcis in his verbis conſiſtere: *Domine Jeſu Chriſte, qui dediſti nobis poteſtatem abſolvendi,*

di, *abſolve hunc a peccatis ſuis:* in aliis vero exemplaribus ſic exprimi: *D. N. J. C. qui dedit Apoſtolis ſuis poteſtatem, quæ per illos tranſiit ad nos, abſolvat te, ſive condonet tibi peccata tua.* Idem confirmant plures, qui apud Græcos de Sacramentis ſcripſere, Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Theologia Rerum Eccleſiaſticarum, Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis in lib. de Sacramentis, ubi de Sacramento Pœnitentiæ, Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ cap. 29. aliique, quorum teſtimonia legi poſſunt apud Morinum loc. laud.

V. Hunc antiquiſſimum Eccleſiæ ſuæ morem adhuc retinere Græcos, teſtantur I. eorum Euchologium, ſive Rituale Venetiis impreſſum anno 1638. ubi quatuor aſſignantur Orationes. Prima hunc titulum exhibet: *Oratio ſuper eos, qui ſunt in Pœnitentia:* 2. *Oratio ſuper eos, qui de pœnis pœnitentialibus ſolvuntur:* 3. *Oratio ſuper Pœnitentes:* 4. abſque titulo; in his autem omnibus nihil deprehenditur, quod indicativam formam ſapiat, ſed meras continent preces, & ſupplicationes. II. Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha in prima reſponſione ad Lutheranos, qua Auguſtanam Confeſſionem refutat cap. 11. de Confeſſione peccatorum, abſolutionem tribuit precibus Sacerdotum ſcribens: „Quidquid vero aut propter oblivionem „omiſerit... oramus miſericordem, & mitiſſimum „Deum, ut & hæc quoque remittantur, & confidimus ea ipſi remiſſum iri". III. Morinus ſincere teſtatur, ſe Romæ commorantem Græcum Sacerdotem, in Collegio Græcorum adoleſcentibus Græcis Præfectum, interrogaſſe de forma Sacramenti Pœnitentiæ, ab eoque accepiſſe, formam abſolutionis Græcis uſitatam, & vulgarem hanc eſſe, quam manu ſua deſcripſit: *Ipſe Domine remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia tua eſt potentia, tuum Regnum Patris.*

VI. Validam fuiſſe, & modo eſſe hanc uſurpatam a Græcis deprecatoriam formam, hæc ſuadere videntur argumenta. 1. Clemens VIII. in Inſtructione ſuper ritibus Græcorum edita anno 1595. *in* „*caſu neceſſitatis* (inquit) Presbyteri Græci Catholici poſſunt Latinos abſolvere, & utantur forma abſolutionis in generali Concilio Florentino „præſcripta; & poſtea, ſi voluerint, dicant Orationem illam deprecativam, quam *pro forma* hujuſmodi abſolutionis dicere conſueverunt". Ex quo Decreto duo comprobantur, ſcilicet 1. formam apud Græcos uſitatam etiam hiſce temporibus eſſe deprecativam, cum dicat „*pronuntiata forma* juxta Decretum Florentini Concilii, addere poſſe orationem illam, qua tanquam *forma* uti conſueverunt. 2. Pontificem hanc formam non improbare, immo tanquam validam agnoſcere; cum ſolum Græcos Sacerdotes Catholicos adſtringat ad formam indicativam adhibendam, quando in caſu neceſſitatis Latinorum aliquem abſolvunt. Unde colligitur, quando Græcorum confeſſiones audiunt ſola forma deprecativa utentes, valide abſolvere. 3. Non eſt præſumendum Eccleſias, in quibus Euchologia ſuperius laudata adhibebantur, ſolam deprecativam formam pro Sacramento Pœnitentiæ deſignantia, hoc Sacramento caruiſſe, & invalide illud miniſtraſſe. 4. Præterea nullum invenitur Decretum, nullus canon formulam deprecativam univerſaliter damnans, & tanquam ineptam rejiciens: nec enim quæ indicativam neceſſariam decernunt, (præter quam quod recentiſſima ſunt) ſolam latinam reſpiciunt Eccleſiam; & ita hanc ſtatuunt, ut tamen alium Eccleſiæ Græcæ morem non improbent.

VII. In Eccleſia quoque Latina, ſaltem in aliquibus Eccleſiis, viguit uſus formulæ deprecativæ. Et quidem hoc evincunt plura Pontificalia, & Ritualia, quæ ſolam deprecativam formam exhibent, cujuſmodi ſunt Sacramentarium S. Gregorii ab Hugone Menardo editum. Ordo Romanus ab Amalario, & Alcuino Caroli M. Præceptore citatus, Liber de Divinis Officiis ab eodem Alcuino conſcriptus, Pœnitentiale Halintgerii Cameracenſis lib. 19. aliique. Confirmant & Sancti Patres Latini, qui paſſim affirmant, pœnitentes orationibus Sacerdotum abſolvi. S. Ambroſius lib. 3. de Spiritu S. cap. 8. inquit: „Homines in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent; neque enim ſuo, ſed in „Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine peccata dimittuntur. Iſti rogant, Divinitas donat". S. Hieronymus in Pſ. 28. ſcribit: „In unoquoque „noſtrum flammam libidinis per confeſſionem, & „gratiam Spiritus S. intercidit, ideſt per orationem Sacerdotis facit ceſſare". S. Leo M. epiſtola 28. alias 91. „Indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequit obtineri". Et poſt pauca repetit: „Multum utile, ac neceſſarium „eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem „Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur". S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 6. „Manus impoſitio (ideſt Sacramentum Pœnitentiæ) non ſicut „Baptiſmus repeti non poteſt: quid enim eſt aliud, „niſi oratio ſuper hominem"? Et clarius adhuc Serm. 99. Donatiſtarum arrogantiam dicentium, *ego peccata dimitto*, redarguit exemplo Chriſti, qui non dixit Mulieri, ego remitto tibi, ſed fides tua te ſalvam fecit. Porro ſi etiam apud Catholicos tunc temporis obtinuiſſet uſus indicativæ formæ; profecto Auguſtini reprehenſionem Donatiſtis factam, in ipſum, & in Catholicam Eccleſiam retorquere potuiſſent. Conſtat igitur aliquando deprecativæ formæ uſum & in Latina Eccleſia obtinuiſſe.

VIII. Hic tamen uſus nec univerſalis, nec perpetuus fuit. Nonnulla enim reperiuntur antiquiora monumenta, quæ etiam indicativæ formæ uſum in aliquibus Eccleſiis obtinuiſſe indicant. Hujuſmodi ſunt. 1. Liber Sacramentorum, quem exhibet Hugo Menardus additum Sacramentario S. Gregorii ex codice ſcripto juſſu Ratoldi Corbejenſis Abbatis, qui obiit anno 986. in quo hæc legitur abſolutionis forma: *Abſolvimus vos vice Divi Petri, cui Deus ligandi, atque ſolvendi poteſtatem dedit.* 2. Ordo Romanus typis impreſſus hanc exhibet formam: *Ego dimitto tibi peccata tua.* 3. Codex, qui reperitur in Bibliotheca Eccleſiæ Rothomagenſis antiquitatis octingentorum & amplius annorum, cum precante formula etiam indicativam conjungit. Sic enim in eo legitur: *Abſolvimus te, vice B. Petri, cui Dominus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi dedit, & quantum ad te pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio. Sit Deus omnipotens tibi vita, & ſalus, & omnibus peccatis tuis indultor, qui vivit, & regnat &c.* His Clariſſimus Vir P. Martene lib. 1. de antiquis Ec-

Eccleſiæ Ritibus cap. 6. art. 5. alia quatuor addit venerandæ antiquitatis Ritualia, nempe Pontificale Egeberti Eboracenſis Epiſcopi litteris Saxonicis exaratum, Anglicanum, cujus character nongentos annos refert, Gelonenſe vetuſtiſſimum, & Remenſe S. Remigii; quæ omnia formulam indicativam pro Sacramentali abſolutione aſſignant.

IX. Licet Seculo decimo tertio adhuc perſeveraverit in aliquibus Eccleſiis uſus formulæ deprecativæ, eo tamen labente ita exploſus fuit, ut ſola poſtmodum obtinuerit indicativa formula. Ita oſtendit Petrus Cantor, qui in Academia Pariſienſi floruit circa annum 1200. quique in Summa de Sacramentis, quæ MS. ſervatur in Bibliotheca Victorina fol. 248. ſolam deprecativam exhibet formam. Guillelmus quoque Pariſienſis, qui floruit circa annum 1230. cap. 19. de Sacramentis, diſcrimen aſſignans inter abſolutionem fori Eccleſiaſtici, & laicalis ait: „ Non more judicum ſo„ rinſecorum pronuntiat Confeſſor, abſolvimus te, „ non condemnamus; ſed magis Orationem facit „ ſuper eum, ut Deus abſolutionem, & remiſſio„ nem, atque gratiam ſanctificationis tribuat “. Denique Auctor Anonymus, contra quem adhuc viventem ſcripſit S. Thomas Op. 22. ajebat circa annum 1260. „ *Vix anni triginta elapſi ſunt, cum* „ *omnes ſola forma deprecativa uterentur* “: quod D. Th. in reſponſione minime negat. Ita quidem ſub initium tertii decimi Seculi; at illo decreſcente aliter res ſe habent. Nam D. Th. laud. Opuſc. ſic citato Scriptori, objicienti in favorem formulæ deprecatoriæ auctoritatem Guillelmi Altiſiodorenſis, Guillelmi Pariſienſis, & Hugonis Cardinalis, reſpondet cap. 2. „ Sibi de eorum mente, at„ que ſententia non conſtare, ſed ſi, inquit, et„ iam nunc viverent, præjudicare non poſſent „ ſententiæ Magiſtrorum Pariſiis regentium, qui „ contrarium ſentiunt, decernentes, abſque his „ verbis, *Ego te abſolvo*, abſolutionem non eſſe „ per ſolam deprecatoriam Orationem “. Franciſcus quoque Majoronus Ord. Min. qui floruit initio quartidecimi ſeculi, narrat in Provincia Provinciæ adhuc ætate ſua nonnullos deprecativa abſolutionis forma uſos fuiſſe, ſed ſtatim improbatos. Et revera deinceps ſola indicativa præſcripta deprehenditur in omnibus libris Ritualibus, & tanquam eſſentialis a Theologis defenditur.

X. Forma indicativa magis eſt inſtitutioni divinæ conformis. Ita oſtendit S. Th. laud. Opuſc. cap. 1. ſcribens: „ Poteſtas tradita Petro eſt po„ teſtas clavium. Poteſt ergo habens claves dice„ re, *te abſolvo*. Nec hoc ſolum convenienter di„ cere poteſt, ſed & neceſſarium eſſe videtur; „ quia Sacramenta novæ legis efficiunt id quod „ figurant . . . In Sacramento autem Pœnitentiæ „ verba Scripturæ, quæ maxime ſpectanda ſunt, „ non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, „ ſed magis ipſa verbo indicativo utitur. Non e„ nim dicit, *quæcumque petieris eſſe ſolvenda*, *e„ runt ſoluta*, *ſed quæcumque ſolveris &c.* Si er„ go illa tantum dicuntur eſſe ſoluta, quæ ha„ bens claves ſolverit, qui autem petit aliquid „ eſſe ſolvendum, non ſolvit; miror, qua teme„ ritate aliquis aſſerat eſſe ſolutum, quem habens „ claves non ſignificat ſe ſolvere, ſed ſolum ro„ gat eſſe ſolvendum “. Et cap. 2. rurſum ſcribit: „ In Sacramentis verba efficaciam habent ex „ inſtitutione divina: unde tenenda ſunt verba „ determinata conſonantia divinæ inſtitutioni. In„ ſtitutioni autem dicenti, *quodcumque ſolveris* „ *&c.* hæc verba conveniunt, *ego abſolvo te*, ac „ propterea tenenda ſunt “.

XI. Sola forma indicativa eſt modo adhibenda ad valorem abſolutionis, dicendo, *Ego te abſolvo a peccatis tuis*. Patet manifeſte hujus doctrinæ veritas ex duobus Conciliis Florentino, & Tridentino. In hoc enim poſtremo ſic ſtatuitur ſeſſ. 14. cap. 3. „ Docet S. Synodus Sacramenti Pœniten„ tiæ formam, in qua præcipue ejus virtus ſita „ eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe, *ego te* „ *abſolvo &c.* quibus quidem de Eccleſiæ Sanctæ „ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, „ ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam „ ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti admini„ ſtrationem ſunt neceſſariæ “. Quod Decretum jam anteverterat univerſalis Eccleſiæ Latinæ conſuetudo per quatuor ſecula, ut videre eſt ex D. Th. laud. Opuſc.

CAPUT NONUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quænam ſint verba formæ integre ex præcepto Eccleſiæ proferenda in Sacramento Pœnitentiæ.*
II. *Invocatio SS. Trinitatis non eſt de eſſentia formæ.*
III. *Nec probabilius verba* a peccatis tuis.
IV. *Bene quidem deſignatio ſubjecti per verbum* Te,
V. *Senſus formæ abſolutionis eſt effectivus.*
VI. *Non licet ſub conditione formam abſolutionis proferre.*
VII. *Abſolutioni a peccatis præmittenda abſolutio ab Excommunicatione.*

Conſectarium Primum.

I. OMnia hæc verba, *Ego abſolvo te a peccatis tuis*, ſunt ex præſcripto Eccleſiæ in abſolutione Sacramentali proferenda. Patet hujus doctrinæ veritas, quam omnes admittunt Theologi, ex ſtatutis Eccleſiæ, quæ in omnibus Ritualibus talem præſcribit verborum formam, a quibus recedere, præſertim in materia tam gravi, lethale peccatum eſſet, niſi excuſaret urgens neceſſitas. Confirmat & Conciliorum Florentini, ac Tridentini auctoritas, quæ dum ſtatuunt formam Sacramenti Pœnitentiæ in illis reponendam eſſe verbis, *Ego abſolvo te*, addunt *&c.* quæ ſigla indicant, & cetera verba in Ritualibus præſcripta eſſe recitanda, nec ullo modo omittenda, ſaltem tanquam pertinentia ad integritatem formæ.

Conſectarium Secundum.

II. Invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis per illa verba, *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, ad eſſentiam formæ Sacramentalis non pertinet. Aliter quidem ſentit Durandus. At poſita doctrina communis eſt apud Doctores D. Th. ſequentes, qui 1. p. q. 84. art. 3. ad 3. ſcribit: „ Quia Sacerdos ſicut Miniſter abſolvit, convenien„ ter apponitur aliquid, quod pertinet ad primam „ auctoritatem Dei, ut ſcilicet dicatur, *Ego ab-*

„ *ſolvo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus* „ *Sancti*, vel per virtutem Paſſionis Chriſti, vel „ auctoritate Dei . . . . Quia tamen hoc non eſt „ determinatum ex verbis Chriſti, ſicut in Ba- „ ptiſmo, talis appoſitio relinquitur arbitrio Sa- „ cerdotis ", ſcilicet non tanquam libere dimittenda, ſed ceu non abſolute neceſſaria. Ratio autem eſt illa, quam indicavit D. Th. quia ſcilicet Chriſtus Dominus non indixit Apoſtolis, ut a peccatis ſolverent in Trinitatis, ſicut juſſit illis, ut baptizarent *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Nec hujus invocationis neceſſitatem agnovere Concilia Tridentinum, & Florentinum, quam tanquam eſſentialiter adhibendam monere non omiſiſſent.

Conſectarium Tertium.

III. Nec eſſentiale eſt habendum pronomen *Ego*, immo & probabilius nec illa verba *a peccatis tuis*. Et quidem de pronomine *ego* nulla eſt difficultas, cum manifeſte contineatur in verbo *abſolvo*. De aliis verbis acrius diſputantes Salmanticenſes, ſeptem integras onerant paginas, ut illorum neceſſitatem evincant. Verum noſtra doctrina auctoritate nititur D. Th. qui l. q. art. 3. aperte & expreſſe docet, eſſentialem abſolutionis formam in ſolis illis verbis *Ego te abſolvo* conſiſtere, ita concludens poſt adductas probationes: „ Unde patet, „ quod hæc eſt convenientiſſima forma hujus Sa- „ cramenti, *ego te abſolvo* ", nec ſiglam *&c.* addit, ut denotet ſe exacte, & integre omnia enuntiaſſe verba, quæ ad abſolutionis formam eſſentialiter requiruntur. Idem confirmat etiam Romanus Catechiſmus, doctrinam exponens Tridentini Concilii P. II. de Sacramento Pœnitentiæ num. 14. „ Ac quoniam Sacramenta id ſignificant, quod „ efficiunt, & illa verba, *Ego te abſolvo*, oſten- „ dunt, peccatorum remiſſionem hujus Sacramen- „ ti adminiſtratione effici; planum eſt, hanc eſſe „ Pœnitentiæ perfectam formam ". Confirmat & ratio manifeſta. Ea enim verba ſolum de eſſentia Sacramentorum reputantur, quæ ad illius effectum ſignificandum ſunt neceſſaria. Porro hoc habetur in ſolis verbis *abſolvo te* ſuper pœnitentem præſentem, confitentem, & veniam petentem prolatis. Nec obſtat non ſignificari, a quo abſolvatur. Nam nec in forma Sacramenti Baptiſmi exprimitur, a quo ſubjectum lavetur, & a quo ſorde mundetur anima; & tamen prolata ſuper infantem, & Catechumenum remiſſionem ſignificat peccati originalis, & etiam actualium. Abſolutio autem a Cenſuris, & extra confeſſionem dari poteſt, & determinatam non requirit formam. Ita quidem probabilius evincunt argumenta. At cum certo non oſtendant, & illa verba non eſſe eſſentialia, libenter Tournelii ſententiȩ ſubſcribo, ſcilicet lethaliter illos peccare, qui ea omittunt, cum nullitatis periculo Sacramentum exponant; & impenſa ſine illis abſolutio eſſet, repetita ſaltem in genere confeſſione, iterum danda.

Conſectarium Quartum.

IV. Subjecti deſignatio per verbum *Te* eſt de eſſentia formæ: unde per ſolum verbo *abſolvo* eſſentialis non habetur Pœnitentiæ forma. Aliter quidem ſentit Dominicus Soto, unica contentus voce *abſolvo* ad eſſentialem formam. Verum noſtra doctrina, & ceterorum omnium Theologorum gaudet approbatione, & manifeſte oſtenditur. Quia vox *abſolvo* nimis vaga eſt, & indeterminata, nec ex circumſtantia pœnitentis præſentis, & peccata ſua confitentis ſatis determinatur, cum adhuc, num abſolutio ad alium dirigatur, dubitari poſſit. Quod confirmatur aliorum Sacramentorum exemplo, in quibus expreſſio perſonæ ſuſcipientis eſt de eſſentia; ut in Baptiſmo, in quo dicitur *Ego baptizo TE &c.* & in Confirmatione, ubi dicitur *Signo Te ſigno Crucis, confirmo TE chriſmate ſalutis*. Et quidem cetera verba *a peccatis tuis* virtualiter incluſa reputari poſſunt in verbo *abſolvo*; cum ad ſola remittenda peccata ſit Sacramentum inſtitutum: at perſona, niſi aliquo modo in particulari exprimatur, nullo modo deſignata cenſetur. Qui vero verba formæ mutaret, ſervato tamen ſenſu, inutile non efficeret Sacramentum, dicendo c. ex. *Condono tibi peccata tua. Sint tibi remiſſa peccata. Tibi peccata dimitto*, & ſimilia: at graviter peccaret ritum Eccleſiæ mutando; ſecus vero, ſi ſenſum immutarent. Recolantur, quæ diximus de Sacramentis in genere Diſſert. 3. cap. 3. n. 4.

Conſectariam Quintum.

V. Senſus Sacramentalis abſolutionis eſt effectivus, videlicet non ſolum declarantur peccata coram Deo eſſe remiſſa, ſed revera delentur, & remittuntur. Continet hæc propoſitio doctrinam Catholicam adverſus hæreticos. Nam ſi Chriſti Domini verba perpendantur, quibus Apoſtolis, & Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata conceſſit, illa non merum miniſterium, nec nudam declarandi peccata remiſſa indicant facultatem; ſed veram eadem remittendi, & relaxandi poteſtatem inferunt. Dixit enim Chriſtus, *quorum remiſeritis peccata &c. Quæcumque ſolveritis &c.* non quæ *remiſſa, vel ſoluta declaraveritis*. Quod clarius apparet, dum Petro Claves dedit Regni Cælorum. Porro Claves ad aperiendum, non ad afferendum oſtium apertum traduntur. Quid quod, nonne Chriſtus dixit, ſe mittere Diſcipulos, quemadmodum fuerat ipſe a Patre miſſus? Nemo autem neſcit Chriſtum in mundum a Patre miſſum, non ut declararet remiſſa peccata, ſed ut ipſe vere remitteret. Idem confirmant omnium ſeculorum Patres, tum Grȩci, tum Latini, quorum teſtimonia uno, aut altero recitato ſolum indigitabo. Ex Græcis S. Jo. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio cap. 6. ſcribit: „ Corporis lepram purgare, immo potius nullatenus purgare, ſed purgatos probare Judæorum „ Sacerdotibus licebat. Hi vero (Sacerdotes ſci- „ licet Eccleſiæ Chriſti) non lepram corporis, ſed „ immunditiam animæ, non purgatam probandi, „ ſed prorſus purgandi poteſtatem acceperunt ". Paria habet & S. Baſilius, explicans illa Evangelii verba, *invenietis aſinam alligatam, ſolvite &c.* Ex Latinis vero S. Ambroſius lib. I. de Pȩnit. cap. 2. „ Impoſſibile videbatur per Pȩnitentiam pecca- „ ta dimitti: conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis, ab „ Apoſtolis ad Sacerdotium officium tranſmiſſum „ eſt ". Conſentiunt S. Hilarius in cap. 16. Mat. Sanctus Pacianus epiſt. ad Sympronianum, & paſſim

ſim ceteri Patres. Denique hanc veritatem definiere Concilia. Conſtantienſe adverſus Wicleffum, & Hus, docentes Sacerdotes non habere poteſtatem abſolvendi hominem confitentem; & deteſtantem peccata. Florentinum ſtatuens, Pœnitentiam eſſe Sacramentum, quo ſpiritualiter ſanamur; ejuſque effectum eſſe abſolutionem a peccatis. Et denique Tridentinum can. *9.* „ Si quis dixerit, „ Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſ„ ſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium „ pronuntiandi, & declarandi remiſſa eſſe pecca„ ta confitenti . . . anathema ſit.

Conſectarium Sextum.

VI. Sacramentalem abſolutionem ſub conditione nonniſi raro, & in caſu extremæ neceſſitatis dare licet. In Tract. de Sacramentis in genere Diſſ. 3. cap. 4. Conſect. *6.* oſtendi, in Sacramentis iterabilibus non licere formam ſub conditione proferre, niſi in caſu extremæ neceſſitatis. Idem dicendum de forma Sacramenti Pœnitentiæ, quam, ut ibi diximus, ſub conditione proferre non licet, niſi quando dubitatur, num Pœnitens ſenſibus ſit deſtitutus, num ſigna vitæ dederit, confeſſionis, & doloris. Recolantur inibi dicta, & apparebit, quam falſa ſit & improbabilis plurium Probabiliſtarum doctrina, licitum docentium abſolutionem ſub conditione dare, quando ſola afferuntur peccata mortalia dubia; quando dubitat, num juriſdictionem obtineat in pœnitentem vel in ejus crimina; & denique cum pueris, quando dubia eſt eorum capacitas, & ignorantia, & num ſint ſufficientem rationis uſum adepti. In hiſce enim omnibus caſibus debet Miniſter abſolutionem ſuſpendere, & differre, donec certus ſit de Pœnitentis requiſita diſpoſitione, de ſufficientia materiæ, & certam obtinuerit juriſdictionem. Pueros vero erudire debet, & pluries probare, donec certam materiam, & certum in ipſis uſum rationis deprehenderit. Alioquin innumera hinc ſcaturiunt crimina. Nam Pœnitentes de hac conditione ignari, ſe revera abſolutus exiſtimant, proinde ad alia accedunt Sacramenta; & ſic ſacrilegia ſacrilegiis addunt, & cumulant. Similiter nec ſub conditione de futuro, ſi reſtitues, ſi occaſionem peccandi vitaveris, licet abſolutionem impertiri; nam & nullum eſſet, ac irritum Sacramentum, cum non ſit in arbitrio Sacerdotis effectum Sacramenti ſuſpendere; & ſatis eſt, ſi ſincero animo reſtitutionem proponat, & fugam occaſionis, de quo firmo propoſito cum moraliter certus eſt Sacer Miniſter, abſolutionem abſolute poterit impertiri. Similiter nec abſolute dari poteſt abſenti, ut oſtendimus Differt. 3. de Confeſſ. cap. 1. n. *9.*

Conſectarium Septimum.

VII. Abſolutioni Sacramentali præmittenda eſt abſolutio ab excommunicatione; nec repetenda Sacramentalis abſolutio ſine nova confeſſione. Prima pars eſt de ſe comperta. Nam excommunicatio impedit receptionem Sacramentorum; quamobrem qui excommunicatum non excommunicatione ſolutum Sacramentaliter abſolveret, graviſſime peccaret; ſicut & qui talem reciperet abſolutionem, niſi ignorantia ipſum excuſaret; proinde minime beneficium conſequeretur abſolutionis. Ita docet & S. Th. in Suppl. q. 24. a. 1. ad 3. „ Cum „ excommunicatus non ſit particeps Sacramento„ rum Eccleſiæ, Sacerdos non poteſt abſolvere ex„ communicatum a culpa, niſi ſit prius abſolutus „ ab excommunicatione “. Altera quoque pars eſt manifeſta: nam formam applicare non licet niſi certæ, & præſenti materiæ. Si itaque non adſint actus Pœnitentis peccata ſua confitentis, & deteſtantis, forma abſolutionis inepte applicatur, & ſacrilegium committitur Sacramentum profanando. Cum ſcrupuloſis itaque, qui dum abſolvuntur, & actum Contritionis renovare conantur, diſtractionibus abrepti, ſe de peccatis omiſſis dicunt cogitaſſe, proinde dubitant, num idoneum dolorem habuerint, ſic agendum puto, ut primo quieſcant, & ſciant, doloris actus Confeſſioni præmiſſos adhuc durare; licet novum actum ſub ipſa abſolutione producere omiſerint. 2. Si turbentur, & non quieſcant, injungendum, ut iterum de peccatis ſe accuſent dicendo, de criminibus, quæ modo manifeſtavi, iterum me accuſo, & deteſtor; & iterum nulla conditione adjecta abſolvantur. Valet autem abſolutio ſimul pluribus data, ut fit in caſtris, dum ſimul abſolvuntur milites mox pugnam inituri.

CAPUT DECIMUM.

De Abſolutione neganda, & differenda.

DOCTRINA.

I. *Aliquando prudenter, & ſalubriter differtur abſolutio.*
II. III. IV. *Quibus, & quando.*
V. *Nulli ſit injuria, etiam piis hominibus, ſi quando differatur.*
VI. *Quando ſit neganda, vel differenda abſolutio. Regula I.*
VII. *Regula II.* VIII. *Regula III.* IX. *Regula IV.* X. *Regula V.*
XI. *Regula VI.* XII. *Regula VII.* XIII. *Regula VIII.* XIV. *Regula IX.*

I. NIhil eſt adeo certum, & exploratum apud Probabiliſtas, & benigniores Theologos, quam Pœnitentes ſatis probatos, vel nulla egentes probatione jus habere ad ſtatim abſolutionem obtinendam, adeoque graviſſime peccare Miniſtrum, ſi impertiri differat: hanc enim gravem reputant injuriam Pœnitenti allatam, graviſſimum illi impoſitum onus iterum ſe ſiſtendi Confeſſario, & iterum eadem repetendi peccata. Immo eos non pudet Sacramentum Pœnitentiæ inter contractus enumerare, *facio ut facias*, ut Billuartus, qui, ut a nomine invidiam amoveat, *Sacrum contractum* appellat. Illos vero ſatis probatos, vel probatione non egentes reputant, qui peccata ſua confitentur, & ea deteſtari ex animo profitentur, nec caſus habent reſervatos. Verum hoc principium nec certum, nec exploratum exiſtimo; immo profectui, & utilitati Pœnitentium plurimum obeſſe poſſe arbitror. Plures enim occurrunt caſus, in quibus talibus Pœnitentibus abſolutionem differre licitum, & utile eſſe poteſt: unde ſacer, & ſtudioſus Miniſter non ſolum diffe-

rendo non peccat, ſed prudenter, ſapienter, utiliterque ſaluti conſulat Pœnitentis.

II. Et 1. quidem licet abſolutionem differre peccatoribus in aliquod grave flagitium lapſis, ut adulterii, homicidii, ſacrilegii, pollutionis, & per aliquod tempus in ipſis immoratis, licet prima vice de illis confiteantur, & ſe deteſtari profiteantur. Nam Concilium Tridentinum de quocumque peccatore docet ſeſſ. 14. cap. 8. „ Juſtitiæ rationem exigere, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter vero, qui ſemel a peccati, & Dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint “. Quis autem ſit ille alius modus, ſtatim explicat, ſubdens: „ Sine magnis fletibus, & laboribus divina id exigente juſtitia pervenire ad vitæ novitatem nequaquam poteſt Pœnitens, ut merito Pœnitentia laborioſus Baptiſmus a SS. Patribus dicta fuerit “. Prudenter igitur, & ſtudioſe prꝙſtaret Miniſter, qui his peccatoribus abſolutionem differens, eos interim in actibus doloris, ac deteſtationis, in petitione veniæ, in exercitio piorum, & laborioſorum operum detineret. Nam licet fieri poſſit, peccatorem etiam ſceleſtiſſimum repente divinæ gratiæ ſubſidio juſtum effici, & ſanctum, ut in Matthæo, Saulo, Magdalena, Zacchæo factum legimus in Evangelio; hæ tamen converſiones miracula ſunt gratiæ, non providentiæ ordinariæ diſpoſitiones. Quare optime ajebat S. Ambroſius in verſ. 38. Pſ. 118. „ In ipſa Eccleſia, ubi maxime miſereri decet, teneri quam maxime debet forma juſtitiæ, ut ne quis a communionis conſortio abſtentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata (Paſchatis fortaſſis) vel etiam levioribus fletibus communionem, quam *plurimis* debet poſtulare temporibus, *facilitate* Sacerdotis extorqueat . . . Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. Hoc ideo dictum eſt, ut ſciamus *ſecundum Verbum Dei*, *ſecundum rationem* diſpenſandam eſſe miſericordiam debitoribus “.

III. Differtur etiam licite, & ſalubriter abſolutio illis, qui pluribus annis, nonniſi ſemel in Paſchate confiteri conſueverunt, & intra annum in plura peccata ſunt prolapſi; licet forſitan in nullo habitum contraxerint. Nam manifeſtum eſt ex hac accedendi ad Confeſſionem accidia dimanare in crimina prolapſum; proinde ſalubriter ad Confeſſionem frequentandam ſunt impellendi, & iterum ad ſe ſiſtendum Confeſſario pluries jubendo. Hinc enim oritur, quod innumeri ſint, qui in Paſchate confitentur; pauciſſimi autem admodum ſint, qui convertantur: ſi enim ex corde ad Deum eſſent converſi, media ad conſervandam gratiam non negligerent, experientia edocti, ex ea dilatione Confeſſionis relapſus in peccata profluere.

IV. Prudenter etiam differtur abſolutio, quando Miniſter timet, ne abſolutione ſtatim data facilius Pœnitens in peccata relabatur. Nam prudenter differtur medicina, quæ licet etiam nunc data prodeſſet, tamen ad aliquod tempus dilata magis creditur profutura: & periti Medici eſt, id non ſolum curare, ut æger, quam amiſit, ſanitatem cito recuperet; ſed ut & recuperatam diu conſervet, nec brevi iterum amittat. Ita revera docet S. Auguſtinus in Pſalm. 6. „ Quod facile ſanatur, non multum cavetur; ex difficultate autem ſanationis erit diligentior cura receptæ ſanitatis “. Quod confirmat & S. Gregorius: „ Omnis curatio quanto difficilius acquiritur, tanto acquiſita cautius cuſtoditur “.

V. Immo nulla fit injuria etiam piis hominibus, ſi aliquando ex vehementi tentatione, vel ex ſubita occaſione, vel ex fragilitate in aliquod lethale crimen, præſertim turpe, & inhoneſtum, lapſis differatur abſolutio. Ita enim egit S. Paulus, qui inceſtuoſum Corinthium non ſtatim abſolvit, licet ſummam triſtitiam oſtenderet; ſed poſt aliquod tempus, ne abundantiori triſtitia abſorberetur. Ita & S. Jo. Evangeliſta, qui juvenem quidem latronem factum quæſivit, convertit, ad Eccleſiam reduxit; nec tamen abſolvit, niſi poſt lacrymas, & orationes. Ita etiam antiqua Eccleſia non ſtatim lapſis veniam dabat, ſed per tempus ſtatutum in pœnitentia detinebat. Hoc enim pacto fit, ut majorem concipiant peccati horrorem, magis ad pœnitentiam excitentur, interim actibus doloris, humilitatis, & pœnitentiæ ad abundantiorem gratiam recipiendam ſe diſponant. Nec ſolum licet aliquando, & prodeſt Pœnitentibus abſolutionem vel negare, vel differre; ſed aliquando & neganda eſt, & differenda. Quamobrem ſequentes ſunt attendendæ Regulæ.

Regula Prima.

VI. Neganda eſt abſolutio verſantibus in occaſione proxima voluntaria; differenda conſtitutis in occaſione neceſſaria. Veritas hujus propoſitionis clare conſtat ex iis, quæ fuſe diſputavimus tum in Appendice ad Tract. de peccatis cap. 9. in plures paragraphos diſtributa, tum in ſexto Decalogi præcepto cap. 4. conſect. 7. 8. & 9. ex quibus locis tota habebitur doctrina tum de occaſione peccandi, tum de neganda, & differenda abſolutione in occaſione proxima conſtitutis. Solum hic pauca addam ad monendos Confeſſarios, ne fidant Inſtructioni practicæ pro Confeſſariis, editæ ab Illuſtriſs. Epiſcopo Ligorio, in qua plura habentur certe minus vera. Hic ſiquidem cap. 4. definiens occaſionem proximam voluntariam, dicit eam eſſe, quæ *facile* tolli poteſt. Amabo, quid ſibi vult illud *facile*? Num facile eruitur oculus, num facile amputatur brachium? Immo nonniſi ſummo dolore, non ſine magno detrimento fit tanta amputatio; & tamen faciendam eſſe Chriſtus jubet. Quid eſt autem oculus, vel brachium ſcandalizans, niſi occaſio proxima in peccatum inducens. Eſt igitur etiam cum magno detrimento, & cum ſumma difficultate tollenda, quando ad eam auferendam ſola ſufficit Pœnitentis voluntas. Legatur conſectarium 8. mox laudatum. Neceſſariam autem eam appellat occaſionem, quam evitare non poteſt Pꝙnitens *ſine gravi damno*. At quodnam eſt hoc grave temporale damnum, quod in occaſione proxima perſeverantiam voluntariam, ſcilicet ex voluntate pœnitentis unice pendentem licitam reddat? Nonne perſeverantia voluntaria in occaſione proxima peccandi, independenter a ſceleribus, quæ in ipſa committuntur, eſt de ſe peccatum mortale? In qua Theologia licitum dicitur peccatum mortale ad grave damnum vitandum?

Li-

Licebit ne concubinæ, ne ad mendicitatem redigatur, cum ſuo concubinario morari? Licebit ne concubinario concubinam retinere, quia, ſi eam ejiciat, magnam auri copiam illi mutuo datam amittit? Quid magis evangelio contrarium, dicenti, *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Quando igitur voluntaria eſt occaſio peccandi, nonniſi ea amputata omnino, & ablata abſolutionem impertiantur Confeſſarii.

Diſtinguit deinde piiſſimus Præſul occaſiones *per ſe ſtantes, che ſono in eſſere*, ut concubina domi retenta; & occaſiones occurrentes, *che non ſono in eſſere*, ut quando quis popinas frequentans, ſe inebriat, rixatur, ludens in blaſphemias erumpit, cum mulieribus converſatus pravis rapitur oblectationibus, in obſcoena vel verba, vel tactus prorumpit: & conſtitutos in primo occaſionis genere non eſſe abſolvendos, niſi ſublata occaſione, & ejecta concubina, optime dicit; at in alia ſpecie occaſionis poſitos, ſi emendationem firmam polliceantur, ſecundo, & tertio etiam eſſe abſolvendos pronuntiat: ac S. Caroli ſe munit auctoritate ita, ut ipſe ſcribit, docentis in Inſtructione Confeſſariorum. At nil tale legere eſt loco laudato, ubi hæc ſolum habet ſanctiſſimus Præſul: „ In „ illis vero occaſionibus (quæ re ipſa non exi- „ ſtunt) ut alea ludere communiter, in venereis „ aſpectibus diu eſſe, converſari periculoſe cum „ fœminis, perdurare in actibus impudicis, ſi „ eis nuncium remittere non polliceatur, vel ſi „ ſpoponderit, alias tamen cum eodem fidem fe- „ fellerit, vitam non emendaverit, abſolutionem „ differat, uſque eo dum emendationis quædam „ argumenta videbit “. Ita S. Carolus, qui nec ante, nec poſt aliud addit ad occaſiones peccandi pertines. Nunc quæro, ubi in doctrina S. Caroli mentio de abſolutione *bis, & tertio* danda in talibus conſtitutis occaſionibus? Cum immo non niſi de ea differenda loquatur. Quomodo ita liberaliter pro ſua doctrina S. Carolum citat Ligorius, lectores ſuos incaute fallens? At inquies, S. Carolus diſtinguit inter verſantes in occaſione proxima per ſe exiſtente, & verſantes in eadem occaſione non per ſe ſtante, ſed occurrente; priores dicit non abſolvendos; ergo poſteriores indicat eſſe ſaltem bis, & tertio abſolvendos. Fateor hanc diſtinctionem probare S. Pontificem: at in priore dicit abſolute negandam abſolutionem, *abſolvere non debet*; in ſecundo caſu differendam tantum. Et ratio eſt manifeſta: nam cum prima occaſio unico tollatur actu, nec niſi imperium poſtulet voluntatis, neganda abſolutio, donec hunc actum eliciat: at in ſecundo caſu, cum Pœnitens per plures actus repetitos vincere debeat, & declinare occurrentes occaſiones, probandus eſt, num revera ſit fortiter, & perſeveranter pugnaturus; eo vel maxime cum dilata abſolutione adhuc ſemel, & bis datam fidem non ſervaverit. Sit itaque certa, inconcuſſa, firma regula, in occaſione proxima conſtitutis vel negandam, vel differendam abſolutionem, donec de receſſu ab ea, de ejus abruptione ſacer Dei Miniſter factus ſit certior.

Regula Secunda.

VII. Differenda abſolutio conſtitutis in occaſione proxima neceſſaria, illa ſcilicet, quam tollere, & abrumpere non eſt in ſola voluntate Pœnitentis; cujuſmodi eſt filii-familias peccantis cum famula matris, quam expellere domo non poteſt, inter conſanguineos, vel affines in eadem familia viventes. Licet enim hæc occaſio non ſit in illis peccatum, quia, ut inquit S. Baſilius in Conſtitut. Monaſt. cap. 4. *in hujuſmodi caſibus homo non amat periculum, cum illud invitus ſubeat*; tamen eſt illi cum duplici hoſte conflictus, nimirum & cum concupiſcentia carnis urgente, & cum externo objecto exterius alliciente, & fortaſſis etiam trahente. Debet itaque ſtudioſus Miniſter his opportuna ſuppeditare remedia, quibus a peccatis cavere poſſint. Hujuſmodi autem ſunt, quæ ſuggerit D. Carolus Borromæus in ſua pro Confeſſariis Inſtructione ſcribens: „ Debet illi præcipe- „ re, ne cum tali perſona ſolus colloquatur, vel „ converſetur, orationes aliquas, carniſque ma- „ cerationes illi præſcribere, & frequentem in pri- „ mis Confeſſionem, aliaque ſimilia “. Ut vero prima vice abſolvi poſſint, concedit laud. SS. Pręſul, his tamen conditionibus. 1. Si differri non poſſit abſolutio ſine periculo, vel infamia Pęnitentis. 2. Si veræ contritionis ſigna manifeſta deprehendat Confeſſarius. 3. Si Pœnitentem diſpoſitum, paratumque ad remedia emendationi ſuæ neceſſaria amplectenda, & exequenda reperiat: „ Quod „ ſi tamen (ſubdit) hac jam a ſe, aut ab alio „ Confeſſario diligentia Pœnitens emendatus non „ fuerit, non abſolvatur “.

Regula Tertia.

VIII. Eſt quoque differenda abſolutio conſtitutis in occaſione proxima, non abſoluta, ſed reſpectiva, impellente ſcilicet in peccata, non ex ſe, & indole ſua, ſed ob infirmitatem, vel malitiam Pœnitentis: cujuſmodi ſunt quidam actus, officia, munia, fortaſſis de ſe non illicita; ſed in quibus conſtitutus Pœnitens frequenter labitur in peccata. Hæc, inquit laudatus S. Præſul, ſunt: „ ſæ- „ culi vitio, Bellum, Negotiatio, Magiſtratus, „ Advocatorum, Procuratorumque (nec non chi- „ rurgi fœminas medentis) profeſſio, in quibus „ quis ſæpius mortaliter peccare conſuevit, blaſ- „ phemiis, furtis, injuſtitiis, calumniis, odiis, „ fraudibus, perjuriis, pravis cogitationibus, & „ aliis ſimilibus, ex quibus novit Confeſſarius, „ quod ſi in his exercitiis perſeveret, eædem illi „ occurrent peccandi occaſiones .... quamobrem „ in eadem peccata relapſum iri prudenter judi- „ cari poteſt. Ideo qui ſic affecti ſunt, aut debent „ a profeſſione ipſis periculoſa omnino abſtinere „ (ut ait S. Auguſtinus) aut certe illam non ex- „ ercere ſine licentia, & ſub moderatione probi „ alicujus, prudentiſque Sacerdotis; quia *non de- „ bet abſolvere* hominem in eo ſtatu conſtitutum, „ cum probabiliter judicat ad eadem peccata re- „ verſurum, ſi in iiſdem occaſionibus perſeveret, „ ſed per aliquod tempus emendationem ejus o- „ portet experiri “.

Regula Quarta.

IX. Nec ſtatim abſolvendi, qui in peccata frequenter relabuntur, & *recidivi*, ſeu *conſuetudinarii* vocantur. Priuſquam ad hanc confirmandam regulam progrediar, quinam ſint recidivi, & conſuetudinarii eſt explicandam. Probabiliſtæ ad recidivum conſtituendum tria cenſent requiri. 1. Ut frequenter relabatur poſt plures habitas confeſſiones. 2. Ut relapſus ſit in eadem peccata, puta blaſphemias, furta, impudicitias. 3. Defectus omnis etiam inchoatæ emendationis. Hinc recidivitas definitur ab ipſis; *Frequens reincidentia in eadem peccata, poſt multas confeſſiones, abſque ulla emendatione.* Hoc pacto conſuetudinarios, & recidivos confundunt, qui duo tamen ſunt accurate diſtinguendi. Nam conſuetudinarii ii quidem ſunt, qui ex habitu peccandi jam imbibito in eadem peccata relabuntur. Recidivi vero, qui etſi non in eadem peccata, in illa quidem, & rurſus in alia relabuntur. Quamobrem omnes quidem conſuetudinarii recidivi ſunt; at non omnes recidivi conſuetudinarii. Et 1. quidem conſuetudinarii illi non ſolum ſunt dicendi, qui poſt plures Confeſſiones in eadem crimina ſunt prolapſi; ſed qui etiam poſt aliquas, puta binas, vel ternas eadem omnino afferunt peccata: & iſtis eſt differenda abſolutio. Nam vel peccandi conſuetudinem jam imbiberunt (habitus enim mali, & præcipue concupiſcentiæ, vel iræ inſervientes quam facillime aſſumuntur) vel jam in proximo ſunt periculo conſuetudinem, & habitum efformandi. Si primum, probandi ſunt, & per dilationem abſolutionis emendatio procuranda. Si ſecundum, eadem dilatione terrendi, ut a peccato recedant, ne per repetitos lapſus fiant conſuetudinarii. Porro quam juſta, quam ſancta, quam utilis ſit hæc regula, nemo eſt, qui non videat: ab ea proinde minime eſt recedendum. Qui vero poſt Confeſſiones jam ſunt conſuetudinarii effecti, iſtis eſt abſolutio non ſolum differenda, ſed abſolute neganda; illiſque aperte indicendum, niſi reſipiſcant, & pravam deponant conſuetudinem, ad Sacramenta ineptos eſſe, immo tanquam indignos repellendos. At ſimul oſtendendum, nullam eſſe tam inveteratam conſuetudinem, nullum tam intime invectum habitum, quem deponere non poſſint, ſi obfirmato animo, & ſtabili propoſito velint, & ſtatuant. Sunt interim opportuna ſuggerenda media ad emendationem conducentia; puta jejunium etiam auſterum in ſolo pane, & aqua ſponte aſſumendum toties, quoties labitur, liberalis eleemoſyna, in ipſo lapſu externa humiliatio terram deoſculando, & alia, quæ & ſtudium ſalutis animarum, & prudentia maxima, & præcipua Confeſſarii virtus pro tempore, circumſtantiis, & qualitate peccati ſuggeret, & ſuppeditabit.

Regula Quinta.

X. Inter recidivos ii ſunt connumerandi, qui frequenter in peccata labuntur, licet non eadem. Hoc inficiantur Probabiliſtæ, ut vidimus: at noſtra doctrina unice vera eſt, utpote plane conformis indoli, & naturæ Sacramenti Pœnitentiæ. Hoc enim, ut etiam ſuperius oſtendimus, de ſe poſtulat *firmum*, & *univerſale* propoſitum abſtinendi ab *omnibus* mortiferis peccatis; proinde dolere pœnitentes tenentur de quacumque gravi culpa, & firmum concipere conſilium cavendi ab omnibus, & ſingulis flagitiis lethalibus adſtringuntur. Non minus itaque recidivi dicendi ſunt illi, qui in diverſæ, ac qui in ejuſdem ſpeciei flagitia frequenter labuntur; & ſolum in hoc differunt, quod in eadem peccata labentes recidivitati conſuetudinis habitum adjungunt. Audiantur Patres quos recidivos afferunt. S. Cæſarius, ſive Auctor Sermonis inter Auguſtinianos in Appendice 117. de Tempore: „ Multi aſſidue ſe dicunt peccatores, & tamen illos adhuc delectat peccare. „ Profeſſio eſt, non emendatio; cauſatur anima, „ non ſanatur; pronuntiatur offenſa, non tollitur. „ Pœnitentiam *certam* non facit, niſi odium peccati, & amor Dei “. Porro quodnam odium peccati concipi poteſt in illo, qui peccata peccatis accumulat, licet diverſi generis? Quinam amor Dei in illo, qui diſtinctis quidem, ſed repetitis peccatis Deum inceſſanter offendit? S. Gregorius par. 3. Paſtoralis adm. 31. „ Admonendi ſunt, qui „ admiſſa plangunt, nec tamen deſerunt, ut conſiderare ſollicite ſciant, quia flendo inaniter ſe „ mundant, qui vivendo nequiter ſe inquinant; „ cum idcirco lacrymis lavant, ut mundi ad ſordes redeant “. Profecto, qui admiſſa plangunt peccata, ea certe non deſerunt, ſi iterum ad peccata, licet ab iis, quæ planxerunt, diſtincta redeant; nec minus animam inquinant, quam ante flendo mundaverant, qui in eadem, ac diverſa labuntur peccata. Sed quid auctoritatibus opus eſt, cum ipſum naturale lumen id evidenter oſtendat? Quis enim dicet, illos vere de ſuis peccatis doluiſſe, qui ſingulis annis, ſingulis menſibus, in omnibus B. V. vel aliis ſolemnitatibus ad ſacrum Tribunal accedunt, & modo plures confitentur fornicationes, modo repetita adulteria, ſubinde plura furta, poſtmodum blaſphemias ex ore evomitas, aliquando detractiones, poſtmodum perjuria, & ſupplantationes, & hoc quidem per plures, decem, viginti, triginta annos? Quis inquam ſanæ mentis hoc dicat, ſemper vere pœnituiſſe, ſemper eſſe remiſſionem, & gratiam ſanctificantem conſecutos, & proinde ſimul ſemper fuiſſe & Pœnitentes, & Peccatores? Quis chriſtianam arbitrabitur vitam, quæ nonniſi in perpetua verſatur reciprocatione peccatorum & Pœnitentiæ, Confeſſionum & relapſuum? Hi profecto nunquam vere pœnituiſſe, nunquam Dei gratiam obtinuiſſe dicendi ſunt; ſed eam cucurriſſe viam, *quæ videtur homini recta, noviſſima autem ejus ducunt ad mortem*: ſibi enim blandiuntur, dicentes, *omnia ſemper ſum confeſſus peccata, nullum unquam reticui, de omnibus dolui, ab omnibus abſolutionem obtinui, ſatisfactiones complevi, ſalvus ero*; dum interim nunquam ſe emendarunt, flagitia ſupra numerum multiplicarunt, criminibus crimina cumularunt. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte* & ſuper falſam iſtorum Pœnitentiam, & feralem Confeſſariorum indulgentiam!

Regula Sexta.

XI. Neganda abſolutio iis, qui inimicitias, & odium contra proximum in corde gerunt, vel de pace rogati recuſant, vel communis benevolentiæ ſigna denegant. Statuta hæc regula a S. Carolo Borromæo in Inſtructionibus Sacramenti Pœnitentiæ, & juſtiſſima eſt, & Evangelicæ doctrinæ apprime conformis, dicente & docente Chriſto: *Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Nec facile credant Pœnitentibus, dum ajunt, ſe nihil mali vel velle, vel optare proximis; & interim eis communia, quæ antea ſolebant, humanitatis, & caritatis officia præſtare detrectant; puta ſalutationes, reſalutationes, ad interrogata reſponſiones: immo affectant adverſarii in via declinationes, omittunt urbanas viſitationes, & ſimilia. Horum profecto voluntaria omiſſio, & detrectatio latentis intus odii, inimicitiæ, averſionis indicia ſunt: quæ licet pluribus levibus excuſationibus adductis Pœnitentes tentent vel obnubilare, vel etiam ut oportuna oſtentare, ne creſcat in adverſario offendendi major audacia; illis tamen minime credendum, ſed caritate vincendam Chriſti, & Sanctorum exemplo aliorum pravitatem, & malitiam doceat Confeſſarius; & certe ſcandalum auferendum datum proximo, qui perſonæ offenſæ corda minime perſpiciens, ab exterioribus benevolentiæ ſignis denegatis occaſionem ſumit credendi ſe odio haberi, contemni, propulſari; ac proinde in purum odium, & averſionem rapitur.

Regula Septima.

XII. Neganda abſolutio, & certe differenda iis, qui ignorant Fidei rudimenta ab omnibus ſcienda, ſive neceſſitate medii, ſive neceſſitate præcepti. Conſtat hujus regulæ veritas ex iis, quæ diximus in Tract. de Virt. Theol. Diſſ. 1. cap. 6. conſect. 2. & ex duplici propoſitione damnata ab Innoc. XI. n. 64. 65. aſſerentibus: *Abſolutionis capax eſt homo, quamvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis; & ſufficit ea ſemel crediaiſſe.* Hoc unum eſt tamen diſcrimen inter ignorantes Myſteria neceſſario noſcenda de neceſſitate medii, & ea neſcientes, quæ ſunt tantum de neceſſitate præcepti, nimirum prioribus & denegandam abſolutionem, & differendam, uſque dum ea pro ſuo captu didicerint, & præterea repetendas omnes confeſſiones in tali ignorantia peractas; cum Pontifex eos abſolutionis incapaces declaret. Id confirmat etiam Benedictus XIV. in ſua Conſtitut. *Etſi minime*, ubi hæc habet §. 10. „ Curabit itaque Epiſcopus, „ ut Sacerdos excipiens Confeſſiones *fixum* illud, „ *immotumque* animo ſemper habeat *invalidam* „ eſſe abſolutionem Sacramentalem, quam quis „ ignoranti res neceſſarias *neceſſitate medii* impar- „ titur; nec poſſe homines per hujuſmodi Sacra- „ mentum reconciliari, niſi prius excuſſa hujus „ ignorantiæ caligine ad agnitionem fidei redu- „ cantur “. Ignorantibus vero neceſſario ſcienda ſolum neceſſitate præcepti etiam differenda abſolutio: ſubdit enim Pontifex: „ Secundo etiam „ animadvertat Confeſſarius in aliud tempus reji- „ ciendam eſſe abſolutionem illius, qui neceſſaria „ neceſſitate præcepti ſuo vitio neſcit “. Immo & ab hoc exigenda repetitio illarum Confeſſionum, quas cum hac culpabili ignorantia habuit; cum hæc ignorantia fuerit permanens & continuum peccatum, quod cum nunquam ſerio fuerit deteſtatus, proinde nunquam valide confeſſus eſt, & abſolutus. „ Quod ſi hanc ignorantiam primo in „ ſe deprehendens Pœnitens ſe (ſubdit Pontifex) „ hujus vincibilis ignorantiæ reum agnoſcat, & „ accuſet, & intime doleat, ſive a Deo veniam „ precetur, tum Confeſſario ſerio promittat ope- „ ram ſe impenſe daturum, qua divinæ gratiæ „ præſidio diſcat etiam neceſſaria neceſſitate præ- „ cepti, *quandoque* abſolvi poterit “. Ubi notandum, non dicere Pontificem *ſemper* abſolvi poſſe, ſed *quandoque*, ſcilicet quando non ſint repetendæ confeſſiones invalidæ, quando alias de ſua ignorantia non fuit admonitus, & quando aliqua urgeat dandæ abſolutionis neceſſitas, ratione ſcandali. Nam certum eſt extra hos caſus etiam ſponte confitenti, & ſuam ignorantiam deteſtanti differendam abſolutionem; donec neceſſaria neceſſitate medii addiſcat. Nec diſpari methodo agendum docet S. Carolus Borromæus „ cum patribus, „ & matribus familias, qui ſuos filios, filias, ſer- „ vos, & ancillas .... ſupradictæ doctrinæ capita „ addiſcere non compellunt, vel non invigilant, „ & procurant .... ſi in hoc officio ſuo non ſa- „ tisfaciant, *non abſolvantur*. Quod ſi id præſti- „ tutos polliceantur, *nec his de rebus moniti an-* „ *tea fuerint* a Confeſſario, vel Parocho, poterit „ eos abſolvere: ſed ſi ſæpius moniti, nullatenus „ emendati fuerint, proroget illis abſolutionem, „ donec ſinceræ emendationis argumentum aliquo „ temporis ſpatio dederint “.

Hæc doctrina quoque tenenda eſt cum illis, qui propria cujuſque ſtatus officia, puta Confeſſarii, Parochi, Medici, Advocati, Religioſi, neceſſaria munia ignorant, quibus aut differenda abſolutio, donec neceſſaria addiſcant, vel danda, poſitis ſuperius recenſitis conditionibus; & ulterius monendi, ut damna forte aliis vi ſuæ ignorantiæ illata reſarciant, ut in peculiaribus tractatibus docetur.

Regula Octava.

XIII. Qui rem alienam detinent, ſi ſtatim reſtituere poſſunt, non ſunt abſolutione dignandi, niſi vel prius reſtituant, vel ſaltem ſerio, & firmiter reſtitutionem polliceantur; & ſi ſemel moniti non reſtituerint, differenda abſolutio, donec facto promiſſa confirment. Et quidem reſtitutionem præmittendam abſolutioni ab eo, qui poteſt reſtituere, aperta eſt doctrina S. Thomæ a Villanova Conc. in fer. 6. poſt 4. Dom. Quad. ubi hæc habet: „ Cavete, ne eum in ſepulcro ſolvatis; „ prius exeat, ut abſolvatur. Prius ergo vadat, „ & concubinam a domo pellat, *pecuniam alie-* „ *nam reſtituat* ... & tunc ad Confeſſarium redeat, „ & abſolvatur ... Hic rectus ordo ... Hunc or- „ dinem ne tranſgrediaris “. Quod ſi prudenter præſumere poterit, Pœnitentem eſſe ad reſtituendum diſpoſitum, illi credat, & niſi aliud obſtet, abſolvat: at ſi ſemel monitus, vel pluries non reſtituerit, abſolutionem ſuſpendat, uſquedum reſti-

tuerit: hæc enim ipſa reſtitutionis voluntaria dilatio peccatum eſt ob injuſtam rei alienæ detentionem. Ita ſtatuit & D. Carolus Borromæus in Synodo Mediolanenſi I. docens: „ Caveant Confeſſarii, ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, quibus cum facultas adſit aliena reſtituendi... illiſque, ut id facerent, ſuperiori Confeſſione pręceptum ſit, præſtare tamen neglexerunt“.

Sed quid agendum cum illis, qui reſtituere non poſſunt? Hi monendi ſunt, differri quidem reſtitutionem, at debitum reſtituendi omnino non tolli; interim teneri ſuperfluis parcere ſumptibus, & ſolum ea, quæ ſibi, familiæque ſuſtentationi neceſſaria ſunt, retinere ſibi poſſe; at quæ huic quoquo modo ſuperſunt, eſſe ſeponenda, etſi minuta ſunt, donec vel per partes, vel per totum reſtituant: quod ſi videant hoc negligi, differant abſolutionem.

Regula Nona.

XIV. Qui in his verſantur occaſionibus, & periculis, in quibus humana fragilitas facile labitur, at nondum lapſi ſunt, moneantur ab eis recedere; & ſi quidem non paruerint, ſecundo, & tertio abſolvi poſſunt; at poſtmodum differenda abſolutio, donec omnino obediant. Danda ſiquidem eſt illis primo & iterum, quia cenſeri adhuc non poſſunt pericula, vel occaſiones proximæ peccandi reſpectu illorum, cum in illis lapſi non ſint; differendam vero poſt tertiam monitionem, quia, ni caveant, prudenter præſumendum eſt lapſuros, nec expectanda lapſus experientia, ſed vitanda. Ita docet S. Carolus Borromæus in Inſtruct. ſcribens: „ Oportet Confeſſarium ſeveriorem eſſe, rigidioremque circa eas actiones, & exercitia, quæ... ſicut ex natura ſua non inducant in peccatum mortale, dant tamen propenſionem aliquam ad malum, & ſæpiſſime pertrahunt ad diverſa peccata: hujuſmodi ſunt choreis intereſſe, cum blaſphemis verſari ſæpius, aut rixæ deditis, popinas frequentare, indulgere otio, & id genus alia. Tunc abſolutionem non debet impertiri, quin his omnibus renuntiet Pœnitens, ſpondeatque deinceps ea cavere diligenter. Si tamen ſpem aliquam de ſuo Pœnitente concepit, ſemel, iterumque poterit abſolutionem indulgere, ea tamen ſemper lege, ut ſi in iis diutius immoretur, eam poſtea differat, donec certis, evidentibuſque indiciis conſtet illum ab his occaſionibus penitus ſegregatum“.

CAPUT UNDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Prudenter conſuetudinariis etiam prima vice differtur abſolutio.*

II. *Relapſis non eſt danda abſolutio, nec poſt qualemcumque emendationem.*

III. *Relapſus non ſemper validum præbet argumentum fictæ Pœnitentiæ.*

IV. *In occaſione proxima verſantur, qui in ea ſemper peccant, licet raro occurrat.*

V. *Occaſio proxima peccandi eſt abrumpenda, etiam cum periculo vitæ, famæ, & bonorum temporalium.*

VI. *Confeſſarius munus ſuum relinquere debet, ſi ſit illi occaſio peccandi.*

Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. PEccatoribus conſuetudinariis, etiam prima vice confitentibus, prudentius & utilius differtur abſolutio. Huic doctrinæ adverſantur nonnulli etiam ſanioris doctrinæ profeſſores, qui putant prima vice conſuetudinarium abſolvi poſſe his concurrentibus conditionibus. 1. Si nunquam in præcedentibus Confeſſionibus fuerit correptus, & monitus de remediis adhibendis, neque illorum eſt conſcius. 2. Si proteſtetur ſe de conſuetudine; & de peccatis dolere. 3. Si paratum ſe exhibeat ad omnia remedia, etſi dura, & difficilia. 4. Pręmiſſa, ut plurimum, generali Confeſſione. His enim poſitis, inquit Billuart, prudens poteſt Confeſſarius efformare judicium de ejus legitima diſpoſitione. At ſi oſtendero hæc inepta eſſe veræ diſpoſitionis argumenta, nec prudens poſſe efformari judicium, veritatem meæ doctrinæ luculenter oſtendam. Et primo quidem a poſtrema incipiendo conditione de generali, *ut plurimum*, Confeſſione facienda, hæc ſatis oſtendit jam differendam abſolutionem: quomodo enim ſtante pede, & de repente poterit generalem, & quidem accuratam confeſſionem efformare, niſi prius per aliquot dies intimos animæ diſcutiat receſſus, initium conſuetudinis exploret, ejus progreſſus, ſtabilitatem, peccata ea impellente commiſſa, præter alia omnia forſitan plurium annorum ſpatio patrata? Eſt igitur ex hoc capite jam differenda abſolutio. At fingamus opus non eſſe generali Confeſſione (quod certe impoſſibile eſt ob patrata ſacrilegia in aliis Confeſſionibus) ſufficiet ne dolor de peccatis, & propoſitum de tollenda conſuetudine? At nonne hunc dolorem ſe elicuiſſe putavit Pœnitens, & efformaſſe propoſitum, etiam in aliis Confeſſionibus, quod tamen ineptum, vanum, apparens fuiſſe & ipſe Billuartus agnoſcit, utpote qui generalem Confeſſionem neceſſariam putat? Cur igitur præſentem verum eſſe dolorem, & ſtabile propoſitum credat? Tota igitur eſt in Confeſſarii admonitione fiducia: hic ſiquidem ignitis verbis Pœnitentis ſcelerum immanitatem exaggerat, conſuetudinis pondus ſentire facit, Dei patientiam in tolerando magnificat. Omnia bene, & egregie! At ne mutatum ſtatim cor Pœnitentis, mutatus animus, mutata mens? Utique ſibi perſuadet ſua philautia Confeſſarius. At ne ſibi fidat, monet piiſſimus Cardinalis Denoffius in ſua Inſtructione egregie docens: „ Neque arbitremini exhortationes veſtras, quæ exiguo tempore inter confitendum curſim, & veluti in tranſitu fiunt, ſupplere poſſe erga homines *prava conſuetudine implicatas*, quod deeſt præparationi, quæ per exercitationes pęnitentiæ *præcedere debet*: cum hujuſmodi non ſolum mortui jaceant, ſed etiam ſub grandi conſuetudinis lapide ſepulti, adeo ut gratiæ auxilio minime vulgari, & quaſi miraculo opus ſit, ut e tali profundo ſubito eruantur. Cum autem putandum non ſit, confitentes id auxilium nactos eſſe ob *ſubitarum converſionum raritatem*; id erit vobis amplectendum, quo nec Sacramentum, nec ſalus pœnitentiæ in periculum

„ lum veniat: quia præſto ſunt remedia *lege com-*
„ *muni* adhibenda, nempe ut juſtum temporis ſpa-
„ tium aſſignetis, quo ſe ad impetrandum abſolu-
„ tionis beneficium præparet, id agendo, quod in-
„ nuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. de
„ Pœnit. ſcilicet, *ut tempus aliquod exigat gemi-*
„ *tibus ex animi dolore profectis, & operibus Pœ-*
„ *nitentiæ ſupra deſcriptis* ". Hæc piiſſimi Epiſcopi doctrina funditus diruit futilem diſtinctionem, quam veluti Herculis clavam vibrat Billuartus, ut dicta Sanctorum Patrum de differenda abſolutione recidivis, & conſuetudinariis potius corrumpat, quam explicet; ſcilicet intelligendos de converſione perfecta conſuetudinarii, quæ completam afferat victoriam concupiſcentiarum, & malorum habituum, non de converſione cordis ſufficiente ad abſolutionem. Nam tum laudatus Epiſcopus, tum Concilium Tridentinum de ea loquuntur diſpoſitione, quæ præmittenda eſt, ne inutiliter Sacramentum Pœnitentiæ recipiatur. At pollicetur Pœnitens conſuetudinarius ſe adhibiturum remedia etiam dura, & difficilia. Cur igitur non primum, & facile ſumit remedium ſe melius diſponendi per orationes, per eleemoſynas, per pœnitentiæ opera, & præſertim per emendationem ad beneficium certius obtinendum? Hoc remedium illi inculcare debet Confeſſarius, hoc primum ſalutare adhibere pharmacum. Et revera quotquot vero tanguntur ſuæ pravæ conſuetudinis dolore, qui ejus pondus perſentiunt, libenter ſe ſubmittunt Confeſſarii beneplacito, ipſi gratias agunt, manus oſculantur, ſe & quam citius, & quoties, & quando voluerit reverſuros dilatato corde, & ſinceris animi affectibus pollicentur, ut ipſe ſexcenties expertus ſum. Qui vero detrectant, illi tantum ſunt, qui vel ex humano reſpectu, vel ex præpoſtera devotione, vel alio plane terreno motivo ad Communionem accedere volunt. Uno verbo, hi ſunt, de quibus loquitur Bellarminus Conc. 9. in Dom. II. Adventus: „ Quam multi veniunt ad confitendum
„ onuſti peccatis, in quibus millies ceciderunt!
„ Et veniunt *pridie*, vel ipſo *die* ſummæ celebri-
„ tatis, & *ſtatim* volunt exaudiri (abſolvi ſcili-
„ cet, & ad Communionem mitti) quaſi hoc ne-
„ gotium eſſet ludus puerorum ". Quibus recitatis Bellarmini verbis ſtatim ſubdit Cardinalis Aguirius Diſſert. 8. in Conc. Tolet. III. excurſu 1. n. 142. „ Et tamen cum adeo multi peccatis
„ onuſti veniant ad confitendum, in quæ jam mil-
„ lies ceciderunt, quam pauci ſunt, quibus per ali-
„ quot hebdomadas, immo & dies paucos differa-
„ tur abſolutio? Quam rari forſan, quibus non
„ ſtatim indulgeatur Communio? Quam pene nulli,
„ qui addito novo ſacrilegio non redeant ad vomi-
„ tum "?

At urget Billuartus: „ Sacramentum Pœnitentiæ
„ eſt inſtitutum non ſolum ad tollenda peccata
„ præterita, ſed etiam ad præcavenda futura: non
„ eſt ergo denegandum illi, qui malam habitudi-
„ nem jam retractavit . . . alioquin ipſum privas
„ præcipuo, & efficaciori remedio, & aſſimilaris
„ inſano Medico, qui non vellet adhibere præci-
„ puum remedium, niſi ægroto jam ſanato ". At adeone ſublimis eſt hæc doctrina, adeo recondita, ut eam ignoraverint laudati Theologi, qui tamen adhuc differendam ſenſere abſolutionem? Præterea falſa nititur, vel ſaltem dubia ſuppoſitione, ſcilicet Sacramentum Pœnitentiæ, huic conſuetudinario miniſtratum, illi & prodeſſe ad remiſſionem peccatorum, & ad remedium relapſuum; quod certum non eſt, immo quammaxime incertum: nam hujuſmodi ſubitaneæ converſiones raræ admodum ſunt, & veluti miraculoſæ, ut inquit laudatus Cardinalis Denoffius; miracula vero non ſunt de facili ſupponenda, & adhuc ſaltem probabilem faciunt in Confeſſario metum, ne iterum relabantur. Et S. Carolus in Inſtruct. Conf. præſcribit: „ Eſt præte-
„ rea conſultum abſolutionem differre, donec
„ *evidens* appareat emendatio in iis, qui tametſi
„ dicant, & polliceantur, quod ſe eximent a pec-
„ cato, tamen Confeſſario probabilem faciunt me-
„ tum, ne contrarium contingat ". Denique nonne oſtendimus, omnes a Billuarto in ſuo Conſuetudinario poſitas conditiones non inducere prudentem credulitatem de ejus emendatione? Inſanus eſſet igitur, & crudelis ille Medicus, qui infirmo nondum ſatis purgato pharmacum propinaret intempeſtivum, quo occiditur, & quo poterat opportunius dilato ſanari.

Conſectarium Secundum.

II. Relapſis non eſt danda abſolutio etiam poſt qualemcumque emendationem. Relapſos illos hic intelligo, qui poſt repetitas Confeſſiones in eadem peccata relabuntur. Et quidem non defuere Probabiliſtæ adeo benigni, qui hiſce recidivis toties quoties accedunt ad Confeſſionem, eſſe dandam abſolutionem ſenſere, ut patet ex damnata propoſitione 60. ab Innoc. XI. dicente: *Pœnitenti habenti conſuetudinem pecandi contra legem Dei, naturæ, Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, non eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere & proponere emendationem.* In qua propoſitione illud eſt attente notandum, Theologos eam docentes non adeo fuiſſe vel ſtupidos, vel improbos, ut crederent ſine vero dolore, & firmo propoſito valere Sacramentum Pœnitentiæ, & juſtificationem conferre; ſed ſolum ſufficere ad prudens efformandum judicium de danda abſolutione conſuetudinem peccandi habenti, ſi ore ſerio, & etiam devote dicat, ſe & pœnitere de admiſſis peccatis, & proponere emendationem, licet nullum aliud habeat Miniſter indicium & ſpem de futura emendatione: eo quia, inquiebant, materia Sacramenti non eſt *futura emendatio*, *ſed præſens dolor, & propoſitum*; fieri autem poteſt, ut Pœnitens hic & nunc vere doleat, firmiter proponat, licet poſtea voluntatem mutet, & iterum labatur. Ex ejus itaque damnatione conſequitur, non teneri Confeſſarium ſemper credere Pœnitenti de ſuo dolore, & propoſito etiam efficaciter teſtanti: tunc enim nec pondus ſentit ſuæ conſuetudinis, nec infirmitatem ſui ſpiritus; & ſolum in ſua fidit voluntate, qua nihil infirmius impellente conſuetudine, nihil mutabilius alliciente cupiditate. Sunt igitur certiora quærenda argumenta, quæ de requiſita diſpoſitione certum moraliter reddant Miniſtrum.

At quœnam erunt hæc argumenta? Si, inquiunt benigniores Theologi, *conatum aliquem* adhibuerit ad emendationem. Verum hoc non ſolum non eſt argumentum idoneum emendationis ſperandæ, ſed nec præſentis pœnitentiæ, & converſionis. Scri-

ptu-

pturæ enim ad veram pœnitentiam exigunt *totum conatum*, *omnem fortitudinem*, *univerſam tribulationem*, *vehementem niſum*, *& plenam induſtriam*, *maximam vim*, *totumque ſtudium*. Deuter. 4. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum*, *invenies eum*, *ſi tamen TOTO corde quæſieris eum*. Regum 1. cap. 7. *TOTO corde veſtro revertimini ad Deum*. 3. Reg. cap. 8. *Si reverſi fuerint ad te in UNIVERSO corde ſuo*, *& TOTA anima ſua . . . . propitiaberis populo tuo*. Iſaiæ cap. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Joel. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, *in jejunio*, *in fletu*, *in planctu*, *ſcindite corda veſtra*, & alia plurima proferre poſſem teſtimonia Scripturarum, quæ in pœnitente poſtulant rugitum Urſi, gemitum Columbæ, planctum ſicut in morte primogeniti, & Tridentinum Concilium *magnos fletus*, *& labores* expoſcens. Et D. Franciſcus Saleſius in ſuis Synodalibus Conſtit. indicit: ,, Confeſſarii ,, differant abſolutionem iis, qui vitioſis habitibus ,, eradicandis *nervos omnes* (non aliqualem conatum) non intendant, alias in Confeſſione admoniti, & correpti ". Quomodo igitur aliquis levis conatus, nimirum breves aliquæ precationes recitatæ, reditus ad ipſum Confeſſarium, ut aſſignant benigniores Theologi, ſuppeditare poſſunt prudens argumentum, relabentem in peccata & conſuetudinarium eſſe ad abſolutionem diſpoſitum?

Aliud idoneum putant argumentum, ſi nimirum aliquam afferat emendationem, & numerum peccatorum imminuerit. At hoc quoque argumentum, tanquam ad fidem faciendam ineptum, prædicat Segnerius ipſe in ſua Chriſtiana Inſtruct. Conc. 14. 3. Par. n. 8. clamans: ,, Hanc mutationem puto mere accidentalem, nimirum quia Confeſſarius Miniſter minatus eſt, vel quia urgebant ſancti dies, ,, vel quia denique ad rapiendam abſolutionem oportebat ſaltem aliquantulum a peccatis ceſſare ". Et revera, ſi aſſignata a Miniſtro adhibuit remedia, & adhuc peccavit, & iterum lapſus eſt; non fuerunt ergo adhuc ſufficientia ad inducendam emendationem: repetantur igitur, augeantur, in eis diutius detineatur; non abſolutione donetur, & quaſi ſanus factus dimittatur. Quod ſi remedia non adhibuit, jam clare oſtendit, ſe nolle vitam mutare. Præterea hæc peccatorum aliqualis imminutio frequentius oritur ex laſſitudine in via iniquitatis, vel quia defuerunt peccandi occaſiones, vel quia neceſſe erat ad Sacramenta accedere ob humanos reſpectus, non ex vera ſe emendandi voluntate, & firmo propoſito. Et denique quia, ut docet S. Th. Lect. 1. in cap. 6. ad Heb. ,, Sicut in ,, corporalibus nullus eſt ſtatus ita periculoſus, ſicut ,, recidivantium; ita in ſpiritualibus, qui poſt gratiam cadit in peccatum, difficilius ſurgit ad bonum ". Et in cap. 6. Epiſt. ad Rom. ,, Conſuetudo peccandi quandam neceſſitatem inducit ad ,, peccandum ".

Quando igitur recidivi ſunt abſolutione dignandi? *Quando*, reſpondit S. Thomas a Villanova laud. Conc. *peccata deſeruerint*. ,, Cum Ninive ,, Civitatis excidium per Prophetam Dominus comminaretur, jejunaverunt incolæ, planxerunt, ,, veſtiti ſunt ſaccis, in cinere ſederunt, cum lacrimis clamaverunt. Sed quid ait Scriptura? ,, *Et vidit Deus opera eorum*, *quia converſi ſunt* ,, *a via ſua mala . . .* Non ait, vidit gemitus, ,, vidit lacrimas, vidit ſaccos, vidit cineres. Sed ,, quid vidit? *Opera eorum*, *quia converſi ſunt a* ,, *via ſua mala*. Si vitia non deſeruntur, fruſtra ,, Dei miſericordia lacrymis imploratur. Fruſtra ,, enim oculus plorat, ſi animus in crimine perſeverat ". Et merito, nam vera pœnitentia *ſalutem ſtabilem operatur*. Unde ſcribit Apoſtolus ad Coloſſ. cap. 1. *Et vos*, *cum eſſetis aliquando alienati*, *& inimici ſenſu in operibus malis*, *nunc autem reconciliavit exhibere vos ſanctos*, *immaculatos*, *& irreprehenſibiles coram ipſo*, *ſi tamen permanetis in fide STABILES*, *& IMMOBILES*. Et S. Iſidorus Hiſpalenſis dicit: Pœnitentia *eſt mala præterita plangere*, *& plangenda iterum non committere*. Et iterum: *Irriſor eſt*, *non pœnitens*, *qui adhuc agit*, *quæ pœnitet*, *nec dum videtur poſcere ſubditum*, *ſed ſubſannare ſuperbum*. Et ſubdit S. Ambroſius: *Merito reprehenduntur*, *qui ſæpius agendam Pœnitentiam putant*, *cum ſi vere agerent*, *Pœnitentiam iterandam non putarent*. S. Fulgentius lib. 1. de Remiſſ. peccat. *nunquam diluunt gemendo peccatum*, *qui non deſinunt peccare poſt gemitum*. Et S. Auguſtinus Ser. 7. de Temp. *Iſta eſt filioli vera Pœnitentia*, *quando ſic convertitur quis*, *ut non revertatur*, *quando ſic pœnitet*, *ut non repetat*. Et iterum ". *Lavatur itaque*, *& mundatus eſt*, *qui præterita plangit*, *& iterum non admittit*. *Lavatur*, *& non eſt mundus*, *qui plangit*, *quod geſſit*, *nec deſerit*, *ſed poſt lacrymas flenda hæc*, *quæ fleverat*, *repetit*. En igitur certa, & tenenda regula ad dandam recidivis, & conſuetudinariis abſolutionem: *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, qui vere ſint pœnitentes; qui ſcilicet cum prava conſuetudine ſtrenue pugnant, qui relapſus ſummo ſtudio, & animi intenſione vitant, qui ferventioribus precibus Deo ſe commendant, qui pœnitentiæ opera exercent, qui denique ita vivunt, ut non amplius impudici, pejeratores, fures, ebrioſi, maledici, ut antea, dici poſſint, quia jam a longo tempore peccare deſierunt; hi ſunt ad Sacramenta admittendi.

Conſectarium Tertium.

III. Non omnis lapſus poſt Confeſſionem probat fictam fuiſſe, ac vanam priorem, converſionem, & pœnitentiam. Veritas hujus doctrinæ eſt de ſe manifeſta: quia Confeſſio, & Sacramentum Pœnitentiæ hominem non reddunt impeccabilem, nec in gratia confirmant. Tunc igitur ſolum relapſus eſt fictæ, & falſæ pœnitentiæ argumentum, quando oritur ex omiſſione remediorum a Confeſſario prudenti conſtitutorum; quando levi impellente tentatione Pœnitens relabitur; quando cito poſt Confeſſionem peccatum iterat; quando diutius confeſſionem differt, nec ſtatim ſurgere curat, & in ſuis peccatis quieſcit: tunc enim, ſi evidens, certe firmiſſimum habetur argumentum, non, ut oportebat, illum pœnituiſſe.

Conſectarium Quartum.

IV. In occaſione proxima peccandi ii conſtituti cenſendi ſunt, qui ea oblata fere ſemper cadunt, licet raro occurrat. Doctrinam explico. Non raro contingit aliquem ad Nundinas, ad Negotia ter, vel

vel quater in anno alio proficiſci, & tunc cum hoſpita peccare; alium ad ruſticationem pergentem cum famula toto ruſticationis tempore mœchari, vel invitatum ſe inebriare, vel furari &c. Hi itaque, & ſimiles cenſendi ſunt in occaſione proxima conſtituti, proinde indicendum abſolute, ut ab itinere, a ruſticatione abſtineant, etiam cum damno, & detrimento. Nam eſt propoſitio damnata ab Innoc. XI. quæ aſſerebat: *Proximam occaſionem non eſſe fugiendam, quando aliqua cauſa utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.* Nec locus eſt experimento; cum jam ſit experientia oppoſita, ex qua conſtat in tali occaſione poſitos ſemper peccaſſe. Quod ſi abſtinere non poſſit, quia alienæ ligatus voluntati, a qua ſolvi non valet, eodem modo tractandus, ac de illis diximus, qui ſunt in neceſſaria occaſione. Interimne debent toto anno a Sacramentis arceri? Minime, ait Tournelii Continuator, quia *plena converſio quandoque ſignis tam efficacibus ſeſe aperit, ut omnem ſuſpicioni, vel dubio aditum præcludat.* Bene, optime. Verum quænam ſunt iſta ſigna adeo efficacia, adeo aperta, adeo coruſcantia? Profecto non leve beneficium Theologis attuliſſet, ſi vel deſignaſſet, vel indicaſſet: nam & in aliis Confeſſionibus factæ promiſſiones, jactatus dolor, promiſſa emendatio; at inutiliter, nam alliciente præſente occaſione omnia tenues in auras evanuere. Quid, ſi hæc efficacia ſigna non adſint? ſunt ne perinde abſolvendi, ne toto anno Sacramentis careant? Vera igitur erit propoſitio damnata, quæ aſſerebat, poſſe aliquando illum abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult dimittere: vult ſiquidem, dum confitetur; at non vult, cum abſens a loco, ab objecto præſente allicitur, & perverſa rapitur cupiditate. Quamobrem illum certe abſolvere non auderem. Sed præter ſalutaria monita, & acrem correptionem ob ejus in peccato firmitatem, & præter fugam objecti, & occaſionis, illi injungerem, ut ante diſceſſum ſe Confeſſario ſiſteret, periculum exponeret; deinde cum ad locum pervenerit, ſtatim alium ſeligat Sacerdotem ſalutis animarum ſtudioſum, cui pariter ſe ſiſtat, & animæ ſuæ ſtatum, ac imminens peccandi diſcrimen exponat, illum bis, vel ter in hebdomada adeat, & de ſua pugna certiorem faciat, mane, & veſpere Dei auxilium longa, & humili oratione imploret, propoſitum renovet de fugienda, quantum in ſe eſt, occaſione, aliquo jejunio corpus affligat; quæ proculdubio ſi præſtet, Dei adjutorio a peccato abſtinebit; deinde ad primum revertens Confeſſarium abſolvi poterit. Si quis meliora habet ad animarum ſalutem, proferat.

Conſectarium Quintum.

V. Conſtituti in occaſione proxima neceſſaria peccandi, ſi efficarioribus adhibitis remediis a peccato non abſtinent, eam deſerere debent, etiam cum periculo vitæ, famæ, & bonorum. Negant plures benigniores Theologi, ea ducti ratione, quia cum tunc occaſio non ſit voluntaria, ſed neceſſaria, ex ſe obligationem non inducit eam deſerendi ſub mortali. Sic filius familias poterit abſolvi, qui cum famula, cum ſorore, cum conſobrina peccat, & jamdiu cum ipſis fornicationis, vel inceſtus peccata multiplicat; quia ſine periculo vitæ, & jactura bonorum non poteſt a Patris domo recedere. Verum noſtra doctrina & certa, & unice vera eſt: quandoquidem, ubi de æterna agitur ſalute, omnia hæc terrena, vitam, famam, bona denique omnia eſſe abjicienda docet, & jubet Chriſtus in Evangelio. Et quidem de ipſa vita dicit Chriſtus, *Qui non odit Patrem, & Matrem ... & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: odium autem animæ nihil aliud ſignificat, niſi mortem oppetendam, ne Deus offendatur. Et alibi dicitur: *Pro juſtitia agonizare pro anima, & uſque ad mortem certa pro juſtitia.* De bonis autem abjiciendis luculentiſſima ſunt teſtimonia: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Ipſam famam quoque eſſe contemnendam docet Apoſtolus, cum monet, *Deo ſerviendum, & obediendum per infamiam, & bonam famam.* Præterea nonne Chriſtus teſtatus eſt, ſe veniſſe *ſeparare hominem adverſus Patrem ſuum, & filium adverſus Matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam?* Porro ſi aliquando locum habet hoc Chriſti effatum, tunc profecto obtinet, quotieſcumque ſine tali ſeparatione Dei offenſa vitari non poteſt, & conjunctio in cauſa eſt peccandi. Fugient ergo e paterna domo Filius, & Filia, ut ab occaſione recedant? Fuga extremum remedium neceſſaria non eſt: poteſt ſiquidem filius, licentia a Patre petita, militiam amplecti, artem, vel officium ſeligere, quo a paterno abſtrahatur contubernio. Poteſt Filia in Monaſterio collocationem enixe efflagitare, Matrimonium poſtulare, apud alios conſanguineos ad tempus, vel ſolatii cauſa manſionem petere, & alia, quæ & verum ab abyſſo peccati emergendi, & ardens ſtudium, & Sacri Miniſtri ſagax prudentia ſuggerere poſſunt. Rarum hunc eſſe fateor caſum, at non impoſſibilem, quem & D. Carolus in ſuis Inſtructionibus prævidit, & cui remedium afferre ſtuduit, ſic Confeſſarios inſtruens: „ At vero, cum uſuvenire poſſit, ut ex omnibus, quæ ſolers atque circumſpectus Confeſſarius excogitaverit, nullum „ remedium tamen potuerit habere, cur Pœnitens „ abſque periculo, & ſcandalo magno debeat occaſionem præſcindere, utatur Confeſſarius his mediis “. Aſſignat deinde S. Præſul opportuniora media ad tollendam occaſionem peccandi, poſt quæ ſic concludit: „ Si ab illa diligentia, quam ille, „ vel alius Confeſſarius jamdiu adhibuit, non ſe „ emendaverit, *non abſolvatur*, donec impedimentum ſuſtulerit; vel niſi *quid aliud a nobis acceperit*, quod convenire videatur, *ad quos in tali* „ *negotio recurret*, ita tamen ut nulla fiat mentio „ peccantis “. In qua doctrina duo ſtatuit. 1. Non abſolvendos in occaſione proxima conſtitutos, licet eam non poſſint *abſque periculo, & ſcandalo magno* præſcindere. 2. Ad Epiſcopum eſſe in tanta anguſtia confugiendum. Repetantur, quæ docuimus in calce 2. Tomi De proxima occaſione diſputantes.

Conſectarium Sextum.

VI. Sacer Miniſter, qui Confeſſiones excipiendo pravis aſſentitur deſideriis, & voluntariis rapitur pollutionibus, ſi poſt adhibita per aliquod tempus opportuna remedia orationis, jejuniorum, labo-

borioſorum operum, a voluntario non liberatur lapſu, tenetur a Confeſſarii officio ceſſare, &, ſi Parochus ſit, beneficio abrenunciare. Ratio eſt manifeſta: hoc enim officium eſt illi occaſio proxima, & periculum certiſſimum ſpiritualis ruinæ: tenetur igitur illud removere. Nec obſtat, Religioſum hunc eximiis eſſe dotibus ornatum, multis ad ſalutem in ſuo officio prodeſſe, admirationi fore, & ſcandalo, ſi abſtineret a ſui muneris exercitio. Nam frequentes illi lapſus in peccatum, quos adhibita ſpiritualia remedia impedire non potuerunt, oſtendunt, Deum nolle ejus miniſterio ad aliorum ſalutem uti; ſed velle ipſum in humilitate, & abjectione vitam tranſigere. Nulla poteſt eſſe admiratio, vel ſcandalum, cum cauſa ceſſationis ſit omnino occultiſſima, & ſoli Deo nota, & ipſius Confeſſario. Solum igitur illum volubilitatis arguere poterunt: quam notam debet patienter ſufferre, ut ſuæ conſulat ſaluti, quam cuicumque bono etiam ſpirituali aliorum præferre debet; cum, ut alios ſalvet, non debeat ipſe perire. Ita Juveninus, aliique ſaniores Theologi.

REFLEXIO.

I. Si quando Tullianam, ſeu melius chriſtianam Chryſoſtomi eloquentiam mihi optavi, certe nunc vehementiſſime deſidero, qua, ſi fieri poſſet, Peccatorum in conſuetudine, & occaſione peccandi verſantium iniquitatem, audaciam, infamiam ex eorum cordibus excuterem, expellerem, extirparem. SS. Patrum dictis illos aggrediar. Audiant itaque ſic impietatem, iniquitatemque Recidivis, & Conſuetudinariis exprobrantem Tertullianum: „ Non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus Diabolo pœnitentia renuntiaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſum eumdem regreſſu ſuo erigit. Nonne, quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt, Diabolum Domino præponit? Comparatione enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiaverit eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit ". Quare merito ſic illos exterret D. Paulus ad Hebr. 10. *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritus gratiæ contumeliam fecerit?*

II. Nec iniquitate minor eſt audacia, qua ſibi facile impertiri poſtulant abſolutionis beneficium, quin antea ſigna dederint veræ pœnitentiæ, inchoatæ ſaltem emendationis, ſolis contenti promiſſis toties fallacibus. Sic itaque illos increpat S. Cyprianus Lib. de Lapſis: „ Quis hilaris, & lætus incedit, quando mortem ſuam deflet? An ille ingemiſcit, & plangit, cui vacat cultum pretioſæ veſtis inducere, nec indumentum Chriſti, quod perdidit, cogitare? Accipere pretioſa ornamenta, & monilia elaborata, nec divini, & cæleſtis ornatus damna deflere? Si quem de tuis caris mortalitatis carne exutum perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & fleres facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam miſere perdidiſti, ſpiritualiter mortuam ſupervivere hic tibi, & ipſe ambulans funus tuum portare cœpiſti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abſcondis? Ecce adhuc pejora peccandi vulnera, ecce majora delicta, peccaſſe, nec ſatisfacere ".

III. Inſania vero pene incredibilis ſe prodit, dum ſe putant ſalutem conſequi poſſe, ſi toto vitæ ſuæ curſu peccata reciprocent & Confeſſiones, crimina & pœnitentiam, Sacramenta & ſcelera. Sed audiant D. Paulum ſic eos & monentem, & terrentem. Scribit enim ad Gal. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequuntur.* Et rurſum 1. ad Corinth. 6. *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt.* Porro, ſi qui præfata ſcelera per plures annos, immo toto vitæ tempore committunt, repetunt, ingeminant poſt peractam pœnitentiam, poſt Sacramenta ſuſcepta, ſalutem obtinerent; erraret Apoſtolus, dum nos monet, ne errare velimus, falſamque traderet doctrinam, non veram, ſi omnes præfati peccatores ſcelera multiplicantes, tandem nihilominus & Regnum Dei conſequi, illudque poſſidere, nec perire poſſent, niſi rariſſimo eventu, quando ſcilicet tempus deeſſet, quod ſolito more confeſſos abſolutione donari non ſineret. At impium eſſet ita ſentire, & credere. Dicendum eſt igitur cum Apoſtolo ad Heb. 6. *Terra ſæpe venientem ſuper te bibens imbrem, & generans herbam opportunam his, & quibus colitur, accipit benedictionem a Domino; proferens autem ſpinas, & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio erit in combuſtionem.*

CAPUT DUODECIMUM.

De Confeſſario Doctore, & Medico.

DOCTRINA.

I. *Confeſſario Doctoris, & Medici ſuſtinet officium.*
II. *Interrogare debet Pœnitentes.*
III. *Quomodo interrogare debet ex S. Thoma.*
IV. *Quomodo ex S. Carolo.*
V. VI. *Pœnitentium ignorantiam perniciosſam expellere tenetur.*
VII. *Quomodo munus Doctoris, & Medici rite explere poſſit.*
VIII. *Confeſſionem, quam audire incœpit, perficere tenetur.*
IX. *Quando poſſit Pœnitentis opinioni ſe accommodare?*
X. *Crimen, & pœnæ Confeſſarii ad turpia ſollicitantis.*
XI. *Num qui ad alia crimina ſollicitant, ſint denuntiandi?*

I. NOn ſolum ſuſtinet Confeſſarius Judicis officium, ſed & Doctoris, & Medici: quamobrem

obrem inſtruere debet ignorantem Pœnitentem, illumque interrogare, ac opportuna ejus vulneribus pharmaca, & medicinas aptare. Suo igitur abutuntur officio illi canes muti, qui audiunt, & abſolvunt, & Sacramentum profanant, dum Pœnitentes non integre confeſſos abſolvunt, dum pernicioſa laborantes ignorantia non inſtruunt, & ulceribus plenis nec oleum infundunt, nec vinum, ut eos ſanent, & ab ulteriori lapſu liberent, prout ſtatuit Concil. Later. IV. can. 21. De iſtis merito dici poteſt: *O Paſtor, & Idolum! os habent, & non loquuntur*.

II. Pro certo eſt habendum, pleroſque Pœnitentes, præſertim qui raro ſemel, vel bis in anno confitentur, vel malitia, vel ignorantia ſua peccata non agnoſcere, vulnera non ſentire, proinde nec confiteri. Unde optime monet S. Carolus in ſua Inſtruct. ,, Quod ſi Confeſſarius poſuerit majorem ,, diligentiam in iis examinandis, non dubium eſt, ,, quin plures deprehendat, qui nunquam, ut oportuit, Sacramento Pœnitentiæ peccata ſua expiarunt ". Et S. Thom. in 4. Sent. Diſt. 19. in expoſitione Textus ſcribit: ,, Sacerdos debet perſcrutari conſcientiam peccatoris in Confeſſione, quaſi ,, Medicus vulnus, & Judex cauſam; quia *frequenter* quæ præ confuſione Pœnitens taceret, interrogatus revelat ".

III. Quomodo vero prudenter in interrogationibus ſe gerere debeat Miniſter, idem D. Ang. docet l. l. ſubdens: ,, In interrogationibus faciendis tria ,, ſunt attendenda. Primo ut quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ conſueverunt in hominibus illius conditionis abundare; non enim ,, oportet, quod a milite quæratur de peccato Clericorum, aut Religioſorum, & e converſo. Secundo, ut non fiat explicita interrogatio niſi de ,, illis, quæ omnibus manifeſta ſunt: de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet a longinquo fieri interrogatio, ut, ſi commiſit, dicat, ,, & ſi non commiſit, non addiſcat. Tertio, ut de ,, peccatis præcipue carnalibus non deſcendat nimis ad particulares circumſtantias; quia hujuſmodi delectabilia, quanto magis in ſpeciali conſiderantur, magis concupiſcentiam nata ſunt movere. Et ideo poteſt contingere, ut Confeſſor talia quærens & ſibi, & confitenti noceat; & ſic ,, quandoque deficiant in ſuo ſcrutinio iniquitatem ,, ſcrutantes ".

IV. Quod D. Thom. compendio docuit, fuſius explicat S. Carolus Borromæus in ſua ſæpius laudata Inſtructione ab omnibus Confeſſariis ſemper in manibus habenda, legenda, memoriæ infigenda. Sic itaque Sanctiſſimus Præſul Pœnitentiæ Miniſtros inſtruit: ,, Prudens, cautuſque erit in interrogationibus, ne rudibus præſertim, atque utriuſque ſexus junioribus ad novum, & nunquam antea attentatum ſcelus occaſiones aperiat, atque det. Hi tamen de peccatis, quorum nullam in Confeſſione mentionem fecerunt, ,, & in quibus probabiliter exiſtimari poſſunt deliquiſſe, prudenti cautione interrogandi erunt, ,, ne aut pudore, aut ignorantia celent peccata . . . . Cum ordine interrogando procedat, & ,, a præceptis Dominicis incipiat, & ad quæ licet ,, omnia revocari poſſint, ii tamen, qui rarius ad Confeſſionem accedunt, ſuper ſeptem peccatis ,, capitalibus, quinque ſenſuum uſibus, Eccleſiæ præceptis, & miſericordiæ operibus ſunt examinandi. Confeſſor prudens eſſe debet, non interrogando niſi de peccatis Pœnitentium ſtatui ,, communibus. Quod ſpectat ad carnis peccata, ,, ſummam adhibeat cautelam in eorum interrogatione, ut cum peccati ſpecies, & circumſtantias graviores audierit, a ceteris abſtineat . . . ,, Summa prudentia adoleſcentes, aut mulieres interroget, ne eos, quod ignorant, doceat, iiſque ,, utatur verbis pudorem minime lædentibus, nec ,, ex geſtu, aut ſigno de non ordinario, aut graviori peccato Pœnitentem fuiſſe confeſſum aliquis ſuſpicetur, nec verbis eum deterreat, aut ,, in cauſa ſit, cur aliquod peccatum graviſſimum ,, prætermittat, immo eum ad graviora detegenda inducat ". Hæc ſunt monita, quæ cuique Confeſſario ad rite interrogandum ſufficere poſſunt. Si quis plura optat, libellum legat ex Gallico in latinum ſermonem converſum, typis Remondinianis impreſſum, cui titulus *Inſtructio Confeſſarii, & Pœnitentis*, ſeu *Monita ſaluberrima pro praxi Sacramenti Pœnitentiæ*. Illud tamen in primis notandum, vetus illud adagium, *non omnia poſſumus omnes*, videlicet munus Confeſſionis audiendæ poſtulare ingenium acutum, ſagacem mentem, prudentiam, penetrationem, circumſpectionem, quibus valeat & pœnitentis ſtatum, conditionemque diſcernere, opportunas interrogationes adhibere, perſpicere ex reſponſionibus animi ſinceritatem, vel vafritiem dignoſcere. His dotibus præditis paucæ ſufficiunt, & communiores regulæ. At illis carentes, etiam pluribus datis, lectis, perſpectis regulis, confunduntur potius, quam inſtruantur. Hinc deflenda, quæ in Clero tum regulari, tum ſeculari peſſima viget opinio, ſcilicet, ad cætera munia concionandi, legendi, inſtruendi, immo vilia emendi, vendendi, commutandi ineptos ad munus Confeſſarii ſemper ſatis eſſe idoneos, aptoſque; immo aliquando ipſos ineptos jam agnitos, & per plura examina declaratos, adhuc favore, & Patronorum officiis, tandem iratis Diis, ad miniſterium aſſumi, ſicut diabolus aſſumpſit Chriſtum in ſanctam Civitatem. Quid mirum igitur, ſi tot inveniuntur Confeſſarii, qui quoslibet accedentes, nullo delectu, nullo examine, nulla emendatione abſolvunt, & dimittunt non abſolutos, ut falſo ſibi blandiuntur, ſed arctioribus vinculis alligatos. *Gens*, ut dicitur Proverb. 30. *quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota a ſordibus ſuis*. De complicis interrogatione, & manifeſtatione, quando neceſſaria, quando opportuna, quando vetita, jam diximus cap. 4. conſect. 8.

V. Inſtruere quoque debet Confeſſarius Pœnitentem dubium, vel interrogantem. Hanc doctrinam directe oppugnare non audent benigniores Theologi; at ſaltem obnubilare conantur, dum docent, pedetentim, & caute eſſe pœnitenti interroganti aperiendam veritatem, & ſolum, quantum putatur capax eam admittendi. Si enim prævideat, integram veritatem Pœnitenti manifeſtare illi obfuturum, quia non acquieſcet doctrinæ, & veritati, eam reticere poteſt. Rem exemplo illuſtrat Segnerius in ſuo ſtramineo, plumbeoque libello *Inſtructio Confeſſarii*, dicens: ,, Si ad Confeſſarium accedat uxoratus, qui matrimonium contraxit voto caſtitatis obſtrictus, & interroget,

,, num

„ num validum ſit matrimonium, reſpondeat *validum*, & *nihil ultra*. Si pergat Pœnitens, & „ petat, utrum uti Matrimonio poſſit? reſpondeat „ *poſſe*; at non doceat, poſſe quidem reddere, at „ non petere “. Et quorſum hæc? „ Quia, inquit, periculum eſt, ne Pœnitens ſe abſtineat a „ petitione debiti, & ſic edoctus peccet, dum ante„ ea ignorans minime peccaſſet “. At quam falſa, laxa, abominanda ſit hæc doctrina, nemo non videt. Docet ſiquidem Scriptura, *Quod labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*. A quibus enim veritatem audire debent Pœnitentes, ſi eam illis occultet Miniſter, qui doctor eſt, & veritatem prædicare, inculcare, docere debet? Præterea hic de ſuo matrimonio dubitat, de ejus validitate interrogat, de uſu ſciſcitatur; quare igitur illi veritatem celare debet? Non eſt, inquit, diſpoſitus ad abſtinendum a petitione debiti. Ergo Deum non diligit ex toto corde, ergo diſpoſitus non eſt ad omnia ſubeunda detrimenta, & mala potius, quam Deum offendere. Non eſt igitur rite diſpoſitus ad Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiendum; proinde ſacrilege illum abſolvit Confeſſarius, & filium facit gehennæ. Omnes igitur Pœnitentes de aliqua veritate ad ſalutem animæ ſuæ pertinente dubitantes, & interrogantes ſunt de veritate docendi; & graviſſime peccat Sacerdos, ſi non doceat, ſi diſſimulet, ſi veritatem ſilentio premat, ut diximus loco inferius ſignando.

VI. Quid, ſi nihil interroget, nec ullo tangatur dubio de aliqua actione mala, puta de injuſtitia alicujus contractus, de debito reſtitutionis, de malitia internorum actuum contra caſtitatem, & ſimilibus, quorum ex ignorantia invincibili malitiam non agnoſcit? Eſt ne corrigendus, admonendus, docendus? Reſpondent benigniores Theologi, diſtinctione opus eſſe: nimirum ſi prævideat ſacer Miniſter probabiliter manifeſtationem veritatis obfuturam Pœnitenti, qui veritatem non ſuſcipiet; licet opus ſit contra divina præcepta Decalogi, prudenter ab inſtructione ceſſabit: quia, inquiunt, periculum eſt, ne materiale peccatum fiat formale; & ſic peccet pœnitens, qui antea excuſante ignorantia non peccabat. At e contra, ſi probabiliter judicet doctrinam libenter excepturum, tenetur monere ex officio Doctoris. Verum contra hanc falſam, laxam, perniciofam doctrinam fuſe diſputavimus Tract. 2. de Ratione humana Diſſert. 2. capp. 5. & 6. ubi oppoſitam veritatem inconcuſſis argumentis oſtendimus. Fruſtra igitur hic repeterentur, quæ inibi dicta, & hic ſunt applicanda.

VII. Cum verum axioma ſit apud corporales Medicos, *contraria contrariis curari*, idem etiam valet & in ſpiritualibus morbis depellendis: eapropter & pia opera, & virtutum actus proponat Pœnitentibus exercendos, & alia, quæ pravis eorum affectionibus adverſantur, ſuperbis humilitatem, avaris liberalitatem, iracundis manſuetudinem, guloſis temperantiam, impudicis caſtitatem inculcet, urgeat, impellat. Hanc regulam commendat S. Carolus in ſæpius laudatis Inſtructionibus docens: „ Injungat . . . ſuperbis humilitatis opera, carnis „ voluptatem ſectantibus jejunia, abſtinentiam, „ cilicii geſtationem, aliamqpe corporis macera„ tionem . . . in oratione negligentibus, ut ſingulis „ diebus mane ſaltem, & veſpere orationi vacent, „ feria ſecunda, & aliis certis feriis pro Defunctis „ orent, certis item definitiſque diebus devote vi„ ſitent Stationales, & præcipue devotionis Eccle„ ſias, & Altaria, præſertim in Quadrageſima, & „ in Adventu. Mundi pompas, choreas, aliaque „ opera Satanæ confectantibus eam Pœnitentiam „ imponat, ut in hebdomada mane certis diebus „ (id quod in ſingulos dies etiam faciendum eſſe „ graviſſime Beatus Chryſoſtomus monet) ſancta „ meditatione ſibi propoſita ſolemnem illam ſponſio„ nem, quam per compatres in Baptiſmo ſancte „ fecerunt, redintegrent, intime Deum precando, „ in qua precatione firmo, ſtabilique animi propo„ ſito ſtatuant, ſe Chriſto Domino adhærere, renun„ tiareque iterum atque iterum ſeculi pompis, ope„ ribus tenebrarum, & diabolo in primis, cujus ſe „ adverſarios eſſe, & profeſſi ſunt, & confiteantur „ perpetuo “.

VIII. Qui alicujus Pœnitentis Confeſſionem excepit, & illi diſtulit abſolutionem, non poteſt tuta conſcientia revertentem ad alium remittere Confeſſarium, ad declinandum laborem, & difficultatem in repetendis confeſſionibus: nam injuſte Pœnitentem gravat, quem ultra legem Dei cogit bis, & duobus confiteri peccata ſua. Inſuper contra reverentiam Sacramenti peccat, quod inceptum perficere tenetur; quod adeo neceſſarium, juſtumque agnoſcit Eccleſia, ut juriſdictionem proroget, & privilegia, licet expiraverint, in favorem Pœnitentis, qui confeſſionem incepit, & jus acquiſivit ad abſolutionem obtinendam; quod jus violat, qui illum iterum audire recuſat. Violat etiam fidem ipſi Pœnitenti datam de illo iterum audiendo, & abſolvendo, ſi mandatis paruerit: quæ promiſſio, & data fides certe dici non poteſt de re levi, & nullius momenti, ut facile frangi poſſit, & pro libito, ac meræ deſidiæ, & inertiæ gratia. Suæ itaque conſcientiæ conſulant hujuſmodi Confeſſarii, qui ſibi fingunt laborem in præcepto.

IX. Num vero contingere aliquando poſſit, ut Confeſſarius ſe pœnitentis accommodet opinioni, & quando licite id præſtare poſſit, diximus cap. 2. confect. 5. Supereſt igitur ſolum, ut muneris exercendi aptiſſimum modum deſignemus; quod præſtabimus verbis pliſſimi Theologi Petri Bleſenſis ſic in Tract. de Satisfactione ſcribentis: „ Sicut con„ fitenti neceſſaria eſt humilis, & ſincera devotio; „ ſic Pœnitentiali, ideſt Sacerdoti neceſſaria eſt di„ ligens, & circumſpecta diſcretio, ut diſcernat „ inter lepram & lepram, & habeat in ſe tria, bo„ nitatem, ſcientiam, & diſciplinam; bonitatem „ in ſanctitate, ſcientiam in eruditione, diſcipli„ nam in correctione. Sit Samaritanus infundens „ oleum miſericordiæ, vinumque juſtitiæ. Habeat „ conſcientia ejus, quaſi Arca fœderis, manna & „ virgam, ut ſciat compati & ignoſcere, arguere „ & monere. Gaudeat de primitivis fructibus, ſi„ cut bonus agricola, compatiatur infirmo, du„ biumque confortet, recolens illud Apoſtoli, *Quis* „ *infirmatur, & ego non infirmor?* Et audiens ten„ tationes ejus, ſuam infirmitatem cogitans apud „ ſe dicat, ſi in tanta tentatione fuiſſem, gravius „ cecidiſſem. Nihil dicatur, aut fiat cum indigna„ tione, & ira, *ira enim viri juſtitiam Dei non* „ *operatur*. Medium autem teneat: nec nimia re„ miſſio, vel nimia auſteritas ſit in eo; certum-

„ que

„ que Pœnitentiæ modum juxta SS. PP. inſtituta „ præſcribat “. Quæ omnia ut præſtet, gratia Dei indiget. Quamobrem egregie ſuos Miniſtros monet D. Carolus in ſuis Inſtructionibus, ut „ ita „ debeant intentionem in hoc miniſtrando Sacra„ mento dirigere, ut illud ex humano motivo „ non exerceant, ſed ad Dei tantum gloriam, ſa„ lutemque animarum. Quare quoties ad Confeſ„ ſiones audiendas vocati fuerint, ad Deum men„ tem erigant, & ſibi ob oculos reponant ſuo „ miniſterio mundandos eſſe Pœnitentes, & in „ Chriſti Domini pretioſiſſimo Sanguine lavan„ dos “.

X. Quod ſi Miniſter in tantam degeneret pravitatem, quod abſit, ut, ſuo abutens miniſterio, ex magiſtro veritatis, & medico animarum fiat doctor perverſitatis, & jugulator ovium Chriſti, pœnitentes ad turpia ſollicitando, graviſſimum, & immane perpetrat ſacrilegium, ad cujus punitionem plura extant Summorum Pontificum Decreta, ſcilicet Gregorii XIII. Alex. VII. & noviſſime Benedicti XIV. quibus jubetur 1. Ut Pœnitentes ſollicitati teneantur eos vel Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis denuntiare, ſive ſollicitationi conſenſerint, ſive non conſenſerint. 2. Hoſce Pœnitentes non eſſe Sacramentali abſolutione donandos, niſi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici; vel ſaltem, cum primum potuerint delaturos ſpoponderint. 3. Ut præfati Inquiſitores, & locorum Ordinarii contra hos ſollicitantes, tam ſeculares, quam regulares, quomodolibet exemptos, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectos, inquirant, & procedant, & pro criminis qualitate ſevere animadvertant. 4. Illos vero criminis ſollicitationis reos habendos, qui aliquem pœnitentem, ſive maſculum, ſive fœminam, vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt Confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionali, ſive in loco ad Confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſſionem, ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſtea legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint. Clauſulas hujus Decreti in Conſectariis expendemus. Hic interim notamus binas propoſitiones ab Alex. VII. proſcriptas, 6. videlicet aſſerentem: *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione; ac proinde non eſt denuntiandus.* 7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante: hic poteſt illum abſolvere abſque onere denuntiandi.*

Animadvertimus 1. in hiſce Conſtitutionibus ſolum ſermonem eſſe de ſollicitantibus ad impudicitiam, & luxuriam: qui enim Pœnitentem ad aliud crimen ſollicitarent, puta ad vindictam capiendam, ad furtum faciendum, & alia, in ea non comprehenduntur; ſed ex aliis Conſtitutionibus adverſus de hæreſi ſuſpectos, ſunt Inquiſitionis, vel Ordinarii Tribunali obnoxii, & etiam juxta aliquos denuntiandi. 2. Clericos, ſive Laicos, qui ſe Confeſſarios fingendo ad turpia ſollicitarent, non vi harum Conſtitutionum, in quibus non comprehenduntur, ſed ex aliis Conſtitutionibus eſſe denuntiandos; ſcilicet ex Conſtit. Greg. XIII. quæ incipit *Officii noſtri partes*, præſertim ſi ſimul audiviſſent Confeſſionem, & abſolutionem ſimulaſſent, quæ tamen ſimulatio non eſt neceſſaria ut denuntiationi ſubjiciantur ex alia Conſtitutione Clementis VIII. incipiente *Alios*, quos denuntiandos declarat, qui abſque Presbyteratu audent Confeſſiones audire, nulla facta mentione de abſolutionis datæ ſimulatione. At Sacerdotes, licet pro Confeſſionibus non adprobati, ſi Confeſſionem ſimulantes ſollicitant, ſunt denuntiandi. 3. Qui ad ſollicitantes denuntiandos obligantur, ſi id omittant abſque juſta cauſa, legitimoque impedimento, excommunicatione feriuntur ex Decreto Supremæ, & univerſalis Inquiſitionis die 3. Jan. 1623, in quo præcipitur ſub excommunicatione majori latæ ſententiæ denuntiandos eſſe hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos: quod Decretum perpetuum eſſe affirmat Diana par. 4. Tract. 5. reſ. 4.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Confeſſarius eſſe debet a culpa, & cenſura immunis.*
II. *Interrogare, & monere Pœnitentem peccatum ſuum celantem.*
III. *Quænam ſint faciendæ opportunæ interrogationes.*
IV. *In mulierum Confeſſionibus audiendis obſervanda.*
V. *Quinam rei ſint ſollicitationis ex parte modi.*
VI. *Quinam ex parte loci, & temporis.*
VII. *Quinam prætextu, & occaſione Confeſſionis.*
VIII. *Quinam teneantur ſollicitantes denuntiare.*
IX. *Pœnæ contra ſollicitantes latæ.*
X. *Qui falſo de ſollicitatione accuſant, excommunicatione feriuntur.*
XI. *Confeſſarius ſumma cura deligendus.*
XII. *Electus non facile mutandus.*

Conſectarium Primum.

I. Confeſſarius accedere debet ad Confeſſiones audiendas ſine conſcientia alicujus gravis peccati, & ab omni cenſura immunis. Veritas hujus doctrinæ patet ex iis, quæ diximus in Tract. de Sacramentis in genere cap. 6. n. 6. & cap. 7. conſ. 2. & hic Diſſ. 3. cap. 2. conſ. 4. Quia 1. Sacramentum adminiſtrat, & perficit, quod in lethali peccato præſtare graviſſimum eſſe ſacrilegium ad unum omnes fatentur Theologi; immo tot committit ſacrilegia, quot efformat judicia, & perſonas audit; licet fortaſſe illis abſolutionem non impertiatur, cum hoc per accidens contingat, & Sacerdos ſupponatur ſemper diſpoſitus ad Sacramentum conficiendum, niſi aliquid obſtet. Graviſſime quoque peccaret, & irregularitatem incurreret, qui aliqua cenſura innodatus hoc auderet Sacramentum miniſtrare. Immo & invalida eſt abſolutio data ab excommunicato vitando ſuſpenſo vel interdicto, cum hic nedum ab adminiſtratione Sacramentorum arceatur, ſed & omni

omni privetur juriſdictione, & quide m publice & coram Eccleſia, ut docet D. Thom. Suppl. q. 19. art. 6.

Conſectarium Secundum.

II. Qui peccatum novit Pœnitentis, de quo ille minime ſe accuſat, illum & monere, & interrogare poteſt. Nam ſi peccatum novit ex alterius Confeſſione, poteſt Pœnitentem, ſicut de aliis peccatis, ita & de illo interrogare, præſertim ſi de illis ſit, de quibus omnes generatim interrogantur, vel de pertinentibus ad proprium Pœnitentis ſtatum. Sed quid, ſi Pœnitens neget commiſſum peccatum, & Confeſſario certo conſtet non de alteri in Confeſſione manifeſtaſſe? Natalis Alexander docet eſſe monendum de neceſſitate omnia confitendi; oſtendendum, quam grave peccatum ſit ſacrilega Confeſſio, hominem quidem falli poſſe, at Deum omnino non poſſe, qui corda ſcrutatur, & renes; & etiam, ut melius ſe examinet, & conſcientiam ſuam diſcutiat, remittat. Bene, optime, aſſentior. At non ita, dum ſubdit, poſſe etiam inviolato Sacramentali ſigillo illi abſolutionem denegare. Nam vix capere poſſum, quomodo inviolatum maneat ſigillum, cum Pœnitens ſtatim cognoſcat ſibi denegatam abſolutionem, quia a complice criminis commiſſi notitiam eſt adeptus Miniſter; proinde notitia uti per Confeſſionem acquiſita. Quamobrem non auderem denegare abſolutionem: ſed cenſeo præferendum Sacramentale ſigillum, quod bonum commune reſpicit, privato hujus perverſi, & ficti pœnitentis ſpirituali detrimento, & damno, in quem ſolum tota eſt refundenda ſacrilegæ abſolutionis malitia. Quod ſi delictum extra Confeſſionem noverit, & certo ſciat alteri non eſſe confeſſum, de delicto interroget; &, ſi neget, tanquam indiſpoſitum rejiciat: ſi vero prudenter præſumere poſſit, vel alteri in Confeſſione manifeſtatum, vel per calumniam, aut imprudentiam illi affictum, Pœnitenti credere poterit, & abſolutionem impertiri.

Conſectarium Tertium.

III. Omnes illæ ſunt faciendæ a Confeſſario interrogationes, quæ ad peccata mortalia detegenda opportunæ per ipſum habentur. Adverſari huic doctrinæ videtur Billuartus, qui putat non exquiſitam eſſe adhibendam in interrogando diligentiam, ſed moralem; licet attentiorem adhibendo plura inveniret lethalia peccata, hac unica ratione, quia non tam attendendum eſt ad materialem integritatem Confeſſionis; quam ne Sacramentum reddatur Pœnitentibus oneroſum, & odioſum. Verum quam poſui doctrinam, puto probabiliorem, & quidem hac, meo videri, clara, & efficaci ratione, ab ipſo Billuarto adducta; quia nimirum non plus tenetur Confeſſarius Pœnitentem examinare, quam ipſe Pœnitens ſuam tenetur conſcientiam diſcutere: at quilibet Pœnitens ita tenetur ſeipſum examinare, ut omnia peccata ſpecie diſtincta reperiat, & eorum numerum ſaltem probabilem, & ſibi veroſimiliorem. Sed hoc haberi non poteſt in peccatoribus, qui multa, & plane diverſa peccata perpetrarunt, & diu a Confeſſione abſtinuerunt, abſque diligenti, & exquiſito examine. Ad hoc igitur Pœnitens tenetur; & ſi ex ignorantia, ruditate, imperitia id aſſequi non poſſit, ſupplere tenetur pius, & ſtudioſus Confeſſarius accurato, & diligenti examine. Nec per hoc odioſum redditur, aut oneroſum Sacramentum, immo gratiſſimum ipſis Pœnitentibus, qui gratias agere non ceſſant Confeſſario accurate eos interroganti, ejus manus exoſculantur, & millies benedicunt, fatentes quod nec ſi per menſem examini conſcientiæ vacaſſent, ea interna latibula penetraſſent, nunquam detexiſſent peccata, de quibus interrogantur, eo vel maxime quod plerique pęnitentium in hoc putant ſummam conſiſtere Sacramenti, ſi accurate etiam minutiora confiteantur; unde poſt completum examen, auditaque Confeſſione ſunt admonendi, ut omni ſepoſita de peccatis recogitatione unice incumbant in dolorem concipiendum tam acrem, vehementem, & magnum, qui velut mare omnia abſorbeat peccata, & velut ignis omnia conſumat; & in firmum propoſitum, quo in bono conſtanter firmentur, nec amplius divina adjuvante gratia relabantur. Recolantur quæ diximus hic Diſſ. 3. cap. 3. n. 5.

Conſectarium Quartum.

IV. Quoad Confeſſiones mulierum hæc notanda. 1. Quod ſtatuunt fere omnia Concilia, ſive Provincialia, ſive Diœceſana, nimirum ut mulierum Confeſſiones non excipiantur niſi in Eccleſia, & in loco, ubi ab omnibus videri poſſint, crate inter Pœnitentem, & Confeſſarium interpoſita; immo nec mulieris, quæ ſola ſit in Eccleſia, excipiatur confeſſio, ſed in conſpectu honeſtæ ſocietatis. 2. Non audiantur in locis obſcuris, & tenebroſis, nec ante ſolis ortum, aut poſt occaſum; nunquam vero domi, niſi vel ægrotent, vel accedere ad Eccleſiam omnino impediantur; & tunc quidem oſtio aperto, & patente, ut videri poſſint & Pœnitens, & Confeſſarius. 3. Monet B. Umbertus Ord. Præd. Generalis Magiſter in lib. de Officiis Ordinis: „ Audiendo mulieres (in Confeſſione) „ non niſi in publico audiat ... nec multum im- „ moretur, niſi quantum neceſſitas Confeſſionis re- „ quirit, & eis, qui nimis frequenter confiteri „ volunt, aſſignet certum tempus, extra quod eas „ non audiat, nec aliis colloquiis ſe eis exponat, „ & ſemper verbis *duris*, *& rigidis* circa illas u- „ tatur, quam mollibus ". Quibus verbis addit D. Antoninus: „ Et hoc eſt contra illos, qui „ quotidie audiunt mulierculas; unde amittunt „ multum temporis, & ſcandalum communiter ſe- „ quitur in ipſis, & in populo ". 4. Denique attendant monitum Auctoris Opuſculi 64. inter Opera S. Thom. Confeſſarii illi, qui devotarum mulierum, & ſpiritualium excipiunt Confeſſiones. Sic enim eos monet: „ Spiritualis devotio paula- „ tim convertitur in carnalem affectum: non ta- „ men hoc ſtatim perpendunt, quia ſagittarius a „ principio non mittit ſagittas venenatas, ſed ſo- „ lum aliqualiter vulnerantes, & amorem aug- „ mentantes. Fratres cariſſimi, ſciat unuſquiſque, „ quod venenoſa affectio ſub colore ſpiritus acqui- „ ſita ſumme impedit puritatem Confeſſionis, pro- „ pter quod ſequatur conſilium B. Hieronymi di- „ centis, *Cave, quia ſi mulier potuit vincere eum,* „ *qui jam erat in Paradiſo, non mirum, ſi res im-*

„ *pe-*

„ pediat, *qui nondum ad Paradiſum pervenerunt.* „ Item B. Auguſtinus dicit: *Sermo brevis, & rigidus cum his mulieribus habendus eſt*; nec tamen, quia ſanctiores ſunt, ideo minus cavendæ. Quo enim ſanctiores fuerint, eo magis alliciunt, & ſub prætextu blandi ſermonis immiſcent ſagittas impiiſſimæ libidinis. Crede mihi, expertus ſum, in Chriſto loquor, non mentior. Cedros Libani, ideſt contemplationis altiſſimæ homines, ſub hac ſpecie corruiſſe reperi ". Illos vero, qui ſolum mulierum Confeſſiones excipere volunt, & mares ad alios Confeſſarios remittunt, falſe carpit S. Hieronymus ſcribens: *O egregius Doctor, contemnit viros, deſpicit fratres, & in unius mulierculæ ſecreta auditione deſudat.*

Conſectarium Quintum.

V. Rei ſunt habendi ſollicitationis ratione modi, qui licet non verbis, ſignis tamen de ſe venerem indicantibus, ad libidinem provocant. Parum enim refert, num ſollicitatio uno, vel altero fiat modo, ſi vera ad malum incitatio fit. Quamobrem ſunt denuntiandi, qui utuntur oſculis, tactibus impudicis ſive Pœnitentis, ſive Confeſſarii coram pœnitente, ſtudioſa pedum compreſſione, genarum vellicatione, manuum attrectatione, laſcivis geſtibus, amatoriis vocibus, ſuſpiriis, laude venuſtatis & elegantiæ, deſiderio manifeſtato eam ducendi in uxorem, niſi Sacerdos eſſet, & his ſimilibus. Sunt etiam denuntiandi, qui in Confeſſione cum Pœnitente inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuerint, ut expreſſe dicitur in Bulla Gregorii. Et qui per actus impudicos, licet ſolum de ſe veniales, ad turpia ſollicitant, cum ex circumſtantia loci, temporis, & Sacramenti fiant mortales. Non vero ſunt ſollicitatores habendi, qui pœnitentes filias etiam caras, & cariſſimas vocant, cum hoc loquendi modo utatur & D. Franciſcus Saleſius in ſuis exhortationibus.

Conſectarium Sextum.

VI. Ratione vero temporis, & loci denuntiandi ſunt ſollicitantes 1. in ipſa Confeſſione, licet eam abrumpant, nec per abſolutionem compleant. 2. Qui etiam ante inceptam Confeſſionem, & ad aliud tempus dilatam, pœnitentem ad turpia ſollicitat, vel cum ipſo inhoneſta miſcet colloquia; 3. Qui poſt abſolutam Confeſſionem ſollicitat, licet non in Confeſſionali, ſed alibi, immo & in domo ipſius mulieris, ad quam cauſa ſollicitandi accedit; vel puerum in cubiculum ducit, ibique ſollicitat. Quanta autem poſſit eſſe mora, quæ tollat unionem Confeſſionis cum ſollicitatione, non conſentiunt Doctores. Probabilior tamen mihi videtur illorum ſententia, qui ſollicitantem intra eumdem diem Confeſſionis Pœnitentem, putant ſollicitare immediate poſt Confeſſionem; præſertim ſi ex Confeſſione, ejus ad luxuriam pronitatem agnoverit. Sicut & qui a Pœnitente facultatem poſtulant eam adeundi poſt meridiem obtentu alicujus publici ſpectaculi, ſive ſacri, ſive profani inviſendi, & eam tunc ſollicitant; cum per eam fraudulentam petitionem jam ſollicitationem inchoaverint. Et ſimiliter qui puerum invitat, ut craſtina die veniat pro chirographo peractæ Confeſſionis accipiendo, & advenientem ſollicitat. Qui in Confeſſionali, etiam extra occaſionem Confeſſionis, nec ſimulans Confeſſionem, ſollicitat, ut declaravit Sacra Congregatio Inquiſitionis coram Paulo V. habita die 10. Julii an. 1614. Et qui Confeſſionem audiens, fœminas circumſtantes nutibus, & ſignis turpibus, & impudicis ad venerem incitat. Qui Monialem ad crates communes ſollicitat, non eſt denuntiandus, niſi Confeſſionem ſimulet.

Conſectarium Septimum.

VII. Prætextu vero, & occaſione Confeſſionis ſollicitantes ſunt denuntiandi. Ille dicitur ſollicitare *prætextu* Confeſſionis, qui fingit, & ſimulat Confeſſionem, ut ad libidinem incitet; *occaſione* vero Confeſſionis, qui ex ipſa Confeſſione, ſive inchoata, ſive imperfecta, ſive completa anſam arripit ad turpia ſollicitandi. Quamobrem denuntiandi ſunt 1. qui vocatus ad audiendam Confeſſionem mulieris domi craſtina die, illam adit, & poſtpoſita omnino Confeſſione ad venerem incitat. 2. Qui invitans mulierem ad Confeſſionem habendam, ejus prævenit adventum, & vel in itinere, vel antequam ad Confeſſionale accedat, ſollicitat. 3. Qui in Confeſſionali rogatus a muliere, ut ſequenti die ejus excipiat Confeſſionem, ille extra Confeſſionale, nec ſimulando Confeſſionem, provocat ad turpia; nam vere ex occaſione Confeſſionis profecta eſt ſollicitatio. 4. Qui in loco Confeſſionis, aut pro Confeſſionibus deſtinato ad turpia ſollicitat, vel inhoneſta immiſcet colloquia, licet Confeſſionem non ſimulet, ex mox laudata declaratione ſacræ Inquiſitionis. 5. Qui in aliquo loco, non quidem ad Confeſſiones deſtinato, ſed electo, Confeſſionem tamen ſimulando, ad luxuriam provocat. 6. Fœminæ Confeſſarium ſollicitantes non ſunt denuntiandæ; cum denuntiatio pro ſolis Sacerdotibus inſtituta ſit. 7. Denuntiandus tamen Confeſſarius, qui ſollicitanti fœminæ conſentit, non quia reus ſollicitationis, ſed quia cum Pœnitente illicitos, & inhoneſtos miſcet ſermones, & impudicos habet tractatus. Nec valet ratio oppoſitum ſentientium, nimirum onus denuntiationis conſurgere, quando impudici ſermones, vel inhoneſti tractatus ab ipſo incipiant Confeſſario; cum in Bulla aperte dicatur, denuntiandos illos qui cum Pœnitente *illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus habuerint*, nulla facta diſtinctione, unde inceperint, ſive a Pœnitente, ſive a Confeſſario.

Conſectarium Octavum.

VIII. Confeſſarios ſollicitantes accuſare tenentur omnes ſollicitati, ſive conſenſerint, ſive non conſenſerint; immo & ipſa, quæ Confeſſarium conſentientem impudicis verbis, vel inhoneſto tractatu prima ſollicitavit. Nec a denuntiatione liberandæ, ſeu Moniales, ſeu puellæ virgines, filiæfamilias, matronæ nobiles, quia vel Tribunal adire non valent, vel id facere verentur. Quandoquidem 1. decrevit ſacra Inquiſitio Romana, ſi perſonaliter denuntiare non poſſint, ſatis eſſe, ſi Epiſcopum, vel Inquiſitorem moneant, ut ad eas mittant, qui earum recipiant denuntiationem. Et Urba-

Urbanus VIII. declaravit, ſi obſiſtant denuntiationi Pœnitentes, ſufficere, ſi ab Epiſcopo, vel Inquiſitore Confeſſarius ipſe deſignetur, qui in ſcriptis, & juramento firmatam recipiat denuntiationem ſtatim perferendam Tribunali. Tenentur etiam denuntiare omnes illi, qui ſciunt attentatam ſollicitationem; dummodo id certo ſciant, quia vel propriis oculis viderunt, vel auribus audierunt Confeſſarium ſollicitantem, vel ſaltem ex ore ipſius vel Confeſſarii ſollicitantis, vel Pœnitentis ſollicitati audierint. Secus autem, ſi ab aliquo audierint minime fide digno; alioquin ex malitia alterius fama penderet Miniſtrorum Eccleſiæ. Facienda eſt denuntiatio, etſi longum tempus ab habita ſollicitatione elapſum ſit; cum ita aperte ſtatuat in ſua Conſtitutione Benedict. XIV. his verbis: *etiamſi longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit*. Nec præmittenda correctio fraterna, ut declaravit Congregatio S. Inquiſitionis coram Alex. VII. ſtatuens faciendam denuntiationem, etiamſi nulla fraterna correctio, vel admonitio præceſſerit. Et jure quidem, quia ut docet S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 3. „ Solum eſt præmittenda correctio fraterna in peccatis, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale; quando aliquis firmiter exiſtimet, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſit mala hæc impedire “. Quod certe non eſt de facili præſumendum de iniquo Sacerdote ſuo miniſterio tam perverſe abutente, qui ſimulabit quidem gratam ſibi eſſe correctionem, gratias habebit maximas, pollicebitur inpoſterum abſtinere, at pravitatem cordis minime mutabit.

Conſectarium Nonum.

IX. Pœnæ in ſollicitantes latæ in foro conſcientiæ nullæ conſtitutæ inveniuntur; & ſollicitationis crimen, cum nulli ſit de jure reſervatum, ab omnibus Confeſſariis per abſolutionem auferri poteſt: in aliquibus tamen Diœceſibus eſt Epiſcopis reſervatum. At denuntiati, ſi de patrato crimine conſtet, pro ejus qualitate, & circumſtantiis ſunt puniendi ſuſpenſione ab executione Ordinum, privatione Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum quorumcumque, ac perpetua ad illos inhabilitate, ſicut & ad Miſſæ celebrationem, nec non vocis activæ & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exilio quoque, damnatione ad carceres, & triremes etiam in perpetuum abſque ſpe ulla gratiæ: &, ſi delicti enormitas graviores etiam poſtulet pœnas, prævia degradatione Curiæ ſeculari puniendi tradantur. Qui vero denuntiationem faciendam intra tempus ab Edictis Epiſcoporum, vel Inquiſitorum indictum culpabiliter omiſerint, excommunicationem incurrunt, ut diximus cap. præced. n. 9. quæ a nullo abſolvi poteſt, niſi revera denuntient; qua peracta denuntiatione, adhuc non a quolibet Confeſſario abſolutionis ab excommunicatione beneficium obtinere valent, ſed ab habentibus facultatem abſolvendi ab excommunicatione Papæ reſervata; cum prædicta excommunicatio ſit Pontifici, & Inquiſitoribus reſervata. Immo licet ceſſet onus denuntiationis vel ob mortem Confeſſarii ſollicitantis, vel alia legitima de cauſa, adhuc non a quocumque Confeſſario poterit abſolvi, ſed ſolum a privilegiatis. Nec deſunt Theologi, qui nullum hic agnoſcunt privilegium; ſed cenſent nonniſi a Pontifice, vel Inquiſitoribus, vel ab iis, quibus ipſi facultatem abſolvendi conceſſerint, poſſe eum, qui culpabiliter denuntiationem omittit, ab excommunicationis vinculo liberari.

Conſectarium Decimum.

X. Qui de ſollicitationis crimine Confeſſarium falſo accuſant, excommunicationem incurrunt Summo Pontifici reſervatam. Ita enim ſtatuit Bened. XIV. in Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ* §. 3. ſic ſcribens: „ Et quoniam improbi quidam homines „ reperiuntur . . . tremendo Dei judicio poſthabito . . . innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos „ judices falſo ſollicitationis inſimulant, ut tam „ nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque „ Perſona, quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe „ inquinaverit, vel per ſe ipſam innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote, *quovis privilegio, auctoritate, ac dignitate* munito, præterquam a nobis, noſtriſque „ Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ, quam „ nobis, & Succeſſoribus prædictis reſervamus, „ perpetuo careat “. Obtenta autem abſolutionis impertiendæ facultate, adhuc eo beneficio non donetur, niſi prius calumniam efficaciter retractaverit, & damna inde illata non ſarcierit; cum facultas abſolvendi ab excommunicatione ob damnum proximo illatum non concedatur, niſi læſæ parti integre ſatisfecerit.

Conſectarium Undecimum.

XI. Non omnes Confeſſarii ita ſunt pares in ſuo obeundo munere, ut parum interſit unum præ alio eligere. Hanc veritatem luculenter oſtendit Pater Elizalda lib. 6. part. 11. q. 20. §. 12. Obſervat ſiquidem omnes Confeſſarios rite adprobatos pares eſſe in poteſtate ligandi, & ſolvendi abſolute ſpectata, ea plane ratione, qua omnes Medici, Chirurgi, cauſarum Patroni Doctoratus laurea inſigniti, & in aliqua Univerſitate adprobati, idonei reputantur ad ea obeunda munia, & officia exercenda: „ Fatemur, ſcribit, abſolutionem „ quorumlibet validam æqualiter valere: at falſiſſimum eſt, quod multi viri . . . ex capite ſuo „ ſupponunt, vel ſufficere ſibi quemlibet quomodolibet Confeſſarium, vel omnes eſſe pares, vel „ nihil intereſſe, quem eligant . . . Et cur id non „ ſupponunt de uxore, de coquo, de domo, de „ curru, de veſte? . . . Sciant igitur, & bene recogitent, duas eſſe claves, poteſtatis alteram, „ & alteram ſcientiæ, quæ inter ligandos, ſolvendoſque diſcernitur, & niſi ſimul ambabus ſeris cælorum regnum non aperiri “. Hanc veritatem confirmant Sancti Patres tum antiquorum ſeculorum, tum noſtrorum temporum. Ex antiquioribus Origenes in Pſalm. 23. hom. 11. hæc habet: „ Circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius Medicum, cui „ debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat in- „ fir-

„ firmari cum infirmante , flere cum flente “. S. Baſilius in Reg. bre. inter. 229. „ In peccato- „ rum confeſſione eadem ratio eſt, quæ in aperi- „ tione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corpo- „ ris nequaquam quibuſvis hominibus temere ape- „ riuntur, ſed iis tantummodo, qui rationem, „ qua ea curanda ſunt, tenent; eodem modo et- „ iam peccatorum confeſſio fieri debet “. Et Ser- mon. de abdicat. ſeculi ſubdit: „ Magna cura, „ & ſollicitudine operam dato, ut aliquem tibi „ verum invenias, quem in iſta, quam amplexus „ es, vitæ inſtitutione ducem ſequaris, qui probe „ ſciat Deum requirentibus viam monſtrare, qui „ virtutibus omnibus ornatus ſit, cui facta ſua i- „ doneum caritatis erga Deum dederit teſtimonium, „ qui ſacrarum Scripturarum ſcientiam habeat &c. “. S. Jo. Chryſoſt. ſive Auctor Op. imperf. Hom. 55. in Matth. „ Si veſtem empturus unum gyras ne- „ gotiatorem, & alterum, & ubi meliores veſtes „ inveneris, & pretio viliore, ab illo comparas: „ an non oportet populum circumire omnes Do- „ ctores, & inquirere, ubi ſincere veritas Chriſti „ venundetur, & ubi corrupta; & veriorem eli- „ gere, pluſquam veſtimentum? “ Profecto vana omnino forent, inutilia, ac inopportuna hæc SS. PP. monita, ſi omnes Confeſſarii, ſi omnes Do- ctores pares omnino eſſent, nihilque referret u- num potius, quam alium eligere. Recentiores ve- ro Patres, & Doctores hanc eamdem veritatem inculcant. SS. Antoninus, Bernardinus, Thomas a Villanova, Franciſcus Saleſius, Carolus Borro- mæus, piiſſimi Avila, Fridericus Borromæus, Bellarminus, Ludovicus Granatenſis, Bartholo- mæus de Martyribus, Elizalda, aliique, dum mo- nent, clamant, vociferantur, *Confeſſariorum ni- miam indulgentiam Eccleſiam Dei perdere, & eſſe quoſdam noſtri temporis Confeſſarios pie impios, qui ne confitentes aliqualiter contriſtent, illos in ſua nequitia manere permittunt*, ut inquit S. Thom. a Villanova. *Nihil ita fovere peccatores in ſomno- lentia peccandi, conſuetudine, qua Sacerdotes pec- cata relaxant, non tanquam judices ..., verum ut mancipia, quæ præcipiti, & adulanti indul- gentia peccatoribus blandiuntur ... & falſas im- partiuntur abſolutiones, quibus perit tum Presbyte- rorum, tum Pœnitentium infinita multitudo*, ver- ba ſunt S. Franciſci Saleſii in ſuis Synodalibus Conſtit. Et S. Carolus Borromæus confirmat in Inſtruct. Confeſſ. cap. 12. ſcribens: *Vel incuria, vel negligentia, vel alia de cauſa ſæpe accidit, quod abſolutionis beneficium iis impertiatur, qui re- vera indigni ſunt ... cum animarum ſuarum la- mentabili ruina*. Concinit Ven. Bellarminus Conc. fer. 6. poſt IV. Dom. Quadr. *Non eſſet hodie tan- ta facilitas peccandi, ſi non eſſet tanta facilitas abſolvendi. Veniunt homines onuſti peccatis, qui millies in eadem reciderunt, & veniunt ſæpe .... vel pridie, vel ipſo die ſummæ celebritatis, & ſta- tim abſolvi, & ad Sanctorum Myſteriorum commu- nionem accedere volunt. Et nos judices inconſi- derati, diſpenſatores infideles manum imponimus, omnibus dicimus*, Ego te abſolvo, *vade in pace*. Nec rari ſunt hujuſmodi imperiti Miniſtri. Nam, ut vidimus ex S. Franciſco Saleſio, ob hoc perit Presbyterorum *infinita multitudo*, & ex Bellarmi- no tot ſunt *faciles* Miniſtri abſolutionis, quot ſunt *facile* peccantes. Et Ven. Avila aſſerere non ve- retur, vix ex millibus unum, & S. Franciſcus Sa- leſius addit, vix ex decem millibus unum reperi- ri optimum, omnibuſque numeris abſolutum Pœ- nitentiæ Miniſtrum.

Denique & ipſa naturalis ratio, & ſtudium pro- priæ utilitatis evincit, in delectu Confeſſarii cu- ram, & quidem diligentem, eſſe adhibendam. Nam quemadmodum infirmi meliorem Medicum; litigantes diſertiorem Cauſidicum, vulnerati peri- tiorem chirurgum, itinerantes expertum ducto- rem, navigantes peritiſſimum nauclerum, & do- mini meliorem ſervum, coquum, aurigam deli- gunt; nec quemcumque ſibi obvium, ſive Medi- cum, ſive Chirurgum, ſive Patronum, ſive du- ctorem, ſive nauclerum, ſive coquum, ſive ſer- vum admittunt: quanto magis peritiorem delige- re debent Chriſtiani Miniſtrum Pœnitentiæ, qui ipſos a ſpiritualibus curet languoribus, qui ani- mæ vulneribus ſecurius medeatur, qui ipſorum cau- ſam perite apud Deum agat, qui illos per re- ctam, & tutiorem viam ad portum ſalutis perdu- cat? Peccant igitur, & de ſua æterna ſalute pe- riclitantur, qui ſibi deligunt Confeſſarium, ut in- quit Bellarminus, ſurdum, & imperitum, a quo abſolutionem quoquo modo extorqueant; vel de quo audiunt omnes ipſum abſolvere, facilem eſſe, indulgentem, cito Pœnitentes expedire. Quod multo magis verum eſt in illis, qui conſcientiam pluribus implicitam negotiis, criminibus, pravis habitibus ſibi ſentiunt: hi enim procul dubio pe- ritiore indigent Miniſtro.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Qui peritum nacti ſunt Miniſtrum, non facile mutent: expedit tamen, & utile eſſe pote- rit aliquando & alium adire. Ratio primæ partis eſt: quia Confeſſario ſtabili uti quam maxime pro- deſt ſaluti: hic enim indolem, inclinationem, vi- tæ ſtatum, pravos affectus, & alia comperta ha- bens, valet Pœnitentem monere, dirigere, oppor- tune inſtruere, docere; quod ſemper novus, va- gus, incertus non facile præſtare poteſt. Præter- ea in extremo vitæ ſummum eſt ſolamen adhæren- tem habere Miniſtrum, qui totum vitæ ſtatum no- vit, qui ea ſuggerere poteſt, quæ magis opportu- na, magis moventia jam experimento dignoſcit. Ratio vero ſecundæ partis hæc eſſe poteſt; quia quædam ex frequenti colloquio enaſcitur familia- ritas ex humana imbecillitate, ut facile Pœniten- tem in aliquibus excuſet, illique aliquantulum in- dulgeat ſacer Miniſter; & viciſſim Pœnitens, iiſ- dem ſemper aſſuetus vocibus, verbis, monitis, eorum vim non perſentiat, & veluti obtuſa acie non amplius illa animum feriant, & percellant. Præterea cum alio pariter docto, peritoque Mini- ſtro ſecreta animi ſui communicans, & alterius Miniſtri directionem excipiens, vel magis in ſua pia vivendi ratione confirmabitur, vel, ſi quid ſit præcavendum, admonebitur. Deſumpta eſt hæc do- ctrina ex D. Carolo ſic docente: „ Si aliqui ſine „ cauſa Confeſſarium ordinarium ipſis ad animæ „ ſalutem admodum utilem cognitum reliquerint, „ ad eumdem remittantur ... Nam ſicut Medici „ qui naturam, & infirmorum temperamentum „ ex praxi norunt, utpote remediorum ad infir- „ mitatem curandam magis utilium peritiores, „ ſa-

„ facile non mutantur; ſic etiam nec Pœnitentes „ ſuum debent dimittere ſpiritualem Medicum, „ qui eorum animæ neceſſitatum peritus, opportuniora, magiſque utilia remedia poteſt aſſignare. Si tamen ex aliqua cauſa admittat aliquem „ alteri probo Confeſſario confiteri ſolitum, cum „ hujus participatione id fieri juvat". Nullus autem Confeſſarius audeat juramento, vel voto obſtringere aliquem ad ſibi ſoli perpetuo confitendum.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

De Sigillo Confeſſionis.

DOCTRINA.

I. *Perpetuum fuit ſtatutum Sacramentale ſigillum.*
II. *Ad ejus cuſtodiam triplici titulo tenentur Confeſſarii.*
III. *Ex quacumque Confeſſione oritur Sacramentale ſecretum.*
IV. *Quænam ſub ſigillo cadant.*
V. *Quando loqui fas ſit de auditis in Confeſſione, & alio modo.*
VI. *Nec cum ipſo Pœnitente extra Confeſſionem loqui licet.*
VII. *Num concedenda ſchedula de peracta Confeſſione petentibus.*
VIII. *Non licet uti notitia Confeſſionis in externa gubernatione.*
IX. *Nec ad quodcumque damnum vitandum audita in Confeſſione pandere.*

I. PErpetuum in Eccleſia viguiſſe ſtatutum de Sacramentali cuſtodiendo ſecreto teſtantur antiquiſſima Eccleſiæ monumenta. Nam 1. Patres omnes per Tertullianum nondum Montaniſtam lib. de Pœnitentia eos revincunt, quibus verecundia, & pudor ad ſua patefacienda in Confeſſione peccata ora obſtruebant, hac inviolabili ſecreti lege, qua Sacerdotes obſtringuntur. 2. Confirmant Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta. Sozomenus lib. 7. Hiſt. cap. 16. narrat, pro Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione Epiſcopos eligere conſueviſſe Presbyterum vitæ integritate quam maxime ſpectabilem, *Secretorum etiam maxime tenacem*, ac ſapientem. Paulinus quoque S. Ambroſii Amanuenſis, ejuſdem Vitam ſcribens narrat: „ Cauſas criminum, quas illi confitebantur Pœnitentes, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur, relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus".

II. Et jure merito, nam ſecretum hocce triplici titulo eſt cuſtodiendum, jure naturali, jure divino poſitivo, & eccleſiaſtico. Jure quidem naturali jubente quodcumque ſecretum eſt fideliter cuſtodiendum; proinde potiori titulo, quod in Confeſſione ſecreto proditur, cum de iis ſit, quæ ex indole ſua ſilentio promi poſtulant. Accedit juris naturalis præceptum de fama proximi, ejuſque bono nomine non violando eorum manifeſtatione, quæ illis officere poſſunt. Quamobrem ſi de auditis in Confeſſione loqui fas eſſet, fama proximi periclitaretur, & iniquorum hominum abuſui ſubjaceret. Jure quoque divino poſitivo eſt Sacramentale arcanum cuſtodiendum, cum ex Chriſti inſtitutione etiam ſecreta Confeſſione quis poſſit peccatorum conſequi remiſſionem. Silentium ergo indixit de auditis in ea: fruſtra enim ſecretam permiſiſſet Confeſſionem, & duriſſimum reddidiſſet onus Confeſſionis, ſi quæ occultiſſima ſunt, & ſecreto dicuntur, poſſent impune palam fieri; & fideles a Sacramenti ſuſceptione avocarentur. Confirmat hanc doctrinam D. Th. in Suppl. q. 11. a. 1. ad 2. ſcribens: „ Præceptum de Confeſſione celanda „ conſequitur ipſum Sacramentum. Et ideo ſicut „ præceptum de Confeſſione Sacramentali facienda „ eſt de jure divino, & non poteſt aliqua diſpenſatione, vel juſſione humana ab eo abſolvi, ita „ nullus ad revelationem Confeſſionis poteſt cogi, „ vel licentiari". Jus vero eccleſiaſticum plura conſtituunt Conciliorum, & Summorum Pontificum Decreta. In Jure Can. de Pœnit. diſt. 6. Cap. *Sacerdos* diſtricte præcipitur, „ ut Sacerdos ſigillum „ frangens deponatur, & omnes dies vitæ ſuæ ignominioſa peregrinatione conſumat". In Concil. Gen. Lateran. IV. cap. 21. ita præcipitur: „ Caveat autem Sacerdos, ne verbo, aut ſigno, aut „ alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non „ ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam Pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum".

III. Oritur autem onus cuſtodiendi Sacramentale ſigillum ex quacumque Confeſſione Sacramentali bona fide peracta; licet Pœnitens nolit abſolutionem recipere, vel Miniſter recuſet. Declaratur. Oritur 1. ex Confeſſione Sacramentali: ſi enim quis alteri ſecretum communicaret, etiam flexis genibus, & præmiſſa generali formula Confeſſionis, non conſurgeret ſacramentale ſigillum, ſed naturale, cuſtodiendum juxta gravitatem materiæ. Et, ut docet S. Thom. in IV. D.ſt. 21. q. 3. art. 1. q. 2. ad 2. „ Homo non de facili debet recipere hoc modo. Si tamen recipiat, tenetur hoc „ modo celare, ſicut in Confeſſione haberet; quamvis ſub ſigillo Confeſſionis non habeat". Pari pacto, ſi quis Confeſſionem ſimularet, ut ad turpia Sacerdotem ſollicitaret, vel ejus Miniſterio perverſe abuteretur ad aliquod ſcelus perpetrandum, non eſſet vera Confeſſio, ſed abuſus Confeſſionis, ex quo debitum Sacramentalis ſigilli non oriretur; ut docent Merbeſius, Natalis Alexander, Malderus, Tannerus, Dominicus Soto, Suarezius, Bonacina, aliique plures. Oportet igitur, ut bona fide Pœnitens ad Confeſſionem accedat ob peccata ſua manifeſtanda. Neceſſe tamen non eſt, ut Sacramentum perficiatur; ſed ſigilli oritur obligatio, etſi ob defectum vel diſpoſitionis in Pœnitente, vel juriſdictionis in Miniſtro imperfectum remaneat; immo licet Confeſſarius bene perſpiciat illum ſacrilege confiteri, quia aliquod peccatum ex malitia, vel verecundia celat. Et ratio eſt manifeſta; quia Confeſſio eſt de ſe ad Sacramentum ordinata; licet per accidens non perficiatur. Immo, ſi Confeſſio fiat laico tanquam interpreti, vel habito pro Confeſſario, & Sacerdote, adhuc in iſto obligationem cuſtodiendi ſecretum inducit; non vero ſi fiat laico jam Pœnitenti noto. Et ratio eſt, quia in primo caſu error eſt meri facti, & Pœnitens vult Sacerdoti, & Confeſſario confiteri;

teri; in ſecundo autem error eſt juris, quod laicum tali non ſubjicit obligationi: teneretur tamen naturali jure ſervare ſilentium. Ita docet S.Th. l.l. q. 7. art. 1. q. 3. ſcribens: „ Sigillum Confeſſionis competit Sacerdoti, inquantum eſt Miniſter „ hujus Sacramenti ... tamen ſicut aliquis, qui „ non eſt Sacerdos, in aliquo caſu participat aliquid de actu clavis, dum Confeſſionem audit „ propter neceſſitatem; ita etiam participat de „ actu ſigilli Confeſſionis, & tenetur celare, „ quamvis proprie loquendo ſigillum Confeſſionis „ non habeat “.

IV. Materia Sacramentalis ſigilli ſunt non ſolum peccata mortalia, ſed & venialia, & quidquid odioſam Confeſſionem merito reddere poteſt, ſi manifeſtetur. Ita docet S. Th. l. l. qui inter cauſas, ſeu utilitates ſigilli Sacramentalis hanc enumerat, quia per hoc homines magis ad Confeſſionem attrahuntur, & ſimplicius peccata confitentur; proinde ſubdit: „ Sigillum Confeſſionis non directe „ ſe extendit niſi ad illa, quæ cadunt ſub Sacramentali Confeſſione; ſed indirecte id, quod non „ cadit ſub Sacramentali Confeſſione, etiam ad „ Confeſſionis ſigillum pertinet, ſicut illa, per „ quæ poſſet peccator, vel peccatum deprehendi; „ nihilominus ſummo ſtudio ſunt celanda, tum „ propter ſcandalum, tum propter pronitatem, „ quæ ex conſuetudine accidere poteſt “. Hinc nec impoſitam Confeſſarius ſatisfactionem dicere poteſt, niſi forte ita levis ſit, ut pro ſolis venialibus data appareat; certum eſt enim quemlibet venialia ſaltem confiteri. Non licet tamen ullum, licet leviſſimum, peccatum in Confeſſione auditum manifeſtare.

V. De peccatis auditis in Confeſſione, ſed & alia via compertis, nonniſi gravi urgente cauſa, loqui fas eſt. Hæc doctrina eſt ex D. Th. deprompta ſic ſcribente l. l. art. 3. „ Opinio verior eſt, „ quia illud, quod homo alias ſcit, ſive ante „ Confeſſionem, ſive poſt, non tenetur celare „ quantum ad id, quod ſcit ut homo; poteſt e„ nim dicere ſcio illud, quia vidi. Tenetur ta„ men celare illud, inquantum ſcit ut Deus. „ Non poteſt enim dicere, ego audivi in Confeſ„ ſione. Tamen propter ſcandalum vitandum de„ bet abſtinere, ne de hoc loquatur, niſi neceſſi„ tas immineat “. Hanc autem imminere neceſſitatem docet, quando juſtitia, & veritas hoc exigunt. Unde ſubdit: „ Non debet ita vitare pec„ catum ex una parte, quod ex alia juſtitia re„ linquatur; veritas enim non eſt propter ſcanda„ lum dimittenda. Et ideo quando imminet pe„ riculum juſtitiæ, & veritatis, non debet dimit„ ti revelatio ejus, quod quis in Confeſſione au„ divit (ſi alias ſcit) propter ſcandalum; dum „ tamen ſcandalum, quantum in ſe eſt, vitare „ nitatur “. Quare legitime poteſt Parochus ſuum ſubditum, quem aliunde novit eſſe publicum uſurarium, vel concubinarium, vel ebrioſum, & publice corripere, & a Sacramentis arcere; licet hic fuerit illi peccata ſua confeſſus; nam manifeſtum eſt, eum tunc uti publica, & aliis communi notitia; & procul abeſt omne ſcandalum.

VI. Nec cum ipſo Pœnitente de peccatis in Confeſſione auditis loqui poteſt extra Confeſſionem; at etiam cum aliis de ejus licentia. Primæ partis veritas ab omnibus admittitur; quia facile redditur odioſa Confeſſio, & pœnitens erubeſcit, & turbatur, dum ſibi loquentem audit Confeſſarium de manifeſtatis ab ipſo in Confeſſione. Quamobrem, ſi forte illum admonere debet de aliquo defectu præcedentis Confeſſionis, ab ipſo licentiam petere debet, quam ſi dare recuſet, ſuæ imputet improbitati. Ita monet & S. Carolus docens: „ Si „ Sacerdos neceſſitate coactus cum ipſo Pœniten„ te de peccatis loqui debeat (extra Confeſſio„ nem) id nonniſi præfata venia faciat “. Immo nec petendam cenſerem hujuſmodi licentiam, niſi gravis cauſa urgeret; ſed potius ad Confeſſionem invitandum, in qua poſtea poteſt ipſum alloqui de auditis in aliis confeſſionibus pro ejus monitione, & ſalute. Altera vero pars de ſe manifeſta: nam ſigillum eſt in favorem ipſius Pœnitentis, qui juri ſuo cedere poteſt; &, ut inquit S. Thom. l. l. „ poteſt Pœnitens facere, ut illud, quod Sacer„ dos ſciebat ut Deus, ſciat etiam ut homo, dum „ eum licentiat ad dicendum: & ideo, ſi dicat, „ non frangit ſigillum Confeſſionis “. Contingere etiam poteſt, ut aliquando Pœnitens hujuſmodi licentiam dare debeat, quam ſi recuſet, ſit ſine abſolutione dimittendus; ut quando agitur de malo avertendo ſive a Communitate, ſive ab aliqua privata perſona, quod impedire pœnitens teneatur. Quam licentiam ſi dare recuſet, eſt quidem repellendus tamquam indiſpoſitus; ſed ſigillum ſemper eſt ſervandum. At, quando a Pœnitente venia petitur loquendi cum aliis de auditis in ejus Confeſſione, curandum eſt, ut hæc licentia ſit expreſſa, prorſus voluntaria, & libera, nec unquam præſumenda virtualis, & interpretativa.

VII. Quando Pœnitens indiſpoſitus repellitur, ſi de peracta Confeſſione ſchedulam petat in occulto, deneganda eſt; ſi in publico concedenda. Primæ partis ratio eſt, quia denegatio hæc, cum tota ſit inter Pœnitentem & Confeſſarium, nullam profecto affert ſigilli violationem; & impeditur abuſus talis teſtimonialis ſchedæ. At ſi in publico petat coram illis, qui confitentem viderunt, negare non poterit; alioquin violator eſſet ſigilli: ſicut enim dicere non poteſt denegatam ab ipſo abſolutionem; ita publice negare non poteſt ejus audiviſſe Confeſſionem: teſtimonialem enim ſchedulam negando aperte oſtenderet denegatam abſolutionem; quod nec leviter licet indicare. Malitiæ autem petentis eſſet imputandus ſchedulæ abuſus. Ideo S. Carolus ſtatuit: „ Cum Pœni„ tens a Sacerdote, quod ei confeſſus fuerit, at„ teſtationem Parocho exhibendam, ut in Paſ„ chate fieri ſolet, petierit, eam ſub infraſcripta „ formula tradat. Anno ... die ... menſis ... „ adminiſtravi Sacramentum Pœnitentiæ in Pa„ rochia ... habitante “. Nec ullum in hac formula eſt mendacium, ut putare videtur Natalis Alexander; nam nomine Sacramenti Pœnitentiæ etiam ſola illius pars intelligitur; unde de accedentibus ad Tribunal Confeſſionis dicitur accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ, licet pœnitens nonniſi confeſſionem conferat. Et verum eſſet etiam de illo, qui ob materiæ deficientiam eſſet a Confeſſario ſola benedictione ſine abſolutione dimiſſus. Inſuper Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ non ſolum exercent poteſtatem abſolvendi, ſed & ligandi: quare Sacramentale judicium exercent,

cent, etiam quando indignum abſque abſolutione repellunt.

VIII. Vetitum eſt ab Eccleſia uti notitia Confeſſionis in externa gubernatione. Et quidem certum eſt, non licere, inviolato Sacramentali ſigillo, Superiori, ſive Prælato ſubditum punire ob ſcelus ſola Confeſſione ſibi notum. Nam, ut optime docet S. Thom. in Supp. q. 11. art. 1. ad 3. „ Poteſt Prælatus ſine læſione conſcientiæ dimittere peccatum impunitum, quod ſcit tantum ut „ Deus, vel ſine aliquo remedio: quia non tenetur adhibere remedium, niſi eo modo, quo ad „ ipſum defertur. Unde in his, quæ ad ipſum „ deferuntur in foro Pœnitentiæ, debet in eodem „ foro, quantum poteſt, adhibere remedium “. Uti vero notitia Confeſſionis vel ad amovendum aliquem ab aliquo officio, vel adminiſtratione, vel ad negandum ſuffragium petenti dignitatem, vel præfecturam, cognito ex Confeſſione plane indigno, licitum eſſe cenſuere cum S. Thom. plures antiquiores Theologi, S. Bonaventura in IV. Sentent. diſt. 21. quæſt. 1. art. 3. Gabriel Paludanus, Adrianus, aliique, dummodo tamen nullum adſit periculum manifeſtationis peccati. Sic enim ſcribit D. Thom. hic quæſt. 21. artic. 1. ad 4. „ Ex multis aliis cauſis redditur quis indignus ad „ Prælationis officium, quam ex peccato, ſicut „ ex defectu ſcientiæ, vel ætatis, vel alicujus hujuſmodi: & ideo qui contradicit, nec ſuſpicionem de crimine inducit, nec Confeſſionem revelat “. Et confirmat S. Antoninus 3. p. tit. 16. cap. 22. „ Qui liberam electionem habet, licet per ſolam Confeſſionem ſciat aliquem indignum ad Prælaturam, ad quam eligitur, quem „ alias putabat dignum, non debet eligere ex conſcientia ſibi ſic dictante; quia eligendo ſcienter „ dignum, vel indignum, negotium geritur inter „ ipſum & Deum; unde poteſt etiam in his, quæ „ ſcit ut Deus, judicare in propoſito “. At Decreto Clementis VIII. dato die 26. Maji an. 1594. aliter ſtatutum eſt per hæc verba: „ Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſtea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, „ quam de aliorum peccatis habuerint (ex Confeſſione) ad exteriorem gubernationem utantur... „ Quemadmodum enim humanum regimen ab hoc „ Sacramento diſtat; ita etiam nullatenus ab eo „ debet dependere “. Et efficacius adhuc in Decreto Sacræ Congregationis die 18. Novemb. an. 1682. ſtatutum fuit in hæc verba: „ Prævia matura conſultatione DD. Conſultorum facta fuit „ diſcuſſio ſequentis propoſitionis, *Scientia ex* „ *Confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine* „ *pœnitentis, niſi aliud multo gravius ex non uſu* „ *ſequatur, in cujus comparatione prius merito* „ *contemnatur*. Addita deinde explicatione, ſive limitatione, quod ſit intelligenda ad uſum „ ſcientiæ ex Confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione; „ atque in caſu, quo multo gravius gravamen „ ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur. Statuerunt prædictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine Pœnitentis, omnino prohibendam eſſe, etiam cum „ data explicatione, ſive limitatione; & præſenti „ Decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem „ doctrinam publice, aut privatim docere, aut „ defendere ſub pœnis arbitrio S. Congregationis „ infligendis. Mandantes etiam univerſis Sacramenti Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineant “. Patet itaque non amplius licere uti ſcientia Confeſſionis cum aliquo pœnitentis gravamine, & ſi abſit omnis revelatio, & multo majus gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequatur. Hinc non licet vel ſuffragium denegare, vel ab officio ſubditum amovere, vel de loco in locum transferre, vel egreſſum denegare, ſeu impedire, vel fores cautius occludendo, mutando ſeras, & hujuſmodi, ex quibus Pœnitens novit hæc omnia fieri ex notitia ab ipſo in Confeſſione data.

IX. Non licet audita in Confeſſione manifeſtare ad quodcumque malum ſive alterius perſonæ, ſive ipſius Confeſſarii, ſive etiam publicum, & vergens in damnum Reipublicæ, vel Eccleſiæ, vitandum. Nam ut docet S. Thom. Quodlib. 12. qu. 10. art. 1. „ Nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo ſigno licet in aliquo caſu revelare Confeſſionem, quia ſacrilegium eſt. Nam „ ita eſt in Sacramentis novæ Legis, quod efficiunt, quod figurant: effectus autem Pœnitentiæ eſt occultatio peccatorum ab oculis Dei viventis; & hæc occultatio ſignificatur per Sacramentum Confeſſionis; & ideo ſicut profanaret Sacramentum, qui conficeret Corpus, & „ Sanguinem Chriſti in alio, quam de pane, & „ vino; ita eſſet revelans ſacrilegus “. Debet tamen Confeſſarius Pœnitentem obſtringere ad cauſam mali tollendam, vel ad ea adhibenda remedia, quæ ipſum avertere poſſunt; &, ſi recuſet, abſolutione denegata a ſe repellere, ſed tamen ſemper ſervato ſigillo. Quare nec alium, cui imminet malum, admonere poteſt, ut ſibi, vel rebus ſuis caveat; nec ipſe poteſt cautius res ſuas cuſtodire, quas ex Confeſſione novit a domeſtico latrunculo clanculum auferri; vel vitæ periculum vitare fugiendo, aut Miſſam omittendo, in qua ſibi paratum venenum audit. Quamvis in caſibus hiſce potius fictis, quam factis, plures occurrere poſſunt rationes, quibus ſalvo, tectoque Sacramentali ſigillo ſuæ vitæ, rebuſque poſſit proſpicere. Quod ſi crimen per Confeſſionem compertum in detrimentum vergat vel Principis, vel Reipublicæ, vel Eccleſiæ, docet S. Th. poſſe „ aliquod remedium adhibere, quantum poteſt, ſine „ revelatione Confeſſionis, ſive monendo eos, qui „ confitentur, & aliam diligentiam apponendo, ne „ corrumpantur per hæreſim. Poteſt etiam dicere Prælato, quod diligentius vigilet ſuper gregem ſuum; ita tamen, ut non dicat aliquid, „ per quod verbo, vel nutu confitentem prodat “. Immo addit Natalis Alexander pag. 48. „ poſſe, „ & debere Sacerdotem monere Principem, vel „ eos, qui Reipublicæ præſunt, de periculo imminente, ſpeciemque criminis attentati revelare, modo reum, ex cujus tantum Confeſſione „ illud novit, non indicet, non prodat, non revelet “.

CA-

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Sigilli violatio ſemper lethale peccatum eſt.*
II. *Sigillo tegendum quidquid oneroſam reddere poteſt Confeſſionem.*
III. *Nulla lege cogi poteſt Confeſſarius ad audita in Confeſſione dicenda.*
IV. *Præter Confeſſarium, & alii lege ſigilli tenentur.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. Sigilli violatio ſemper lethale peccatum eſt, & parvitatem materiæ non admittit. Veritas hujus doctrinæ mihi certa, & manifeſta videtur. Nam per quamcumque manifeſtationem, etiam leviſſimæ culpæ, gravis Sacramento irrogatur injuria, Confeſſio odioſa redditur, Pœnitentes a Confeſſione retrahuntur. Non deſunt tamen Theologi, qui putant, venialis culpæ manifeſtationem non eſſe lethalis peccati arguendam, niſi Confeſſarius aperte dicat, ſe illud per confeſſionem reſciviſſe. At falluntur; nam non ſola ratione ſcandali graviter peccat, qui ſigillum vel leviter frangit; ſed quia injuriam gravem irrogat Sacramento, cujus notitia abutitur. Loquor autem de vera, & ſtricta violatione ſecreti, non de imprudenti, & incauta garrulitate, quæ audientes in ſuſpicionem inducit alicujus Pœnitentis: hæc & leve eſſe poteſt, & etiam grave peccatum, juxta ipſius majorem, vel minorem imprudentiam, & inconſiderationem. Quamobrem non levis imprudentiæ merito inculpantur Confeſſarii nimium garruli, & loquaces, qui de loco anguſto, de aliquo Collegio, vel Monaſterio dicunt, *non omne, quod lucet, aurum eſſe*; *plures eſſe fures, hypocritas, impudicos*; *hodie graviſſimum facinus audiviſſe*; *primum, quem in Confeſſione audivit, fuiſſe adulterum*. Qui monent Patrem-familias, ut rebus ſuis vigilet, filiam cuſtodiat, quia de pudicitia periclitatur, & ſimilia, quibus audientes in notitiam, vel ſuſpicionem criminis, vel rei poſſunt devenire.

Conſectarium Secundum.

II. Quidquid odioſam, & oneroſam Confeſſionem reddere poteſt, ſilentio ſupprimendum. Ad hoc enim ſecreti cuſtodia ordinatur, ut promptius, facilius, libentius ſua pandant crimina Pœnitentes, certi nihil dicendum, quod illos gravare poſſit. Eapropter violati ſigilli rei ſunt, qui natalium defectum, vel infamiæ notam Pœnitenti, vel ejus familiæ inuſtam, ex ſola confeſſione compertam manifeſtant; qui tentationes, quibus divexantur Pœnitentes, præſertim contra caſtitatem indicant. Similiter qui ſceleris complicem, vel incentorem pandunt, licet Pœnitens conſenſum non præbuerit. Immo nec dicere licet, quæ in Pœnitentis gloriam cedunt, ſed ſeculi nequitia ad ludibrium detorquentur; puta quod mulier viſiones habeat, revelationibus dignetur, Angelos, vel Dæmones videat, vel alloquatur. Licet vero aliqua ſint, quæ non ex dictis a Pœnitente, ſed occaſione Sacramenti deprehenduntur, ſunt ſilentio ſupprimenda, ſi illi oneroſa ſint. Hinc non licet dicere Pœnitentem eſſe eunuchum, rudem, ignobilem, pauperem, ære gravatum, rudimenta Fidei ignorantem, ſcrupuloſum, arrogantem, pertinacem, & ſimilia, quæ profecto invidioſam reddunt Confeſſionem. Similiter laudandi non ſunt, qui alicujus, vel aliquorum ex ſuis Pœnitentibus celebrant virtutes, & bona opera, vel conſcientiæ munditiam, cum inde, qui audiunt, colligant alios pœnitentes vel non æque bonos, vel etiam peccatores eſſe. Lex ſilentii Sacramentalis durat etiam poſt mortem Pœnitentium, quorum peccata manifeſtari minime poſſunt. Eorum vero vitæ innocentiam, virginitatem, immunitatem ab omni culpa lethali, manifeſtari poſſe plura oſtendunt exempla Sanctorum Thomæ, Pii V., Vincentii a Paulo, aliorumque, qui in proceſſibus pro eorum Beatificatione teſtimonium habuere de ſanctitate, vitæque innocentia ab ipſorum Confeſſariis.

Conſectarium Tertium.

III. Nulla lege, nulla cenſura poteſt Confeſſarius obſtringi ad manifeſtandum, quod in Confeſſione audivit. Ita S. Thomas hic q. 4. art. 1. ad 2. „ Nullus ad revelationem Confeſſionis poteſt „ ab homine cogi, vel licentiari. Unde ſi præcipiatur ſub pœna excommunicationis jam latæ, „ quod dicat, ſi aliquid ſcit de tali peccato, non „ debet dicere; quia debet exiſtimare, quod in„ tentio præcipientis eſt, ſi ſciat ut homo, hoc „ autem non ſcit, ut homo: etſi etiam exprime„ ret de Confeſſione, interrogatus non deberet di„ cere: nec excommunicationem incurreret; quia „ non eſt ſubjectus Superiori ſuo, niſi ut homo. „ Hoc autem non ſcit ut homo, ſed ut Deus". Ex qua S. Thom. doctrina colligitur, quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius, de auditis in Confeſſione rogatus ſcilicet 1. ſi interrogetur ſive ab aliquo privato, ſive etiam a judice de aliquo crimine, quod ex ſola Confeſſione novit, libere, & abſque ullo mendacio, ſive æquivocatione reſpondere poteſt ſe neſcire: quia ad mentem reſpondet interrogantis de humana cognitione, non de divina per Sacramentalem Confeſſionem; ut oſtendimus de VIII. Præcepto diſputantes. 2. Si interrogetur de ipſa Confeſſione reſpondere non poteſt, nec debet ſe neſcire; ſed iniquum interrogatorem objurgatione repellere, objiciendo impiam, & ſacrilegam eſſe petitionem, & ſe reſpondere nec velle, nec poſſe. 3. Si interrogetur, num pœnitens confeſſus ſit peccatum notorium vel ipſi interroganti, ut matri petenti a Confeſſario, num filia ſua, quæ ante ipſam confeſſa fuit, de ſtupro ſe accuſaverit, vel cunctis etiam, puta homicidium publicum, pariter reſpondere debet cum indignatione, ineptam, injuſtam, ſtultam eſſe hujuſmodi interrogationem. 4. Si interrogetur, num meretricis, concubinæque audierit Confeſſionem, quam revera excepit, reſpondere poterit affirmando. Si vero interrogetur, num abſolverit, reſpondere ſolum poteſt, quod ſui muneris erat, impleviſſe. 5. Interrogatus a Parocho, num Pœnitentem, cui Viaticum miniſtrare debet, abſolverit, imprudenti petitioni reſpondeat, ſe Confeſſarii officium impleviſſe, licet revera abſolverit. 6. Voca-

catus ad audiendam confeſſionem alicujus pœnitentis, vel certo ſciens tali die pro Confeſſione ſe invitandum, cum quo tamen ex Confeſſione novit ſe nihil proficere, intricatam habere conſcientiam, non poteſt ſeu domo exire, ſeu ſe ſimulare impeditum, ſi putet Pœnitentem ſuſpicaturum hanc audientiæ denegationem a notitia Confeſſionis proficiſci, quia illi redderetur onerosa confeſſio, & eſſet quædam tacita exprobratio ſuorum criminum, & pertinaciæ. Si vero prudenter putet Pœnitentem nihil ſuſpicaturum, ſed indifferenter alium aditurum Confeſſarium, nulla erit culpa, nulla ſigilli violatio; cum nec Pœnitentem ex officio audire teneatur, & pluribus de cauſis ab eo audiendo poſſit impediri. Caveant etiam Confeſſarii, ne a Tribunali diſcedant conſilium circa aliquod crimen petituri, & ſtatim ad illud revertantur; ſuſpicionem enim non levem ingerunt criminis admiſſi a Pœnitente, ad quem redeunt. Similiter caſuum reſervatorum non quærant, vel legant Tabellam, dum actu alicujus Confeſſionem excipiunt, ne ingeratur ſuſpicio de pœnitentis reatu. Uno verbo, cautus ſit, prudens, providus, & vigilans, ne vel leviſſimum de auditis in Confeſſione indicium, vel ſuſpicionem ingerat.

Confectarium Quartum.

IV. Præter Confeſſarium alii quoque ſecretum Confeſſionis ſervare tenentur. Et 1. quidem Superior, ad quem pro abſolutione reſervati caſus confugit Pœnitens, licet hoc ſolum illi crimen pandat: nam hæc manifeſtatio eſt inchoata Confeſſio, & ordinatur ad Sacramentum Pœnitentiæ. 2. Interpres, quippe qui non alio modo novit alterius peccata, niſi quatenus organum eſt, & medium, per quod ad Confeſſarii notitiam deveniunt peccata, & ordinatur ad Sacramentum perficiendum. 3. Qui alterius Confeſſionem audit, ſive fortuito, ſive ex malitia, & de induſtria; quod profecto grave eſt ſacrilegium: quia hæc quoque manifeſtatio eſt Sacramenti pars, & ad ejus confeſſionem ordinatur; immo pari ſilentii lege obſtringuntur, quotquot ab hoc vel imprudenti, vel malitioſo auditore vulgata audirent. 4. Qui chartam reperiunt continentem peccatorum confeſſionem. Hi enim, ut docet optime Navarrus, peccant lethaliter, ſi ſolum ſchedulam legant, cui inſcripta ſit *Confeſſio peccatorum*, vel quid ſimile; ſive deprehendentes continere confeſſionem, ſtatim a lectione non ceſſent. Et præterea non ſolo naturali ſigillo, ſed etiam Sacramentali probabilius tenentur, ſi res non phyſice, ſed moraliter reſpiciatur, & juxta communem fidelium ſenſum, qui quamcumque ſuorum criminum, ſive vocalem, ſive litteralem manifeſtationem ad Sacramentum Pœnitentiæ ordinant, & ejus fidei, ac ſilentio committunt. 5. Qui duobus Confeſſariis eodem tempore peccata confitetur vel ad ſui humiliationem, vel ad majorem conſcientiæ ſuæ quietem, ambo Miniſtri Sacramentali ſigillo obſtringuntur; ſunt enim ambo Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ. Quod ſi uni quidem Confeſſario peccata manifeſtet, ſed humiliationis gratia alios etiam admittat, & hi Sacramentali obſtringuntur ſilentio; quia illa narratio ad ipſum Sacramentum majori humiliatione percipiendum ordinatur. Nec urget, quod reponit Tournelii Continuator de Lugo exſcribens, ſcilicet illam Confeſſionem eſſe virtualiter multiplicem, & ſolum ſacramentalem, prout dirigitur ad Confeſſarium; non vero eſſe, quatenus ad aſtantes dirigatur. Sit, ut lubet. At quatenus ab ipſis adſtantibus percipitur, etiam ab ipſis dignoſcitur ad Sacramentum Pœnitentiæ de ſe ordinari, proinde illis fas non eſt de auditis cum aliis loqui. 6. Conſiliarii quoque, a quibus ſive ipſe Pœnitens, ſive Confeſſarius de licentia Pœnitentis, vel ſine licentia conſilium petunt, Sacramentali ſigillo (de naturali nullus dubitat) teneri cenſent inſigniores Theologi, Navarrus, Petrus Soto, Ledeſma, Suarezius, Sylvius, & etiam benigniores Caſuiſtæ, uti Bonacina, & Ledeſma; quippe quia illa notitia tota prodit ex Confeſſione ſive facta, ſive facienda, & ad illam ordinatur; proinde non aliis communicanda ſine ejus conſenſu, qui etiam aſſenſum ſuum limitare poteſt, ut nonniſi cum uno, & quidem deſignato, communicetur. Quando vero Confeſſarius conſilio indiget, licentiam conſulendi petat; Pœnitentis nomen, vel perſonæ circumſtantias non manifeſtet; & ſi ſuſpicetur Theologum in conſilio adhibendum venire poſſe in cognitionem perſonæ, alium adeat, ſi poteſt, etiam alterius loci: uno verbo, ita ſibi caveat, ut nullo modo ſilentium violetur. 7. Denique judices ipſi, ſi forte crimen, quod punire debent, ex notitia Confeſſionis comperiant in judicium delatum, ob reverentiam Sacramenti ab inquiſitione, & ſententia ceſſare debent.

REFLEXIO.

I. In poſtrema reflexione Pœnitentibus conſuetudinariis, & recidivis iniquitatem, audaciam, inſipientiam exprobravimus. At quibus verbis hic deflebimus ſacrorum Miniſtrorum falſam benignitatem, imprudentem clementiam, crudelem miſericordiam, qua ipſos Pœnitentes abſolutione dignantur? Hæc eſt illa peſtis teterrima, quæ in Eccleſia graſſatur, & in pace reddit ejus amaritudinem amariſſimam, dum tantam videt Pœnitentiæ Sacramenti frequentiam, & tam exiguam morum emendationem; adeo ut qui mane ſua peccata deflevere, poſtea ſero in Theatris, in ludis, in ſpectaculis, in promiſcuis converſationibus rideant, lætentur, exultent; & ea ipſa, quæ deflevere, peccata iterum inaniter deflenda multiplicant. Quid igitur, omnes ne Confeſſarios damnas, vel ſaltem quampluri mos, quaſi miniſterii ſui proditores? Profecto merito forem vituperandus, ſi hoc ex mea mente proferrem. At hoc deplorant, gemunt, vociferantur non antiqui ſolum Patres, quos de ſui temporis Confeſſariis locutos dicent aliqui; ſed & noſtræ ætatis, noſtri temporis, & ſeculi. Eos itaque audiant ſic contra nimiam Confeſſariorum indulgentiam detonantes.

S. Thomas a Villanova Conc. 6. poſt Dom. IV. Quadrag. ſic vociferatur: „O Medice, cur fœtentem ſolvis, cur indigno veniam promittis, „cur cui beneficium abſolutionis exhibeas, non „diſcernis? Duas tibi Dominus claves dedit, unam diſcernendi, alteram judicandi, abſolvendi ſcilicet, & ligandi. Et tu ſine diſcretionis „examine neminem ligas, omnes abſolvis? Una „tantum clave, neque integra quidem uteris, ſed di-

„ dimidiata . . . Heu heu ventrem meum doleo! „ In domo Dei horrendum vidi . . . Paſtores Domini ſui oves jugulantes, Medicos populi ſui „ ægrotos occidentes, judices turpibus blandientes, cenſores flagitia palpantes, cæcos gregem „ Domini dirigentes . . . Oh miſeri animarum non „ curatores, ſed interfectores, non conſultores, „ ſed deceptores! Quid reſpondebitis Domino pro „ grege, quem veſtris blanditiis decepiſtis, veſtris „ conſiliis jugulaſtis? . . . *Quid Eccleſiam Dei hodie* „ *perdit, niſi Confeſſariorum blandiens adulatio?* „ Væ miſeris, vulnera liniunt, vermen conſcientiæ „ extinguunt, & ſecuros peccatores ad inferna dimittunt. Qui ſi timorem populo incuterent, forſitan illos a vitiis revocaſſent. Cui comparabimus adulatores iſtos? . . . Similes ſunt hominibus, „ qui a ripa pereuntibus in flumine dexteram porrigunt, at violentia fluminis ipſi cum aliis demerguntur. Pondere namque peccatorum aſſentatores ſuos, poſt ſe peccatores in præcipitia rapiunt, & ſecum ad inferna deducunt. Hæc contra Confeſſarios quoſdam *noſtri temporis* pie impios dicta ſunt, qui, ne confitentes aliqualiter „ contriſtent, illos in ſua nequitia manere permittunt. At quanto melius eſſet ad modicum contriſtare, quam in æternum damnare? . . . Non te „ pigeat Sacerdos ægros moribus ad pœnitentiam „ contriſtare ".

II. Nec aliter luget S. Carolus Borromæus in ſua Inſtructione P. II. cap. 1. „ Summopere cavendum „ eſt *multis* Confeſſariis, ne in gravem reprehenſionem inciderit eorum induſtria, cum de *tanto* „ *numero* confitentium tam *exiguam* emendationem „ videamus in iis, qui toties, & tam multis annis „ hoc Sacramentum frequentarunt ". Et cap. 12. „ Vel incuria, vel negligentia, vel alia de cauſa „ *ſæpe* accidit, quod abſolutionis beneficium iis „ impertiantur, qui revera indigni ſunt, ac proinde in eiſdem ſæpe peccatis hærent cum animarum ſuarum lamentabili ruina ". Atque iterum cap. 17. „ Hic vigilandum eſt eo diligentius, quo „ *manifeſtum eſt* in hac parte Confeſſarios *incuria* „ *ſua* maximam præbere cauſam, cur in omnibus „ fere opificiis, & exercitationibus publicis peccata graviſſima inveniuntur, & abuſus intolerabiles ". Denique iterum atque iterum idem inculcat cap. 18. „ *Hac tempeſtate* luxus veſtium ad „ ſummum, quem conſcendere potuit, verticem videtur evaſiſſe magna ex parte *culpa, & negligentia Confeſſariorum*, qui nullo cum ſcrupulo eos „ abſolvunt ".

III. Tertius accedit S. Franciſcus Saleſius in ſuis Synodalibus Conſtitut. tit. 1. cap. 5. clamans: „ Nihil perinde Eccleſiam dedecorat, nihil ita ejus violat diſciplinam, nihil ita fovet peccatores in ſomnolenti peccandi conſuetudine, quam „ probroſus ille *mos*, quo quidam Presbyteri peccata relaxant, non tanquam judices, qui prudenti, & gravi criminum diſcuſſione diſcernant, „ num pro eo poſſint pronuntiare, verum tanquam „ mancipia, quæ *præcipiti, & adulanti indulgentia* peccatoribus blandiuntur. De iſtis adulatoribus dicit Cyprianus, quod inducunt in Eccleſiam „ dulcem crudelitatem, miſericordiæ, & clementiæ „ nomine palliatam. Eamque, quam dant pacem, „ idem Cyprianus irritam eſſe, & falſam pacem „ aſſerit, dantibus periculoſam, & nihil accipientibus profuturam . . . Nam ſi datur abſolutio ſine „ ſpe probabili, quod Pœnitens ſtabit promiſſis, „ Sanguis Chriſti profanationi exponitur; & Presbyteri ita novarum prolapſionum, & illorum malorum ſe reos conſtituunt, quæ ex falſis naſcuntur abſolutionibus, quibus perit tum *Presbyterorum, tum Pœnitentium infinita multitudo* ".

IV. Addere lubet & Venerabilem Bellarminum, ſic Conc. 8. Domin. IV. Adventus declamantem: „ *Multi* reperiuntur *hodie* imperiti œconomi, qui „ nec munus, nec locum, nec gradum ſuum intelligunt . . . Nec ſe Miniſtros, & diſpenſatores agnoſcunt, qui, quaſi non eſſent Domino rationem „ reddituri, *ſumma facilitate* omnibus manus imponunt, tam plene, & perfecte confitentes, „ quam peccata ſua quadam confuſa generalitate „ involventes, tam ſatisfacere paratos, quam non „ paratos, quaſi propria poteſtate, & auctoritate „ abſolvunt. Iſti ſua imperitia, & ſuperbia corrumpunt populos, & eis veræ pœnitentiæ viam „ præcludunt. *Nec enim eſſet tanta facilitas peccandi, ſi non eſſet tanta facilitas abſolvendi* ".

V. Quomodo igitur tanto malo mederi poterit? Puto, ſi rejectis Tamburinis, Gobatis, Eſcobariis, Dianis, Leandris, Bonacinis, Lacroixiis, Sporeriis, aliiſque ſexcentis, de quorum libris optime ſcribit P. Elizalda P. III. lib. 8. q. 7. §. 2. „ Quæſivi Chriſtum, *& non erat*; Quæſivi Summam Prophetarun, & Legis, ſcilicet caritatem, „ & dilectionem Dei, *& non erat*; Quæſivi Evangelium, *& non erat*; Quæſivi humilitatem, ſine „ qua ſalvatur nemo, *& non erat*; Et ſi Paulum, „ aliumque Apoſtolum, Sanctumque percurras, „ contraria omnino invenies "; iis inquam rejectis, ſolum accurate legantur Divinæ Scripturæ oracula, SS. Patrum ſcripta, Aſceticorum, qui de vitiis, & virtutibus tractant, libri, Concionatorum fervidi Sermones, Theologorum denique vere Chriſtianorum Opera, qui non aridas, & ſine ſucco doctrinas morum tradunt, & caſus quoquomodo reſolvunt, ſed inſtruunt, movent, ſapiunt, illuminant efficacia ſermonis, teſtimoniis SS. Patrum, Conciliorum auctoritate, & doctrinas tradunt certas & tutas: cujuſmodi ſunt Merbeſius, Obſtrahetus, Juveninus, Contenſonius, Ludovicus Granatenſis, Bellarminus, Natalis Alexander, Elizalda, Camargo, Concina, aliique plures, qui veluti tetri Rigoriſtæ immerito traducuntur. Horum ſtudio, & lectione dominabuntur in Sacris Tribunalibus ſaniores doctrinæ, & juſta concipietur norma, & Pœnitentiæ, & veræ Peccatorum converſionis, & chriſtianæ pietatis idea. At inquies, ſi ſic requiris, profecto in tanta Chriſtianorum frequentia pauci erunt Confeſſarii. Sed reſpondet D. Thom. in IV. diſt. 24. q. 1. art. 3. „ Si non poſſunt tot Miniſtri inveniri, quot modo ſunt, melius eſt paucos Miniſtros habere bonos, quam „ malos, ut dicit B. Clemens, & Scriptura eſt: „ *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam* ".

DIS-

DISSERTATIO VI.

DE CENSURIS.

AD hujus Tractatus de Sacramento Pœnitentiæ complementum unum ſupereſt, nimirum ut de Cenſuris nonnulla ad Tyronum eruditionem delibemus potius, quam fuſe exponamus: cum de his præcipue tractent Juris Canonici Doctores. Majoris claritatis gratia hanc Diſſertationrm in duas partiemur partes. Altera erit de Cenſuris in genere. Altera de Cenſuris ſingillatim, & in particulari. Sit itaque

PARS PRIMA

DE CENSURIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

Definitio Cenſuræ traditur, ejuſque diviſio.

DOCTRINA.

I. *Cenſuræ definitio traditur.*
II. III. IV. *Ejuſque variæ diviſiones.*

I. CEnſuræ nomen apud Eccleſiaſticos Judices uſurpatur pro punitione, & pœna, qua antiquorum Cenſorum more delicta coercentur, & delinquentes corriguntur. Definitur itaque Cenſura in communi, *Spiritualis pœna, inflicta ab Eccleſiaſtica poteſtate, ob aliquod grave crimen, privans hominem baptizatum uſu aliquorum ſpiritualium bonorum, propter animæ ſalutem.* Dicitur *pœna*, quia delictum, & crimen præſupponit: ſi enim nullum præceſſerit crimen, & aliqua tamen ſubſequatur privatio uſus Sacrorum, tunc non cenſura eſt, ſed impedimentum; ut ſuo loco de Irregularitate oſtendemus. Additur *ſpiritualis*, quia per Cenſuram ſola ſpiritualia bona vel auferuntur, vel impediuntur; ad differentiam corporalis, & temporalis pœnæ, quæ in privatione conſiſtit temporalium bonorum. Dicitur *ab Eccleſiaſtica poteſtate* inflicta. Sola enim Eccleſia, & habentes in ipſa ſpiritualem juriſdictionem, uſu, & aſſecutione ſpiritualium bonorum privare poſſunt. Dum vero dicitur *baptizatos homines* cenſuris ſubjacere, indicatur, infideles non baptizatos ſpirituali Eccleſiæ juriſdictioni non ſubjectos, ſpirituali non poſſe pœna puniri, dicente Apoſtolo ad Corint. 5. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt judicare?* Denique illa verba *propter animæ ſalutem* indicant Cenſuras pœnas eſſe medicinales ad ſalutem peccantis ordinatas: unde in Jure Canonico in 6. cap. *Cum medicinalis* 1. de Sent. Excom. indicitur: *Caute provideat Judex Eccleſiaſticus, ut in ea ferenda oſtendat, ſe proſequi, quod corrigentis fuerit, & medentis.*

II. Præcipua Cenſuræ diviſio eſt triplex, nimirum, alia eſt Excommunicatio, alia Suſpenſio, tertia Interdictum juxta tamen recentem diſciplinam: nam ut obſervant Morinus de Sacramento Pœnitentiæ lib. 6. cap. 25. n. 12. & Van Eſpenius Juris Eccleſ. P. III. tit. 11. cap. 27. §. 1. & ſequentibus, non certo conſtat apud Veteres, has tres tantum fuiſſe Cenſurarum ſpecies. Nunc vero hæ tantum inter Cenſuras proprie dictas recenſentur, ut declaravit Innoc. III. cap. *Quærent*, de Verb. ſignif. ſcribens: *Quærent, quid per Cenſuram Eccleſiaſticam debeat intelligi, cum hujuſmodi clauſulam in noſtris litteris apponimus? Reſpondimus, quod per eam non ſolum Interdicti, ſed & Suſpenſionis, & Excommunicationis ſententia valet intelligi.*

III. Iterum dividitur Cenſura in latam a jure, & ab homine. A jure dicitur lata Cenſura, quæ ab ipſa lege fertur; proinde generalis eſt, & durat etiam poſt Legiſlatoris mortem. Ab homine vero dicitur, quæ fertur a Superiore habente juriſdictionem in foro exteriori contra aliquem, vel aliquos delinquentes; & hæc vel delictum jam commiſſum reſpicit, ut cum Superior ſubditum ob crimen a divinis ſuſpendit; vel quæ aliquid fieri vetat, ut cum Epiſcopus ſub pœna excommunicationis Clerico prohibet, ne impudicam fœminam inviſat. Hæc, ſi reus eam incurrerit, perſeverat etiam defuncto, vel amoto Superiore, qui eam tulit; nec auferri poteſt, niſi per abſolutionem: ſi vero non incurrerit, ceſſat ceſſante Superioris juriſdictione. Hæc etiam generalis eſſe poteſt, puta adverſus omnes Clericos ſine veſte Clericali celebrantes; & particularis, ſive ſingularis contra aliquem Clericum.

IV. Dividitur etiam in Cenſuram latæ, & ferendæ ſententiæ. Primam incurrit reus, ſtatim ac crimen, cui noverit adnexam eſſe, commiſit abſque ulla vel declaratione, vel denuntiatione. Altera vero non ſtatim incurritur, ſed ferri poteſt merito a Superiore, quandoque etiam nulla præmiſſa monitione. Ad diſcernendum, quando Cenſura ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, docent juris Doctores attendenda jubentis verba. Nam ſi dicat, *ipſo jure, ipſo facto, confeſtim, illico, prorſus, incontinenti*, vel ſi verba adhibeat de præſenti, excommunico, ſuſpendo, interdico, anathema ſit, excommunicatus, ſuſpenſus ſit, ſignificatur Cenſura latæ ſententiæ. Si vero illa deſint verba, & formulæ, vel de futuro verbis utatur, excommunicabitur,

tur, ſuſpendetur &c., ſolum ferendæ ſententiæ Cenſura indicatur. Aliæ denique reſervatæ ſunt, aliæ non reſervatæ: a prioribus abſolvere non valent, niſi qui ad hoc peculiari donantur poteſtate; poſteriores vero tolli poſſunt a quocumque Confeſſario, ut ſuo loco de Cenſuris ſingillatim dicentes uberius explicabimus.

CAPUT SECUNDUM.

De habentibus poteſtatem ferendi Cenſuras, & de modo ab eis ſervando.

DOCTRINA.

I. *Eccleſiæ data eſt poteſtas ferendi Cenſuras.*
II. *Quinam poteſtate ordinaria ferre poſſint Cenſuras.*
III. *Prælati Regulares Cenſuras ferre poſſunt.*
IV. *Quinam poteſtate delegata valeant Cenſuras indicere.*
V. *Quæ forma ſervanda in ferenda Cenſura.*
VI. *Monitio quando, & quomodo præmittenda.*
VII. *Quando denuntiatio ſit neceſſaria.*

I. Eccleſiæ datam a Chriſto poteſtatem ferendi Cenſuras, dubitare non ſinunt & Scripturæ teſtimonia, & SS. Patrum dicta, & Conciliorum, ac Pontificum Decreta. Data enim legitur in Evangelio Apoſtolis poteſtas ligandi, atque ſolvendi, ut habetur Matth. 14. & facultas ab Eccleſia contumaces ejiciendi, dicente Chriſto Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Hujus poteſtatis uſum, & exercitium conſpicimus in S. Paulo, qui primo inceſtuoſum Corinthium Satanæ tradidit, lata in ipſum excommunicatione; & poſtea pœnitentem, ac de ſuo crimine dolentem abſolvit 1. ad Cor. 5. Accedit perpetua PP. traditio. Tertul. in Apolog. cap. 39. dicit, in Chriſtianorum conventibus haberi „ exhortationes, caſtigationes, & cenſuras „ divinas. Nam & judicatur magnum cum pondere, & apud certos de Dei conſpectu, ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur “. Confirmat & S. Hieron. epiſt. ad Heliodorum, & S. Auguſtinus lib. de Fide & Operibus cap. 11. Summi quoque Pontifices, & Œcumenica Concilia hæreticos, & ſchiſmaticos anathemate ferire conſuevere; & Conſtantienſe Concilium Wicleffi articulos damnavit, quibus aſſerebat: *Excommunicatio Papæ, vel cujuſcumque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti; & nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat, eum excommunicatum a Deo; & qui ſic excommunicat, ſit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.* Reprobavit etiam Joannis Hus propoſitionem: *Per Cenſuras Eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ad ſui exaltationem Clerus populum laicalem ſibi ſuppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichriſto.* Et in Concilio Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. hæc poteſtas *nervus* dicitur *Eccleſiaſticæ diſciplinæ ad continendos in officio populos valde ſalutaris, & ſpiritualis gladius.* Et revera ſi, ut inquit Apoſtolus 1. ad Cor. 4. Chriſtus poſuit Paſtores, ut *Miniſtros ſuos, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*, poteſtatem habeant, oportet, criminoſos, & contumaces repellendi a Myſteriorum Dei participatione: inutilis autem foret illa poteſtas, quæ delinquentes debitis pœnis, & malos coercere non poſſet.

II. In Eccleſia autem hanc poteſtatem, & juriſdictionem exercent jure proprio, & ordinario 1. Summus Pontifex, qui univerſalem in Eccleſia obtinet poteſtatem. 2. Concilia Œcumenica in totam Eccleſiam; Concilia Provincialia per totam Provinciam; & Diœceſana in ſola Epiſcopi Diœceſi. 3. Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, licet nondum conſecrati, ſi tamen ſint a Summo Pontifice jure electi, ſive confirmati, a quo hac poteſtate privari abſolute non poſſunt, niſi Epiſcopatu, & dignitate priventur. 4. Eorum quoque Vicarii, qui cum illis unum Tribunal conſtituunt; ideo ceſſante per mortem, vel amotionem Epiſcopo, ſicut ejus juriſdictio ceſſat, ita & Vicariorum poteſtas. 5. Vicarii Capituli, Sede Vacante, cum loco Epiſcopi ſuccedant in ſpirituali juriſdictione neceſſaria. Denique Nuncii, & Legati a Latere Summi Pontificis in tota Legationis Provincia, & juxta ſibi conceſſam poteſtatem.

III. Regulares quoque poteſtate coercendi ſuos ſubditos per Eccleſiaſticas cenſuras donatos eſſe multa oſtendunt illis conceſſa privilegia, qua Generales in toto Ordine, Provinciales in tota Provincia, Superiores quoque in ſuo Monaſterio uti poſſunt, ut patet ex Canone *Cum in Eccleſiis*, de Majorat. & obedien. in cujus ſummario habetur: *Canonici Regulares, non obedientes Priori ſuo, per ipſum excommunicari poſſunt.* Et confirmant Juriſperiti Doctores. Fagnanus in cap. *Quanto*, de Offic. ordinar. ſcribit: *Abbas, & Prior conventualis poteſt Monachos excommunicare, ut eſt expreſſum in Capite, Cum in Eccleſiis, de Maj. & Obed. & in Cap. Sicut 1. de Simonia.* Cui aſſentiuntur plures alii, tum Canoniſtæ, tum Theologi. Nec obſtat limitatam eſſe Superioribus facultatem ſibi reſervandi caſus, cum hæc limitatio nihil habeat commune cum poteſtate ferendi cenſuras. Unum eſt animadvertendum, nimirum, num hæc poteſtas ſit a peculiaribus Ordinis Conſtitutionibus, localibus præſertim Superioribus, vel ablata, vel ſaltem limitata. In Ordine Prædicatorum nulla eſt hac in re limitatio.

IV. Poteſtate vero delegata Cenſuras ferre poſſunt omnes Clerici, licet non Sacerdotes, dummodo tamen conjugati non ſint. Non deſunt, qui & Laicis a Summo Pontifice poteſtatem ferendi cenſuras delegari poſſe autumant. Immo & alicui Abbatiſſæ Fontis Eraldi a Clemente VII. conceſſum fuiſſe cenſuras ferre, nonnulli narrant. Fœminis tamen nec conceſſa communiter fuit, nec expedit, ut concedatur tanta poteſtas; quippe quæ poteſtatis Clavium incapaces ſunt. Nam, ut obſervat Innoc. III. in cap. *Nova* extra. de pœnit. & remiſſ. B. Virgini, licet ſanctitate, gratia, & donis longe ſupra Apoſtolos excellenti, non illi tamen, ſed iſtis, eorumque Succeſſoribus fuit clavium conceſſa poteſtas. Et D. Th. hic qu. 19. a. 3. ad 4. ſcribit: „ Mulier ſecundum Apoſtolum „ eſt in ſtatu ſubjectionis. Et ideo non poteſt habere aliquam ſpiritualem juriſdictionem . . . .

„ Un

„ Unde mulier non habet neque clavem ordinis, „ neque clavem juriſdictionis. Sed committitur „ mulieri aliquis uſus clavium, ſicut habere corre„ ctionem in ſubditas mulieres, propter periculum, „ quod imminere poſſet, ſi viri mulieribus cohabi„ tarent “. Delegati non poſſunt alios ſubdelegare, niſi ſint a Summo Pontifice delegati, quibus ſolet privilegium concedi ſubdelegandi. Expirat facultas morte delegantis, niſi tamen cauſa fuerit a delegato inchoata: tunc enim eam poterit uſque ad ſententiam producere. At ſi ſuperveniat revocatio delegationis, ceſſat omnis juriſdictio in delegato: a quo tamen ſi cenſura lata ſit, antequam haberet revocationis notitiam, valida erit, niſi aliter a delegante ſtatuatur.

V. Cenſura, ut rite ſiat, ferenda eſt ſigno exteriori, voce, vel ſcripto, vel ſaltem nutu, quamvis non ſit neceſſaria determinata verborum formula, ſed ſatis ſit quæcumque externa manifeſtatio voluntatis Superioris. Unde ſatis eſt, ſi dicat, *excommunico te*, vel *Sacrorum communione privo*. Neceſſe tamen eſt, ut Cenſura exprimatur, quæ fertur: ſententia enim, quæ nullam determinatam ſtatuit pœnam, pro inutili habetur. Quod verum eſt de Cenſura ipſo facto incurrenda. Sed ſi agatur de Cenſura ferendæ ſententiæ, hæc indici poteſt etiam in communi; puta dicendo, *Qui ſecus fecerit, Eccleſiaſtica cenſura punietur*; tunc enim Judex penam cenſuræ non determinat, eam tamen ſibi determinandam reſervat juxta modum culpæ. At ſi ſententia excommunicationis ſit ferenda cognita cauſa, & citatione præmiſſa, ſervanda eſt forma ab Innoc. IV. præſcripta, ſtatuente cap. 1. de Sentent. Excom. in 6. „ Quiſquis excommunicat, „ excommunicationem in ſcriptis proferat, & cau„ ſam excommunicationis expreſſe conſcribat, pro„ ter quam excommunicatio profertur. Exemplum „ vero hujuſmodi ſcripturæ teneatur excommunica„ to tradere infra menſem, ſi fuerit requiſitus: & „ hæc eadem in ſuſpenſionis, & interdicti ſenten„ tiis volumus obſervari “. Quæ tamen formula locum non habet in ſententiis, quæ per modum legis feruntur, vel per modum præcepti ad avertendum crimen. Quando tamen formula illa ſervanda eſt, omitti non poteſt abſque gravi culpa, quæ etiam ab Innoc. loc. cit. punitur *Suſpenſione per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & divinis Officiis*: quam ſuſpenſionem ſi quis violaverit, ſubdit Pontifex, *irregularitatem non effugiant*; quæ profecto gravis pœna & gravem culpam ſupponit.

VI. In Cenſuris latis a jure, vel ab homine per modum legis, & ipſo facto incurrendis, non eſt neceſſaria canonica monitio, cum ipſa lex, & præceptum de ſe ſubditos moneant, ut a crimine, quod cenſura punitur, ſibi caveant. At ſi excommunicatio ſit ferendæ ſententiæ pro patrato delicto, eſt præmittenda monitio, cum hæc pœna nonniſi in contumaces feratur, ut reſipiſcant: in quo differt hæc cenſura a ſuſpenſione, & interdicto, quæ ferri poſſunt per modum puræ pœnæ, & non tam ad peccantis reſipiſcentiam, quam ad admiſſi facinoris punitionem ordinantur. Quod multo magis verum eſt, ſi excommunicatio ſit ab homine contra ſingularem aliquem delinquentem ferenda: tunc enim reus prius eſt monendus ut reſipiſcat, & quidem trina monitione, niſi forte urgens neceſſitas aliter poſtulet; tunc enim una ſola peremptoria admonitio pro tribus ſufficit. Eſt tamen ſemper in ſcriptis facienda, & coram teſtibus tradenda, vel legenda perſonæ puniendæ, ut ſtatuitur cap. *Sacro* de Sent. Excom. ut (inquit) *Si neceſſe fuerit, poſſit probari monitio*. At, ſi reus fugerit, vel malitioſe ſe occultet, ſufficit, ſi monitio ad ejus deferatur domum, ibique relinquatur, vel in loco publico, vel ad valvas Eccleſiæ affigatur.

VII. Denuntiatio quoque neceſſaria eſt, ſcilicet publicatio Cenſuræ, qua quis devincitur. Si cenſura ſit a jure lata, ut excommunicatio ob percuſſionem Clerici, ejus denuntiationem præcedere debet ſententia declaratoria criminis, qua Judex non cenſuram vibrat, ſed reum declarat criminis, cui eſt annexa cenſura, & qua ligatus fuit, ſtatim ac crimen commiſit. Neceſſaria proinde eſt citatio, & auditio rei; nam hujuſmodi ſententia infamem efficit denuntiatum; infamia vero nullus non citatus, non auditus notari poteſt. Citato itaque, auditoque reo in contumacia perſeverante publicanda eſt ſententia; ut ſtatuitur in Jure cap. *Curæ ſit* 20. q. 3. „ Curæ ſit omnibus Epiſcopis excommu„ nicatorum omnium nomina tam Epiſcopis vici„ nis, quam ſuis Parochianis pariter indicare, „ eamque in celebri loco poſitam, præ foribus Ec„ cleſiæ cunctis convenientibus indicare “. Quod ſi cenſura ſit per ſententiam judicis ferenda, præmittenda eſt, ut diximus, ſaltem una vice monitio, reus citandus, & audiendus; deinde contra ipſum in contumacia perſeverantem ferenda ſententia; quæ non ſufficit, ſi pro Tribunali publice proferatur, ſed neceſſe eſt, ut in locis publicis affigatur, & juxta conſuetudinem promulgetur; maxime cum in præſenti diſciplina Eccleſiæ nullus excommunicatum vitare teneatur, niſi fuerit nominatim denuntiatus. Quod ſi reus etiam poſt poſt ſententiam latam reſipiſcat, & ſatisfactionem exhibeat, eſt a denuntiatione ceſſandum: ſicut & rei jam denuntiati, ſed pœnitentis abſolutio publice eſt manifeſtanda, ut iterum ad Eccleſiæ communionem admittatur, & fidelium perfruatur conſortio.

CAPUT TERTIUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quænam ſint Cenſuræ minus proprie tales.*
II. *Cenſuræ aliæ validæ, aliæ invalidæ, aliæ juſtæ, aliæ injuſtæ.*
III. *Quando Archiepiſcopi, vel Epiſcopi ferre Cenſuras non poſſint.*
IV. *Poteſtas ferendi Cenſuras acquiritur conſuetudine, & præſcriptione.*
V. *Ferri non poteſt extra proprium Territorium.*
VI. *At in ſubditum, licet in aliam Diœceſim ſe recipiat.*
VII. *Cenſuram nemo poteſt ferre in ſeipſum, vel in propria cauſa, vel in æqualem, vel in ſuperiorem.*

Conſectarium Primum.

I. INter Cenſuras proprie tales non enumeratur Irregularitas, etiam ex delicto, nec ceſſatio a Divinis, nec depoſitio, ſive degradatio. Nam irre-

regularitas non eſt medicinalis pœna ad reſipiſcentiam delinquentium ordinata; ſed eſt mera punitio, vel canonicum impedimentum, & quidem de ſe perpetuum, quod non ceſſat per delinquentis emendationem, nec tollitur abſolutione, ſicut aliæ cenſuræ, ſed diſpenſatione tantum relaxatur. Eapropter ſi cui concedatur facultas abſolvendi a cenſuris, non tamen illi conceſſa facultas abſolvendi ab irregularitate cenſenda eſt. Idem dicendum & de depoſitione, & degradatione, quæ mere pœnales ſunt, perpetuæ, nec tolluntur delinquentis emendatione, ſeu reſipiſcentia. Ceſſatio a Divinis pariter vel ad locale interdictum pertinet, vel indicitur ad manifeſtandam Eccleſiæ triſtitiam, & dolorem ob ſcandalum. Diſtinguitur tamen a locali interdicto in hoc, quia iſtud ſemper directe, & ſpecialiter perſonas afficit, quæ interdicto cauſam dedere; quamobrem illis nulla proſunt privilegia, ſed ubique divinis intereſſe prohibentur, ceſſatio vero a divinis ſolum afficit loca, nec perſonas ligat, licet huic pœnæ cauſam dederint; qui proinde, niſi alia impediantur cenſura, illis alibi divinis adeſſe conceditur.

Conſectarium Secundum.

II. Cenſura alia valida eſt, alia invalida; alia juſta, alia injuſta. Hæc diſtinctio ſolum habet locum in cenſuris ab homine latis: nam juris cenſuræ & juſtæ ſunt ſemper, & validæ; cum ſint per modum veræ, & juſtæ legis. Valida itaque dicitur cenſura, in qua ferenda nihil peccatum eſt. Invalida vero, quæ eſſentialibus caret requiſitis, vel fertur a non habente juriſdictionem. Prior eſt ſervanda; poſterior nulla habenda. Juſta vero eſt habenda cenſura, quæ ex omni parte ita legitime lata eſt, ut nihil illi opponi poſſit, vel exprobrari. Non confunduntur tamen cenſura injuſta, & invalida, ſicut juſta, & valida: nam quandoque cenſura poteſt eſſe juſta, quia talem pœnam mereatur reus; ſed invalida, quia fertur a non habente poteſtatem: aliquando poteſt eſſe injuſta, & tamen valida; ut ſi non ſervetur ordo juris accidentalis, vel feratur ex odio, & vindicta, tunc enim ſuum valorem non amittit. Hinc in jure tanquam axioma habetur: Paſtoris *ſententiam ſive juſtam, ſive injuſtam, eſſe ſemper timendam.* Quod tamen non ita large eſt intelligendum, quaſi omnis cenſura, etiam injuſte lata, vim habeat ligandi coram Deo; ſed timendam eſſe 1. ſi valida ſit, licet injuſta, quia pravo animo lata, vel deficiat aliquid accidentale. 2. Timendam eſſe, quando & injuſta eſt, & invalida, ſed ejus nullitas, & injuſtitia certis documentis probari non poteſt; quia in dubiis ſemper eſt Superiori obtemperandum. 3. Sententiam etiam evidenter nullam, & injuſtam non eſſe in foro exteriori contemnendam, ſi forte in eo pro valida reputetur, ne aliis ſcandali occaſio præbeatur. Ita docet S. Thom. hic q. 21. art. 4. ſcribens: „ Excommunicatio poteſt eſſe injuſta dupliciter. „ Uno modo ex parte excommunicantis; ſicut „ cum ex odio, vel ira excommunicat: & tunc „ excommunicatio habet effectum ſuum, quamvis „ ille, qui excommunicat, peccet; quia iſte ju„ ſte patitur, quamvis ille injuſte faciat. Alio „ modo ex parte ipſius excommunicationis, vel „ quia cauſa excommunicationis eſt indebita, vel „ quia fertur ſententia juris ordine prætermiſſo: „ & tunc ſi ſit talis error ex parte ſententiæ, „ qui ſententiam nullam eſſe faciat, non habet „ effectum; quia non eſt excommunicatio: ſi „ autem talis error non annullet ſententiam, ha„ bet effectum ſuum, & debet excommunicatus „ humiliter obedire, & erit ei ad meritum . . . „ Si autem contemneret, eo ipſo mortaliter pecca„ ret “.

Conſectarium Tertium.

III. Archiepiſcopi Cenſuras ferre non poſſunt in ſubditos Epiſcoporum ſuffraganeorum, niſi tempore viſitationis. Epiſcopi titulares, cum nullos habeant ſubditos, cenſuras ferre non valent. Sicut nec Parochi, licet fortaſſis aliquando hanc obtinuerint poteſtatem, modo tamen illa omnino privantur; cum hæc juriſdictio ſit fori exterioris, & contentioſi, non interioris & pœnitentiæ, ut docet S. Thom. hic quæſt. 22. art. 1. ſcribens: „ Quia homo per excommunicationem a commu„ nione fidelium ſeparatur; ideo excommunica„ tio ad forum exterius pertinet. Et ideo illi ſo„ li poſſunt excommunicare, qui habent juriſdi„ ctionem in foro judiciali. Et propter hoc ſoli „ Epiſcopi propria auctoritate, & majores Præla„ ti ſecundum communiorem opinionem poſſunt „ excommunicare; ſed Presbyteri parochiales non „ niſi ex commiſſione eis facta, vel in certis ca„ ſibus, in quibus eſt eis a jure conceſſum, quod „ excommunicare poſſint “. Quæ tamen conceſſio eſt omnino ſublata in præſenti Eccleſiæ diſciplina. Cardinales vero, cum in ſuis titulis obtineant Epiſcopalem juriſdictionem, etiam ferendi cenſuram poteſtate donantur.

Conſectarium Quartum.

IV. Facultas ferendi Cenſuras acquiri poteſt etiam præſcriptione, ab iis tamen, qui plebi, & populo aliqua ratione præſunt, ut Archidiaconi, Canonici, Præpoſiti &c. Ad quam tamen inducendam præſcriptionem duas requirunt Juris Canonici Doctores conditiones, nimirum titulum, & tempus 40. annorum; ut ſtatuitur in Jure de Præſcript. cap. 15. & ſi forte deſit titulus coloratus, ſufficere poterit tempus immemorabile. Poteſt etiam obtineri conſuetudine, per quam & juriſdictio obtinetur. Quamobrem olim Parochi, & Archidiaconi quidem fortaſſis conſuetudine, modo abrogata, hanc obtinebant poteſtatem. Denique privilegio communicatur hæc poteſtas, ut patet in Regularibus, & aliquibus Canonicorum Capitulis, ut habetur cap. 23. de verb. ſignificatione. Illud tamen animadvertendum, quod ſi præſcriptione, vel conſuetudine quis facultatem obtinuerit excommunicandi, non tamen hanc poteſtatem etiam ad alias cenſuras poteſt dilatare: nam in præſcriptione, & conſuetudine non valet argumentum a ſimili; ſed intra conſuetudinis, & præſcriptionis limites ſe continere debet.

Con-

Conſectarium Quintum.

V. Prælati nequeunt Cenſuras ferre extra limites proprii Territorii. Ratio eſt manifeſta. Nam cum ferre cenſuras actus ſit fori contentioſi, nemo poteſt in alieno territorio tribunal erigere, & juriſdictionem contentioſam exercere. Dixi *contentioſam* juriſdictionem: nam ſi Cenſura feratur per modum legis, & ſtatuti ad delicta evitanda, cum tunc non opus ſit cognitione cauſæ, poterit ferri etiam in alieno territorio. Immo nec per modum ſententiæ ab inferenda impeditur, ſi tota cauſæ cognitio in propria Diœceſi præceſſerit; vel contumacia ita manifeſta ſit, ut cognitione cauſæ non egeat, debitæque præceſſerint monitiones. Quod pariter extenditur ad Epiſcopum, qui a propria pulſus Diœceſi, & in locis verſatus propinquioribus, contentioſam exercere poteſt in ſuos ſubditos juriſdictionem; dummodo tamen ab Ordinario licentiam petiverit, quamvis non obtinuerit; ut habetur in Clement. *Quamvis* de foro competente. De licentia vero Ordinarii poteſt quilibet Prælatus, etiam extra proprium territorium, contentioſam exercere juriſdictionem, cum volenti, & conſentienti nulla fiat injuria.

Conſectarium Sextum.

VI. Poteſt Epiſcopus cenſuras ferre in proprium ſubditum, qui delinquens in ſua Diœceſi, deinde ad aliam tranſit. Ita declaravit Gregorius IX. cap. *Propoſuiſti* Extra. de foro competenti ſtatuens: „ Propoſuiſti nobis, quod quidam ſubditus tuus ad „ petitionem cujuſdam adverſarii ſui, a te legitime „ citatus ad cauſam, qui poſtmodum juriſdictionis „ alterius eſſe cœpit, tuum intendit judicium declinare. Porro tuæ prudentiæ dubium eſſe non „ credimus, quod is in prædicta cauſa jus revocandi forum non habet, quaſi ab altero jam præventus “. Et jure quidem, nam alioquin delicta impunita manerent, & fruſtraretur Eccleſiaſtica juriſdictio. E contra vero non ſubjiciuntur cenſuræ latæ per modum ſtatuti, & legis ſubditi, qui ſub cenſura vetitum crimen in aliena Diœceſi, vel territorio patrant, ut ſtatuitur cap. *Ut animarum* tit. de Con. in 6. ubi dicitur: „ Statuto Epiſcopi, quo „ in omnes, qui furtum commiſerint, excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi ejus, „ furtum extra ipſius Diœceſim committentes, minime ligari noſcuntur, cum extra territorium „ juſdicenti non pareatur impune “. Excipiuntur tamen Cenſuræ ab Epiſcopis latæ contra Beneficiarios non reſidentes, qui ligantur, etiamſi ſint extra Epiſcopi territorium: nam illorum abſentia a loco reſidentiæ cenſetur delictum in loco commiſſum, ubi reſidere tenentur.

Conſectarium Septimum.

VII. Nemo poteſt Cenſuras ferre vel in ſe ipſum, vel in æqualem, vel in ſuperiorem, nec in propria cauſa. Primæ partis ratio eſt, quam affert D. Th. hic q. 22. art. 4. Quia *nullus habet in ſeipſum vel in æqualem, vel in ſuperiorem juriſdictionem*. Alteram vero partem docet S. Gregorius in Epiſt. ad Januarium Epiſcopum, & habetur in Jure Can. Can. *Inter querelas* cau. 23. q. 4. cum juri naturæ adverſetur, ut quis in propria cauſa Judex ſit, & actor. Solum eſt excipiendus caſus juſtæ defenſionis, quando ſcilicet Epiſcopus, vel alius Eccleſiaſticus Superior Cenſuram vibrat in ſibi vim inferentem; cum liceat vim vi repellere. Quam exceptionem adprobat & Innoc. IV. cap. *Dilecto* tit. de ſent. excom. in 6.

CAPUT QUARTUM.

De Cauſis, & Subjectis Cenſurarum.

DOCTRINA.

I. *Cenſura ferri non poteſt, niſi ob culpam.*
II. *Nec per modum legis, vel ſtatuti, niſi in re gravi.*
III. *Quando Cenſuris ſubjaceant etiam mandantes, conſulentes &c.*
IV. *Quid requiratur, ut quis ſit Cenſuris obnoxius.*
V. *Quando ad Cenſuram requiratur contumacia.*
VI. *Quinam Cenſuris non ſubjaceant.*

I. Cenſuræ ferri non poſſunt, niſi ob culpas, & quidem graves, externas, & perſeverantes. Declaratur. Nam cum Cenſura ſit ſpiritualis pœna, culpam præſupponat, oportet; & cum ſit medicina, infirmitatem. Debet etiam eſſe gravis culpa; nam graviſſimam pœnam pro leviori delicto imponere iniquum foret. Unde can. 41. q. 3. dicitur: *Quia anathema eſt æternæ mortis damnatio, nonniſi pro mortali debet imponi crimine*. Et quidem non quatenus crimen commiſſum legem naturalem, vel divinam violat; ſed quatenus ab Eccleſia prohibetur ſub cenſuræ pœna. Oportet etiam, ut ſit externum; nam actus mere interni ab hominibus ſicut nec dignoſci, ita nec judicari poſſunt; ut oſtendimus Tract. de Legibus Diſſ. 3. cap. 5. n. 7. Eccleſia lege coactiva actus mere internos reſpicere non poteſt; proinde hæreſis mere interna non ſubjacet excommunicationi. Hoc autem peccatum externum, oportet, ſit in ſuo genere conſummatum: licet enim Eccleſia ſub cenſura prohibere poſſit opus etiam non conſummatum, ut mandatum, vel conſilium abortus, effectu etiam non ſecuto; niſi tamen id aperte exprimat, intelligendum eſt de opere conſummato; ſic qui manum attollit, ut Clericum percutiat, vel gladium intorquet, ut occidat, ſi tamen Clericus vel percuſſionem, vel mortem fugiendo vitet, non incurrit excommunicationem. Denique additur ob culpam *perſeverantem*: nam pœnæ Eccleſiaſticæ nonniſi in contumacem vibrantur, qui vel citatus noluit parere judici, aut de commiſſo delicto pœnitere, & emendare ſe recuſat. Quamobrem ob peccatum etiam patratum non poteſt ferri cenſura, niſi qui commiſit, in illo perſeveret. Unde excommunicatione non feriuntur, qui in Paſchate Communionem non ſumpſere, niſi in tali omiſſione moniti pertinaciter perſeverent: ſi enim reſipiſcant, & parati ſint præcepto Eccleſiæ obtemperare, cenſura plectendi non ſunt.

II. Nec Cenſura per modum legis, & ſtatuti ferri poteſt, niſi in materia vel ex indole ſua, vel ex circumſtantiis gravi. Patet ex iis, quæ docuimus

mus l. l. de Legibus cap. 9. Reg. 6. ubi oſtendimus, humanum Legislatorem non poſſe ſub gravi circa materiam levem obligare; & multo minus gravem pœnam indicere ob violationem levis materiæ. Dixi tamen, quæ gravis ſit vel in ſe, vel in ſuis circumſtantiis: contingere enim poteſt, ut res, & materia in ſe levis fiat gravis, & magni momenti ob circumſtantias loci, temporis, perſonæ &c. Sic ratione temporis ſub gravi juſte præceperunt Apoſtoli, ut fideles abſtinerent a ſuffocato, & ſanguine ad evitandam offenſionem, & ſcandalum Judæorum. Ita & modo Epiſcopi Clericis præcipiunt ſub pœna ſuſpenſionis, ne popinam ingrediantur, ne prodeant in publicum ſine talari veſte, ne choreis ſpectatores interſint; & Prælati Regulares ſub cenſura vetant, ne quis alterius Cellam ingrediatur, ne poſt ſolis occaſum e Monaſterio egrediantur ſine licentia, & ſocio, & ſimilia; quæ licet in ſe levia ſint; tamen multum conducunt ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſervandam, ad crimina impedienda, ad ſcandala vitanda. Hinc docuimus l. l. de Legibus, leges Superiorum ſub gravi pœna latas ſub mortali ſubditos obligare; licet indicta pœna non ſit latæ, ſed ferendæ ſententiæ. Legatur cap. 10. Conſect. 3. & 6.

III. Quando Cenſura fertur contra executores criminis, minime mandantes, aut conſulentes afficit, & complectitur. Ita communiter docent Theologi, & Juris Canonici Doctores; quia leges pœnam inferentes ſunt ſtricte intelligendæ. Hinc excommunicatio lata contra homicidas, vel raptorem ſacrilegum ſacræ Pyxidis, eos non afficit, qui vel homicidium, vel furtum ſive mandarunt, ſive de eo conſilium dederunt. Eapropter humani legislatores, ſive politici, ſive eccleſiaſtici, quando & conſiliarios, & mandantes in ſua lege complecti volunt, clare exprimunt, & declarant pœnæ ſubjacere & eos, qui delictum perpetrarunt, & eos, qui illud mandarunt, vel illius in cauſa aliquo pacto extiterunt. Id patet in Conſtitutione Clementis VIII. pœnam excommunicationis in provocantes, vel acceptantes duellum, licet non ſequatur pugna, ipſo facto incurrendam vibrantis. Adagium vero commune dicens, *agentes, & conſentientes pari pœna plectendos*, ſolum indicat, eos eſſe pari pœna dignos coram Deo, & coram hominibus, qui in utroſque cenſuram vibrare poſſunt, & pœnam infligere; non vero quod ſemper hæc pœna ſequatur.

IV. Ut Cenſuris obnoxius ſit peccans, oportet, ut ſit baptizatus, ſubditus ferentis cenſuras, ratione præditus, & determinata perſona. Et quidem Baptiſmum requiri jam oſtendimus cap. 1. n. 1., cum Eccleſia de iis, qui foris ſunt, non judicet. 2. Requiritur, ut ſit *ſubditus*; cum nemo puniri poſſit, niſi a ſuo legitimo Superiore. Debet etiam eſſe *ratione præditus*, cum Cenſura culpam præſupponat, immo & contumaciam, quæ profecto in amente, dormiente, infante locum habere non poteſt. Nec obſtat & in bruta anathema intorqueri, & Concilium V. generale jubere, hæreticos etiam poſt mortem excommunicationi ſubjacere. Nam bruta non cenſuris ſubjiciuntur, ſed execrationi, & deteſtationi, ideſt precibus, quibus a Deo poſtulat Eccleſia, ut noxia animantia exterminet. Excommunicari vero Hæretici dicuntur etiam poſt mortem, quatenus Eccleſia declarat eos obiiſſe, dum erant a fidelium communione ſejuncti; proinde nec eſſe in loco ſacro humandos, nec orationibus fidelium adjuvandos: cum vero abſolvit juxta formulam in Rituali Romano præſcriptam, declarat, eos ante obitum pœnituiſſe; proinde poſſe de fidelium precibus participare, & in loco ſacro humari. Denique requiritur in cenſura, præſertim excommunicationis, ut plectendus ſit determinata perſona. Hinc inutilis eſſet, & vana excommunicatio lata in unum ex duobus reis, neutrum determinando. Sicut nulla eſſet excommunicatio, qua tota devinciretur Communitas, Collegium, Civitas, ut declaravit Innoc. IV. & ſtatuitur in Jure Canonico cap. *Romana* de ſent. excom. in 6. Nam, ut inquit Pontifex, nonnunquam contingeret, innoxios hac ſententia irretiri. Sed de hoc iterum in ſequentibus. Non ita tamen dicendum de ſuſpenſione, & interdicto: nam, ut animadvertit D. Thom. in Supp. q. 22. a. 5. ad 2. „ Suſpenſio non tanta pœna eſt, quanta excommunicatio; unde etiam aliquis ſine peccato proprio „ ſuſpenditur; ſicut & totum Regnum ponitur „ ſub interdicto pro peccato Regis: & ideo non „ eſt ſimile de excommunicatione, & ſuſpenſione “.

V. Ad Cenſuras, & præſertim excommunicationem requiritur in reo contumacia. Ita communiter tum Theologi, tum Juris Canonici Doctores, dicente Domino Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*. Et, ut vidimus, jus ſtatuit tunc ferendam cenſuram, *quando reus citatus noluit parere judici, aut a commiſſo delicto juſſus ſe emendare noluerit*. Hæc autem contumacia, & delinquentis inobedientia neceſſe ſemper non eſt, ut ſit formalis, & expreſſa; ſed ſufficit, ſi ſit interpretativa, & virtualis, in eo ſita, quod ſciens quidpiam ab Eccleſia ſub cenſura prohiberi, nihilominus volens, & lubens præceptum tranſgreditur: quod ſemper locum habet in Cenſuris a jure latis, vel ab homine per modum legis, & ſtatuti conſtitutis. At hæc interpretativa inobedientia, & virtualis contemptus locum non habet in cenſuris ab homine per ſententiam ferendis; quia, ut diximus, præcedere debent & citatio, & admonitio, quibus ſi parere ſe paratum oſtendat reus, ſicut omnis abeſt contumacia, ita locus non amplius ſupereſt infligendæ cenſuræ.

VI. Sunt & aliquæ perſonæ, quæ ratione ſuæ dignitatis generalibus ſententiis ſuſpenſionis, aut interdicti non ligantur, niſi de illis ſpecialis mentio fiat. Hi primo ſunt Epiſcopi, ut ſtatuitur cap. *Quia periculoſum* Ext. de Sent. Excom. in 6. 2. Cardinales S. R. E. ex eodem cap. 3. Imperatores, & Reges ob ſuæ excellentiam dignitatis cenſura aliqua ab Epiſcopis ligari non poſſunt, ut docent Canoniſtæ. 4. Summus Pontifex, cum Superiorem non habeat, a nullo poteſt cenſura ligari. Quod ſi in hæreſim labatur, tunc a Concilio, ſicut deponi poteſt, ita & excommunicatione feriri; ut docent Turrecremata, & Sotus, & eorum ſententiæ favere videtur Jus Canonicum ex cap. *Papa* diſt. 20. ubi dicitur, Papam non poſſe a Concilio judicari, & condemnari, *niſi a fide catholica recedat*. Notandum tamen privilegium, ne quis inconſulta S. Sede cenſuris irretiri poſſit, non afficere Ordinariorum ſententias, ideoque nec probare ab eorum juriſdictione exemptionem;

ut

ut declaravit Bened. XIV. Conſtit. 40. T. 2. incipiente : *Cauſarum Palatii Apoſtolici*.

CAPUT QUINTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Num levis cenſura infligi poſſit pro veniali culpa.*
II. *Quando innocentes cenſuris ſubjiciantur.*
III. *Hortantes, & conſulentes ſubjiciuntur cenſuræ contra eos latæ.*
IV. *Quando mandantes.*
V. *Quando conſulentes.*
VI. *Quis poteſt a pluribus, & multiplicatis cenſuris gravari.*

Conſectarium Primum.

I. LEvis pœna eccleſiaſtica imponi poteſt etiam ob levem culpam. Veritas hujus doctrinæ patet in excommunicatione minori, cui ſubjiciuntur, qui civiliter communicant cum adſtricto majori excommunicatione; dummodo id non præſtent in contemptum cenſuræ, & poteſtatis Eccleſiaſticæ : tunc enim non veniale foret peccatum, ſed grave crimen. Contingere etiam poteſt, ut ſuſpenſio ad breve tempus, nec non Interdictum reſpectu particularis alicujus perſonæ infligatur ob levem culpam. Verum, cum hæc in praxi vix occurrant, ſolum difficultas inſurgere poteſt, an qui vineam alterius depopularentur, ſubjaceant cenſuræ latæ contra damnum non reſarcientes; licet aliquis eorum nonniſi paucos racemos abſtulerit, qui ad materiam gravem conſtituendam non ſufficiunt. In hoc enim caſu puto, 1. pro certo habendum, cenſura feriri, ſi communi conſilio vineam fuerint depopulati, licet quis nonniſi levem abſtulerit materiam; quia ſinguli graviter peccarunt, & ob communem conſpirationem totius damni in cauſa fuere. 2. Idem pariter dicendum de illo, qui grave damnum proximo advertens illatum depopulatione vineæ, paucos ſuperſtites racemos auferat; quia tunc & ipſe, ſin conſilio & cooperatione, certe facto, & re aliis ſe adjungit. Uno verbo, cenſuræ ſubjiciuntur, qui, ea etiam non indicta, reſtitutioni totius damni obnoxii forent: hoc enim eſt, quod ſub cenſura præcipitur, & jure naturæ, ac divino jam præſtandum eſt. Recolantur, quæ diximus ſuis locis & de furto, & de reſtitutione.

Conſectarium Secundum.

II. Ad excommunicationem incurrendam, ſicut & ſuſpenſionem requiritur culpa, & contumacia propria delinquentis; at pro interdicto ſufficit etiam aliena. Primæ partis ratio eſt : quia nemo poteſt puniri directe, & in ſe ob alterius culpam, & crimen; cum utraque pœna perſonaliter ipſas gravet perſonas. At Interdictum, cum ſit pœna generalis, non immediate ipſos innocentes afficit; ſed ſolum quatenus cum reis connexionem habent, qui acerbius puniuntur, dum vident eorum culpa & innocentes indirecte gravari; & ipſi innocentes ad reos a culpa, & contumacia revocandos hortationibus, & omni meliori, quo poſſunt, modo excitantur.

Conſectarium Tertium.

III. Qui paratum ad homicidium patrandum incitant, vel hortantur, vel qui tanquam opportunum illud conſulunt, cenſuræ ſubjiciuntur contra hortantes, & conſulentes latæ. Adverſantur huic doctrinæ nonnulli Probabiliſtæ, qui illos a cenſura excuſant, qui probabiliter cenſent, conſilium ſuum, vel hortationem, ſive mandatum in homicidium non influxiſſe, quando jam etiam ſine illis patratum fuiſſet. At noſtra aſſertio unice vera eſt. Nam revera conſulentes, hortantes, moventes ad homicidium vere in ipſum influunt, licet ſine ipſis patratum fuiſſet. Non enim ſpectanda eſt neceſſitas influxus, ſed efficacitas. Neceſſaria, utique fatemur, non erant ad homicidium conſulentis conſilium, mandantis præceptum, hortantis verba; hæc tamen poſita ad homicidium impulerunt, in ipſum influxerunt. Sicut plures equi, puta ſex, rhedam omnes trahunt, & in ejus curſum influunt; licet bini tantum ad eam trahendam ſufficerent. Sicut itaque rei ſunt conſilio, & hortatione patrati homicidii; ita & cenſuræ contra illos latæ ſubjiciuntur. Legantur, quæ diximus Tract. de Reſtit. in com. cap. 11. n. 7.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui mandato ſuo cauſa eſt homicidii, cenſuram non incurrit contra mandantes, ſi mandatum revocet, & revocationis notitia ad mandatarium perveniat. Hujus conſectarii veritas ex iis dependet, quæ docuimus l. l. de Reſtit. Nam ibi diximus, & oſtendimus, ad damna ſarcienda non teneri mandantem homicidium, ſi mandatum revocet, & revocatio mandatario innoteſcat. Nam tunc mandans non eſt in cauſa patrati homicidii; cum influxus in ipſum ſit per revocationem omnino ablatus. Quamobrem, ſi ſequatur, erit in ſolam mandatarii iniquitatem refundendum, & immunis erit a cenſura mandans. Hoc tamen locum non habet, ſi revocatio mandati ad mandatarium non perveniat; quia adhuc mandans vera eſt cauſa homicidii. Nec urget mandantem coram Deo pœnituiſſe, culpam eſſe deteſtatum, & etiam Dei gratiam recuperaſſe: hoc enim ſicut non impedit, ne reſtitutioni ſit obnoxius; ita nec tollit, ne cenſuræ Eccleſiæ ſubjaceat, quæ reum afficere cœpit a momento dati mandati, & completa eſt in ejus executione. Immo revocato etiam mandato, & nota mandatario revocatione, adhuc mandantem cenſura alligari arbitratur Concina, hoc fretus argumento: quia, inquit, impoſitum mandatum eſt cauſa homicidii; ſicut qui venenum mortale alteri propinavit; & poſtea pœnitet, non ideo liberatur ab homicidio, & a cenſura. Verum a noſtra ſententia minime recedentes reſpondemus: ſicut tota cauſa occiſionis erat mandatum, hac ſublata non amplius ex ea profluit homicidium; quod ſequitur quidem phyſice, & tempore mandatum, quia illud præceſſit, at non ſequitur moraliter. Nec valet paritas propinati veneni; immo retorqueri poteſt ad noſtram confirmandam doctrinam. Nam ſi quis inimico porrigat in potu venenum, & ſtatim pœnitens criminis, illum de periculo moneat, & ſimul efficax porrigat antidotum, per

quod

quod a veneni nocumento certo, & infallibiliter liberetur, at ille ſumere recuſet, & pharmacum abjiciat; quis, amabo, mortem propinatori veneni imputabit, & non potius ſtultitiæ, & pertinaciæ alterius, qui mortem prælegit? Ita profecto contingit in re noſtra: propinavit quidem mandatario venenum jubendo homicidium; at per revocationem mandati ſtatim illi pharmacum porrigit, quod ſi ſumere velit, a lue veneni liberabitur; ſi autem recuſet, jam non ex veneno propinato, ſed ex ejus pertinacia mors ſubſequetur. At urget Concina, an non prævidit, aut prævidere debuit mandans cædem impotentem ſe futurum ad impediendam mortem revocatione mandati? Utique nec prævidit, nec prævidere poterat hanc impotentiam; quippe quia cum optime noſſet totam, & ſolam homicidii cauſam futurum mandatum, prudenter credere poterat, eo revocato, non amplius ſecuturum homicidium: non enim mandatarius eſt cauſa neceſſaria, ſicut venenum; ſed libera, quæ ſicuti libere ſe ad homicidium determinavit ex alterius mandato, ita libere abſtinere & poteſt, & debet revocato mandato.

Conſectarium Quintum.

V. Qui pariter conſulit homicidium, ſi efficaciter, quantum in ſe eſt, conſilium revocet, & nihilominus homicidium ſequatur, immunis erit ſicut a culpa, ita & a cenſura, ſi quæ in conſulentes homicidium lata eſt. Fateor hujus doctrinæ veritatem non adeo luculenter apparere, ſicut præcedentem. Nam conſulens talia jacit in corde audientis ſemina homicidii, quod conſulit, ut per retractationem conſilii non omnino evellantur. Superſunt enim adhuc in mente illorum, qui conſilium audiunt, argumenta utilitatis, convenientiæ, & fortaſſis etiam neceſſitatis, quæ & revocato adhuc conſilio ſuapte natura urgent, & movent. Et ideo plures Theologi, qui mandantem revocato mandato a cenſura liberant, conſiliarium tamen omnino non liberant. Nihilominus inhærens his, quæ docui loc. laud. de Reſtit. puto Conſiliarium, qui conſilium efficaciter abolere conatur, licet effectum non ſortiatur, tamen a cenſura liberari. Nam revera, quantum eſt in ſe, cauſam homicidii omnino tollit; & ſi venenum perverſi conſilii propinavit, efficax ſuppeditat pharmacum oppoſito conſilio; quod ſi alius abjicit, jam ejus pertinaciæ eſt tribuenda mors animæ, quam occidendo incurrit. Fateor quoque hic fortius urgere animadverſionem Concinæ, ſcilicet prævidere & potuiſſe, & debuiſſe pravum conſiliarium poſteriore conſilio ſalutari non deſtruendum prius perniciosum datum conſilium; cum facilius impellantur homines ad id, quod eorum pravos affectus incitat, & movet, quam ad oppoſitum retrahantur; cum a prioribus rapiantur, a poſterioribus vero potius vexentur. Nihilominus, cum ad impoſſibile nemo teneatur, qui ſtudium omne adhibet, omnemque conatum, ut ſalubrioribus, & efficacioribus momentis ab homicidio retrahat, meo videri a cenſura liberatur; cum tandem homo ſit cauſa libera, non neceſſaria, ſicut venenum; & ſicut libere ſe moveri finit ad malum patrandum a pravo conſilio: ita & libere bonum conſilium ſequi poteſt, & tenetur: quod ſi non præſtet, jam malitiæ ipſius, & iniquitati eſt tribuendum.

Conſectarium Sextum.

VI. Poteſt quis & a pluribus cenſura ligari, & pluribus etiam gravari cenſuris. Prima pars eſt manifeſta; nam quis poteſt & a jure cenſura plecti, & etiam a proprio Epiſcopo, immo & ab Ordinario loci, ubi delictum, cui adnexa eſt cenſura, commiſſum eſt, puniri tanquam ſibi ſubditus ratione delicti, & a proprio Epiſcopo, tanquam a judice ordinario. Immo ab eodem Prælato poteſt quis pluries excommunicari, ut docet S. Thom. hic art. 6. ſcribens: „ Ille, qui excommunicatus eſt „ una excommunicatione, poteſt iterum excom„ municari vel per ejuſdem excommunicationis „ iterationem ad majorem ſui confuſionem; ut ſic „ a peccato reſiliat, vel propter alias cauſas; & „ tunc tot ſunt principales excommunicationes, „ quot ſunt cauſæ, pro quibus aliquis excommu„ nicatur “. Nec obſtat, excommunicationem in privatione conſiſtere, quæ non ſuſcipit magis, & minus. Nam ſubdit D. A. in reſp. ad 2. „ Quod „ privatio, quamvis non recipiat magis, & mi„ nus ſecundum ſe, recipit tamen magis, & mi„ nus ſecundum cauſam ſuam, ſcilicet ſecundum „ diverſas inobedientias, & repetitam contuma„ ciam contra diverſa præcepta, & ſecundum hoc „ poteſt excommunicatio iterari; & magis eſt e„ longatus a ſuffragiis Eccleſiæ, qui pluries eſt „ excommunicatus, quam qui ſemel tantum “. Quamobrem qui propter diverſas cauſas ligatur cenſuris, abſolutus ab una, non cenſetur ab aliis liberatus; ſed neceſſe eſt, ut & diverſas exponat cenſurarum cauſas, & ab omnibus vel una abſolutione, vel pluribus liberetur: numero autem multiplicantur cenſuræ; ſicut numero multiplicantur peccata, & cauſæ, quibus adnexa eſt cenſura. Poſſe vero & pluribus diſtinctis cenſuris adſtringi, patet manifeſte, cum excommunicatus & ſuſpenſionis, & interdicti pœnis gravari poſſit; ut omnes communiter docent Theologi.

CAPUT SEXTUM.

De cauſis a Cenſura excuſantibus.

DOCTRINA.

I. *Plures cauſæ a Cenſura incurrenda excuſant.*
II. *Quando excuſat neceſſitas, & impotentia.*
III. *Quando ignorantia.*
IV. *Ignorantia invincibilis ſicut a culpa, ita & a pœna excuſat.*
V. *At minime ignorantia affectata.*
VI. *Num ignorantia vincibilis cenſuræ ab ea liberet.*
VII. *Num ignorantia vincibilis, quæ non excuſat a culpa, excuſet a cenſura.*
VIII. *Quomodo innocentia excuſet a cenſura.*
IX. *Appellatio quando cenſuram impediat.*

I. PLures enumerantur a Theologis cauſæ, quæ ab incurrendis Cenſuris excuſare poſſunt, quæ (omiſſis defectu juriſdictionis, & nullitate ſententiæ) ad hæc revocari poſſunt, ſcilicet neceſſitatem, ad quam pertinet & metus gravis, innocen-

tiam, ignorantiam, & impotentiam, & aliquando legitimam appellationem.

II. Et quidem neceſſitatem, ac impotentiam a cenſura excuſare manifeſtum eſt; cum neceſſitas legem non patiatur, & ad impoſſibile nemo teneatur. Præterquamquod humanæ leges non obligant, quotieſcumque ſine gravi damno impleri non poſſunt: loquimur enim de Cenſuris annexis præceptis Eccleſiæ. Immo, ſi forte latæ forent in tranſgreſſores legis naturalis, vel divinæ, ſi quando horum obſervantiam aliqua impediat impotentia, vel neceſſitas, cenſuræ quoque ictus vitatur; ut patet in reſtitutione rei alienæ etiam furto ſublatæ, quę ſi jubeatur ſub cenſura, & fur non poſſit reſtituere abſolute, vel ſine gravi damno, ſicut excuſatur a culpa, ita a cenſura ſubtrahitur. Minime tamen ab ea immunis erit, ſi etiam ex metu gravi, & cadente in virum conſtantem aliquid committat contra legem Dei: ſicut enim tunc culpam non fugit, ita nec cenſuram evitat; ut ſi quis metu mortis Clericum vulneret, vel feriat, immo contra ipſum ſe defendat, ſed non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ſicut culpæ obnoxius eſt, ita & cenſuræ. Scio huic doctrinæ adverſari nonnullos etiam præſtantiores Theologos, inter quos eſt Concina, qui licet malum patrantes contra legem Dei a culpa non liberent, liberant tamen a cenſura. At noſtra doctrina probabilior eſt: nam cenſuræ ideo transgreſſioni divinorum præceptorum adjunguntur, ut efficacius ab eis fideles retrahantur; ideoque pari modo obſtringunt, ac ipſum divinum mandatum: ſicut ergo a culpa non eſt immunis tranſgreſſor etiam metu gravi impulſus; ita nec erit a cenſura. Nec urget ratio allata a P. Concina, ſcilicet leges Eccleſiaſticas non obligare cum gravi detrimento. Nam hic non agitur de lege Eccleſiaſtica, ſed de lege divina, cujus obſervantiam inculcat Eccleſia, comminata etiam cenſura. Quapropter ſicut per metum gravem a tranſgreſſione legis divinæ non excuſatur; ita nec liberatur a pœna, quæ tali eſt adnexa tranſgreſſioni lege Eccleſiæ.

III. Sed operoſius inquirendum eſt de ignorantia, num ſcilicet hæc a cenſura ſemper excuſet. Et quidem fuſe de ignorantia diſputavimus Tract. 2. per plura capita. Hic proinde ſolum generalia quædam commemoraſſe ſufficiat. Alia itaque eſt ignorantia invincibilis, alia vincibilis. Prior, quę humana induſtria ſuperari non poteſt. Poſterior, quæ adhibita opportuna, & neceſſaria diligentia tolli poteſt. Hæc in affectatam dividitur, qua quis aliquid noſſe recuſat, vel potius ſimulat ignorare, ut liberius peccet, & hæc æquivalet ſcientiæ; & in craſſam, per quam operans ex torpore quodam veritatem negligit inveſtigare; & in ſupinam, qua aliis diſtentus curis, & occupationibus omittit veritatem inveſtigare. Rurſum alia eſt ignorantia *juris*, alia *facti*, alia *pœnæ*. *Juris* ignorantia eſt ipſius legis neſcientia. *Facti* vero, per quod errat circa objectum actionis, ut dum quis putans feram occidit hominem. *Pœnæ*, qua agnoſcit quidem rem eſſe vetitam, at ignorat ſubjacere cenſuræ peccantem. His prænotatis

IV. Certum eſt omnem ignorantiam vere invincibilem ſive juris, ſive facti, ſive pœnæ a cenſura excuſare. Nam ſi hæc ignorantia excuſat a culpa, multo magis & a pœna. Quod pariter eſt ſentiendum de ignorantia ex culpa tantum veniali procedente; hæc enim quoque a cenſura reddit immunem, cum ad eam incurrendam requiratur mortale peccatum.

V. Ignorantia affectata nunquam a cenſura immunem reddit peccantem; licet cenſura lata ſit contra *præſumentes*, vel *temerario* violantes legem. Oppoſitum docent Salmanticenſes, ſed falſo, & laxe præſumentes in talibus legibus etiam affectatam ignorantiam a cenſura excuſare. Nam hæc ignorantia ſcientiæ æquivalet, quam a ſe repellit male operans, ut liberius, & impudentius peccare poſſit; & illis adjunguntur, qui dicunt, *recede a nobis*, *ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Vincibilis tamen ignorantia in præfatis caſibus, in quibus ad cenſuram incurrendam & *præſumptio*, & *temeritas* requiruntur, licet a culpa non excuſet; excuſare tamen a cenſura probabilius cenſeo: nam talis ignorantia temeritatem omnem excludere videtur, & præſumptionem, dummodo tamen non ſit craſſa, & affectata; ut declaravit in jure Pontifex ſtatuens cap. *Ut animarum* de Conſtit. in 6. „ Ut animarum periculis obvietur per ſtatu„ ta quorumcumque Ordinariorum prolata ligari „ nolumus ignorantes, dum tamen eorum igno„ rantia craſſa non fuerit, & affectata.

VI. In cenſuris latis a jure, & lege univerſali Eccleſiæ ignorantia vincibilis ipſius cenſuræ ab ea ſubeunda non excuſat. Adverſantur huic doctrinæ plures Theologi, cenſentes ſcientes legem peccare contra ipſam, at ignorantes cenſuram illi adnexam, eidem non ſubjacere; quia, inquiunt, ad cenſuram contrahendam neceſſaria eſt contumacia, quæ profecto in laborante ignorantia etiam vincibili pœnæ locum non habet. At poſitam doctrinam puto probabiliorem, quam tenentur etiam Gabriel Antoine, Continuator Tournelii, Suarez, aliique plures; & evincitur hoc, meo videri, efficaciori argumento. Quia ſciens talem actionem ab Eccleſia prohiberi, jam noſſe poteſt, & debet etiam ſub cenſura vetari; adeo ut, ſi hoc ignoret, ejus ignorantia ſit craſſa, ſupina, & pene dixerim affectata. Quis enim ſciens duellum, percuſſionem Clerici eſſe ab Eccleſia vetitam, ignorare poteſt inculpabiliter non eſſe ſub cenſura interdictam? Hæc itaque ignorantia a cenſura non excuſabit. Nec obſtat requiri contumaciam. Nam hæc aperta habetur, & manifeſta in ipſa tranſgreſſione voluntaria legis Eccleſiaſticæ: enim ſuperius diximus ad incurrendam cenſuram ſufficere contumaciam virtualem, & interpretativam in ipſa legis Eccleſiaſticæ violatione.

VII. Sed quid, ſi ipſa lex eccleſiaſtica aliquid vetans ſub cenſura violetur ex ignorantia culpabili, & vincibili, præter peccatum, quod certe committitur, & a quo vincibilis illa ignorantia non excuſat, incurritur ne & ipſa cenſura? Affirmative reſpondeo cum præfatis Auctoribus. Quia cum operans, & ſcire poſſit, & teneatur, talem actionem prohiberi ab Eccleſia, vel præcipi; & tamen opus vel voluntarie committit, vel omittit, jam Eccleſiæ præceptis ſe contumacem oſtendit: merito proinde ab eadem Eccleſia cenſura feritur. Præterea qui talem legem vincibiliter ignorat, poterat eam noſſe, & tenebatur; poterat igitur, & tenebatur noſſe & pœnam, ac cenſuram illi adnexam: ſicut itaque agendo contra legem peccat,

non

non excuſante ignorantia vincibili; ita & pœnam, ſeu cenſuram contemnit, quia poterat, & debebat noviſſe. Eſt igitur contumax, & inobediens Eccleſiæ, ſin expreſſe & formaliter, interpretative & virtualiter in ipſo crimine, quod committit. Eſt igitur obnoxius cenſuræ. Hanc doctrinam confirmare videtur Bonif. VIII. in laudato ſuo ſtatuto, quo declaravit *ignorantes non ligari ſententiis, & pœnis latis ab Ordinariis*: cenſuit igitur illos ligari, qui leges univerſales per canones ſtatutas, etiam vincibili ignorantia ducti violarent; & merito, quia, ut ſubdit Gloſſa, *de generalibus ſtatutis canonum vel legum non loquitur, quæ ab omnibus ſciri, & cuſtodiri debent*. Qui igitur vincibiliter ignoraret, non licere Monaſteria Monialium ingredi, & tamen ad furtum faciendum ingrederetur, non ſolum peccaret ingrediendo contra legem Eccleſiæ, ſed & cenſura obligaretur. Et revera, niſi ita ſtatuatur, nunquam dignoſci poterit, quando, & quinam gradus ignorantiæ requiratur ad cenſuras incurrendas; & ſtatuendum, nunquam Eccleſiam cenſura punire illam negligentiam ſciendi, & voluntariam ignorantiam, quam Deus æterna pœna plectit. At inquies: hæc ignorantia ſaltem tollit contumaciam; proinde ſin a culpa, ad quam contumacia non requiritur, ſaltem a pœna excuſabit. Tollit quidem contumaciam apertam, & manifeſtam, at non tollit implicitam, & virtualem in ipſa tranſgreſſione, & quæ ſufficit ad cenſuram incurrendam. Hæc autem ignorantia quoad ſtatuta peculiaria, & privata Ordinariorum excuſat quidem a cenſura ex laudata declaratione Bonifacii VIII. non tamen a culpa.

VIII. Innocentia quoque excuſat ſicut a culpa, ita & a cenſura: ſi quis enim accuſatus, & etiam in foro exteriori convictus de furto, quod non patravit, vel de ingreſſu in Monaſterium Monialium, quod non eſt ingreſſus; profecto etiamſi per ſententiam, & publicationem excommunicatus declaretur, coram Deo tamen eſt ſicut a culpa, ita & a pœna immunis; at non coram Eccleſia, cui ſe ſubmittere, ac parere debet, ut dicemus, & probabimus in conſectariis.

IX. Appellatio quoque legitima cenſuram impedit, ſi interponatur antequam ſententia feratur; ſecus poſt latam ſententiam. Prioris partis ratio eſt; quia per appellationem cauſa ad ſuperiorem judicem devolvitur, & inferioris juriſdictionem ſuſpendit. Quod contingit & quando ſententia lata conditionalis eſt, & appellatio conditionis impletionem præveniat; ut ſi judex jubeat ſub pœna ſuſpenſionis Clerico, ut intra menſem creditori ſuo ſatisfaciat, & iſte ab hac ſententia ad Superiorem appellet, & ceſſat cenſura, & præceptum ſatisfactionis. Sic ſtatuitur cap. *Præterea* Extr. de Appellationib. dicente Cæleſtino III. „ Requiſiti „ ſumus, ſi quis judex ita protulerit ſententiam: „ niſi Sempronio intra viginti dies ſatisfeceris, te „ excommunicatum, vel ſuſpenſum, vel interdi„ ctum cognoſcas: ille, in quem fertur ſententia, „ medio tempore appellans, ad diem ſtatutum mi„ nime ſatisfecit, utrum ille ſententia tali lige„ tur, aut interpoſitione appellationis tutus exi„ ſtat. Videtur autem nobis, hujuſmodi ſenten„ tiam appellationis obſtaculum debere impedire“. At ſi ſententia abſolute prolata ſit, appellatio cenſuræ effectum non impedit: nam ut dicitur cap. *Paſtoralis* Extr. de Appellat. *Excommunicatio executionem ſecum trahit*. Quamobrem Juriſperiti dicunt, tunc appellationem non ſuſpenſivam eſſe, ſed devolutivam ad diſcernendum, num juſta fuerit lata ſententia.

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Pueri ante uſum rationis non ligantur cenſuris.*
II. *Quid agere debeat dubius de cenſuris.*
III. *Num Peregrini ligentur cenſuris locorum, per quæ tranſeunt.*
IV. *Valida, & legitima eſt ſententia cenſuræ inflicta ſecundum allegata, & probata.*
V. *Appellatio illegitima non ſuſpendit cenſuram.*
VI. *Excuſat a cenſura beneplacitum illius, in cujus favorem indicta eſt.*

Conſectarium Primum.

I. PUeri ante rationis uſum ligari non poſſunt cenſuris; quibus tamen ſubjiciuntur impuberes. Et quidem pueros rationis uſum nondum adeptos cenſuris non ſubjici patet; quia ſicut ſunt culpæ incapaces; ita & pœnis ſubjici non poſſunt. Quæ ratio ex oppoſito ſubjectionem impuberum cenſuris Eccleſiaſticis oſtendit; quippe qui ſicut ſunt iniquitatis idonei, ita & cenſuræ. Et declaravit Greg. IX. qui temperans canonum rigorem, conceſſit, impuberes Clericorum percuſſores propter defectum ætatis, in qua commiſſus eſt exceſſus, poſſe ab Epiſcopo Diœceſano abſolvi, cum ceteroquin abſolutio eſſet Sedi Apoſtolicæ reſervata: cenſuit igitur excommunicationi fuiſſe obnoxios. Et revera in generali interdicto cum populus interdicitur, & impuberes eodem ligantur. Et hoc quidem verum eſſe de cenſuris a jure latis certo conſtat. Solum aliqua poteſt ſuboriri difficultas, ſi agatur de cenſura ab homine ferenda, in qua cum requiratur, ut in judicio rei compareant, ut ſe defendant, ut judicialem ordinem agnoſcant, aliqui Theologi cenſuris hujuſmodi impuberes ſubdi non poſſe arbitrantur. Quod licet abſolute ſpectatum verum non ſit, & ex Superiorum intentione ac voluntate omnino id pendeat; tamen ſi oppoſitum de eorum voluntate non conſtet, cum in jure cap. 2. *de delicto puer.* ſtatuatur, *in pueris relinqui inultum, quod in aliis provectioris ætatis ſeverius punitur*, cenſerem pueros annis 14. minores, & puellas annis 12. excommunicationi non ſubjacere, ſi, indicto monitorio de reo revelando, non pareant. Ita docent & Suarez Diſq. 5. ſect. 1. n. 19. & Pontaſius Caſu 54. V. Excommunicatio.

Conſectarium Secundum.

II. Qui dubitat, num cenſuram incurrerit, ſi dubium eſt juris, num ſcilicet cenſura lata ſit, liberum ſe poteſt habere; ſecus, ſi dubium ſit facti, ſcilicet dubitet, an eam incurrerit. Ita ex S. Th. Quodl. 4. art. 4. deducitur, ſcribente: „ Dicendum, quod dubitatio de excommunicatio„ ne aliquorum aut præcedit ſententiam judicum, „ aut ſequitur. Si præcedit, puta cum nondum „ eſt declaratum per judicum ſententiam aliquos eſſe

excommunicatos; non ſunt vitandi, quouſque certo judicio terminetur: in hoc enim caſu certum eſt, quod in mitiorem partem interpretari debe„ mus . . . Sed ſi ambiguum oriatur poſt concor„ dem judicum determinationem, magis eſt ſtan„ dum ſententiæ judicum ". Qui itaque dubitat, an cenſura lata ſit in delinquentem, judicare poteſt ſe eſſe immunem a cenſura: at qui certus eſt latam eſſe cenſuram, ſed dubitat, num ob delictum a ſe patratum illi ſubjaceat, ſe gerere debet tanquam cenſura irretitum. Ratio primæ partis eſt, quia mitior pars eſt eligenda; & niſi de lata lege conſtet, juxta illam judicandum non eſt. Secundam vero partem adverſus Probabiliſtas probamus ex illo certo principio, in dubiis tutior pars eſt eligenda. Quamobrem certus de cenſura lata, & dubius, num eam incurrerit, tutiorem partem eligere debet, ne ſe exponat periculo violandi cenſuram: ideoque vel ſe gerere ceu cenſura ligatum, vel abſolutionem petere debet. Argumenta Probabiliſtarum ex incertitudine legis, ex poſſeſſione libertatis, in anteceſſum non ſemel profligavimus. Qui igitur certus de percuſſione Clerici a ſe commiſſa dubitat, num gravis fuerit, vel levis, ſe excommunicatum reputare debet, & abſolutionem petere.

Conſectarium Tertium.

III. Advenæ, & Peregrini ligantur cenſuris locorum, per quæ tranſeunt, vel morantur. Oppoſitum docere videtur Concina de Cenſuris cap. 4. n. 10. dum ſcribit: „ Excommunicatio lata per „ modum ſtatuti ad præcavenda futura delicta, ut „ furta in loco ſacro, ligat alienigenas in tali „ loco degentes cum animo ibidem majori par„ te anni morandi; ſecus, ſi ſint in tranſitu, „ qui brevi ibidem degunt, non ſubjacent ju„ riſdictioni talis Superioris ". Et remittit ad ea, quæ docuit To. *6.* q. *6.* n. 12. pag. 38. ubi aperte contrarium probat, oſtendens pluribus argumentis peregrinos, & advenas obſtringi legibus locorum, per quæ tranſeunt: quod & nos quoque late probavimus Tr. 1. de Legibus Diſſ. 3. cap. 13. n. 14. & hic ſpecialiter de Cenſuris confirmamus. 1. Quia ratione delicti quis fit ſubditus Superioris loci, in quo delinquit, & poteſt ab illo puniri; & in jure ſtatuitur: *Ratione delicti forum quis regulariter ſortitur.* Si ergo peregrinus, vel vagus in tranſitu furtum in loco ſacro committit, quod ſub cenſura vetitum ſit, cenſuram incurrit; ſicut puniri poteſt pœna corporali a judice. 2. Ipſis fatentibus Adverſariis Epiſcopi ferre poſſunt leges ipſos vagos, & peregrinos reſpicientes, puta ne tormenta bellica, ſive breviora, ſive majora in Eccleſiam inferant, ne Reliquias adorandas ſine ſua licentia proponant; & ſi his legibus addant cenſuras, & peccant legem violantes, & cenſuræ ſubjacent. Fiunt igitur ſubditi Epiſcopi: nam leges non feruntur niſi in ſubditos; & ſolum ſubditi legibus Superioris adſtringuntur. Subſunt igitur cenſuris latis per modum ſtatuti, & legis in locis, per quæ tranſeunt. His addendæ generales rationes, quas loc. cit. attulimus, omnino legendæ.

Conſectarium Quartum.

IV. Valida eſt ſententia, legitima, & juſta, qua in judicio cenſura ligatur ſecundum allegata, & probata innocens, qui reus apparet; eapropter illi ſe ſubmittere tenetur, nec ſine culpa illam violare poteſt. Veritatem hujus doctrinæ oppugnant plures Probabiliſtæ, & nonnulli etiam Probabilioriſtæ. At eam docet S. Th. quem ſequuntur omnes Theologi Scholaſtici, & conſentiunt Juris Canonici Doctores, & bene multi Theologi. Sic itaque ſcribit S. Th. Suppl. q. 21. art. 4. „ Contingit au„ tem quandoque, quod ſit debita cauſa ex parte „ excommunicantis, quæ non eſt debita ex parte „ excommunicati: ſicut cum aliquis pro falſo cri„ mine in judicio probato excommunicatur; & „ tunc ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum „ recompenſat excommunicationis *damnum* ". Si ergo ſentit damnum, valida profecto eſt ſententia, quæ, ſi invalida foret, nullum afferret detrimentum. Quam doctrinam confirmat in argumento *Sed contra* auctoritate S. Gregorii dicentis: *Sententia Paſtoris ſive juſta, ſive injuſta, timenda eſt.* Ineruditionis accuſat Lacroixius S. D. quippe qui D. Gregorio axioma tribuit, quod eſt Gratiani. At ipſe potius ſuam ineruditionem oſtendit, cum Gratianus ex ipſo Gregorio axioma ſuum deſumpſerit. Sic enim ſcribit S. Pontifex hom. 26. in Evangel. „ Utrum juſte, an injuſte obliget Paſtor, *Pa„ ſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt*, ne is „ qui ſubeſt, & cum injuſte forſitan ligatur, ipſam „ obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa me„ reatur... Qui ſub Paſtoris manu eſt, ligari ti„ meat, vel injuſte; nec Paſtoris ſui judicium te„ mere reprehendat, ne etſi injuſte ligatus eſt, ex „ ipſa tumida reprehenſionis ſuperbia, culpa quæ „ non erat, fiat ". D. Th. præiverat S. Raymundus lib. 3. §. 33. „ Teneas ergo circa ſententiam „ excommunicationis *indubitanter*, quod ſive ſit „ injuſta ex animo, cauſa, & ordine ſimul, dum „ tamen ſit lata ab illo judice, qui habet ſuper „ hoc canonicam juriſdictionem, tenet, & ligat „ quantum ad Eccleſiam militantem ". Validam ergo eam reputat S. Raymundus, & legitimam, cum pro *indubitato* tenendum dicat, *ligare quantum ad Eccleſiam militantem*. Quod confirmat ſubdens: „ Excommunicato autem injuſte eſt conſu„ lendum, ut ſuſtineat excommunicationem patien„ ter, humiliter, & devote, & præſentet ſe ex„ communicatori offerens canonicam ſatisfactio„ nem, ſi in aliquo offendit, & ſic inſtanter poſtu„ let abſolvi. Si ita fecerit, erit ei meritum; a„ lias, ſi contemneret, peccaret mortaliter ". Validam igitur confirmat eſſe talem ſententiam, & legitimam, cum eam contemnere grave ſit peccatum; quod profecto de invalida, & illegitima ſententia dici non poteſt. Suam doctrinam corroborat S. Raymundus ex Jure Canonico Can. 11. q. 3. Can. *Si Epiſcopus*, in quo ſtatuitur, ut ſi quem Epiſcopus *aut juſte*, *aut injuſte* per ſententiam Excommunicationis ab Eccleſia abjecit, cauſa ad finitimos Epiſcopos deferatur, *ſed interim*, *priuſquam omnia diligenter*, *& fideliter examinentur*, *eum*, *qui fuerit a communione ſeparatus*, *ante cognitionem nullus alius debeat præſumere*, *ut communioni ſociet*. Quam regulam confirmat & Innoc. III. cap.

cap. *A nobis* tit. 39. lib. 5. Decret. ſtatuens: „ Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur; judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus; & qui *liber eſt apud Deum*, *Eccleſiæ ſit innodatus ſententia*. Vinculum ergo, quo peccator ligatus eſt apud Deum, in culpæ remiſſione diſſolvitur; illud autem, quo ligatus eſt apud Eccleſiam, cum ſententia remittitur, relaxatur ". Cenſet igitur Pontifex 1. *liberum* apud Deum, eſſe poſſe *ligatum* apud Eccleſiam. 2. Hoc ligamen relaxari ſententia Eccleſiæ. Validam igitur, & legitimam habet ſententiam contra innocentem latam, ſi ſecundum allegata, & probata reus appareat. Et revera nihil huic ſententiæ deeſt, ut valida ſit & legitima: nam lata eſt ab habente juriſdictionem; lata eſt ſervato ordine juris; lata eſt juxta allegata, & probata. Occulta ergo innocentia ejus valorem, & efficacitatem non impedit. Qui ergo eam contemnit, etiam in occulto, peccat mortaliter; &, ſi celebret, irregularitatem incurrit.

Nec urgent adverſantium argumenta, dum 1. inquiunt, voluntas judicis ferentis ſententiam ſemper eſt, & eſſe debet conditionata, ſi revera cauſa juſta ſit; intendit enim actum juſtitiæ exercere: nulla igitur eſt illa ſententia, quæ voluntati judicis adverſatur. 2. Sententia judicis materialiter falſa non poteſt obligare. 3. Ad cenſuram incurrendam requiritur culpa lethalis, cum ſit graviſſima pœna: illa itaque deficiente nec pœna, nec cenſura locum habere poteſt. 4. Excommunicatus injuſte, ſi privatim celebret, non peccat; cum nullum habeatur ſcandalum, & ſuo utatur jure: ergo nec irregularitatem incurrit. 5. Affert Juveninus, ſive Auctor Theoriæ, & praxis de Sacramentis SS. Hieronymi, & Auguſtini teſtimonia dicentium hujuſmodi innocentes *nihil lædi*, immo *hos coronare in occulto Patrem videntem in occulto*: non ergo peccant, ſi occulte cenſuram non ſervent.

Reſpondeo ad 1. illam judicis voluntatem eſſe habitualem, quæ locum habet in judice etiam dormiente; eapropter nihil influit in præſentem ſententiam, quam abſolute juxta allegata, & probata pronuntiat. Et quis unquam dicet, ſacros judices, dum ſententiam proferunt, aliud in mente habere, aliud in verbis, & ſententiam, quam abſolutam proferunt exterius, interius eſſe conditionatam? Hoc profecto eſſet, in ipſis mentales reſtrictiones ſupponere. At vult actum juſtitiæ exercere. Fateor: ſed non actum juſtitiæ in abſtracto, & in communi, ſed actum exercitum individualem, hanc cauſam reſpicientem, quam accurate expendit, & quam judicat ſecundum allegata, & probata. Fallitur itaque materialiter; at formaliter actum legitimum juſtitiæ exercet. Ad 2. falſum eſt omnino, quod aſſeritur; nam ſententia materialiter falſa, cum pronunciata ſit juxta allegata, & probata, legitima eſt, & valida, & coram Eccleſia vim habet obligandi. Ad 3. dicimus, culpam lethalem veram requiri ad incurrendam cenſuram a lege latam; quia ita lex ipſa ſtatuit: verum ad ſententiam latam ab homine ſatis eſt culpa lethalis ipſi judici juxta allegata, & probata judicanti apparens, & manifeſta; tunc enim veram, validam, legitimam in foro Eccleſiæ ſententiam profert, quæ reum liget. Ad 4. Summi Pontifices, S. Raymundus, aliique Theologi non ſolum damnant violantem ſententiam judicis materialiter injuſtam, quia ſcandalum affert; ſed etiam quia Eccleſiæ non paret: nam ejus ſententiam, ſi non explicite, ſaltem virtualiter, & implicite contemnit, nec ei, qua par eſt, reverentia ſe ſubmittit. Ad ultimum reſpondeo, laudatos Patres requirere in iſtis innocentibus 1. ut *contumeliam*, *vel injuriam patientiſſime pro pace Eccleſiæ ferant*. 2. Ut *nullas novitates pro ſchiſmate*, *& hæreſi moliantur*. 3. Ut *ſine ulla conventiculorum ſegregatione veritatem uſque ad mortem defendant*. Utique qui ita ſe gerunt, eximiæ patientiæ præbent exemplum, & a Deo coronari merentur; quod & nos libenter fatemur. At patientiſſime num tolerant injuriam, qui in ſecreto cenſuram violant? Abſtinent ne a conventiculis, qui Sacramenta & recipiunt, & aliis adminiſtrant, licet in occulto? Profecto non puto.

Conſectarium Quintum.

V. Appellatio legitima ab incurrenda cenſura liberat, at non illegitima. Primam hujus doctrinæ partem probavimus cap. præced. Sola itaque ſupereſt altera pars probanda, quæ de ſe manifeſta eſt. Nam qui mala fide appellat ad litis prorogationem, optime noſcens appellationem ſuam injuſtam eſſe, nulla legitima cauſa innixam, & injuriam judici irrogat (non enim eſt legitima defenſio, ſed injuſta offenſio) & præterea dolo, ac fraude utitur, quæ nemini patrocinantur. Quapropter in foro exteriori appellationi locus datur, donec mala fides comperta ſit, & agnitus defectus injuſtæ appellationis; in foro tamen conſcientiæ obſtringit, nec appellationis beneficio gaudere poteſt. Ad legitimam autem appellationem 1. requiritur, ut juſta adſit appellandi cauſa, vel ſaltem ab appellante bona fide, & ſine dolo talis reputetur. 2. Ut fiat intra ſtatutum tempus, ideſt intra decem dies a die latæ ſententiæ computandos; tale enim tempus eſt a jure præſcriptum in omnibus cauſis, ut patet cap. *Quoad conſult.* Ext. de ſent. & de re judicata: vel ſaltem ante tempus expletum, aſſignatum pro implenda conditione in ipſa ſententia præſtitutâ; ut ſi judicetur excommunicatione ligatus Clericus, ſi intra menſem penſionem debitam non ſolverit, per totum menſem appellare poterit, ut docent Juriſperiti ex reſponſo Cæleſtini III. cap. *Præterea* innuentis legitimam appellationem eſſe, ſi medio tempore interjecta ſit. Appellatio tamen non impedit, ne a Judice, qui ſententiam tulit, abſolvi poſſit; cum appellatio abſolvendi poteſtatem non tollat, licet facultatem ligandi impediat.

Conſectarium Sextum.

VI. Inter cauſas a cenſura excuſantes recenſent etiam Theologi, & Juriſperiti beneplacitum illius, in cujus favorem lata eſt cenſura; puta ſi Clericus ſub ſuſpenſionis pœna obſtringatur intra menſem penſionem ſolvere, & a creditore dilationem obtineat, cenſuram non incurrit, ob manifeſtam rationem: quia ſicut poteſt creditor debitum remittendo materiam cenſuræ tollere; ita poteſt

teſt dilationem concedendo ejus effectum ſuſpendere, & impedire. Nec argumentum aliquorum Theologorum contra ſentientium urget, ſcilicet cenſuras ſuſpendere ad eccleſiaſticam pertinere juriſdictionem, qua creditor non gaudet. Hoc ſiquidem verum eſt, quotieſcumque id fiat, ut inquiunt, *poteſtative*, ſcilicet per actum juriſdictionis; non vero per materiæ ſub cenſura præſtandæ vel abſolutam, vel temporariam ſubtractionem, cui & ipſe judex conſentit, qui debitores ligare intendit juxta creditoris voluntatem, in cujus favorem cenſuram decernit.

CAPUT OCTAVUM.

De Poteſtate abſolvendi a Cenſuris.

DOCTRINA.

I. *Regulæ generales de poteſtate abſolvendi a Cenſuris.*
II. *Regula I.*
III. *Regula II.*
IV. *Regula III.*
V. *Regula IV.*
VI. *Regula V.*

I. CUm cenſuræ varii ſint generis in tota ſua amplitudine inſpectæ, aliæ majorem, minorem aliæ ad abſolutionem concedendam auctoritatem poſtulant, & juriſdictionem; proinde poteſtas eas tollendi ex ſingularum cenſurarum natura, & gravitate facilius dignoſci poteſt, & determinari. Quamobrem accuratius argumentum hoc tractabitur, & clarius dignoſcetur, ubi de cenſuris ſingillatim diſputabimus. Solum igitur hic generales quaſdam Regulas ex Theologis, & Juriſperitis deſumptas indicabimus. Sit itaque

Regula Prima.

II. In articulo mortis conſtitutos omnes Sacerdotes abſolvere poſſunt ab omnibus cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ quocumque modo reſervatis, receptionem Sacramentorum impedientibus. Et quidem omnes Sacerdotes pro eo tempore hac univerſali poteſtate gaudere, licet ſint notorii excommunicati, late probavimus Diſſert. 4. cap. 3. n. 6. Addimus *etiam Sedi Apoſtolicæ quocumque modo reſervatis*; cum Tridentina Synodus omnem pro eo articulo, & periculo reſervationem abſtulerit. Diximus denique *receptionem Sacramentorum impedientibus*; nam certum eſt a ſuſpenſione, ab irregularitate ſive ex delicto, ſive ex defectu liberationem non concedi; eæ enim ſolum cenſuræ tollendæ ſunt, quæ animæ ſalutem aliquo modo impedire poſſunt, ne ullius ſalus periclitetur; ſuſpenſionis autem, aut irregularitatis pœnæ, ſive defectus ſaluti animæ non officiunt. Ceteræ autem cenſuræ non abſolute tolluntur; ſed onus adhuc ſupereſt reo pœnitenti ſe coram Superiore ſiſtendi ad parendum Eccleſiæ mandatis, ut ſtatuit Bonif. VIII. cap. *Eos, qui* 22. de ſent. Excom. *alioquin in eamdem ſententiam recideret ipſo jure*. Hoc tamen onus locum non habet, ſi præſens ſit, qui facultatem habeat abſolvendi a cenſuris.

Regula Secunda.

III. Cenſuræ omnes a jure, vel ſtatuto indictæ, niſi per legiſlatorem reſervatæ ſint, ab omnibus Confeſſariis tolli poſſunt, & relaxari. Non deſunt Theologi, qui huic regulæ repugnant, putantes ad concedendam abſolutionem a cenſuris requiri juriſdictionem in foro contentioſo, qua carent Parochi, & communes Confeſſarii. Quod utique verum eſt, ſi cenſura ſit ad forum contentioſum deducta; licet & hoc inficietur Gilbertus Tom. 4. Conſult. de Pœnitentia conſult. 20. cujus tamen opinioni ſingulari adhærendum non eſſe cenſeo. At, ſi ſolum ſiſtat in foro conſcientiæ, tenenda eſt poſita regula utpote communis, & in ipſo jure, ac ratione fundata. In jure quidem. Nam Innoc. III. cap. *Nuper* 29. de ſent. Excom. ſtatuit: „ In ſecundo vero caſu a ſuo Epiſcopo, vel a proprio Sacerdote poterit abſolutionis beneficium „ obtinere. Quamvis enim & tunc non juris, ſed „ judicis ſententia ſit ligatus; quia tamen conditor canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter „ non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi “. Ratio vero habetur in ipſis Pontificis verbis, nimirum Superiorem, qui ſibi abſolutionem cenſuræ ſpecialiter non reſervavit, manifeſte indicare, ſe facultatem relinquere aliis eam relaxandi. Excipiendæ tamen 1. Cenſuræ, quæ licet communi jure reſervatæ non ſint, Epiſcopi tamen eas ſibi ſpeciali ſtatuto reſervarent. 2. Habertus putat omnem ſuſpenſionem ſemper eſſe reſervatam, ſive ab homine ſit, ſive a jure. Verum alii probabilius cenſent, & ipſius abſolutionem a quolibet Sacerdote concedi poſſe, quando non ab homine, ſed a jure ſolum lata eſt, nulla facta reſervatione; cum & ipſa comprehendatur ab Innoc. III. in ſua generali regula tunc citata, qua ſtatuit, non facta reſervatione, facultatem cenſeri conceſſam omnibus a cenſura abſolvendi. Et revera, ſi omnis ſuſpenſionis cenſura foret reſervata, fruſtra formæ abſolutionis præmitteretur pro Clericis, *ſi teneris aliquo vinculo ... ſuſpenſionis* &c.

Regula Tertia.

IV. A Cenſuris ab homine latis per ſpecialem ſententiam nemo abſolvere poteſt, niſi qui eam tulit, vel delegatus ab ipſo, vel ejus ſucceſſor. Certa eſt hæc regula; nam hujuſmodi cenſuræ, licet reſervationis nulla fiat mentio, ſemper ſunt reſervatæ Superiori eas ferenti. Id ſtatuitur a pluribus Conciliorum Canonibus, tum antiquis, ut in Illiberitano, & Nicæno, tum recentioribus, ut in Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 11. ubi expreſſe indicitur Regularibus, ne laicus, vel Clericus a ſententiis ab homine latis ullatenus poſſint abſolvere. Et revera tota corrueret eccleſiaſtica diſciplina, & judiciorum ordo ſubverteretur, ſi ligatus cenſura a ſuo legitimo Superiore, ab alio poſſet, eo renuente, liberari. Hinc ligatus cenſura ab uno Epiſcopo, etſi domicilium transferat ad aliam Diœceſim, vel Religionem etiam ingrediatur, nec ab Epiſcopo, nec a Superiore regulari abſolvi poterit; ſed ad eum remittendus, cujus ſententia innodatus fuit, vel ab eo obtinenda abſolvendi poteſtas. Poſſunt tamen abſolvere Superio-

rio-

riores, ſi tamen plenam habeant in reum juriſdictionem, ut Summus Pontifex reſpectu omnium fidelium, Generalis reſpectu omnium Superiorum ſui Ordinis, Provincialis reſpectu Superiorum ſuæ Provinciæ. Non tamen Archiepiſcopi, & Metropolitani, immo nec Legati Sedis Apoſtolicæ, niſi interpoſita appellatione, & cauſa cognita, qui, ſi cenſuram juſte illatam noverint, ad Epiſcopum debent reum remittere abſolvendum: ſi vero injuſte, ipſum abſolvere poterunt, ſeu potius declarare nullam eſſe latam cenſuram. Poteſt tamen abſolvere ejus ſucceſſor in juriſdictione, ſic Capitulum Sede vacante poteſt abſolvere ligatos ab Epiſcopo vel mortuo, vel amoto, ſicut & a delegato ab ipſo Ordinario, cum poſſit ſuam juriſdictionem alteri delegare.

Regula Quarta.

V. A Cenſuris lege, vel ſtatuto reſervatis ſolvere poſſunt & qui eas tulerunt, & quibus per privilegium demandata eſt poteſtas abſolvendi. Prima pars eſt de ſe manifeſta. Secunda vero ſolum difficultatem habet in aſſignandis perſonis privilegio donatis. Sed de his recolantur, quæ diximus Diſſ. 4. capp. 6. & 7. per plures numeros, & quæ dicemus in ſequentibus cum de Cenſuris in particulari ſermo erit. Solum hic addimus, habentes privilegium abſolvendi a peccatis Summo Pontifici reſervatis, pollere poteſtate abſolvendi etiam a cenſuris eiſdem adnexis, cum crimina propter cenſuram reſervata ſint. Tempore Jubilæi, ut Sacerdotes abſolvere poſſint a cenſuris Papæ reſervatis, debent eſſe approbati ab Ordinariis, quo nomine deſignantur & Superiores Regulares, qui reſpectu ſuorum ſubditorum Ordinarii ſunt: aliquando tamen conceditur Regularibus, ut abſolutionem a cenſuris obtinere poſſint a Confeſſario adprobato ab Epiſcopo, cui ante Jubilæum confiteri non poterant. Hac facultate uti non poſſunt, niſi in foro pœnitentiæ, & in ordine ad Sacramentalem abſolutionem. Quamobrem publice ligatus aliqua cenſura poterit quidem abſolvi in foro conſcientiæ; at publice quaſi abſolutum ſe gerere non debet, ſed abſolutionem & in exteriori foro impetrare. Qui bona fide Jubilæi tempore confeſſus eſt animo lucrandi Jubilæum, licet poſtea ex ſua negligentia, vel ob aliud impedimentum illud non lucretur, valide tamen abſolutus fuit, & ablatæ ſunt cenſuræ, quibus forſitan obſtringebatur: ſecus vero, ſi indulgentiam lucrari noluerit; tunc enim abſolutio data non valet, ut declaravit Benedict. XIV. Conſtit. *Convocatis* an. 1749.

Regula Quinta.

VI. In poteſtate conceſſa abſolvendi a cenſuris non habet locum argumentatio a majori ad minus; ſed in hujuſmodi conceſſionibus facultatis datæ tenor eſt expendendus, nec amplificandus. Veritas hujus regulæ de ſe manifeſta eſt. Nam cum tota poteſtas in delegato a Superiore concedente deſcendat, hic pro libito poteſt partem concedere etiam majorem, & minorem ſibi reſervare; ut patet in his, qui poteſtatem habent abſolvendi a caſibus Summo Pontifici reſervatis, qui tamen minime poſſunt abſolvere a reſervatis inferioribus Prælatis. Pari pacto, qui poteſtate donatur abſolvendi ab excommunicatione etiam Papæ reſervata, non tamen parem obtinet abſolvendi a ſuſpenſione, vel irregularitate, vel ipſi Pontifici, vel Ordinario reſervatis, niſi & hoc pariter concedatur. Sunt igitur limites delegatæ juriſdictionis cuſtodiendi, nec per humanam ratiocinationem tranſiliendi. Quamobrem quis poteſt abſolvi ab una cenſura, dum tamen alia ligatus manet, ut docet S. Th. hic q. 24. a. 3. ſcribens: Excommunicationes „ non habent connexionem in aliquo; & ideo poſ„ ſibile eſt, quod aliquis ab una abſolvatur, & „ in altera remaneat “. Si tamen abſolvens vel ordinariam, vel delegatam obtineat facultatem abſolvendi ab omnibus cenſuris, hanc poteſtatem exercere valet una abſolutione: immo ligatus cenſura ob aliquod peccatum, cujus confiteri obliviſcitur, ſi ab habente facultatem abſolvendi abſolvatur ab omnibus cenſuris, etiam ab hac abſolutus manet, & ſolum illi onus ſupereſt aperiendi in Confeſſione peccatum alteri cuicumque Sacerdoti; quia abſolutio a cenſuris pendet a voluntate abſolventis, non ab ejus notitia; ſecus ac contingit in confeſſione peccatorum, quæ etiam oblita, ſunt ſemper aperienda in Sacramento. Non ita tamen ſentiendum de illo, qui doloſe relaxationem unius cenſuræ peteret, alias, quibus innodatur, reticendo; quia fraus, & dolus nemini patrocinari debet, nec lucrum ex iniquitate reportandum. Similiter eſt excipiendus caſus, quo ligatus cenſura teneatur parti læſæ ſatisfacere, vel ab aliquo crimine recedere, puta a retinenda re aliena; tunc enim nulla foret data abſolutio, cum præſumendum non ſit, Superiorem id concedere, quod ſine peccato dare non poteſt. Quamobrem qui in aliquo caſu debet abſolvere a cenſura reum ante partis læſæ ſatisfactionem, ſaltem ab eo juramentum exigere debet de parte ſatisfacienda: quam ſatisfactionem vel datam, vel oblatam ſi pars læſa injuſte recuſet, abſolvendus tamen eſt reus, cum per ipſum non ſtet defectus ſatisfactionis. Quod ſi dubium ſuboriatur, num vel teneatur reus parti ſatisfacere, vel oblata ſatisfactio ſit ſufficiens; tunc Confeſſarius debet, quod ſibi probabilius coram Deo videbitur, decernere, & juxta prudens judicium vel dare, vel denegare abſolutionem: ſolum illud præ oculis habeat, quod, cum agatur de pœna vel retinenda, vel tollenda, in dubio potius reo favere debet, quam actori, ne innocens, vel reus plus æquo gravetur.

CAPUT NONUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Abſolutio a Cenſuris dari poteſt etiam extra Sacramentum.*
II. *Cenſura tollenda eſt per abſolutionem a Superiore dandam.*
III. *Abſolutio per vim, & metum extorta, vel fraude impetrata nulla eſt.*
IV. *Peccant, qui abſolutionem a cenſuris obtinere non ſollicitant.*
V. *Abſolvi quis poteſt a cenſuris etiam invitus.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. ABſolutio a Cenſuris dari poteſt etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ. Dixi etiam ex-

tra Sacramentum Pœnitentiæ, non ſolum ut indicarem abſolutionem dari poſſe in foro contentioſo, in quo profecto Sacramentum locum non habet, ſed etiam in foro conſcientiæ, ideſt quando abſolutio valet ſolum pro foro externo. Porro hoc pacto abſolvere poſſunt, qui habent ordinariam poteſtatem abſolvendi a cenſuris; ſicut in praxi præſtant Prælati, & Inquiſitores, qui a cenſuris reos abſolvunt, ut poſſint poſtea a Confeſſariis abſolvi etiam a peccatis. Immo id præſtare poſſunt & qui ex privilegio delegatam habent poteſtatem; dummodo tamen non addita ſit conditio, *audita prius Sacramentali Confeſſione*: nam tunc extra Sacramentum Pœnitentiæ non eſt danda abſolutio a cenſura, niſi forte ipſa incepta, ſed non finita, vel ob aliquod impedimentum dilata abſolutione, juſta adſit, & urgens cauſa abſolvendi pœnitentem a cenſura, ut ſcilicet poſſit Miſſæ, & divinis Officiis intereſſe, a quibus abſtinere ſine ſcandalo non poſſit; dummodo tamen certus moraliter ſit Confeſſarius, Pœnitentem ſublato quolibet impedimento dignum futurum abſolutione.

Conſectarium Secundum.

II. Cenſura tollenda eſt per abſolutionem a Superiore datam. Non defuere Theologi, qui docuerunt, cenſuras ſponte ceſſare, & cadere reo emendato. Verum hanc doctrinam damnavit Alexander VII. in 44. propoſitione aſſerente: *Quoad forum conſcientiæ reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſat cenſura*: & jure merito, nam ea auctoritate pœna tollenda eſt, qua inflicta fuit. Quamobrem ceſſante contumacia, quæ præparat quidem, & eſt neceſſaria diſpoſitio ad abſolutionem cenſuræ obtinendam, non ſolvitur cenſura; quia licet contumacia eam pœnam promeruerit, ſola tamen Superioris auctoritate inducta eſt; proinde eſt per eandem auctoritatem tollenda. Non ceſſat per mortem ſive excommunicantis, ſive excommunicati. Non excommunicantis: nam legitime inflicta pœna tranſit in rem judicatam; judicium autem idem perſeverat etiam poſt judicis mortem. Non per obitum excommunicati, qui nec in loco ſacro ſepeliendus eſt, nec ſuffragia pro ipſo poſſunt offerri. Nam ut habetur cap. 28. de Sentent. Excom. *Quamvis abſolutus apud Deum fuiſſe credatur* (per pœnitentiam) *nondum tamen habendus eſt apud Eccleſiam abſolutus*. Porro hæc abſolutio dari poteſt 1. abſolute cenſuras tollendo. 2. Conditionate, vel de præſenti, aut præterito, ut ſi ſatisfeciſti, ſi paratus es ſatisfacere; vel etiam de futuro libero, puta ſi ſatisfeceris: hic tamen abſolvendi modus, licet raro licitus, validus tamen eſt, cum omnino a voluntate Superiori pendeat ſicut inflictio, ita & ablatio. 3. Ad cautelam, ut cum datur ei, qui dubitat, num cenſuram incurrerit, & hæc, ut habetur cap. *Solet*, de ſent. Excom. danda eſt petenti „ quamvis excommunicator, vel adverſarius ſe „ opponat, niſi eum excommunicatum pro mani„ feſta dicat offenſa: in quo caſu terminus octo „ dierum indulgebitur ſic dicenti, ut ſi probave„ rit quod opponit, non relaxetur ſententia, niſi „ prius ſufficienti præſtetur emenda, vel compe„ tens cautio de parendo juri, ſi offenſa dubia „ pro certa ponatur. Ad cautelam etiam præmit„ titur Sacramentali abſolutioni “. 4. Ad reincidentiam, ut datur in articulo mortis, vel extra, cum ob impedimentum juſtum datur ab eo, qui alias de jure abſolvere non poterat. 5. Non abſolute, ſed ad quoſdam dumtaxat effectus, v.g. ut cenſura irretitus non impediatur a conſecutione Beneficii, Officii, gratiæ; vel poſſit ferre ſuffragium in electione canonica, ut præmitti ſolet in Brevibus, & Bullis Pontificum, & in electionibus canonicis. Porro hæc abſolutio nihil aliud præſtat, niſi ut frui poſſit gratia, cujus alias incapax foret; proinde manet quoad alios effectus.

Conſectarium Tertium.

III. Abſolutio a cenſura per vim, & metum extorta nulla eſt, & invalida, ſimiliter per dolum, aut errorem. Prima pars in Jure Canonico ſtatuitur, declarante cap. *De iis, quæ vi in 6.* hujuſmodi abſolutiones per vim, & metum gravem, ac injurioſum, a quocumque incuſſum ad eam obtinendam, eſſe irritas, nullas prorſus, & invalidas, & præterea illum, qui hunc injurioſum incutit metum, ſubjacere excommunicationi ex eod. cap. Altera vero pars manifeſta eſt: quia Superior abſolutionem non impertitur, niſi ſubſiſtente cauſa finali, ſive vera ratione, quæ illi ad obtinendam abſolutionem exponitur. Neceſſe tamen eſt, ut dolus, & error circa ſubſtantialia cauſæ verſentur: ut ſi falſo dicat, ſe parti læſæ ſatisfeciſſe, vel ſatisfacere non poſſe, vel ſe emendaſſe, & concubinam ejeciſſe, rem ablatam reſtituiſſe, penſionem ſolviſſe; tunc enim nulla erit data abſolutio; ſecus, ſi error, vel dolus ſolum circa quædam accidentalia verſetur, quæ expoſita impetrationem abſolutionis non impedirent, ſed vel omiſſa, vel falſo expoſita faciliorem reddunt impetrationem; tunc enim valebit data abſolutio.

Conſectarium Quartum.

IX. Vera eſt, & tuta Salmanticenſium doctrina Tract. 10. de Cenſuris cap. 2. punct. 1. num. 1. „ Quemlibet cenſura ligatum teneri ſub mortali „ abſolutionem ſollicitare, quamprimum potuerit; „ & qui poteſt abſolvi, & differt, peccare juxta „ dilationem interpoſitam: & quælibet dilatio eſt „ mortalis ex genere ſuo, niſi ob parvitatem ma„ teriæ, vel ex aliis capitibus excuſetur “. Et confirmant argumenta ab ipſis adducta. Nimirum 1. quia ſine culpa ſe privat receptione Sacramentorum, auditione ſacri, aliiſque bonis ſpiritualibus, non ſine gravi ſpirituali animæ detrimento; &, ſi Clericus ſit, Sacramentorum adminiſtratione, & ſuorum Ordinum executione. 2. Eccleſiæ contemnere videtur auctoritatem, vel ſaltem occaſionem præbet ita ſuſpicandi. 3. Volens, & lubens a gremio Eccleſiæ ſe ſeparat, vel ab ejus miniſterio; & ſordeſcens in excommunicatione per annum ſuſpectum de fide ſe reddit, ut ſtatuit Trid. Syn. ſeſſ. 25. cap. 3. Idem pariter dicendum de Sacerdote, qui, ut negotiationi, medicinæ, ſcenicis repræſentationibus, aliiſque operibus ſtatui Clericali non congruentibus vacare poſſit, & interdictis, ſuſpenſionem a Divinis lubens, & volens acceptaret. Hic enim graviſſime peccaret: nam temporalia præferret ſpiritualibus, ſacra miniſteria ſe contemnere profiteretur, & graviſſimam populo præberet offenſionem.

Con-

Conſectarium Quintum.

V. Abſolvi quis poteſt a cenſuris etiam invitus. Ita docet D. Th. hic q. 24. art. 2. ſcribens: „ Malum culpæ, & pœnæ in hoc differunt, quod culpæ principium eſt in nobis; quia omne peccatum „ voluntarium eſt: pœnæ autem principium quandoque extra nos eſt; non enim requiritur ad pœnam, quod ſit voluntaria: immo magis de ratione pœnæ eſt, quod ſit contra voluntatem. Et „ ideo ſicut peccata non committuntur niſi voluntate, ita non remittuntur alicui invito. Sed excommunicatio ſicut in aliquem invitum ferri poteſt, ita etiam invitus ab ea abſolvi poterit ". Immo in reſp. ad 2. addit: „ quod etiam manente contumacia, poteſt aliquis *diſcrete* excommunicationem juſte latam remittere, ſi videat ſaluti ejus expedire, in cujus medicinam excommunicatio lata eſt ",

REFLEXIO.

I. Graviſſimam ſemper exiſtimarunt Patres Cenſurarum pœnam, qui eam ſeverioribus corporalibus pœnis compararunt. Scribit ſiquidem S. Hieronymus ad Heliodorum epiſt. 1. „ In veteri quidem „ Lege quicumque Sacerdotibus non obtemperaſſet, „ aut extra caſtra poſitus lapidabatur a populo, „ aut cervice ſubjecta contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens ſpirituali mucrone „ truncatur, aut ejectus de Eccleſia rabido Dæmonum ore diſcerpitur ". Et S. Auguſtinus lib. de Fide & operibus cap. 11. idem confirmat ſcribens: „ Neque enim quia illam primi populi permixtionem Moyſes Dei famulus patientiſſime perferebat, „ ideo non in multos etiam gladio vindicavit. Et „ Phinees Sacerdos adulteros ſimul inventos ferro „ ultore confixit. Quod utique degradationibus, & „ excommunicationibus ſignificatum eſt eſſe faciendum hoc tempore, cum in Eccleſiæ diſciplina „ viſibilis fuerat gladium ceſſaturus ". Immo Tertullianus judicium Eccleſiæ cenſuris ferientis *præjudicium* appellat *æterni judicis reprobantis*, inquiens in Apolog. cap. 39. In Chriſtianorum Conventibus „ exhortationes, caſtigationes, & cenſura „ divina. Nam & judicatur magno cum pondere, „ & apud certos de Dei inſpectu, ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communione orationis, & conventus, „ & omnis ſancti commercii relegetur ".

II. Merito igitur Eccleſia ſemper ſumma cum maturitate, prudentia, juſtitia hunc eſſe evaginandum gladium putavit, & indixit. Unde Conc. Aurelian. IV. can. 2. jubet: „ Nullus Sacerdotum, „ quam rectæ fidei, hominem pro parvis, & levibus cauſis a communione ſuſpendat, præter eas „ culpas, pro quibus antiqui Patres arceri ab Eccleſia juſſerunt committentes ". Et Conc. Milev. can. 56. decernit: „ Ut nemo Epiſcoporum quemlibet ſine certa, & manifeſta peccati cauſa communione privet . . . Anathema autem ſine conſenſu Archiepoſcopi, vel Coepiſcoporum, prælata etiam evangelica admonitione, nulli imponat, „ niſi unde canonica fuit auctoritas; quia anathema æternæ eſt mortis damnatio, & nonniſi pro „ mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter „ non potuerit corrigi ". Et noviſſime Trid. Syn. ſeſſ. 24. cap. 3. indixit: „ Quamvis excommunicationis gladius nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ ad continendos in officio populos valde ſalutaris, ſobria tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt; cum experientia doceat, „ ſi temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam ſalutem . . . In cauſis judicialibus mandatur omnibus Judicibus Eccleſiaſticis, cujuſcumque dignitatis exiſtant, ut quandocumque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipſis ferri poterit, abſtineant ſe, tam in procedendo, „ quam in definiendo, a cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu „ interdicto ".

III. Fideles vero hæc Eccleſiæ fulmina vereantur, nec unquam audaci temeritate contemnant, nec de ſua ſibi blandiantur innocentia, quam parum tenuiſſe juſte præſumuntur, qui ita vixere, ut criminationi dederint locum; & noverint Paſtoris ſententiam ſemper eſſe pertimeſcendam, nunquam vero contemnendam. Ita enim monet S. Gregor. hom. 26. ſuper Evang. circa medium: „ Sub magno moderamine Paſtores Eccleſiæ vel ſolvere ſtudeant, „ vel ligare. Sed utrum juſte, vel injuſte obliget „ Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda „ eſt, ne is, qui ſubeſt, & cum injuſte forſitan ligatur, „ ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa „ mereatur. Paſtor ergo vel abſolvere indiſcrete „ timeat, vel ligare. Is autem, qui ſub manu „ Paſtoris eſt, ligari timeat, vel injuſte; nec Paſtoris ſui judicium tenere reprehendat, ne etſi „ injuſte ligatus eſt, ex ipſa tumidæ repræſentationis ſuperbia, culpa quæ non erat, fiat ".

DISSERTATIONIS VI.

PARS ALTERA,

QUÆ EST

DE CENSURIS SINGILLATIM.

CAPUT PRIMUM.

De Excommunicatione in communi.

D O C T R I N A.

I. *Definitio traditur Excommunicationis, & diviſio in majorem, & minorem.*
II. *Bona, quibus privantur excommunicati, in triplici claſſe continentur.*
III. *Excommunicati alii tolerati, alii vitandi.*
IV. *Excommunicati quando peccent Sacramenta miniſtrando.*
V. *Quibus, & quando Sacramenta valide ab iſtis adminiſtrentur.*
VI. *Quando peccent Sacramenta recipiendo.*
VII. *Repelluntur a celebratione, & aſſiſtentia divinorum officiorum.*
VIII. *Privantur ſuffragiis Eccleſiæ, & ſepultura in loco ſacro.*
IX. *Sunt inhabiles ad Beneficia obtinenda.*
X. *Omni juriſdictione privantur.*
XI. *Quinam excommunicati priventur civili communicatione publica.*
XII. *Et etiam privata.*
XIII. *Qui communicant in civilibus cum excommunicato vitando, non ſemper mortaliter peccant.*
XIV. *Et aliquando nec venialiter, nec minorem incurrunt excommunicationem.*
XV. *Quid ſit Excommunicatio minor.*
XVI. *Quinam, & qua de cauſa ſubjiciantur Excommunicationi.*

I. EXcommunicatio, quæ & anathema dicitur, definitur a Greg. IX. Cenſura divina, qua quis a communione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegatur. A S. vero Thoma definitur: *Separatio a communione quoad fructum, & ſuffragia generalia Eccleſiæ.* Quam definitionem ſic ipſe luculenter explicat, ſcribens hic q. 21. a. 1. „ Qui per Baptiſ„ mum in Eccleſia ponitur, ad duo adſcribitur, „ ſcilicet ad cœtum fidelium, & ad Sacramento„ rum participationem: & hoc præſupponit pri„ mum; quia in Sacramentis participandis ſoli fi„ deles conveniunt. Et ideo aliquis poteſt extra „ Eccleſiam fieri per excommunicationem duplici„ ter. Uno modo, ita ut ſeparetur tantum a par„ ticipatione Sacramentorum; & hæc erit excom„ municatio minor: alio modo, ita quod excluda„ tur ab utroque; & ſic erit excommunicatio ma„ jor, quæ hic definitur. Non autem poteſt eſſe „ tertium, ſcilicet quod excludatur a communio„ ne fidelium, & non a participatione Sacramen„ torum; quia ſcilicet fideles in Sacramentis com„ municant “. Duplex itaque diſtinguitur excommunicatio, alia ſcilicet minor, quæ privat ſola Sacramentorum participatione paſſiva, & non incurritur niſi per communicationem cum excommunicato vitando, ut infra dicemus; alia major, quæ tum a paſſiva Sacramentorum participatione ac adminiſtratione excludit. Eſt itaque excommunicatio omnium cenſurarum & eccleſiaſticarum pœnarum maxima, cum ſeparet omnino peccantem a cœtu fidelium, & omnibus eum privet ſpiritualibus bonis, quæ Eccleſiæ ſubjacent poteſtati, & juriſdictioni.

II. Porro hæc bona trifariam dividi poſſunt: alia ſacra, cujuſmodi ſunt Sacramentorum ſuſceptio, & adminiſtratio, Sacrificii applicatio, ſuffragiorum, & orationum communium participatio: alia ſpiritualia pariter ſacra, ſed pure exteriora, ut aſſiſtentia ad divina officia, ſepultura eccleſiaſtica, & ſimilia: alia denique mere civilia, ſita in actibus humanæ ſocietatis, ut confabulatio, cohabitatio, ſalutatio, & alia. Quibus, & quomodo hiſce fidelium communibus bonis priventur excommunicatione ligati, modo ſumus explicaturi.

III. Primo tamen diſtinguendi ſunt excommunicati; alii enim ſunt tolerati, alii vitandi. Inducta eſt hæc diſtinctio poſt Martini V. Conſtit. quæ incipit, *Ad vitanda ſcandala*, qua ſtatuit: „ Quod „ nemo deinceps a communione alicujus, Sacra„ mentorum adminiſtratione, vel receptione, aut „ aliis quibuſcumque divinis, intus & extra, præ„ textu cujuſcumque cenſuræ Eccleſiaſticæ a jure, „ vel ab homine generaliter promulgatæ, tenea„ tur abſtinere, vel aliquem evitare, aut interdi„ ctum Eccleſiaſticum obſervare, niſi cenſura vel „ ſententia hujuſmodi fuerit lata contra Perſonam, „ Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, Com„ munitatem, vel locum certum, vel certe a ju„ dice publicata, vel denuntiata ſpecialiter, & „ expreſſe “. Ut itaque quis ſit excommunicatus vitandus, requiritur non ſolum, ut crimen ejus notum ſit, quod dicitur notitia facti, ſed etiam nota ſit, & deſignata per judicis ſententiam perſona, quæ excommunicatione ligatur, ut ab aliis ſecerni poſſit: & hæc ſententia publice denuntietur ſive a Parochis inter Miſſarum ſolemnia, ſive per affixionem ſchedulæ in locis publicis. Nec ſufficit denuntiatio criminis, puta quod aliquis ſit hæreticus; ſed & denuntiatio requiritur ſententiæ excommunicationis, cum denuntiatio criminis inferat quidem pœnam pronuntiandam eſſe, at non infligat. Præterea ſi etiam publice denuntiatus per ſententiam judicis, ab ea legitimam interponat appellationem, ſuſpenditur ſententia, non in beneficium appellantis, ſed aliorum, qui poſſunt cum ipſo

tan-

tanquam non vitando comunicare. Illi itaque ſunt excommunicati minime tolerati, & vitandi, qui per hujuſmodi ſententiam, & declarationem ſunt excommunicatione perculſi. Alii vero dicuntur tolerati, & non vitandi, quorum crimen licet notorium compertumque ſit, non ſunt tamen ceu excommunicati judicati, & declarati. Excipiuntur tamen notorii Clericorum percuſſores, de quibus infra.

IV. Bona itaque ſacra, quibus privantur excommunicati, tam vitandi, quam non vitandi, ſunt 1. activa Sacramentorum adminiſtratio, & Miſſæ celebratio. Peccat itaque, & quidem graviter excommunicatus, ſi abſque neceſſitate Sacramenta adminiſtret, cum præceptum eccleſiaſticum in re graviſſima violet. Dixi abſque urgenti neceſſitate, hæc enim legem non habet: ideoque excommunicatis etiam vitandis pia mater Eccleſia concedit, ut Sacramentum Baptiſmi adminiſtrent ſine ſolemnitate; immo, ut ſuperius vidimus, etiam ut abſolutionem impertiantur conſtitutis in extremo vitæ periculo. Alia autem Sacramenta, cum tantæ non ſint neceſſitatis, adminiſtrare abſque culpa non poſſunt; unde nec Euchariſtiam moribundo, nec Extremam Unctionem præbere, multoque minus Confirmationem, Ordinem, & Matrimonium. Non deſunt tamen Theologi, qui Viaticum ab ipſis licite adminiſtrari poſſe putant, immo ad hoc & Miſſam celebrare. At eorum ſententia deferenda eſt ceu minus probabilis: quia Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem; nec neceſſaria neceſſitate præcepti in extremo vitæ agone, niſi quando recte, & juxta ſtatuta Eccleſiæ digne, & decenter dari, vel accipi poteſt. Extrema quoque Unctio non eſt abſolute neceſſaria, niſi forte aliud Sacramentum adminiſtrari non poſſit.

V. Sacramenta ab Excommunicatis non vitandis valide adminiſtrantur, immo & a vitandis, excepto Pœnitentiæ Sacramento. Prioris partis ratio deſumitur ex citata Martini V. Bulla, quæ ſtatuit, poſſe ab ipſis recipi Sacramenta. Alterius autem ratio eſt, quia ad Sacramenti Pœnitentiæ validam adminiſtrationem requiritur juriſdictio, qua excommunicati vitandi omnimode privantur; licet alia Sacramenta valide adminiſtrent, in quibus nonniſi poteſtas Ordinis requiritur. Præterea, qui illicite Sacramenta miniſtrant excommunicatione irretiti, irregularitatem incurrunt, a qua inepte aliqui benigniores Theologi liberant excommunicatos vitandos Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrantes, quippe quod nullum, & irritum eſt; cum æque miniſtrare Sacramentum dicatur, qui illud vel ex ſua culpa, vel accipientis, noverit eſſe invalidum.

VI. Repelluntur 2. loco excommunicati a receptione Sacramentorum; proinde ea recipientes ante abſolutionem a cenſura, ſive tolerati ſint, ſive vitandi, graviſſime peccant, cum effectus excommunicationis ſit a Sacramentorum participatione excludere. Contra itaque præceptum Eccleſiæ in ea ſe ingerunt, & peccant peccato inobedientiæ, & contra Religionem Sacramenta violando. Excuſare tamen poteſt ignorantia invincibilis, ſive juris, ſive facti; ſicut & inadvertentia, quæ ignorantiæ æquiparatur: quam tamen in ſciente alias ſe eſſe excommunicatum locum habere poſſe non puto. Sicut ſi evitanda eſſent ſcandalum, infamia, vel aliud grave damnum & incommodum, a quibus tamen lucri ceſſatio locum habere non debet. Qui vero Sacramenta adminiſtrat excommunicato vitando, niſi neceſſitas excuſet, peccat lethaliter contra præfatam Martini Bullam, qui hujuſmodi excommunicatis Sacramenta prohibet adminiſtrari. Nec licet ullo modo, nec cum diſcrimine vitæ ea adminiſtrare hujuſmodi excommunicatis, quando ipſi gravem incutiunt metum ad ea extorquenda, quia indigni tunc eſſent recipere: adminiſtrare autem indignis Sacramenta non jure humano, ſed divino vetitum eſt.

VII. Quoad bona vero ſpiritualia exteriora tantum 1. privantur facultate celebrandi divina officia, illiſque aſſiſtendi. Divinorum officiorum nomine intelliguntur, & veniunt Miſſæ auditio, aſſiſtentia in choro, publicis proceſſionibus, aut benedictionibus, conſecratio chriſmatis, benedictio aquæ, palmarum, candelarum, cinerum, quæ ſolemniter ab Eccleſia fiunt; vel quæ propria ſunt Ordinis Clericalis, ut cantus Evangelii, & Epiſtolæ, benedictiones Cerei Paſchalis, & alia. Excommunicati itaque, ſive tolerati, ſive vitandi, qui in iſta ſe ingerere, atque illis intereſſe præſumunt, lethaliter peccant, Eccleſiæ præceptum, quo hæc illis vetat, violando in re gravi, & magni momenti. Inter vitandos vero, & toleratos hoc unum intercedit diſcrimen, videlicet priores eſſe ab iſtis divinis officiis ejiciendos, & ſi diſcedere renuant, ab illis ceſſandum; quod in toleratis locum non habet. Quamobrem, qui coram excommunicato vitando Miſſam celebrant, vel alia divina officia perſolvunt, graviter & ipſi peccant; nullam tamen per hoc incurrunt irregularitatem, ſed ſubjacent excommunicationi minori, & interdicto ab Eccleſiæ ingreſſu; quod ſi violent celebrando ante obtentam abſolutionem, irregularitati ſubjacent, ut habetur cap. *Epiſcoporum* tit. de privatis in 6. Cæteri vero aſſiſtentes, ſi a choro, a Proceſſionibus non recedant, & lethaliter peccant, & minori ligantur excommunicatione. Eapropter tenentur publicum officium ſuſpendere, ſi excommunicatus vitandus vel recedere nolit, vel non poſſit expelli. Miſſam quoque abrumpere debet Sacerdos celebrans, ſi canonem non inceperit, quo incepto poterit Miſſam proſequi uſque ad utriuſque ſpeciei conſumptionem; reliquum autem omittere ſupplendum in Sacriſtia, vel alio loco apto, ſi adſit. Non liberantur tamen excommunicati, ſive tolerati, ſive vitandi ab onere recitandi divinum officium, vel alias debitas preces; alioquin commodum ex ſua iniquitate reportarent: debent tamen ſoli recitare, & ſine ſocio, cum utriſque ſit interdicta communicatio cum fidelibus, quæ in eorum cedat favorem; nec dicere debent *Dominus vobiſcum*, cum hæc formula ſalutationem exprimat Sacerdotis ad populum: levis tamen culpæ reum ſolum haberem excommunicatum toleratum, qui vel in privata recitatione, vel cum ſocio horas canonicas perſolvendo præfatam adhiberet ſalutationem. Licet vero Miſſæ intereſſe in die feſto ſit illi vetitum; non tamen a peccato excuſatur, ſi in excommunicatione ſua culpa perſeveret: quod ſi per ipſum non ſtet, ne abſolutionem obtineat, non peccabit ſimi-

militer a Miſſæ auditione abſtinendo, ſed feſtum diem aliis piis operibus ſanctificare tenetur. Poſſunt etiam utrique excommunicati Eccleſiam ingredi ad catechiſmum, ſermonem, & concionem audiendam, & etiam, ut inibi ſoli orent, prout ſtatuit Innocent. III. in cap. *Reſponſo* Extra de ſent. excom. & quidem ad praxim antiquioris Eccleſiæ ſtatuentis can. 84. Conc. Carthagin. *Epiſcopus nullum prohibeat, ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum.*

VIII. Privantur vero excommunicati tertio loco & ſuffragiis Eccleſiæ, & ſepultura in loco ſacro. Priori pœnæ ſubjiciuntur tam excommunicati tolerati, quam vitandi, ſcilicet quoad effectum & beneficium; licet de prioribus negent Salmanticenſes, Navarrus, Henriquez, Martinonius, aliique Theologi. Sed noſtræ favent ſententiæ Suarez, Covarruvias, Bellarminus, Armilla, Habertus, Juveninus, aliique bene multi. Nam expreſſe proteſtatur in ſua Conſtitutione Martinus V. ſe nolle *relevare*, *neque juvare ſic* (ideſt occulte) *excommunicatos*, *ſuſpenſos*, *& interdictos*; adeoque nullum illi beneficium præſtare. Porro magnum profecto præſtaret beneficium, ſi communibus ſuffragiis Eccleſiæ, a qua ceu putrida membra ſejuncti ſunt, illos dignaretur. Quod confirmat finis, & ſcopus prædictæ Conſtitutionis, ſcilicet vitandi ſcandala, & ſubveniendi timoratis conſcientiis; qui finis perfecte obtinetur, licet excommunicati a ſuffragiis Eccleſiæ quoad effectum, & fructum priventur. Non licet itaque pro excommunicatis vitandis Miſſam, nec publicas pro ipſis preces offerre; licet tamen pro iis privatim orare cuilibet fideli ad impetrandam illorum reſipiſcentiam; neque enim, inquit S. Auguſtinus lib. 1. Retract. *pro illo imprudenter oratur, de quo etiam deſperatur.* Et confirmat D. Thom. in IV. Diſt. 18. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 1. ad 1. ſcribens: „ Pro excommunicatis orari poteſt, quamvis non „ inter orationes, quæ pro membris Eccleſiæ fiunt; & tamen fructum non participant, quamdiu in excommunicatione manent; ſed oratur, „ ut detur eis ſpiritus Pœnitentiæ, ut ab excommunicatione ſolvantur “. Poſſunt pro iis orare Sacerdotes in Altari in Memento ſecreto, & particulari; quia licet Sacrificium ut publici Miniſtri offerant, non impediuntur tamen, ut tanquam privatus poſſint pro aliquibus orare. Quare Caballutius dicit in Juris Can. Theoria & praxi lib. 5. cap. 11. n. 1. „ Sacerdos quilibet ad Altare poteſt orare pro excommunicatis in ſecretis, & particularibus commemorationibus, quæ „ fiunt in Canone Miſſæ “. Qui vero auderet publice pro excommunicato orare, & graviter peccaret, & juxta plures Theologos minore plecteretur excommunicatione. Ubi tamen uſus foret, ut pro excommunicatis toleratis poſt mortem Sacrificia offerantur, tolerandum eſſet ad mentem Martini V. ne ſcandala oriantur; hæc autem ſuffragia illis prodeſſent, quo modo ſibi in vita meruiſſent. Sepultura Eccleſiaſtica non privantur, niſi excommunicati vitandi, qui ſi forte ante mortem pœnitentiæ ſigna dederint, non tamen ſunt ſepeliendi in loco ſacro, ſed prius abſolvendi: & ſi humati fuerint, petenda a Superiore licentia non exhumandi, ſed abſolvendi. Si vero in contumacia objerint, præſertim in hæreſi, & fuerint in loco ſacro ſepulti, exhumari debent, & foras projici, ſi eorum oſſa ab aliis cadaveribus poſſint ſecerni. Et ſive diſtingui poſſint, aut non poſſint, Eccleſia reconcilianda eſt tanquam polluta.

IX. Sunt quarto loco excommunicati inhabiles ad Beneficia obtinenda; & hac pariter pœna afficiuntur excommunicati tum vitandi, tum tolerati, cum par ſit iſtorum cum illis conditio in iis, quæ in eorum favorem ſunt. Statuitur autem pœna hæc ab Innoc. III. cap. 7. de Cleric. excommunicat., quapropter nulla ſunt excommunicati electio, poſtulatio, nominatio, & ceteri modi dandi beneficia reſpectu ipſius excommunicati, qui his nullo modo juvari poteſt. At reſpectu eligentium, nominantium, præſentantium &c. ſi hæc exerceant in favorem excommunicati vitandi, & peccant mortaliter, & minorem excommunicationem incurrunt. Excipitur Beneficium a Summo Pontifice collatum, qui habilem facere poteſt etiam inhabilem; & ſolet in Bullis clauſulam apponere abſolutionis a quacumque cenſura ad *ſolum* effectum gratiæ obtinendum. Quod ſi Beneficium jam obtineant, non tamen eo privantur per excommunicationem, niſi crimen ex illis ſit, quæ ipſo facto, & per ſe Beneficii vacationem inducunt. Num vero ita fructibus priventur, ut ante judicis ſententiam eos teneantur reſtituere, dicemus in confectariis.

X. Quinto loco excommunicatus omni juriſdictione privatur. Toleratus quidem, quantum in ſuum redundat beneficium, qui proinde ſponte actus juriſdictionis exercere non poteſt, cum ſit ab Eccleſiæ corpore præciſus; at rogatus in aliorum beneficium actus poteſt juriſdictionis valide exercere, & valide abſolvere, eligere, præſentare, conferre beneficia; ut ſtatuit in ſua ſæpius laudata Conſtitutione Martinus V. At hæc omnia præſtita ab excommunicato vitando nulla omnino ſunt, & invalida: unde, ut ſuperius diximus, nec valide Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrat, ſicut nec valide eligit, præſentat, nominat, confirmat ad Beneficia eccleſiaſtica; invalide quoque facultatem concedit audiendi Confeſſiones, conciones habendi, dimiſſoriales litteras ad Ordines ſuſcipiendos. Præſentatio quoque facta a patrono Clerico excommunicato vitando, ſi fiat titulo dignitatis, vel beneficii eccleſiaſtici nulla eſt; ſi vero fiat titulo laicali, puta patrimonii, juriſpatronatus, validam nonnulli Canoniſtæ cenſent, ſed & illicitam, & quæ ab Inſtitutore rejici poterit: ſicut & rejicere poteſt præſentationem, electionem, nominationem factam ab excommunicato tolerato; ſed tenentur hanc exceptionem dantes intra octo dies cauſam, & ſpeciem excommunicationis producere.

XI. Ultimus effectus excommunicationis, qui tamen locum non habet niſi in excommunicatis vitandis, eſt privatio communicationis civilis, tum privatæ, tum publicæ. Repellitur itaque a civili publico commercio excommunicatus, tam in foro laico, quam eccleſiaſtico, in quo non Judex, non Advocatus, non actor, non teſtis, non tabellio eſſe poteſt: in aliquibus tamen Regnis in foro laicali non viget hæc diſpoſitio. Poſſunt tamen etiam in foro eccleſiaſtico ſe ſuamque Eccleſiam tueri, appellationem interponere, ipſamque proſequi,

qui, uti exceptione, cum juſta defenſio nulli ſit deneganda. Valent etiam contractus omnes ab excommunicato celebrati; ſed eorum oblationes, & eleemoſynas vetitum eſt Eccleſiæ Miniſtris recipere.

XII. A civili quoque, & privato commercio repellitur excommunicatus vitandus, adeo ut nulli liceat cum eo ſocietatem nec civilem habere. Rem explicat D. Thom. hic quæſt. 23. artic. 2. ſcribens: „ Excommunicatio poteſt in aliquem „ ferri dupliciter: aut ita, quod ipſe ſit excom„ municatus cum omnibus ei participantibus; & „ tunc non eſt dubium, quod quicumque partici„ pat ei, eſt excommunicatus majori excommu„ nicatione: Aut eſt excommunicatus ſimpliciter: „ & tunc aut participat aliquis ei in *crimine*, ei „ præbendo conſilium, auxilium, aut favorem; „ & ſic iterum eſt excommunicatus excommunica„ tione majori: aut participat in aliis, ſicut in „ verbo, vel in oſculo, vel in menſa; & ſic eſt „ excommunicatus excommunicatione minori“. Vetitum itaque eſt fidelibus cum excommunicato vitando tractare. Quare celebris eſt verſiculus ea complectens, quæ tali excommunicato ſunt neganda,

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Per verbum *Os* denotatur quælibet ſocietas, & commercium per verba, nutus, litteras, & alia amicitiæ pignora, ut oſculum, amplexus, donorum miſſio, aut receptio. *Orare* ſignificat non licere nec privatam habere communicationem in officiis divinis, Sacramentis, & orationibus. *Vale* honorificam prohibet ſalutationem; non vero quæ admonitionem præferat, ut ſi diceret, *Deus te convertat*, *illuminet* &c. *Communio* deſignat externæ ſocietatis realia officia; puta cohabitationem, ſeſſionem, ambulationem, quietem in eodem lecto, contractuum celebrationem, & ſimilia. *Menſa* denique excludit communicationem cibi, & potus.

XIII. Qui autem excommunicato vitando hæc præſtat, non ideo ſemper peccat lethaliter. Nam inquit D. Thom. hic art. 3. „ Quidam dicunt, „ quod quandocumque aliquis participat excom„ municato, verbo, vel quocumque dictorum mo„ dorum, ſecundum quos ei communicare non li„ cet, peccat mortaliter, niſi in caſibus a jure „ conceſſis. Sed quia hoc videtur valde grave, „ quod homo pro uno verbo levi, quo excommu„ nicatum alloquitur, mortaliter peccet, & mul„ tis excommunicantes laqueum damnationis inji„ cerent, quod in eos retorqueretur; ideo aliis „ probabilius videtur, quod non ſemper peccet „ mortaliter, ſed ſolum quando in crimine illi „ participat, vel in divinis, vel in contemptum „ Eccleſiæ“.

XIV. Immo aliquando nec venialiter peccant, nec minori ſubjacent excommunicationi qui cum excommunicato vitando officia miſcent civilia, ut explicat S. Thom. hic art. 1. „ Quia Eccleſia ex„ communicationem ad medelam, & non ad in„ teritum inducit, ideo excipiuntur ab hac gene„ ralitate quædam, in quibus communicare licet, „ ſcilicet in iis *quæ pertinent ad ſalutem*: quia „ de talibus homo licite poteſt cum excommuni„ cato loqui: poteſt & alia verba interſerere, ut „ facilius ſalutis verba ex familiaritate recipian„ tur. Excipiuntur etiam quædam perſonæ, ad „ quas ſpecialiter pertinet proviſio excommunica„ ti; ſcilicet uxor, filius, ſervus, ruſticus, & „ ſerviens. Sed hoc intelligitur de filiis non e„ mancipatis, alias tenerentur vitare patrem. De „ aliis autem intelligitur, quod licet excommu„ nicato communicare, ſi ante excommunicatio„ nem ſe ei ſubdiderant, non autem ſi poſt. Qui„ dam autem intelligunt e converſo, ſcilicet quod „ Superiores poſſunt licite communicare inferiori„ bus. Alii vero contrarium dicunt. Sed ad mi„ nus in his communicare eis debent, in quibus „ ſunt eis obligati; quia ſicut inferiores obligan„ tur ad obſequium Superiorum, ita Superiores „ ad providentiam inferiorum. Sunt etiam quidam „ caſus excepti; ſicut quando *ignoratur* excom„ municatio; & quando aliqui ſunt peregrini, & „ viatores in terra excommunicatorum, qui lici„ te poſſunt ab eis emere, vel etiam accipere e„ leemoſynam. Et ſimiliter ſi quis videat excom„ municatum *in neceſſitate*; quia tunc ex præce„ pto caritatis tenetur ei providere. Et iſta hoc „ verſu continentur:

„ *Utile*, *lex*, *humile*, *res ignorata*, *neceſſe*.

„ Ut *utile* referatur ad verba ſalutis, *lex* ad ma„ trimonium, *humile* ad ſubjectionem. Cetera pa„ tent“; nempe *res ignorata*, & *neceſſe*.

XV. Minor vero excommunicatio eſt cenſura, quæ privat ſola paſſiva Sacramentorum receptione. Quamobrem peccaret lethaliter, qui ea ligatus Sacramenta recipere auderet: at ſolum venialiter, & etiam omnino non peccaret Sacramenta adminiſtrando; cum hæc miniſtratio nec illi ſit interdicta, & juſta adeſſe poſſit cauſa miniſtrandi: offerens tamen Miſſæ ſacrificium graviter peccat, quia recipit Sacramentum. Nequit etiam eligi ad Eccleſiaſtica beneficia, quæ ſi illi conferantur, electio non erit irrita, ſed irritanda; ut declaravit Gregorius IX. cap. *Si celebret* de Clerico excom. miniſt. ſtatuens: „ Si celebret minori ex„ communicatione ligatus, licet graviter peccet, „ nullius tamen notam irregularitatis incurrit; nec „ eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione juriſdi„ ctionis ſibi competunt, exercere. Si tamen ta„ lis electus fuerit, ejus electio eſt irritanda. „ Peccat autem (venialiter) concedendo eccle„ ſiaſtica Sacramenta, ſed ab eo collata virtutis „ non carent effectu; cum non videatur a colla„ tione, ſed participatione Sacramentorum remo„ tus“. Hæc non incurritur, niſi per communicationem ſive ſpiritualem, ſive civilem cum excommunicato vitando.

XVI. Excommunicatione vinciri non poſſunt niſi fideles, cum hi ſoli membra ſint Eccleſiæ, a qua per eam cenſuram ſegregantur. Culpa etiam mortalis requiritur cum contumacia, ut peccator huic pœnæ excommunicationis majoris ſubjiciatur. Ab ipſa abſolvere poſſunt omnes Confeſſarii, niſi ſit Superioribus reſervata. Sed de his ſatis diximus ſuperius, & infra addemus.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Non licet ab excommunicatis Sacramenta petere.*
II. *Qui cogunt celebrare coram vitandis excommunicatis, anathemate feriuntur.*
III. *Quando peccet excommunicatus non audiens Miſſam in die feſto, vel non communicans in Paſchate.*
IV. *Excommunicatus invalide obtinet Beneficium, nec facit fructus ſuos.*
V. *Beneficiarius excommunicatione perculſus non amittit Beneficium, ſed fructus reſtituere tenetur, at non ante ſententiam judicis.*
VI. *Reſignatio Beneficii ab excommunicato facta valida eſt.*
VII. *Ab omni canonica electione repelluntur excommunicati.*
VIII. *Pœnæ in ſepelientes excommunicatos vitandos in loco ſacro enumerantur.*
IX. *Subditi, & Vaſſalli cum Principe etiam excommunicato vitando ſubjectionis commercium ſervare poſſunt, & debent.*
X. *Corpus politicum feriri non poteſt excommunicatione.*

Conſectarium Primum.

I. NOn licet ab excommunicatis Sacramenta petere. Et quidem ſi tolerati ſint, non aliter licet ab eis petere, & recipere Sacramenta, quam a pravis Miniſtris; ideſt non niſi deficiente digniore Miniſtro, & quando vel præceptum urgeat, vel neceſſitas, vel etiam magna utilitas, ut alibi docuimus. Si vero ſit vitandus, non licet ab eo petere, aut recipere Sacramenta, niſi quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, Baptiſmum ſcilicet & Pœnitentiam, & quidem niſi extremo urgente periculo, & niſi alius adſit Sacerdos, qui miniſtrare valeat. Qui vero extra caſum neceſſitatis ab iſto recipit Sacramenta, & graviter peccat, & minore punitur excommunicatione. Quod ſi Ordines ſuſcipiat, incurrit præterea ſuſpenſionem ab exercitio ſuſcepti Ordinis, ut docent Canoniſtæ.

Conſectarium Secundum.

II. Qui minis vel metu Sacerdotes celebrare obſtringunt coram excommunicatis vitandis, aut impediunt, ne ab Eccleſia expellantur, excommunicatione ligantur, & quidem Summo Pontifici reſervata: & ipſi excommunicati, qui Sacerdotibus imperantibus exitum ab Eccleſia, non obediunt, alia feriuntur excommunicatione S. Sedi reſervata, ut ſtatuitur in Clementina *Gravis* de ſent. excom. Qui communicat cum excommunicatis a Papa, & vitandis, ſi Clericus ſit, majorem incurrit excommunicationem; ſi vero ſit Laicus, ſolum minorem, ut colligitur ex cap. *Significavit* 18. de Sent. excom. & Cap. *Excommunicatus* 17. cauſ. 2. q. 3.

Conſectarium Tertium.

III. Peccat excommunicatus, qui in Paſchate communionem non recipit, & in die feſto Miſſam non audit, ſi vel nolit, vel negligat abſolutionem obtinere. Et quidem aperte recuſantem abſolutionem peccare lethaliter etiam benigniores Caſuiſtæ fatentur; cum tunc aperte ipſe in cauſa ſit omiſſionis plane voluntariæ tum recipiendi in Paſchate Euchariſtiam, tum audiendi Miſſam in die feſto. At ſi non aperte recuſet abſolutionem, ſed ſolum eam negligat, adhuc peccare lethaliter docent laudati Theologi, ſi in Paſchate non communicat: quia, inquiunt Salmanticenſes nu. 72. „ præce„ ptum Confeſſionis, vel Communionis magis eſt „ divinum, quam poſitivum, & ab Eccleſia ſolum „ determinatur tempus, & ordinatur ad reconcilian„ dum hominem cum Deo; ſed unuſquiſque tene„ tur impedimenta auferre, quæ ab obſervantia di„ vinorum præceptorum impediunt, & obſtant, quo „ minus Deo reconcilietur “. At minus cohæren„ ter id negant de præcepto audiendi Miſſam; quia, inquiunt, ad hoc Eccleſia obligat ſolum non impeditos, nec tenentur vi præcepti illius auferre impedimenta. Nam auditio Miſſæ nonne ordinatur ad ſanctificationem diei feſtivi, quæ eſt juris divini, & naturalis, & ſolum ab Eccleſia tempus determinatur, & modus? Præterea Eccleſia non obligat impeditos impedimento involuntario, non voluntario: alioquin non peccaret, qui in die feſto voluntarie in locum concederet, ubi audire Miſſam non poſſet: qui vero excommunicationis abſolutionem obtinere negligit, jam voluntarium ad eam audiendam impedimentum apponit. Falſum eſt autem non obligari auferre impedimenta: nam eodem præcepto, quo fidelis adſtringitur ad aliquid præſtandum, ut ad audiendum Sacrum, obſtringitur etiam ad omnia voluntaria auferenda impedimenta, quæ illius obſervantiæ obſiſtunt.

Conſectarium Quartum.

IV. Excommunicatus, ſive toleratus, ſive vitandus invalide Beneficium obtinet, licet invincibiliter, vel vincibiliter ignoret ſe eſſe excommunicatione ligatum; nec facit fructus ſuos. Et quidem invalide Beneficium obtinere declarant Canones, & Innoc. III. cap. *Per inquiſitionem* de elect. cap. *Poſtulantis* de Cler. excom. miniſt. ſtatuit; „ Cle„ ricis excommunicationis vinculo innodatis eccle„ ſiaſtica Beneficia conferri non poſſunt, nec poſ„ ſunt ea retinere licite . . . cum ea non fuerint „ canonice conſecuti “. Quod vero ignorantia vincibilis, immo nec invincibilis, ab hac pernicie liberet, patet manifeſte; cum hæc a culpa quidem excuſet, ſi ſit invincibilis, non tamen a ſubjecto auferat ineptitudinem, nec validum efficiat, quod in ſe invalidum eſt. Ex quo ſequitur, quod ſecundo ſtatuimus loco, ſcilicet non facere fructus ſuos, cum nullum ad illos ſit jus adeptus: collatio enim Beneficii prorſus nulla legitimum conferre non poteſt titulum ad fructus percipiendos; eos propterea reſtituere tenetur. Quod ſi bona fide, de cenſura plane neſcius, Beneficium obtinuit, nullitatem vero poſtea detegit, Beneficium ſtatim dimittere re-

tenetur, nec ullos amplius percipere fructus: quos tamen bona fide in ſui ſuſtentationem conſumpſit, non tenetur reddere, cum fuerit poſſeſſor bonæ fidei, nec factus ſit ditior.

Conſectarium Quintum.

V. Beneficiarius, ſi excommunicatione ligetur, Beneficium non amittit quidem, ſed fructus reſtituere tenetur. Et quidem Beneficio non illico privari per excommunicationem docent Theologi, & Juris Canonici Doctores communiter; cum nullo jure, nulla lege ſit talis indicta pœna. Conſentiunt pariter, eum privari fructibus Beneficii tempore excommunicationis perceptis, licet per ipſum non ſteterit abſolutionem obtinere, immo licet munia, & officia Beneficio adnexa per ſe, vel per alium impleverit: (ſi enim ea præſtare omiſit, palam eſt jure naturæ ad reſtitutionem obligari). Solum diſſident, num illis privatus fructibus habeatur ipſo facto, & ante judicis ſententiam; an hæc expectanda ſit, quæ ad reſtitutionem cogat. Plurimi ſunt Theologi, & Juris Canonici periti, qui affirmant ipſo facto privari, ut Suarez, Covarruvias, Sayrus, aliique a Concina citati, quibus ille ſe adjungit. Negant ex oppoſito plures alii, inter quos & Tournelii Continuator, & Juveninus in theoria, & praxi de Sacramentis To. 3. de Cenſ. in part. cap. 1. n. 23. quibus me adjungo his permotus argumentis. 1. Quia in jure hæc privatio ſolo facto incurrenda minime declaratur: immo cum in jure dicatur, *illi proventus eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communicatio denegatur*, verbum *ſubtrahuntur* pœnam indicat inferendam, non a reo ſponte ſubeundam. 2. Non privatur Beneficio, ergo nec fructibus ipſum conſequentibus: hic enim locum habet adagium illud: acceſſorium naturam ſequitur principalis. 3. Pœna gravis non eſt reo infligenda, niſi clare ſtatuatur a judice: hæc autem privatio in jure clare non ſtatuitur. 4. Nonnulli addunt & conſuetudinem vigentem in Galliis, aliiſque locis. Nec urgent argumenta a Concina producta, quæ, ſi oratoria ſpolientur declamatione, omnem vim amittunt. Ait enim, ineptum eſſe ex gravitate pœnæ, qualis eſt ipſa privatio fructuum, inferri, non ſequi ipſo facto excommunicationem; cum ſeparatio ab Eccleſiæ communione ſit longe major pœna, immo talis, ut ejus comparatione privatio fructuum vix pœna dici poſſet; & tamen ipſo facto infligitur; ergo multo magis minor, qualis eſt amiſſio fructuum beneficii. „ An pluris Theologi benignæ faventes „ ſententiæ faciunt *crumenam*, quam Sanctorum „ communionem? “ Minime, reſpondemus, ſed dicimus pœnam, quam ſubire debet reus, non ex eo, quod meretur, attendendam eſſe, ſed ex ſententia judicis infligentis. Nam nonne longe gravius eſt privari communione Eccleſiæ, quam Beneficio? Et tamen communione Eccleſiæ privatur ipſo facto excommunicatus, Beneficio non privatur, ipſo fatente Concina. Plus ne ergo Eccleſia facit amiſſionem Beneficii, quam amiſſionem ſpiritualium bonorum, cum hanc ipſo facto vibret, & infligat, illam vero non vibret omnino, nec infligat? Abſit: ſed poſteriorem infligit ipſo facto incurrendam, hanc non infligit; & hoc ſufficit, ut illi ſubjiciatur ipſo facto excommunicatus, huic non ſubjiciatur. Urget. Concedunt Theologi, privationem fructuum eſſe effectum excommunicationis; ergo poſita cauſa eſt & admittendus effectus. Sed dicimus, privationem fructuum eſſe excommunicationis effectum, non naturalem, ut eſt combuſtio ad applicationem ignis; ſed arbitrarium, & ex voluntate judicis: ſicut homicidium ſequitur tanquam effectus pœna mortis, non tamen ipſo facto incurrenda, ſed a judice merito infligenda. 3. Objicit. Sicut in jure non eſt ſtatutum, privationem beneficii eſſe ipſo facto incurrendam, ita nec ſtatuitur eſſe expectandam ſententiam judicis: ergo id dicendum, quod ſponte ſua fluit, ſcilicet privationem fructuum conſequi excommunicationem, ſicut effectus ſuam cauſam. Sed dicimus, immo quia in jure aperte, & clare non ſtatuitur, pœnam privationis fructuum eſſe ipſo facto incurrendam, inferimus eſſe judicis ſententiam expectandam; quia ipſum jus naturale dictat, *in pœnis ſemper benigniorem eſſe interpretationem faciendam*, ne plus gravetur reus, quam ipſa lex ſtatuit; & ſatius eſt reum mitiori pœna punire, quam ſeverius plectere in lege dubia, & ancipiti. Hæc ſunt, quæ mihi quidem efficaciora videntur, & probabiliora argumenta, quæ me ad benigniorem amplectendam ſententiam impulerunt.

Conſectarium Sextum.

VI. Excommunicati tolerati valide beneficia reſignare poſſunt, & etiam vitandi; dummodo ſimpliciter reſignent, non in favorem alterius. Primæ partis ratio eſt manifeſta; quia hujuſmodi reſignatio non eſt juriſdictionis actus, ſed mera ceſſio; nec redundat in beneficium ipſius excommunicati, ſed aliorum, quibus ex Martini V. Conſtitutione nihil obeſſe debet commercium cum excommunicato non vitando. Ita pariter ceſſio libera, & ſimplex ab excommunicato vitando valida eſt reputanda, cum ſit ceſſio in manu Superioris, immo & ipſi neceſſaria, cum munia, & officia Beneficio adnexa exercere non poſſit, nec debeat. Solum suboriri poteſt dubitatio, num ſit valida, ſi fiat in beneficium alterius, cum interdicta ſit omnis communicatio cum excommunicato vitando. At hoc interdictum illicitam fortaſſis reddet reſignationem, ſi reſignatarius ad eam obtinendam cum excommunicato vitando commercium habeat. Sed non invalidam, cum in arbitrio ſit Superioris, qui poteſt eam vel admittere, vel rejicere.

Conſectarium Septimum.

VII. Excommunicati ab omni canonica electione repelluntur: nam excommunicatio omni eccleſiaſtica privat communione. Quapropter ſi excommunicatus etiam non vitandus ultro ſe ingerat ad ferendum ſuffragium, peccat lethaliter Eccleſiæ violans mandatum: tamen nec illicita, nec invalida eſt electio. Non illicita, reſpectu aliorum ſuffragium cum ipſo ferentium, cum non teneantur excommunicatum toleratum vitare, juxta ſæpius laudatam Martini V. Conſtitutionem, quæ invaliditatem electionis tollit; & ob alienam culpam innocentes punire non deceat. Sed quid, ſi excommunicatus ſit vitandus? Et tunc quidem vali-

dam

dam habent electionem Juris canonici periti, ſi excommunicatus violenter ſe ingerat in electionem, obſiſtentibus, vel ignorantibus aliis electoribus, nec ejus ſit neceſſarium ſuffragium; quia ob unius improbitatem innocentes ſuo jure ſpoliandi non ſunt. Nullam tamen communiter declarant electionem, ſi ita ſit neceſſarium excommunicati vitandi ſuffragium, ut ſine illo locum non obtineret electio; quia tunc totus electionis valor ab excommunicato dependeret: & in jure cap. *Ad probandum* de re judicata nulla dicitur ſententia a duobus lata judicibus, quorum alter erat excommunicatione ligatus. Quod ſi omnes electores lubentes, & conſentientes excommunicatum vitandum ad electionem admittant, nec ejus ſit neceſſarium ſuffragium, dubitant, num ſit ipſo jure nulla: & certe videtur ſolum irritanda, cum nec neceſſarium ſit ad electionem excommunicati votum, nec ullo jure irrita declaretur, nec admittentes ad electionem ſuffragium amittant; ſed ſola minori excommunicatione ligentur.

Conſectarium Octavum.

VIII. Qui excommunicatum vitandum in loco ſacro ſepeliunt, his puniuntur pœnis. Et 1. quidem, ſi ſolum funus honoris gratia comitentur, minore feriuntur excommunicatione. 2. Qui vero ſepeliunt, majori ſubjacent excommunicationi. Illi vero ſepelire dicuntur, qui ſepulturam aperiunt, vel terram fodiunt, qui crucem deferunt, preces vel canunt, vel recitant, aqua luſtrali aſpergunt. Item mandantes, procurantes, & concedentes ſepulturam excommunicati vitandi in loco ſacro. 3. Hac excommunicatione perculſi, ut habetur in Clement. *Dudum* de ſepulturis, abſolvi non poſſunt, niſi prius ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi eis, quibus ſic fuerit injuria irrogata, ſatisfactionem exhibuerint competentem. 4. Si vero ſepultus fuerit ob hæreſim excommunicatus, ſepelientibus beneficium abſolutionis non concedatur, *niſi prius eum propriis manibus publice extumulent*, & foras projiciant, ut habetur cap. 2. de Hæret. in 6. Excuſantur tamen, qui gravi metu coacti, vel ex ignorantia, quæ locum habere poteſt in rudioribus hominibus ſepulturam aperientibus, & cadaver in illam inferentibus, huic tumulationi cooperantur.

Conſectarium Nonum.

IX. Subditi, & vaſſalli cum Domino excommunicato vitando communicare poſſunt, & debent in iis omnibus, quæ ad homagium, debitamque ſubjectionem ſpectant ex generali regula. Nam ut optime animadvertit Giballinus: „ Cum vi cenſuræ „ Principes, & alii Domini neque dignitatem, „ neque dominium, neque juriſdictionem tempo„ ralem amittant, tenentur vaſſalli, & ſubditi ea „ omnia præſtare Domino excommunicato vitan„ do, quæ ante excommunicationem debebant. „ Quandoquidem enim idem manet jus in domi„ no, & obligatio in ſubdito, illa omnino implen„ da eſt, & ſi nequeat impleri abſque communi„ catione, communicatio habenda eſt, atque ita „ ſolvenda tributa, & alia debita eis jure ſubje„ ctionis, etiamſi in propria perſona exhiberi de„ beant, ut ſunt homagia quædam perſonalia. Si „ enim privatus non amittit rerum ſuarum domi„ nium per excommunicationem, neque ejus præ„ textu poteſt ſpoliari bonorum ſuorum poſſeſſio„ ne a domino; quo jure ipſe dominus ratione „ ſolius cenſuræ ſuis juribus, dominiis, & bonis „ ſpoliabitur a ſubditis fidelitatem, obedientiam, „ tributa, aliaque obſequia, ad quæ præſtanda „ ratione ſubjectionis tenentur, denegantibus, „ quando manet eadem ſubjectio poſt excommuni„ cationem, quæ ante illam erat "?

Conſectarium Decimum.

X. Subjici non poteſt excommunicationi Communitas, Collegium, Capitulum, aliudque corpus politicum, adeo ut omnes collective excommunicati habeantur. Ita ſtatutum legitur cap. *Romana* 5. de ſent. Excom. in 6. „ In Univerſitatem, vel „ Collegium proferri excommunicationis ſenten„ tiam penitus prohibemus, volentes animarum „ periculum vitare, quod exinde ſequi poſſet; „ nam nonnunquam contingeret innoxios hujusmo„ di ſententia irretiri; ſed in illos dumtaxat de „ Collegio, vel Univerſitate, quos culpabiles eſſe „ contigerit, promulgetur". Quod ſi forte omnes, & ſinguli de Collegio, vel Univerſitate forent delicti participes, & in ipſo pertinaces; tunc liceret quidem in omnes, ſed determinate, & ſigillatim excommunicationis pœnam decernere, præmiſſa tamen canonica monitione, & aſſignato ad reſipiſcendum opportuno tempore.

CAPUT TERTIUM.

De Excommunicatione Canonis adverſus percuſſores Clericorum.

DOCTRINA.

I. *Canon refertur Concilii Lateranenſis.*
II. *Quinam Clerici nomine deſignentur.*
III. *Quinam hujus Canonis pœnæ ſubjiciantur.*
IV. *Quid ſit manus violentas inferre.*
V. *Quid ſignificent verba* ſuadente Diabolo.
VI. *Quotuplex diſtinguenda percuſſio.*
VII. *Quinam poſſint ab hac excommunicatione abſolvere.*
VIII. *Quinam excuſentur ab ea incurrenda.*

I. CElebris eſt, ac vulgatus Canon 15. Concil. Later. II. ſub Innoc. II. in favorem Clericalis ſtatus, vetans ſub Excommunicationis pœna Clericos percutere. Sic autem indicitur: *Si quis, ſuadente Diabolo, ejus ſacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat; & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere (niſi mortis urgente periculo) donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.* Quatuor itaque ſunt expendenda: 1. quis Clerici, vel Monachi nomine deſignetur. 2. Quid nomine percuſſionis veniat. 3. Quis ab excommunicatione excuſetur. 4. Denique quis ab ea valeat excommunicatione abſolvere. Quod hoc capite explicabimus.

II.

II. Clerici itaque nomine intelligitur, quicumque eſt vel ſola Tonſura initiatus, & clericalem deferat veſtem, licet ſit etiam Matrimonio copulatus; dummodo tamen cum unica, & virgine contraxerit, & alicui de mandato Epiſcopi inſerviat Eccleſiæ, ut declaravit Tridentina Synodus confirmans ſeſſ. 23. cap. 6. Conſtit. Bonifacii IX. Nomine vero Monachi intelliguntur 1. Regulares omnes utriuſque ſexus, ſive Clerici ſint, ſive, ut vocant, Converſi, vel Converſæ, nec non Tertiarii, & Tertiariæ Ordinum Mendicantium, qui in commune vivunt, immo & in propriis domibus viventes, ſi virginalem, & cœlibem vitam ducant, emiſſo de Ordinarii conceſſione caſtitatis voto. 2. Eremitæ religioſum habitum deferentes, & ſub obedientia vel Ordinarii, vel alterius Prælati viventes, & alicui Eccleſiæ, aut Eremitorio vel in communi, vel etiam ſeparatim inſervientes; licet vota non emiſerint caſtitatis, vel paupertatis, dummodo tamen caſte, & religioſe vivere profiteantur. 3. Equites omnes Ordinum militarium inter Religioſos computantur; & quidem non ſolum Ordinis Hieroſolymitani, qui & Equites Militantes dicuntur, tria ſolemnia vota emittentes, ſed etiam, qui tam ſolemnem non emittunt profeſſionem, & Matrimonio copulari poſſunt, ut Equites S. Lazari in Sabaudia, & Stephani Papæ & Mart. Florentiæ, Ordinis Chriſti in Luſitania, & S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ in Hiſpaniis, & alii fortaſſis, quorum ſunt attendendæ Conſtitutiones, regulæ, & privilegia ab Apoſtolica Sede & adprobata, & conceſſa. 4. Laici etiam, qui habitum clericalem geſtantes alicujus Congregationis Presbyterorum collegialiter ſub certo Superiore viventium famulatui ſunt addicti, & cum ipſo religioſorum more vivunt: quibus & nonnulli adjungunt laicos Monialibus inſervientes, & pro illis eleemoſynas quærentes, ſi illis ſimilem religioſam veſtem geſtant, & prope Monaſterium earum more vivant.

III. Subjiciuntur autem huic excommunicationi omnes, ſive mares, ſive fœminæ rationis compotes, in Clericum violentas manus injicientes, ut mox explicabimus. Immo excitantes, moventes, mandantes, conſulentes, conſentientes, vel auxilium præbentes huic ſacrilegio, ſive id præſtent minis, verbis, promiſſis, muneribus, ſive etiam ſolum deſiderium oſtendant, & declarent ſe vindictam cupere, unde audientes ad percutiendum Clericum moveantur, & exequantur, licet talia verba fundens percuſſionem non indixerit. Nec ab excommunicatione excuſantur percutientes Clericum volentem, & conſentientem; ſicut nec ipſe Clericus, ſi ira percitus, tædio, deſperatione ſeipſum percutiat, vulneret, mutilet: quandoquidem Canon non in favorem hujus, vel illius Clerici promulgatus eſt, ſed in favorem Ordinis Clericalis, cui nemo renunciare poteſt. Et Innoc. III. jubet excommunicatione plecti Clericum, qui injurioſæ percuſſioni ſponte ſe ſubmitteret: non vero, ſi pœnitentiæ cauſa vel ſeipſum flagellis cæderet, vel ab alio percuti exoptaret; tunc enim actio nec perſonæ, nec Ordini Clericali injuriam inferret.

IV. Manus vero violentas inferre dicuntur, qui actionem aliquam injurioſam, ſive in ipſam Clerici perſonam, ſive circa res ei aliquo adhærentes modo exercet, unde vis illi inferatur. Quapropter ad violentas manus injiciendas duo requiruntur. 1. Quod actio ſit injurioſa, & dehoneſtativa. 2. Quod violentiam inferat Clerico. Ideo non feritur excommunicatione furunculus, qui crumenam, aut horologium clam aufert Clerico; vel qui dormientis ſuffuratur, vel lacerat veſtes; vel qui verbis contumelioſis ipſum dehoneſtat; quia in his omnibus injuria quidem irrogatur, at nulla intervenit violentia. Pariter qui fuſte, vel baculo Clerico minatur, quaſi verberaturus, ſed a percuſſione abſtinet; vel qui metu incuſſo verbis, aut minis cogit a loco abſcedere, licet dehoneſtet Clericum, tamen cum violenta non adſit manus injectio, minime cenſura ligatur. Illi itaque ſubjiciuntur cenſuræ 1. qui pugnis, baculo, lapide, aliove inſtrumento Clericum percutit. 2. Qui lotio, aqua, pulvere animo dehoneſtandi aſpergit. 3. Qui ejus veſtes dilacerat, aliquid e manibus violenter eripit, vel in terram excutit, equo inſidentem injectis in frænum manibus violenter ſiſtit, qui pectori admota læva dextra ſicam diſtringens vulnus, vel mortem minatur, licet ultra non progrediatur. 4. Qui violenter in cubiculo, vel alio loco incluſum detinet: In his enim omnibus & actio intervenit injurioſa, & violenta habetur manus injectio.

V. Oportet autem hanc injurioſam actionem fieri *ſuadente Diabolo*, ideſt injuſte, & quæ ſit lethale peccatum; quod tamen non eſt ſtatuendum ex ſolo damno illato; ſed præſertim ex dedecore & dehoneſtatione perſonæ Clerici. Quamobrem levis in ſe injuria, reſpectu Perſonæ offenſæ, gravis evadere poteſt: ut ſi quis in Epiſcopum conſpuat, vel in Sacerdotem in altari celebrantem; profecto licet actio injurioſa in ſe levis ſit, in grave tamen, ratione Perſonæ, crimen excreſcit. Si itaque actio vel levis ſit abſolute, & omnibus inſpectis circumſtantiis, vel non in dedecus fiat Clericalis Perſonæ, ſicut nec gravem culpam conſtituit, ita nec excommunicationis pœnam infert. Ideo ab ea immunes habentur 1. Parentes, Magiſtri, Superiores Clericos diſciplinæ cauſa punientes, ſi tamen modum non excedant. Nonnulli tamen Canoniſtæ hanc poteſtatem limitant ad ſolos Clericos nondum in ſacris conſtitutos. 2. Qui Clericum ex legitimo Superioris mandato vel ad carcerem trahunt, vel ad eliciendam Confeſſionem torquent, cum ex motivo juſtitiæ hæc peragant: in quo tamen uti debent, ſi poſſunt, & idonei ſint, Clericis. 3. Qui ex motu, quem *primo primum* appellant Theologi, Clericum percutiunt; cum actio non ſit omnino deliberata. 4. Qui in ſui defenſionem idem præſtant, dummodo tamen moderamen ſervetur inculpatæ tutelæ. Nam, ut habetur Cap. *Significaſti* de homic. volunt. lib. 5. tit. 12. *Quamvis*, „ Cum vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant " ; *tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam*. Quo titulo excuſantur & mulieres, ſi Clericos earum pudicitiæ vim inferentes, non verbis, ſed turpioribus actibus, a ſe etiam percutiendo repellant; immo & percutientes Clericum, vel Monachum deprehenſum turpia agentem cum Matre, Uxore, filia, & Sorore; ut habetur Cap. *Si vero* 3. de Sent. Excom. Oportet tamen, ut injurioſa percuſſio fiat *in continenti*; ideſt ſtatim ac in cri-

crimine deprehenduntur; tunc enim juſtus dolor, & ira aliquam meretur veniam: non vero, ſi fiat ſedata ira, & lenito dolore; tunc enim vera intercederet vindicta: immo licet *in continenti* percutiat, non liberatur, ſi data opera in occulto loco latens Clericum expectet, ut in crimine deprehenſum mulctet, & puniat.

VI. Quoad abſolutionem vero triplex diſtinguitur a Theologis, juriſque canonici peritis percuſſio, *levis* ſcilicet, *mediocris*, & *enormis*. Levis illa dicitur, non quia venialis ſit (nam ut mox diximus, lethale peccatum conſtituat, oportet, percuſſio, ut inferat excommunicationem) ſed quia nullum, vel leviſſimum relinquit ſui veſtigium in corpore percuſſi; qualis habetur alapa, pugno, baculi ictu, & ſimilibus. *Mediocris*, quæ aliquod relinquit veſtigium, ſignum, maculam, ſine tamen mutilatione, vel lethali vulnere; vel juncta eſt cum ſanguinis magna e naribus effuſione, vel capillorum evulſione, vel dentium excuſſione, vel carnis laceratione, membrorum detorſione. *Enormis* denique illa habetur, qua vel membrum mutilatur, vel lethale vulnus infertur, vel magna ſanguinis copia, non tamen ex naribus, elicitur. Contingere tamen poteſt, notant præfati Auctores, percuſſionem de ſe levem in mediocrem, & enormem excreſcere poſſe tum ratione perſonæ offenſæ, tum loci, ubi infertur, infamia. Sic alapa impacta Epiſcopo, vel Sacerdoti in dignitate conſtituto non levis eſt dicenda; ſicut nec inflicta Clerico ad Altare miniſtranti, vel Sacerdoti in Eccleſia, vel in foro, vel in judicio coram judice, & ſimilibus.

VII. Ab excommunicatione ob levem percuſſionem etiam publicam abſolvere poſſunt Epiſcopi, & Prælati omnes, quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in ſubditos obtinentes, & etiam ob enormem, vel mediocrem, dummodo ſit occulta, ideſt ad forum contentioſum non deducta, ut illi conceſſit Trid. Synodus ſeſſ. 24. cap. 6. De Reform. ſtatuens: *Liceat Epiſcopis ... in quibuſcumque caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes ſibi ſubditos in ſua Diœceſi, per ſeipſum, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari*. Quæ facultas etiam Prælatis Regularibus conceſſa fuit pluribus privilegiis, quæ notavimus Diſſ. 5. cap. 6. n. 11. Ob enormem vero, & multo magis mediocrem, licet publicam, præfati abſolvere poſſunt impuberes, licet poſt percuſſionem ad pubertatem excreverint; & quando perſonæ hac excommunicatione perculſæ Pontificem adire impediuntur; & quidem ſi impedimentum perpetuum ſit, vel longiſſimi temporis, abſolute ſolvunt; ſi vero ſolum temporarium, cum onere ſe præſentandi, cum primum commode poterint. Impediti autem cenſentur non ſolum in articulo mortis conſtituti, qui a quolibet Confeſſario in abſentia legitimi Superioris abſolvi poſſunt, cum onere tamen, ſi evaſerint, ſe præſentandi, & parendi mandatis Eccleſiæ; ſed & illi omnes, quos enumeravimus laud. Diſſert. 5. cap. 7. n. 2. Abſolute vero, & jure communi abſolvunt ab hac excommunicatione Summi Pontifices, nec non Major Pœnitentiarius, Legati a Latere, Nuncii vero Apoſtolici ſolum in Provincia ſuæ Legationis, & juxta illis conceſſam poteſtatem.

VIII. A vinculo hujus excommunicationis excuſantur laborantes ignorantia facti, qui ſcilicet Clericum percutiunt ejus conditionem ignorantes, vel qui putantes Clericum percutere, Laicum offendunt; qui peccant quidem ſacrilegii peccato, at minime ſubjacent excommunicationi. Ignorantia quoque Juris, ſi invincibilis, excuſat proculdubio. At difficile admodum videtur dari poſſe in Catholica Eccleſia ignorantiam vere invincibilem de hoc tam celebri, vulgatoque Canone. Excuſantur Clerici, ſi ſe invicem percutiant, non ex ira, & odio, ſed ex joco, & levitate; immo fortaſſis, ſi rixantes ſe colaphis, vel pugnis percutiant, cum injuria inter illos gravis non videatur; quæ tamen ſi ex circumſtantiis gravitatem nanciſcatur, ab Epiſcopo ſaltem ad cautelam non ſine juſta punitione ſunt abſolvendi. Sunt etiam excuſandi Officiales, ſive Militiæ, qui turbam arcentes Clericum quoque violenter repellunt, ſi id fortuito, & contra eorum voluntatem contingat.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Notorii Clericorum percuſſores ſunt vitandi.*
II. *Quinam Clerici privilegio Canonis non fruantur.*
III. *Jubentes, conſulentes percuſſionem Clerici Excommunicationi ſubjiciuntur.*
IV. *Et etiam non impedientes.*
V. *Ratam habentes ſuo nomine factam.*
VI. *A quo ſint abſolvendi Regulares, percutientes Clericum ſecularem, vel alterius Ordinis Religioſum.*

Conſectarium Primum.

I. Notorii Clericorum percuſſores ſunt etiam ante ſententiam judicis excommunicati vitandi. Id patet ex Bulla Martini V. *Ad evitanda*, in qua poſtquam ſanxit, neminem tanquam excommunicatum vitandum eſſe, niſi cenſura a judice ſpecialiter, & expreſſe lata denuntiata fuerit, & publicata, ſubdit ſtatim: „ Salvo, ſi pro ſacrilega manuum injectione in Clericum ſententiam „ latam a Canone adeo notorie conſtiterit accidiſ„ ſe, quod factum nulla poſſit tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari. Nam a com„ munione illius, licet denuntiatus non fuerit, „ volumus abſtineri juxta Canonicas ſanctiones “. Duo itaque requiruntur, ut excommunicatus ob Clerici percuſſionem vitandus ſit: 1. ut factum notorium ſit, quia vel in publico foro, platea, Eccleſia, alioque loco commiſſum. 2. Ut non habeat ſufficientem excuſationem, quia nimirum vel non novit Clericum eſſe, vel in ſui defenſionem percuſſit, & ſimilia. In ſingularibus caſibus expendendæ circumſtantiæ, & conſulendi juris canonici Doctores.

Conſectarium Secundum.

II. Privilegio Canonis privati habendi ſunt, qui Tonſuram, & Clericalem habitum in publico non deferunt, & tribus vicibus ab Epiſcopo moniti fuerint. Pari pacto qui a negotiis ſæcularibus non ceſſant, vel contempto Clericali habitu

tu armati incedunt, ſive artem mechanicam, vel Cauponis, & Tabernarii vile miniſterium exercent; ut decernitur Cap. unico de vita, & honeſtate Clericorum Clement. I. Immo, licet non moniti ab Epiſcopo, ſpoliantur hoc privilegio, ſi tyrannidem exerceant, ſi graſſatoribus ſe adjungant, ſi ſeditiones, & turbas excitent. Similiter ſi uxorem duxerint: nam ut plurimum in noſtris regionibus, qui Matrimonium amplectuntur, clericali ſtatui abrenuntiare cenſentur. Ubi tamen locum habent Clerici conjugati; hoc ſpoliantur privilegio ſolum, ſi bigami ſint, vel qui binas ſucceſſive accipiunt uxores, vel non virginem duxerint, licet Clericalem induant veſtem.

Conſectarium Tertium.

III. Excommunicationi ſubjiciuntur, qui jubent Clerici percuſſionem, licet eos mandati pœniteat ante executionem; immo licet mandatum revocent, ſed mandatario non innotuerit: quia ſunt vera cauſa ſacrilegæ percuſſionis. Si vero mandatum efficaciter revocent, & ante executionem mandatario ſerio jubeant, ut abſtineat, excommunicatione non feriuntur: tunc enim tota percuſſionis malitia eſt in percutientem refundenda. Similiter & de conſulente dicendum. Recolantur ſuperius dicta. Eidem pariter pœnæ ſubjacet, qui lapidem e tecto projecit, vel venenum propinavit, licet ante effectum facinus commiſſum deteſtetur.

Conſectarium Quartum.

IV. Non impedientes percuſſionem Clerici, quam ex officio impedire tenentur, ſubjiciuntur Canonis excommunicationi, ſi ex odio, & mala voluntate omittant. Deducitur hæc doctrina ex jure canonico cap. *Quæritur* de ſent. excom. ubi hæc habentur: „ Non autem ſolum violentiæ hujuſmodi Auctores, præſumptio aliquorum exiſtimet „ puniendos; ſed facientes, & conſentientes pari „ pœna plectendos Catholica condemnat auctoritas. Eos vero delinquentibus favere interpretamur, qui, cum poſſint, manifeſto facinori deſinunt obviare “. Quibus adductis verbis ſubdit Gloſſa: „ Clare innuit, quod qui auctoritatem „ habet ex officio, & non prohibet, eſt vere excommunicatus “. Dixi tamen, ſi ex odio omittant, & pravo animo: ſi enim non obſiſtant vel ob timorem, vel puſillanimitatem, ab Auctoribus excuſantur. Sunt etiam aliqui Theologi, qui ex præfato juris Canonici textu inferunt, illos Excommunicatione feriri, qui non ex officio, & juſtitia, ſed ſolum ex caritate poſſunt & tenentur impedire. Verum oppoſitum alii probabilius ſuſtinent, cum ex Gloſſa appareat, in eo ſtatuto ſolum de iis, qui ex officio tenentur, ſermonem haberi.

Conſectarium Quintum.

V. Qui injectionem violentam manuum in Clericum, nomine tamen ſuo factam, ratam habent, licet nec mandaverint, nec conſilium dederint, excommunicatione feriuntur. Ita in jure ſtatuitur Cap. *Cum quis* 23. in 6. „ Cum quis abſque tuo „ mandato manus injicit in Clericum *tuo nomine* „ violentas, ſi hoc ratum habueris, excommunicationem latam in Canone incunctanter incurris “. Dixi *nomine ſuo factam*: nam ſi facta fuerit in gratiam alterius, licet ratam habeat, excommunicationi non ſubjacet. Nam ſubdit Pontifex: „ Si vero injectio *tuo nomine* non fuit facta, tunc licet pecces ratihabendo, non tamen „ propterea excommunicationis ullius vinculo innodaris “. Requiritur præterea, ut externo aliquo ſigno adprobationem ſuam, & ratihabitionem manifeſtet: nam ſi corde premat gaudium de percuſſione, non ſubjicitur excommunicationi, quæ ob ſolum interiorem actum non incurritur. Requirunt etiam tertio, ut adprobans facinus, ſui compos fuerit, quando executioni demandatum fuit, ſcilicet aptus, & idoneus ad illud volendum; nam amentia, & ſtultitia, non vero ſomnus, & ebrietas immunem reddunt a cenſura.

Conſectarium Sextum.

VI. Regularis percutiens Clericum ſecularem ab Epiſcopo abſolutionis beneficium petere debet; percutiens vero Regularem alterius Ordinis ab utroque Superiore debet abſolvi. Prima pars conſtat ex deciſione Congregationis Concilii, quæ in una Mediolanenſi Cenſurarum die 2. Dec. an. 1719. extat T. I. Reſolut., declaravit, non potuiſſe Abbatem abſolvere duos Monachos, qui Sacerdotem ſecularem percuſſerant. Ita tamen puto definitum, quia res deducta erat ad forum contentioſum, & magno æſtu agitabatur cauſa, in qua non de ſola abſolutione tractabatur, ſed & de pœna reis infligenda, qui ex eodem Decreto carcere macerati fuere. Quamobrem, ſi res ſit amicabiliter componenda, putarem poſſe vel ab Epiſcopo, cui ratione delicti factus eſt ſubditus Regularis alias exemptus, abſolvi, vel a ſuo Superiore, de conſenſu tamen, & venia Epiſcopi, cui procul dubio pro injuria Clerico ipſius illata eſſet condigna præſtanda ſatisfactio. Et ita deducitur ex cap. *Religioſi* 21. de ſent. excom. in 6. Altera vero pars eſt in jure definita cap. *Cum illorum curſu ſi vero Clericalis* 32. de ſent. excom. ubi ſtatuitur: „ Si vero Clauſtralis aliquis in Religioſam perſonam „ alterius clauſtri manus injecerit violentas, per „ Abbatem proprium, & ejus, qui paſſus eſt injuriam, abſolvatur “; ita ſcilicet ut abſolutio detur per Prælatum Religioſi percutientis cum conſenſu, & præſcientia Prælati Religioſi offenſi, niſi hic totum negotium remittat Prælato Rei. Quod ſi Religioſi mutuo ſe percuſſerint, poterit quilibet a ſuo Superiore abſolvi; quia tunc compenſatur injuria. Moniales Regularibus ſubjectæ, ſi ſe invicem percuſſerint, ſunt a ſuis Superioribus abſolvendæ, licet percuſſio fuerit enormis. Quæ vero Ordinariis ſubjiciuntur, ab iſtis beneficium abſolutionis poterunt obtinere.

CAPUT QUINTUM.

De excommunicatione in Monomachos.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Pugnantes in duello ſubjiciuntur anathemati.*
II. *Licet mors, vel mutilatio non ſequatur.*

III. *Patrini quoque, & ſocii duellantium.*
IV. *Nec non adjutores, & conſulentes.*
V. *Et ſcripta, aut manifeſta vulgantes, ſcribentes, indicentes &c.*
VI. *Spectantes quoque de induſtria.*
VII. *Monomachi eccleſiaſtica ſepultura privantur.*
VIII. *Quænam ſit pugna inter duos huic pœnæ non obnoxia.*
IX. *Quando duelli ſpectatores non ſubjaceant excommunicationi.*
X. *Quinam ab excommunicatione poſſint liberare.*

I. DE Monomachia, ſeu duello, quatenus crimen eſt graviſſimum, egimus in Decal. de Homic. cap. 4. §. 3. Hic pauca tantum ſunt ſubjicienda de pœna excommunicationis in Monomachos lata. Huic itaque pœnæ, & cenſuræ ſubjiciuntur 1. qui pugnant in duello, tam primarii, quam ſecundarii, ſive ſolemni, ſive privato. Solemne duellum illud dicitur, in quo certa ſervatur forma, & ſolemnitas in deſignatione armorum, in loci ſecuritate, in ſociorum, ſive patronorum electione, & alias. Privatum, quod fit quidem ex condicto, conſtitutis loco, & tempore, ſed aliis omiſſis ſolemnitatibus. Ita ex pluribus Summorum Pontificum Conſtitutionibus Julii II. Leonis X. Clementis VII. Julii III. Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. Immo & Tridentinum Concilium ſeſſ. 15. cap. 19. de Reform. & anathemate, & aliis pœnis monomachos compeſcere non omiſit.

II. Subjiciuntur anathemati, licet mors, nec mutilatio ſequatur; immo licet ex condicto ſtatutus fuerit finis certaminis in primo vulnere, vel prima etiam modici ſanguinis effuſione, vel poſt deſignatum numerum ictuum.

III. Patrini, ſocii, aliique ad duellum ſerio provocantes, & acceptantes, quantumvis pugna ob aliquod impedimentum ſecuta non fuerit; ut ſtatuitur in Clem. VIII. Conſtit. §. 3. dicente: *Etiamſi pugnam ob aliquod impedimentum non commiſiſſent, ſi ad locum acceſſiſſent pugnaturi, & per eos non ſtetiſſet, quominus pugnarent.*

IV. Monomachorum adjutores, ſive auxilium, conſilium, operam præſtantes, arma, commeatum, pecuniam, aliaque ſubſidia ſcienter adminiſtrantes. Conſulentes quoque feriuntur anathemate, niſi pro virili, & toto ſtudio curaverint, ne duellum ſequatur, illud, quantum in ſe eſt, & appoſito conſilio, & alio efficaciori adhibito medio impediendo; ut colligitur ex Conſt. Greg. XIII. ſtatuentis: „ Conſulentes eiſdem Cenſuris, & pœnis „ ſubjacere; *ſi per ipſos non ſtetit*, ut pugna ſe- „ quatur ".

V. Omnes ſcripta, litteras, tabellas indicantia certamen exarantes, dictantes, componentes, ſcribentes, mittentes, vulgantes, affigentes, exemplantes, typis imprimentes, ſubſcribentes, intimantes, immo etiam ſine ſcripto, ſi vel proprio, vel alieno nomine prædictorum aliquid præſtiterint; licet nec pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, aut acceſſus, aut actus ad pugnam proximus, nec expreſſa, & aperta provocatio ſubſecuta fuerit, neque ſcriptiones prædictæ, quæ *Manifeſta* dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint, ſi per eos ſteterit, quominus publicatio, aut denuntiatio fieret, ut ferme iiſdem verbis ſtatuitur in laud. Conſtit. Clementis VIII.

VI. Spectatores quoque ex induſtria, ſeu ex compoſito, quippe qui ſua præſentia pugnantes ad duellum excitare, vel ſaltem pugnam adprobare præſumuntur, ex Conc. Trid. l. l. anathemate plectuntur. Inſuper & locorum Domini, Magiſtratus, Præſides, Locum tenentes, Duces militum, & Capitanei (verba ſunt Clem. VIII.) in caſtris, vel extra ea in alieno, vel hoſtili ſolo, vel cum militibus exercitus adverſariorum, monomachiam in quocumque caſu per præſentem, vel alias Conſtitutiones hujuſmodi prohibitam permittentes, vel, quantum in ipſis eſt, non prohibentes, aut poſt commiſſum crimen veniam, & impunitatem concedentes, eidem ſubjacent excommunicationi.

VII. Præter pœnam excommunicationis puniuntur præterea monomachi privatione eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi vulnerati in duello, vel in eodem loco pugnæ, vel paulo poſt, ideſt eadem die, etiam extra locum pugnæ obeant, quamvis pœnitentiæ ſigna dederint, immo licet pœnitentes, & a cenſuris ſoluti decedant. Ita ſtatuitur in Rituali Romano, ubi indicitur: *Negatur eccleſiaſtica ſepultura certantibus in duello, etiamſi ante obitum ſigna dederint pœnitentiæ.* Præterea Civitates, Oppida, Terræ, Caſtra, ubi habita fuit monomachia, permittentibus, aut tolerantibus dominis, eccleſiaſtico ſubjiciuntur interdicto, ita ſtatuente ſæpius laud. Conſtit. Clem. VIII. cujus hæc verba ſunt: „ Ipſas vero Civitates, Terras, Oppida, „ vel Caſtra, & loca, in quorum Territoriis id „ facinus, ſcientibus & tacite, vel expreſſe per- „ mittentibus, vel tolerantibus Dominis, vel Ma- „ giſtratibus, vel Senatu, vel populo, admiſſum „ fuerit, eccleſiaſtico ſupponimus interdicto ".

VIII. Monomachia autem, ſive duellum huic cenſuræ obnoxium non eſt, ſi pugna ſit repentina, nec ex condicto; ſi fortuita, ſine loci, & temporis deſignatione; ſi ſine animo ſe lædendi, ſed ſolius exercitationis, vel honoris cauſa habeatur. At parum intereſt, cujus cauſa fiat, ſive ad manifeſtationem veritatis, ſive ad oſtentationem virium, ſive ad ignominiæ deletionem, ſive ad defenſionem honoris. Hæ enim cauſæ ſicut nec monomachiam licitam reddunt, ita nec ab excommunicationis vulnere liberant. Solum excuſatur, ſi publica fiat auctoritate ad evitandam utriuſque exercitus congreſſionem; quale fuit illud Davidis cum Goliath certamen.

IX. Non ſubjacent excommunicationi ſpectatores, qui non ex condicto, ſed fortuito, & transeundo, vel occulte, certantes in duello ſpectant; ſicut nec eccleſiaſtica privatur ſepultura, qui ſolum poſt aliquot a certamine dies moritur, ſi pœnitentiæ ſigna exhibuerit, fueritque a cenſura abſolutus: tunc enim mortuus cenſetur occaſione duelli, at non in ipſo duello; lex enim pœnalis mitiori modo eſt intelligenda. Pari pacto anathemate non feriuntur Magiſtratus, & Principes duellum permittentes inter infideles, cum in Bullis, & Conſtitutionibus Pontificum aperte dicatur, *permittentes monomachiam inter Chriſtianos.*

X. Excommunicationi ſubjiciuntur quidem monomachi quoquo modo rei, ipſo facto, nulla expectata judicis ſententia, (licet ad alias incurrendas pœnas neceſſaria ſit ſaltem juxta aliquos) a qua

a qua in Italia, & extra urbem Romam abſolvere non valent Regulares vi ſuorum Privilegiorum, licet duellum occultum ſit; quidquid in oppoſitum dicat Viva, cum in Bulla Clementis VIII. reſervata ſit abſolutio, nulla facta diſtinctione duelli vel publici, vel occulti. Epiſcopi vero, ſi occultum ſit, nec deductum ad forum contentioſum, ab ea cenſura abſolvere valent, facultate illis a Tridentino conceſſa.

CAPUT SEXTUM.

De Suſpenſione.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Suſpenſionis definitio.*
II. *Ejus prima diviſio.*
III. *Aliæ diviſiones.*
IV. *Quando ſuſpenſus ab Ordine ſit & a juriſdictione ſuſpenſus.*
V. *Suſpenſus a juriſdictione, quæ Ordinis munia non valeat exercere.*
VI. *Suſpenſus abſolute a beneficio, ab omnibus, quæ obtinet, eſt ſuſpenſus.*
VII. *Et pariter omnibus fructibus beneficii privatur.*
VIII. *Quinam poſſint ſuſpenſionem indicere.*
IX. *Quomodo tollatur ſuſpenſio.*
X. *Pœnæ violantibus ſuſpenſionem indictæ.*
XI. *De depoſitione, & degradatione.*

I. SUſpenſio in communi prohibitionem importat aliquid agendi, factam habenti officium aliquod, munus, vel miniſterium: & hoc pacto non eſt pœna eccleſiaſtica; nam tum active, tum paſſive & Laicis convenire poteſt. Unde Principes, & Superiores temporales ab officio ſuſpendere poſſunt Judices, Notarios, Advocatos. Immo licet in perſonam ſacram cadat, adhuc rationem non obtinet cenſuræ: unde Abbatiſſa, Prioriſſa, Monialis ſuſpenduntur quidem ab exercitio officii; ac tunc cenſura proprie dici non poteſt, ſed mera pœna. Pariter prohibitio facta Religioſo ſeni, infirmo, impotenti, ne celebret, proprie cenſura non eſt, cum nullam ſupponat culpam; ſed merum præceptum, & mandatum Superioris. Proprie itaque ſuſpenſio cadere non poteſt, niſi in Clericum; & aliquam culpam præſupponit. Quare ſic definitur: *Cenſura eccleſiaſtica, per quam Clericus uſu privatur, & exercitio officii, dignitatis, juriſdictionis, ſive Beneficii alias ſibi competentis, & proprii vel ob culpam, vel ſaltem juſta de cauſa.*

II. Hinc prima ſtatim emergit ſuſpenſionis diviſio, ſcilicet in ſuſpenſionem a ſolo officio, vel a ſolo Beneficio, vel ab utroque: non enim ſemper ſuſpenſio utriuſque privationem inducit; poteſt enim quis a ſolo officio, vel a ſolo Beneficio ſuſpendi. Nomine officii intelligitur quodcumque eccleſiaſticum miniſterium, quod a Clerico ut tali exerceri poteſt. Hinc ſuſpenſus abſolute ab officio privatur uſu Ordinis, juriſdictionis, & omnis eccleſiaſtici miniſterii. Suſpenſus vero a Beneficio ſolum privatur fructibus Beneficii. Suſpenſus vero abſolute abſque ulla limitatione intelligitur privatus uſu Ordinis, juriſdictionis, & Beneficii; cum nulla ſit ratio, cur limitetur ad officium potius, quam ad Beneficium.

III. Alia inde ſequitur diviſio ſuſpenſionis, in totalem ſcilicet, quam mox deſcripſimus, & partialem, quæ eſſe poteſt vel Ordinis, vel Beneficii. Per partialem Ordinis ſuſpenſionem prohibetur Clerico ſolum aliquis ſui officii actus; ut cum ſuſpenditur Sacerdos ab audiendis confeſſionibus, vel a Miſſæ celebratione, vel Epiſcopus a collatione Ordinum; & tunc alios Ordinis actus libere, & licite exercere valent. Similiter quis poteſt eſſe partialiter ſuſpenſus a Beneficio, cum ſolum aliqua fructuum, puta tertia, vel quarta parte privatur. Alia rurſum eſt ſuſpenſio temporanea, alia perpetua. Illa tempore limitatur, puta ad menſem, annum &c. Alia, quæ omni caret limitatione. Suſpenſio ab officio non infert ſuſpenſionem a Beneficio; ſicut nec hæc illam inducit, cum ſint plane diverſæ: nec pœnales leges ultra proprium ſenſum ſunt dilatandæ, maxime cum judex poſſit, ſi velit, utramque indicere ſuſpenſionem.

IV. Suſpenſus itaque ab Ordine tantum, actus juriſdictionis cum Ordine adnexæ exercere non poteſt; ſecus vero ſi ab eodem ſejuncti ſint. Hinc ſuſpenſus ab Ordine nequit Confeſſiones excipere, quia Sacramenti adminiſtrationem important. Poteſt tamen Epiſcopus ab Ordine ſuſpenſus Beneficia conferre, cenſuras indicere, & ab illis abſolvere ſine ſolemnitate tamen, ut docet D. Thom. hic quæſt. 22. art. 3. ſcribens: „ Si ſit ſuſpenſus „ ab Ordine tantum, tunc non poteſt ea, quæ „ ſunt Ordinis, ſed poteſt ea, quæ ſunt juriſdi„ ctionis; & e contra, ſi ſit ſuſpenſus a juriſdi„ ctione, & non ab Ordine, non poteſt ea, quæ „ ſunt juriſdictionis, ſed poteſt ea, quæ „ ſunt Ordinis; ſi autem ab utroque, tunc neu„ trum poteſt“. Suſpenſo a ſuperiori Ordine non interdicitur uſus inferioris: quare ſuſpenſus a Sacerdotalibus nequit quidem Miſſam celebrare, verum ab Altaris miniſterio, tanquam Diaconus vel Subdiaconus non arcetur. Similiter Epiſcopus a Pontificalibus ſuſpenſus, omnia Sacerdotalis munia exercere poteſt. At ſi ſuſpenſus quis ſit ab inferiori Ordine, an cenſeatur etiam ſuperiorum exercitio privatus, non conveniunt Theologi. Affirmantem ſententiam procul dubio veram puto, ſi inferioris Ordinis exercitium in ſuperiori contineatur: eapropter ſuſpenſus a Diaconi officio, Miſſam celebrare non poterit, ſi ſit Sacerdos, cum in ea Evangelium ſit recitandum; at ſi non contineatur, puto ab inferiori ſuſpenſus non impediri ab actu ſuperioris Ordinis; ſic ſuſpenſus ab officio prædicationis non cenſetur impeditus a celebratione Miſſæ, licet hæc priore ſit longe dignior. Præterea nec a ſuperioris Ordinis exercitio impeditur ſuſpenſus ab inferiore, ſi ſuſpenſio feratur ob defectum in inferioris Ordinis exercitio commiſſum. Hinc in Jure Canonico cap. 4. de temp. Ordin. in 6. qui confert Clericalem Tonſuram ſubdito alienæ Diœceſis, ſine ejus Epiſcopi licentia, per unum annum a collatione Clericalis Tonſuræ duntaxat ſuſpenditur, ut in eo, in quo peccavit, puniatur. Attendenda ſunt igitur verba ſententiæ ſuſpenſionem indicentis, & ſtrictius interpretanda: quia etſi detur tanta indignitas, quæ cum privet a minoribus, a fortiori privare debet majoribus; poteſt tamen alia minor dari, quæ non mereatur ple-

plecti privatione majorum, quæ graves prærequirit culpas, licet mereatur plecti minorum privatione, ad quam levis ſufficit culpa. Suſpenſus tamen abſolute ab officio, etiam a ſuſceptione Ordinum arcetur.

V. Suſpenſus a juriſdictione non poteſt munia Ordinis exercere, quæ uſum juriſdictionis complectuntur. Sic nequit ſuſpenſus Epiſcopus Ordines conferre, nec Sacramentalem impertiri abſolutionem, quippe quia hæc munia juriſdictionem inferunt. Parochus pariter ſuſpenſus non poteſt Confeſſiones audire, nec alia Sacramenta ex officio miniſtrare, licet poſſit & Miſſam celebrare, & Euchariſtiam præbere, & etiam Extremam Unctionem, deficiente alio Sacerdote: quia hæc munia etiam ſine ulla juriſdictione a quolibet Sacerdote præſtari poſſunt. Similiter ſi a determinata tantum parte juriſdictionis ſit ſuſpenſus, puta Parochus, ab excipiendis Confeſſionibus, non privatur facultate adminiſtrandi Viaticum, & aſſiſtendi Matrimonio. Quod ſi actus juriſdictionis ſibi vetitos exerceat, peccat quidem Eccleſiæ mandatum violando, nullam tamen incurrit irregularitatem; cum in jure hæc non indicatur niſi violantibus ſuſpenſionem ab Ordine.

VI. Qui a Beneficio eſt ſimpliciter, & abſolute ſuſpenſus, habendus eſt ſuſpenſus ab omni Beneficio, ſi plura obtineat: nam indefinita ſuſpenſio univerſali æquivalet; nec ulla eſſet ratio, cur ab uno potius, quam ab alio Beneficio diceretur excluſus. Eapropter reſtrictio in ſententia ſuſpenſionis eſt apertis verbis indicenda, & deſignandum Beneficium in particulari, a quo Clericus ſuſpenditur. Præterea eadem ſuſpenſio abſoluta & novi Beneficii impedit impetrationem, & collationem; ut colligitur ex cap. *Per inquiſitionem* extra. de Electione, ubi ſtatuitur: *Ut qui malæ Epiſcopi electioni fuerat ſuffragatus, atque ita Eccleſiaſticis Beneficiis indignum ſe reddiderat, alio Beneficio, ad quod poſtea electus fuerat, privetur.* Dixi impedire impetrationem, quia ſuſpenſio non ipſo jure irritam reddit electionem, ſed ſolum a Superiore irritandam; ut patet ex mox citato cap. & confirmatur cap. *Si celebret* de Clerico excommunicato miniſtrante.

VII. Suſpenſus a Beneficio, licet Beneficii titulo non privetur, fructibus tamen omnibus Beneficii privatur, cujuſcumque ſint rationis, ſive in annuis reditibus conſtituti, ſive in primitiis, decimis, oblationibus, immo & quotidianis diſtributionibus, quæ tametſi dentur propter præſentiam, & exhibitum miniſterium, nihilominus jus eos percipiendi in ipſo Beneficii titulo fundatur. Excipiendæ tantum ſunt oblationes, vel contributiones, quæ minime Beneficio ſunt adnexæ, ut ſtipendium pro Miſſæ celebratione, pro Exequiis, Anniverſariis, aliiſque Eccleſiaſticis Miniſteriis, quæ etiam a non obtinentibus Beneficium percipiuntur; ſicut nec privatur fructibus ſui Patrimonii. Quamobrem qui a Beneficio ſuſpenſus eſt, peccat lethaliter, ſi fructus Beneficii ſibi uſurpet, & ad eorum reſtitutionem tenetur; cum nemo vel percipere, vel retinere valeat, quod ſuum non eſt. Porro a Beneficio ſuſpenſus fructus ſuos facere non valet. Ergo peccat, ſi ſibi uſurpet; & ad reſtitutionem tenetur, ſi retineat, vel conſumat. Nec illi prodeſt, quod ſuſpenſio ſit occulta; quia ſuum ſemper ſortiri debet effectum. Nec Bulla Martini V. *Ad evitanda* illis ſuffragatur. Nam inibi ſolum de communicatione agitur; & præterea declaratur, nullum per ipſam cenſuræ adſtricto beneficium, vel privilegium concedi. Per hanc tamen fructuum, & emolumentorum privationem a muneris, & officii ſui partibus implendis minime liberatur, ad quas præſtandas titulo Beneficii tenetur: nam ſi fructibus privatur, ex culpa ſua privatur, ex qua commodum ſentire non debet; nec æquum eſt ob alterius culpam Beneficii fundatores detrimentum ſentire, aut chriſtianam plebem ſacris miniſteriis privari, quæ jure ſuo a Clericis expectare, & poſtulare merito poteſt. Sunt tamen, qui cenſent, a beneficio ſuſpenſum, ſi pauper ſit, nec habeat unde vivat, niſi fructus beneficii, poſſe ſibi eam fructuum partem reſervare, quæ moderatæ ſuæ ſuſtentationi foret neceſſaria.

VIII. Suſpenſiones aliæ ſunt a jure indictæ, aliæ ab homine. Infligi autem poſſunt a Summo Pontifice, ab Epiſcopis, aliiſque juriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus; uno verbo ab illis, qui poſſunt excommunicationis ſententiam ferre. At quando fertur ab homine, & quidem ad retundendam contumaciam, monitio præcedat, oportet. Suſpenſio vero generaliter lata per ſtatutum, vel legem in Clericos, æque Regulares, ac ſeculares complectitur, niſi forte materia legis, aut ſtatuti talis ſit, quæ ſolis ſecularibus eccleſiaſticis convenire poſſit; vel a Prælato feratur, qui vel in Regulares ſolum, vel ſolum in ſeculares donetur juriſdictione. Suſpenſionibus tamen ipſo jure indictis non ſubjiciuntur Epiſcopi, aliique Superiores Prælati, niſi expreſſe de illis mentio habeatur; ut ſtatuit in Lugdunenſi Concil. Innoc. IV. & habetur cap. *Quia periculoſum* Tit. de ſent. excom. in 6. quo privilegio fruuntur etiam Epiſcopi electi, & confirmati, licet nondum conſecrati. Suſpenſioni proprie dictæ, ut ſuperius innuimus, ſoli Clerici ſubjiciuntur, & ferri poteſt etiam in totam Communitatem, Conventum, Capitulum, & Collegium, & quidem tam collective, quam diſtributive: ut patet ex cap. *Ne Sede Vacante*, & cap. *Quis ſæpe* 40. Tit. de electione in 6. ubi Pontifex tam contra totum corpus Capituli, quam contra ſingulos ex corpore bona Prælati defuncti occupantes, & diripientes ſtatuit: *Ut qui præmiſſa de cætero præſumpſerint, eo ipſo ſint, & tandiu maneant ab officio, & beneficiis quibuſcumque ſuſpenſi, donec plene reſtituerint quidquid de bonis perceperint ſupradictis.*

IX. Tolluntur denique ſuſpenſiones 1. diſpenſatione, & abſolutione Superioris: & quidem, ſi ſuſpenſio ſit inflicta ab homine, eam tollere non valet, niſi qui inflixit, vel Superior, vel ſucceſſor in juriſdictione; ut de excommunicatione diximus: ſi vero ſit a jure, & Summo Pontifici non reſervata, tollitur ab Epiſcopis, eorumque Vicariis. Immo licet ſit Summo Pontifici reſervata, at occulta, nec ad forum contentioſum deducta, ab ea abſolvunt Epiſcopi, facultate illis a Tridentino conceſſa ſeſſ. 24. cap. 6. ut ſuperius non ſemel diximus. Pari poteſtate gaudent & Prælati Regulares, quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in ſuos ſubditos habentes, ut ex eorum privilegiis, nunquam revocatis, conſtat. 2. Suſpenſiones latæ ad certum tempus, vel conditionate, puta donec parti læſæ ſatiſ-

tisfecerit, elapſo tempore ipſo, vel impleta conditione, ipſo jure ceſſant abſque abſolutione: ſublato ſiquidem impedimento Clericus in priſtinum redit ſtatum; elapſo autem tempore, & poſita conditione ceſſat impedimentum ſuſpenſionis temporaneæ: reſtituitur itaque abſque alia declaratione Clericus ſuo officio, vel Beneficio. 3. Suſpenſio aliquando incurritur etiam ſine culpa; & tunc vel tollitur abſolutione, vel ceſſat ſublato impedimento ſuſpenſionem inducente. Hujus ſuſpenſionis duo habentur in jure exempla, nimirum cap. *Requiſivit* Extra. *De ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui*, ubi ſtatuitur, ut ordinati ex ignorantia ab hujuſmodi Epiſcopo, ab executione Ordinum ſuſpendantur, niſi Pontifex cum ipſis diſpenſaverit. Alterum habetur cap. *Vel non compos*, ubi puer tredecim annorum in Diaconum ordinatus, ab executione officii Diaconi uſque ad legitimam ætatem ſuſpenditur in injuriam ordinantis. Hinc qui ante legitimam ætatem ſine culpa, & dolo, ſed ex errore ordinatur, eo detecto ſuſpenditur ab exercitio Ordinis uſque ad legitimam ætatem: quam ſuſpenſionem tollere non valet, niſi qui poteſtatem obtinet diſpenſandi ſupra ætatem a canonibus ſtatutam; qua tamen adveniente, ceſſat ſuſpenſio.

X. Suſpenſionem violantes mortaliter peccant, niſi parvitas materiæ excuſet; ut ſi ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, eam brevi tempore ingrediatur, etiam dum divina celebrantur Officia. 2. Irregularitate ligantur, ſi ſuſpenſi ab Ordine, Ordinum præſertim ſacrorum miniſteria ſolemniter obeant. Dixi *præſertim ſacrorum*; nam minorum Ordinum officia etiam a Laicis, vel Clericis non ordinatis ſolent exerceri. Unde ſi Clericus ſuſpenſus ea miniſteria exerceat ex commiſſione Parochi, vel alterius Superioris, putarem irregularitate non irretiri, cum non ea præſtet ex officio; niſi forte in aliqua Eccleſia mos eſſet, ut illa officia nonniſi ab ordinatis exercerentur. Similiter ſi Subdiaconus ſuſpenſus Epiſtolam etiam in Miſſa ſolemni caneret, ſed ſine Manipulo, cum & hoc officium inferioribus Clericis exercere concedatur. Suſpenſi, ſi ſint publice denuntiati, vitandi ſunt, nec cum illis communicandum in exercitio Ordinum ſuorum, vel admittendi ad participationem fructuum Beneficii, ſi ſint a Beneficio ſuſpenſi; & qui non vitarent, gravi obſtringerentur crimine: nam oſtenderent ſe claves Eccleſiæ contemnere; & cum Clerico contumaci, & ſuſpenſo in peccato lethali cooperarentur. Si vero non ſint denuntiati, cum illis communicare non eſt contra Eccleſiæ præceptum, ut conſtat ex pluries laudata Bulla Martini V., & ideo urgente neceſſitate, vel deficiente alio Sacerdote, poſſunt fideles a Sacerdote ſuſpenſo Miſſam petere, Confeſſionem habere, & Sacramenta recipere; præſertim ſi ratione officii ad hæc miniſteria illis præſtanda teneantur. Obſervanda tamen regula in Tract. de ſcandalo tradita circa petitionem, vel receptionem Sacramentorum a malo Miniſtro.

XI. Ad ſuſpenſionem pertinent depoſitio, & degradatio. Prior pœna eſt eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum omni officio, & beneficio, ſine ſpe reſtitutionis, privatur, non amiſſis tamen privilegiis fori, & canonis. Differt itaque a ſuſpenſione, quæ de ſe perpetua non eſt, & ea ligatus abſolutionem, ſeu reſtitutionem ſperare poteſt; a degradatione vero reali, ut mox dicemus, quia per hanc reus privilegio fori, & canonis ſpoliatur. Degradatio vero duplex eſt, *verbalis* ſcilicet, & *realis*. Degradatio *verbalis* vix ac ne vix quidem a depoſitione diſtinguitur; eandem enim plane pœnam infert, & præfatis ſpoliat privilegiis. Degradatio vero realis ob alia diſtinguitur, ratione ſolemnitatis: peragitur enim ſolemni judicio, in quo Clericus per expoliationem, & detractionem inſignium Clericalium ſpoliatur omni ordine, munere, privilegio Clericali, & omni officio, dignitate, beneficio; ſpoliatur, & privatur etiam privilegiis fori, & Canonis, traditurque ſeculari poteſtati, ut laicus puniendus. Hæc ſolemnis degradatio fieri non poteſt, niſi ab Epiſcopo; proinde a Regularibus Prælatis etiam reſpectu ſuorum ſubditorum haberi non poteſt: & jure merito, quia ſicut ſolus Epiſcopus poteſt ad Ordines admittere, eóſque conferre; ita ſolus ab illis dejicere valet. Tenentur tamen depoſiti, & degradati ſive verbaliter, ſive realiter & divinum officium recitare, ſi in ſacris ſint conſtituti; nec a caſtitatis voto ſolvuntur, ac propterea matrimonium non licite, nec valide celebrare poſſunt. Et de his pœnis, quæ raro admodum infliguntur, & nonniſi ob enormia ſcelera ſtatim morte punienda, dicta ſufficiant.

CAPUT SEPTIMUM.

De Interdicto.

DOCTRINA.

I. *Interdicti definitio.*
II. *Ejus diviſio prima.*
III. *Altera diviſio.*
IV. *Tertia diviſio.*
V. *Qua de cauſa ferri poſſit Interdictum.*
VI. *Effectus interdicti enumerantur.*
VII. *Quid divini Officii nomine intelligatur.*
VIII. *Quænam Sacramenta miniſtrare Interdicti tempore vetitum ſit.*
IX. *Quibus denegetur Eccleſiaſtica ſepultura Interdicti tempore.*
X. *Pœnæ in violatores Interdicti exponuntur.*
XI. *A quibus auferri poteſt Interdictum.*
XII. *Ad Interdictum accedit ceſſatio a Divinis.*

I. INterdicto prohibentur certis perſonis, certiſque locis Officiorum divinorum celebratio, quorumdam Sacramentorum adminiſtratio, & ſepultura eccleſiaſtica. Poteſt habere & rationem meræ pœnæ, & cenſuræ. Quæ diſtinctio eſt attendenda, quia inſignes affert differentias. Nam 1. interdictum in ratione cenſuræ requirit contumaciam; eapropter canonicæ præmittendæ ſunt monitiones, ut conſtet *de reorum pertinacia*. At non ita de interdicto ratione pœnæ. 2. Interdictum per modum cenſuræ nequit infligi ad certum tempus, ſed ad normam contumaciæ; tandiu enim durare debet, quandiu perſeverat reorum contumacia. 3. Violatio interdicti in ratione cenſuræ affert violatoribus etiam irregularitatem, cui non ſubeſt, ſi quis interdictum violet in ratione pœnæ. Utrumque tamen præfatam includit prohibitionem;

quamobrem definiri poteſt interdictum : *Pœna , vel cenſura , qua vel certæ perſonæ , vel determinatis locis prohibentur divina Officia , aliqua Sacramenta , & eccleſiaſtica ſepultura*. Ita Van-Eſpen de Cenſ. cap. 9. §. 1. cui conſentiunt Fleur. Inſt. jur. Eccl. p. 3. cap. 21. & Suarezius de Cenſ. diſp. 20. ſect. 1.

II. Ex hac definitione ſequitur prima , & principalis diviſio Interdicti in *Perſonale* , *Locale* , & *Mixtum* . Perſonale afficit perſonas , quibus præfata interdicuntur ; quare nec Miſſæ Sacrificio poſſunt adeſſe , nec aliqua percipere Sacramenta , nec in loco ſacro ſepeliri . *Locale* locum afficit , in quo prædicta exercitia interdicitur . *Mixtum* denique & loca complectitur , & perſonas . Locale etiam generale interdictum non infert perſonale , niſi reſpectu tantum illorum , quorum culpa poſitum eſt locale interdictum ; ſicut nec viciſſim perſonale inducit locale . Si itaque locus aliquis interdicto ſubjiciatur , non licet utique ibi divina celebrare officia ; at incolæ , & habitatores extra interdictum locum Miſſam audire , Sacramenta recipere , divinis Officiis intereſſe poſſunt . Si vero perſonale ſit interdictum , ſolæ perſonæ a prædictis excluduntur ; at in Eccleſiis haberi poſſunt divina officia , quibus aſſiſtere valent & extranei , & interdicto non obnoxii . At perſonaliter interdicti nullibi poſſunt divinis Officiis adeſſe , & ſecum ubique deferunt interdictum , quod ideo a Juris Canonici peritis *deambulatorium* dicitur .

III. Secunda interdicti diviſio eſt in generale , ſpeciale , & particulare . Generale locale interdictum illud eſt quod totum afficit Regnum , Provinciam , Civitatem . Generale perſonale ligat omnes perſonas alicujus Provinciæ , Civitatis &c. Particulare vero locale ſolum particularem aliquem locum afficit , puta aliquas Eccleſias , vel etiam unam determinate ; ſicut pariter particulare perſonale interdictum ſolum aliquas ligat perſonas , vel etiam unam tantum . Generale locale interdictum ſecum trahit particulare : quare interdicto Regno , Provincia , & Civitate , omnia dictorum loca ſunt interdicto ſubjecta : *Si Civitas* (ſtatuit Bonif. VIII. de Excom. in 6.) *ſubjiciatur eccleſiaſtico interdicto , illius ſuburbia , & contenta ædificia eo ipſo intelligi volumus interdicta* . At e contra locale particulare interdictum non infert generale : quamobrem aliqua interdicta Eccleſia , vel Parœcia Civitatis , aliæ non ſunt interdicto obnoxiæ . Quod de interdicto locali , generali , & particulari diximus , intelligendum eſt etiam de interdicto perſonali : nam interdicto populo alicujus Provinciæ , vel Civitatis ſunt interdicti omnes illius Provinciæ , vel Civitatis incolæ , qui nec ibi , nec alibi poſſunt divinis adeſſe Officiis ; aliquibus vero tantum interdictis , ceteri immunes ſunt . Hinc interdicto Clero non cenſetur interdictus populus , nec interdicto populo interdicitur Clerus . Immo ſub generali interdicto Cleri non comprehenduntur Regulares utriuſque ſexus ; ſicut ſub interdictis Regularibus non comprehenduntur Clerici ſeculares . Sub generali interdicto Cleri non comprehenduntur Epiſcopi , Superioreſque Prælati , niſi de illis expreſſa habeatur mentio . Interdictis generaliter alicujus loci perſonis , non cenſentur interdictæ particulares Eccleſiæ , niſi nominentur : quamobrem in illis licebit Miſſam celebrare , divina Officia recitare , ſed januis clauſis , ſubmiſſa voce , & ſine campanarum pulſu . Interdicta autem aliqua ſpeciali Eccleſia , nullo modo licet Miſſam , vel divina officia in illa habere : ſolum , ſi ſit Parochialis , licebit ſemel in hebdomada Miſſam celebrare ad renovandas conſecratas particulas ; ſed pariter januis clauſis , nulloque adſtante , niſi qui Miſſæ inſervit .

IV. Tertia diviſio interdicti eſt a jure , & ab homine . Ferri poteſt ab omnibus illis , qui excommunicationis ferendæ poteſtate donantur , exceptis tamen Superioribus Regularibus , qui interdicto ſubjicere non poſſunt Eccleſias ſibi ſubjectas , cum eorum juriſdictio perſonalis ſit , non localis , & juriſdictionem extenderent in non ſibi ſubjectos : privarent ſiquidem Clerum , & populum facultate celebrandi , vel audiendi Miſſam in ea Eccleſia . Tenentur vero ſervare interdictum ab Epiſcopo inflictum , ut decrevit Tridentinum Concilium ſeſſ. 25. cap. 3. ſtatuens : *Cenſuræ , & interdicta , non ſolum a Sede Apoſtolica emanata , ſed etiam ab Ordinariis promulgata , mandante Epiſcopo , a Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur , & ſerventur* . Interdictum locale ſervare tenentur Regulares , quando ſervatur in Eccleſia matrice , vel in Parochiali loco , ubi Templum , & Monaſterium habent ; ut ſtatuitur in Clement. 1. de ſent. excom.

V. Interdictum ſive per modum pœnæ , ſive per modum cenſuræ ferri non poteſt , niſi ex culpa , & quidem gravi , non tamen omnium interdicto ſubjectorum , ſed etiam ſolum aliquorum , ut docet S. Th. hic q. 17. a. 5. ad 2. dicens : *Totum Regnum ponitur ſub interdicto pro peccato Regis* . Et ſexto ſeculo ob cruentam mortem S. Prætextati omnes Eccleſiæ Rothomagenſis urbis clauſæ ſunt & divinis Officiis privatus populus , donec detegeretur S. Viri interfector . Peculiare vero interdictum , & per modum cenſuræ , nonniſi ex culpa ipſius interdicti fertur : quæ culpa debet eſſe gravis , ut perſonali interdicto reus ligetur ; cum pœna ſit gravis , & major minori excommunicatione . At de interdicto lato a jure dubitant Juris Canonici Doctores . Et quidem ſi ſermo ſit de interdicto omnes pœnas inferente , non incurri probabilius cenſeo ob ſolam venialem culpam : quam tamen ſufficere poſſe credo , ut quis ſubjiciatur interdicto ad breve tempus , vel ad aliquem tantum effectum , puta ab ingreſſu Eccleſiæ per hebdomadam , vel menſem . Ob damnum aliquod temporale reparandum , puta ad obſtringendum Rectorem populi , vel ipſam Communitatem ad non retinendam rem alienam , vel ad æs alienum ſolvendum , interdictum generale , nec perſonale , nec locale indicere licet , ne innocentes graventur ob temporalem cauſam , quam alia via tollere non eſt difficile , immo longe convenientius : pro debito vero perſonali , & particulari imponere licebit , ſicut & ſuſpenſio indicitur , & excommunicatio ; cum per hoc nec ullus innocens gravetur , & actus juſtitiæ ſpectetur .

VI. Tres ſunt , ut innuimus , effectus interdicti totalis , nimirum 1. Celebrationis , & aſſiſtentiæ divinorum officiorum privatio . 2. Aliquorum Sacramentorum ſubtractio . 3. Privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ .

VII. Divinorum Officiorum nomine , ea omnia

der

deſignantur munia, & miniſteria ſacra, quæ ex Chriſti, & Eccleſiæ inſtitutione a ſolis Clericis fieri poſſunt; cujuſmodi ſunt Miſſæ celebratio, divinorum Officiorum publica recitatio, ſicut & Pſalmorum pro defunctis, & Litaniarum, benedictio ſolemnis nuptiarum, Fontis Baptiſmalis, Aquæ, Olei, Chriſmatis, Cinerum, Palmarum, Candelarum, & Religioſa Profeſſio. Non deſunt tamen juris Canonici Doctores, qui cenſent Miſſæ Sacrificium non comprehendi nomine Divinorum Officiorum, ſed ob ſuam excellentiam ſpecialiter eſſe in Interdicto exprimendum. Hæc jure antiquo diſtricte, & abſolute vetabantur; nec licebat Miſſam celebrare, niſi ad conficiendam pro infirmis Euchariſtiam. At jure novo, quod continetur in Bonif. VIII. Conſtitut. Cap. *Alma* de Senten. Excom. in 6. mitigata eſt prior ſeveritas, & conceſſum, ut Clerici, & Regulares in Interdicto locali generali, 1. „ ſingulis diebus in Eccleſiis, & Monaſteriis Miſſas „ celebrare poſſint, & alia divina Officia, ſicut „ prius, ſubmiſſa tantum voce, januis clauſis, ex„ communicatis & interdictis excluſis, & campanis „ minime pulſatis. Eapropter Clerici Miſſam vel „ celebrare, vel eidem intereſſe tenentur in die „ feſto “. 2. Ut in quatuor ſolemnitatibus *Natalis Domini*, *Paſchæ*, & *Pentecoſtes*, *Aſſumptionis B. M. Virginis*, nec non ex poſterioribus Pontificibus *in feſto Corporis Chriſti*, & *ejus Octava*, ſicut & *Conceptionis B. V. cum ejus Octava* Miſſæ, & Divina Officia alta voce, pulſatis Campanis & januis apertis poſſint celebrare, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis . . . ſic tamen quod illi, propter quorum exceſſum Interdictum hujuſmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent. Regulares quoque privilegio donantur, ut in quibuſdam ſuorum Ordinum feſtivitatibus poſſint præfata Divina officia publice celebrare, ac ſi Interdictum minime eſſet appoſitum; excluſis tamen ſemper Interdictis, & aliis, qui Interdicto cauſam præbuere. Similiter & illis conceſſum autumant ab Eugenio IV. ut quando occulte celebrant, poſſint ad divina Officia admittere famulos, operarios, & Monaſterii procuratores. Sed in hoc accurate expendenda cujuſcumque Ordinis privilegia; & perpendendum, num locum habeat privilegiorum communicatio. Interdicti tamen ſive localis, ſive perſonalis tempore haberi poſſunt Conciones, ad quas invitatur populus, etiam æris ſonitu, & ipſi interdicti adeſſe poſſunt, ut ad reſipiſcentiam inducantur.

VIII. Interdicto non omnia impediuntur Sacramenta, ſed aliquorum dumtaxat vetitus eſt uſus, tam activus, quam paſſivus. Nam 1. propter moræ periculum licite adminiſtratur, conſueto more Eccleſiæ, Baptiſmus tam parvulis, quam adultis, excluſis tamen interdictis, quibus ſolum in caſu neceſſitatis conceditur Baptiſmum adminiſtrare: & ideo conceſſa eſt etiam Fontis Baptiſmalis benedictio. 2. Conceditur & Confirmatio, cujus gratia & Chriſmatis conſecratio in cœna Domini in locis quoque interdicto ſubjectis conceditur. A' Sacramento Pœnitentiæ nemo arcetur, nec ipſi excommunicati, ſeu interdicti, vel qui cauſam Interdicto dedere; dummodo vere pœnitentiam concipiant, & pro delicto ſatisfaciant Eccleſiæ, vel de ſatisfaciendo cautionem idoneam, vel juramentum præſtent. Matrimonium quoque celebrari poteſt, etiam a perſona interdicto obnoxia; at ſolemnem, & publicam benedictionem ſponſis dare non eſt conceſſum. In periculo, vel articulo mortis conſtitutis, niſi aliud impediat, Euchariſtiæ Sacramentum licite adminiſtratur, & quidem conſueta ſolemnitate, nimirum campanarum pulſu, & populo comitante, immo deferri poteſt etiam ab ipſis interdictis, niſi alius ſit Miniſter non interdictus, qui queat illud adminiſtrare. Et hujus Sacramenti gratia conceſſum eſt, ut diximus n. 3. in Parochiali ſemel in hebdomada occulte Miſſam celebrare. Sacramentum vero Extremæ Unctionis dare non licet nec innocentibus, & interdictum ſervantibus, iis tamen exceptis, qui aliud Sacramentum recipere non poſſunt. Ordines quoque conferri non poſſunt, niſi forte non adeſſent Sacerdotes, qui miniſtrare poſſint Sacramenta, quorum adminiſtratio a jure conceditur.

IX. Sepultura in loco Sacro interdicti localis generalis tempore privantur omnes, etiam innocentes; niſi forte ſint aliqui Laici Privilegio donati, ſicut donantur Clerici non perſonaliter interdicti, nec interdicto cauſam dantes, vel qui illud minime violarunt: his enim conceditur, ut cum ſilentio, ſine ſolemnitate, & campanarum pulſu in loco Sacro ſepeliantur. Inter innocentes tamen, & reos interdicti hoc ſolum habetur diſcrimen, quod priores extra locum interdictum, in alio loco non interdicto, in Cœmeterio, vel alio loco benedicto humari queunt; & ſi in loco profano ſint ſepulti, interdicto ceſſante ad locum ſacrum ſunt transferendi: poſteriores vero, vel perſonaliter interdicti, vel qui Interdicto cauſam dedere, nullibi ſunt in loco ſacro tumulandi. Quod ſi contingat contra juris prohibitionem aliquem interdictum in loco ſacro ſepeliri; licet qui ſepelierint, peccaverint, non eſt tamen exhumandus, cum in jure id minime ſit conſtitutum.

X. Pœnæ in Interdicti violatores hæ ſunt. 1. Laici Interdictum ſolum locale violantes communiter lethaliter peccant, niſi eos vel ignorantia excuſet, vel parvitas materiæ, nec ullus adſit vel contemptus, vel ſcandalum. 2. Si autem Magnates, & Nobiles cogant Clericos ad Divina celebranda Officia in loco Interdicto, vel vocent interdictos, & excommunicatos, ut eis interſint; vel ſi præfati a celebrante, vel alio moniti ut exeant, eorum impediunt exitum, nec non ipſi interdicti, qui moniti exire recuſant, vel Divinis violenter aſſiſtere audent, præter grave crimen, excommunicatione majori Pontifici reſervata feriuntur. 3. Clerici, ſive ſeculares, ſive Regulares, & etiam Moniales interdictum ſive locale, ſive perſonale violantes, ideſt ſive ipſi ſint interdicti, ſive divina Officia in loco interdicto celebrent, vel Sacramenta miniſtrent, vel recipiant, graviſſime peccant. 4. Clerici inſuper, ſi ſint perſonaliter interdicti, vel locale interdictum latum ſit per modum cenſuræ, irregularitati ſubjiciuntur, incurrunt etiam ſuſpenſionem ab Officio, & beneficio, & juriſdictione privantur, nec non jure activæ, & paſſivæ electionis, ſpoliantur privilegio, quo gaudent, ſepulturæ in loco ſacro; & denique, ſi ſcienter interdictos in loco ſacro ſepelire auſi fuerant, etiam excommunicationi ſubjiciuntur. Regulares vero interdictum violantes, quando ſervatur ab Eccleſia Matrice Cathedrali, vel Parochiali, præter

præ-

præfatas pœnas etiam excommunicationem incurrunt. Ita ſtatutum habetur pluribus juris canonici titulis.

XI. Pluribus modis tollitur Interdictum. 1. Si latum ſit ad tempus, vel ſub conditione, elapſo tempore, vel impleta conditione ſtatim ceſſat. 2. Si latum ſit a jure, nec delictum, ob quod eſt indictum, ſit deductum ad forum contentioſum, etiam ante temporis terminum, vel conditionis impletionem, ab Epiſcopo tolli poteſt, ſicut pariter, ſi non ſit reſervatum, poteſt vel auferri, vel ſuſpendi ab Epiſcopo, vel alio habente juriſdictionem in Communitatem Interdicto obnoxiam. 3. Nequit Epiſcopus Interdictum perſonaliter a Pontifice latum tollere, ſuſpendere, vel relaxare. Si ſit abſolute latum, ut generale, ſive locale, ſive perſonale, non niſi abſolutione tollitur, & quidem vel ab eo, qui illud indixit, ſi ſit ab homine; vel ab eo, qui juriſdictionem habet in foro exteriori ſupra interdictos. 4. Si locus interdictus alienetur, & ad alium tranſeat Dominum, adhuc remanet interdictus; res enim cum ſuo onere tranſit. 5. Si latum ſit in Collegium, vel Communitatem, & hæc diſſolvatur, ceſſat interdictum: quia ſicut Collegium eſſe deſinendo privilegio privatur, ita & oneribus non amplius premitur; exceptis tamen ſemper iis, qui interdicto cauſam præbuere. 6. Si Interdictum ſit perſonale eodem tollitur modo, quo tolluntur cenſuræ: eapropter ſi ſit latum ab homine, ab eo ſolum auferri poteſt, qui tulit, vel ejus Delegato, vel ſucceſſore, vel Superiore, ſi ſit a jure, ſed non reſervatum, tolli poteſt a quocumque Confeſſario, ut colligitur ex Cap. *Nuper* 29. de Sent. excom.

XII. Ad interdictum accedit *Ceſſatio a Divinis*, cum quo in eo convenit, quia Fideles privat ſpiritualibus bonis: differt vero, quia proprie nec cenſura eſt, nec pœna, ſed ſimplex prohibitio Divinorum Officiorum in ſignum mœroris ab Eccleſia concepti ob graviſſimum aliquod facinus commiſſum in Deum, vel in Sacras Miniſtrorum perſonas: ejus tamen violatio, licet ſit grave crimen contra præceptum Eccleſiæ, non tamen violantem efficit irregularem. Soli Regulares ſubjacent excommunicationi, ſi hoc interdictum violent, ut habetur in Clem. 1. de ſent. excom. 4. Gravior tamen eſt ipſo interdicto: nam hoc durante, licet divina officia celebrare janius clauſis, & aliquando etiam conſueta ſolemnitate, & Clericos eccleſiaſtica ſepultura honorare; at in ceſſatione a Divinis hoc idem prohibetur, nec niſi una conceditur Miſſa in hebdomada ad renovandas particulas, nullo tamen admiſſo, niſi qui Miſſæ inſerviat. Baptiſma tamen, Confirmationem, & Pœnitentiam adminiſtrare conceditur, & Euchariſtiam in mortis periculo, omiſſis tamen conſuetis orationibus, quæ ejus præcedunt, & ſubſequuntur adminiſtrationem. Ceſſatio a Divinis in jure nulla indicitur, niſi quæ violationem Eccleſiæ ſubſequitur, in qua, donec reconcilietur, a divinis officiis ceſſandum eſt. Solum igitur ab iis indici poteſt, qui juriſdictionem in foro externo donantur, in quorum voluntate poſitum eſt, ut ceſſatio a divinis ſit generalis in tota ſua juriſdictione, vel ſolum particularis in aliquibus locis, vel Eccleſiis, & ab eo etiam tolli poteſt. Sed ut legitime indicant, plures ſervare tenentur conditiones. 1. Ut juſta ſit cauſa, & quidem gravis, & proportionata. 2. Ut evidenter conſtet, cauſam datam eſſe, quæ & juridice exprimi debet. 3. Immo parti intimanda, & rogandum, an velit potius ſatisfacere. Quod ſi feratur a Capitulo, vel Communitate, tunc ſunt aliæ duæ conditiones neceſſariæ, nimirum 1. ut quando celebrandum eſt Capitulum pro ceſſatione indicenda, omnes, & ſinguli vocentur, qui voce, & ſuffragio gaudent. 2. Ut major pars Capituli conſentiat.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Interdictum generale perſonale non infert interdictum locale.*
II. *Quinam excipiendi in interdicto generali perſonali.*
III. *Notanda in Conceſſione Bonifacii VIII.*
IV. *Quid agendum indicta ceſſatione a Divinis.*

Conſectarium Primum.

I. POſito interdicto perſonali generali non ſequitur interdictum locale. Hanc doctrinam inficiantur nonnulli Canoniſtæ, Covarruvias & Henriquez. At alii probabiliorem putant poſitam doctrinam: nam interdictum perſonale, licet generale, eſt ſemper plane diſtinctum ab interdicto locali; quæ duo plane confunderentur, ſi interdicto perſonaliter populo, ſubjiceretur interdicto etiam locus, ſeu Civitas. Nec obſtat populum jam non poſſe intereſſe divinis Officiis, proinde locum non eſſe eorum celebrationi. Nam interdicto populo, non tamen interdictus eſt Clerus, qui proinde in loco populi interdicti poteſt divina Officia ſolemniter celebrare, & apertis januis, quæ ſolum per accidens tunc clauſæ eſſe debent, quando excludendi ſunt a Templo interdicti. Quod ſi interdictus ſit Clerus, populus alios poteſt arceſſere Clericos ad divina peragenda miniſteria. Si vero interdictus ſit Clerus ſimul, & populus, adhuc poſſunt Sacerdotes ad Clerum illum non pertinentes, & Laici populi partem non conſtituentes reſpective & celebrare, & adeſſe divinis Officiis, ac Miſſæ ſacrificio. Quando vero tempore interdicti adminiſtrantur Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ ſunt conſuetæ ſervandæ ſolemnitates; licet alii oppoſitum ſentiant, innixi cap. *Alma mater*. Nam illo in capite ſolum ſermo eſt de divinis Officiis, quæ celebranda indicit ſine ſolemnitate, & ſubmiſſa voce: at ubi concedit præfata miniſtrare Sacramenta, nullam apponit limitationem. Non ſunt tamen eo tempore admittendi, niſi illi, qui ad cęremoniarum, & adminiſtrationis ſolemnitatem requiruntur.

Conſectarium Secundum.

II. Non omnes ligantur interdicto perſonali etiam generali. Nam 1. excipiuntur, ut ſuperius diximus, Epiſcopi, niſi eorum expreſſa habeatur mentio. 2. Pueri, & qui doli capaces non ſunt, cum incapaces ſit prohibitionis per interdictum appoſitæ: ſolum ab eccleſiaſtica excluduntur ſepultura, cum ſepeliri non poſſint ſine Sacerdotum, & Cle-

Clericorum miniſterio, quibus per ipſum interdictum vetitum eſt ſepelire in loco ſacro. 3. Peregrini, exteri, aliique, qui ſine domicilio, licet per longum tempus, inter interdictos commorentur, quia licet teneantur legibus locorum, non tamen iis afficientibus perſonas, quatenus partes ſunt populi, ſub quo reſpectu perſonale etiam generale interdictum perſonas reſpicit. Si quis proinde duplex habeat domicilium, alterum in loco populi interdicti ſitum, alterum extra, ſi primum inhabitet, ſubjacet interdicto, cum ſit tunc pars populi, non vero, ſi in alio commoretur. Interdicto perſonali, ſive generali, ſive ſpeciali non ſubjacet, qui illud tulit, nec ejus æqualis, aut Superior; quia cum directe in perſonam cadat, & quidem ferenti interdictum perſonale ſubditam, palam eſt neminem, vel æquali, vel ſuperiori, vel ſibi ipſi imperare poſſe. Secus vero, ſi interdictum locale ſit: tunc enim cadit in locum Superiori ſubditum; & pœnæ, quæ ejus violationem ſubſequuntur, non ab ipſo interdicti auctore indicuntur, ſed a Jure canonico, cui & ipſe ferens, & omnes Clerici ſubjiciuntur; proinde & ipſum obſtringunt auctorem, & æqualem, & etiam Superiorem, niſi qui vel æqualis, vel Superior eſt, interdictum auferat.

Conſectarium Tertium.

III. Quoad facultatem conceſſam a Bonifacio VIII. cap. *Alma* celebrandi Miſſam, & divina Officia ſingulis diebus in Monaſteriis, & Eccleſiis, ſed ſubmiſſa voce, januis clauſis, non pulſatis campanis, & etiam ſolemniter in aliquibus diebus, ut ſuperius diximus, animadvertendum 1. eam locum non habere niſi in interdicto generali, non vero in ſpeciali. 2. Non prodeſſe Laicis, ſed ſolum Clericis, quo nomine deſignantur, qui gaudent privilegio fori, & canonis: eapropter non licere Miſſam celebrare in privatis Oratoriis, cum non veniant nomine Eccleſiæ, de qua ſolum loquitur Pontifex. 3. Incertum eſſe, num Paſchatis, & Pentecoſtes nomine etiam duo ſubſequentes dies comprehendantur. 4. Tunc illos, *propter quorum exceſſum* indictum eſt interdictum, eſſe ab oblatione facienda excludendos, licet aliqui Theologi repugnent; immo eſſe longius ab Altari retinendos, ut minus, quam alii fideles, Privilegio frui dignoſcantur.

Conſectarium Quartum.

IV. Indicta ceſſatione a divinis, niſi conveniant & qui ceſſationem indixit, & qui cauſam dedere, debent intra Miſſam coram Pontifice cauſam dicere, ne Eccleſia, & populus ſuis officiis privetur, & miniſteriis, & ipſe de opportuno provideat remedio. Quod ſi juſta detegatur ratio indicendæ ceſſationis a Divinis, qui in cauſa fuit, tenetur omnia ex illo provenientia damna reſarcire; & præterea eſt in aliqua pecuniæ quantitate mulctandus, quæ in augmentum divini cultus impendatur. Qui vero injuſte, vel ſine ſufficienti ratione eam indixit, omnibus privatur fructibus, quos tempore ceſſationis vel recepit, vel recipere poterat, & ipſe pariter ad damna innocentibus illata reſarcienda tenebitur.

CAPUT NONUM.

De Irregularitate in communi.

DOCTRINA.

I. *Irregularitatis definitio.*
II. *Ejus diviſio.*
III. *Enumerantur irregularitates ex delicto, & defectu.*
IV. *Effectus irregularitatis explicantur.*
V. *Num ignorantia excuſet ab irregularitate.*
VI. *Quomodo tollatur.*

I. IRregulare idem valet, ac alienum a regula, ſive regulæ contrarium. Hinc in Nicæno Concilio can. 17. Clericos uſuras, vel turpe lucrum ſectantes, dejiciendos indicitur a Clero, & alienos exiſtimandos a regula. Definitur itaque irregularitas, *Canonicum impedimentum, vel ex facto proveniens, vel ex defectu, per quod vir baptizatus impeditur ab Ordinum ſuſceptione, vel a ſuſceptorum uſu, & miniſterio, etiam poſt pœnitentiam.* Dicitur *impedimentum*, non cenſura; quippe quia irregularitati quis ſubjicitur aliquando etiam ſine culpa vel propria, vel aliena. Additur *Canonicum*, quia inductum jure Eccleſiaſtico; nec ulla eſt irregularitas, quæ indicitur ab homine, ſicut nec contrahitur irregularitas, niſi in caſibus a jure expreſſis. Additur *ex facto, vel ex defectu* proveniens, ad indicandam duplicem irregularitatis cauſam, ut mox explicabimus. Quæ ſequuntur verba indicant irregularitatem per ſe primo impedire Ordinum ſuſceptionem, & ſolum ſecundario impedire in ſuſceptis Ordinibus miniſterium. Additur etiam *poſt Pœnitentiam*; quia irregularitas ex crimine contracta remanet adhuc poſt criminis deletionem, & eſt ſolum per diſpenſationem tollenda. Verba vero *vir baptizatus* ſubjectum indicant irregularitatis canonicæ: nam infideles, & mulieres, licet ab Ordinum ſuſceptione arceantur, non tamen irregulares proprie dicuntur, ſed jure naturali, & divino inepti ad ſacra miniſteria obeunda.

II. Duplex diſtinguitur irregularitas in Jure Canonico, ſcilicet ex defectu, & ex delicto, quæ in hoc diſtinguuntur. 1. Quia irregularitas ex defectu ceſſat, ceſſante defectu; quæ vero eſt ex delicto, nonniſi diſpenſatione tollitur. 2. Irregularis ex delicto impeditur a ſuſceptione Ordinum, & ab eorum miniſterio: at irregularis ſolum ex defectu a ſuſceptorum Ordinum miniſterio non ſemper impeditur, ut in ſequentibus dicemus. 3. Epiſcopi poſſunt quidem facultate ſibi a Tridentino conceſſa irregularitatem auferre, quæ provenit ex delicto occulto; minime vero illam, quæ ex defectu trahit originem. Secundo dividitur irregularitas in totalem, & partialem. Priore irretitus impeditur tam a ſuſceptione Ordinum, quam ab omnium ſuſceptorum miniſterio; & talis eſt irregularitas, quæ oritur ex delicto. Partialis vero, quæ ſolum vel ab aliquorum ſuſceptione, vel miniſterio impedit: & hæc provenire poteſt ex ſolo defectu; ut ſi Sacerdos dextera morbo, vel vulnere privetur, irregularis quidem evadit ad Miſſam celebrandam, minime vero impeditur a Sacramenti Pœnitentiæ miniſterio.

III. Ir-

III. Irregularitates ex delicto octo enumerantur, provenientes 1. ex homicidio voluntario injuſto. 2. Vel ex injuſta, & voluntaria mutilatione. 3. Ex iteratione Baptiſmi. 4. Ex mala Ordinum receptione. 5. Ex Cenſurarum violatione. 6. Ex Apoſtaſia. 7. Sive hæreſi. 8. Denique a delicto infamiam ſecum afferente. Irregularitatis autem ex defectu novem enumerantur ſpecies, ſcilicet defectus, 1. Natalium. 2. Animæ. 3. Corporis. 4. Ætatis. 5. Libertatis. 6. Obligationis ad ratiocinium. 7. Famæ. 8. Bigamiæ. 9. Lenitatis. Et jure merito ſunt hæc omnia poſita impedimenta, quippe quia decor, & honor Religionis poſtulat, ut ſacra miniſteria decenter, & irreprehenſibiliter miniſtrentur: quare ab eorum exercitio illi arcentur vel certis defœdati criminibus, vel impediti defectibus, qui vel Eccleſiæ adverſantur ſpiritui, vel talem inurunt labem, & maculam, quæ populorum animos offendit.

IV. Tres enumerantur irregularitatis effectus, nimirum 1. impedit ſuſceptionem Ordinum, etiam primæ Tonſuræ; non tamen eam invalidam efficit, ſed illicitam: unde & valide Ordines confert Epiſcopus irregularis, & valide ſuſcipit irregularis Clericus; peccant tamen graviſſime, licet nonniſi prima vel conferatur, vel recipiatur Tonſura, cum violent Eccleſiæ ordinationem in re gravi: quia magni momenti eſt hominem irregularem in Clerum admittere, Privilegiorum Clericalium participem efficere, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum capacem. 2. Privat uſu ſuſceptorum Ordinum, & quidem omnium, ſi totalis ſit, vel ſolum aliquorum, ſi partialis, juxta dicta n. 2. 3. Arcentur a Beneficiis, & quidem omnibus, ſi totalis ſit irregularitas; ſolum vero ab aliquibus, ſi ſit partialis: hi enim ſolum ab eo arcentur Beneficio, quod Ordinis poſtulat miniſterium, ad quod ob irregularitatem inepti ſunt. Nomine autem Beneficii etiam Eccleſiaſticæ comprehenduntur dignitates.

V. Ignorantia ſive irregularitatis, ſive legis Eccleſiaſticæ irregularitatem indicentis, ab ea incurrenda non excuſat. Certa omnino eſt hæc doctrina in irregularitatibus ex defectu; quippe quæ ſunt impedimenta nullam culpam poſtulantia, & de ſe indecentiam afferentia. Solum aliqua poteſt eſſe difficultas in irregularibus ex delicto: cum enim tunc irregularitas habeat rationem pœnæ, non videtur pœna infligenda vel legem, vel ipſam pœnam invincibiliter ignoranti. Verum aliter dicendum eſt. Nam primo minime verum eſt, pœnam non medicinalem, ſed vindicativam non incurri ab eam ignorante; ſed illi ſemper ſubjicitur reus patrato delicto: talis eſt autem irregularitas, quæ pœna eſt vindicativa: quare patrato crimine, ſive ignoretur lex, ſive ipſa pœna, tamen indeclinabiliter incurritur. Præterea irregularitas fundatur in indecentia, per quam maculatos ab Ordinibus arcere convenit. Porro hæc indecentia ſponte ſua ſubſequitur crimen admiſſum, licet vel lex, vel pœna ignota fuerint: hinc qui homicidium committit, irregularis eſt, licet & legem Eccleſiæ neſciat, & pœnam irregularitatis homicidio adnexam ignoret. Ea igitur ſola ignorantia excuſare poteſt ab incurrenda irregularitate ex delicto, quæ a peccato mortali excuſat; cum non niſi ob culpam, & quidem gravem, quis ex delicto ſubjiaceat irregularitati, ut in ſequentibus clarius apparebit.

VI. Tolluntur vero irregularitates ex defectu, vel eo ceſſante, vel diſpenſatione, ut inferius explicabimus de illis ſingillatim agentes. Irregularitates vero ex delicto 1. tolluntur diſpenſatione. Hanc autem in omnibus irregularitatibus concedere poteſt Summus Pontifex, & Epiſcopi etiam, ut diximus, ſi delictum ſit occultum, nec ad forum contentioſum deductum, excepto tamen homicidio. Prælati quoque Regulares ex conceſſionibus, & privilegiis plurium Summorum Pontificum, & præſertim S. Pii V. poſſunt cum ſuis ſubditis æque, ac Epiſcopi, in irregularitatibus diſpenſare. 2. Tolluntur per Baptiſmum, in eo quidem ſenſu, non quaſi ante Baptiſmum homo ſubjiciatur legibus Eccleſiæ, a qua ſunt conſtituta hæc impedimenta; ſed quatenus adhuc remanet fundamentum, ex quo conſurgere poſſet in baptizato irregularitas, quod per Baptiſmum omnino tollitur: & in hoc ſenſu dicitur Baptiſmus auferre irregularitatem. Immo & aliqua ex defectu tollitur irregularitas, per Baptiſma ſcilicet, quæ ex defectu oritur lenitatis. 3. Nonnulli putant & ex Profeſſione Religioſa tolli omnem irregularitatem ex delicto. Verum melius dicendum puto 1. per Profeſſionem Religioſam faciliorem effici cujuſcumque irregularitatis diſpenſationem. 2. Illegitimos poſſe ad Ordines promoveri, licet non ad Prælaturas etiam regulares. 3. Prælatos Regulares poſſe ſibi ſubditos ab omni irregularitate abſolvere ea omnimoda poteſtate, qua quoad ſuos ſubditos gaudent Epiſcopi ex pluribus Bullis, ſed præſertim Sixti IV. Conſt. incipiente *Regimini univerſalis Eccleſiæ*, & S. Pii V. Conſt. *Romani Pontificis* IV. in qua ſic §. 3. ſtatuit: „ Quia Sacrum Œcumenicum Concilium „ Tridentinum conceſſit Epiſcopis, ut abſolvere „ poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omni- „ bus peccatis, & diſpenſare in irregularitati- „ bus, prout ſeſſ. 24. Cap. 6. habetur; ne Prior „ Conventualis, & Superiores Prælati dicti Ordi- „ nis (P. P.) tam in dicta Provincia (Hiſpaniæ) „ quam extra eam ubilibet in hac parte deterio- „ ris conditionis, quam Clerici, aut ſeculares, „ exiſtant, eidem Priori Conventuali & Superio- „ ribus Prælatis ut ipſi per ſe ipſos idem omni- „ no poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis „ ſibi ſubditos, quod poſſunt Epiſcopi in Lai- „ cos, & Clericos ſibi ſubjectos, tam quoad „ abſolvendi, & diſpenſandi poteſtatem . . . . „ perpetuo concedimus, indulgemus, ac etiam „ declaramus “. Legantur, quæ diximus Diſſ. 5. Cap. 6.

CAPUT DECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Irregularitati nemo ſubjicitur, niſi in caſibus in jure expreſſis.*

II. *Quando irregularitas conſecutionem Beneficii impedit.*

III. *Irregularis Beneficium obtinens non facit fructus ſuos.*

Conſectarium Primum.

I. IRregularitati nemo ſubjicitur, niſi in caſibus in jure expreſſis. Licet atrociora ſint de-

deliſta, & pejora illis, quibus adnexa eſt irregularitas, ſi tamen a jure hæc non ſit conſtituta pœna, non incurritur; ut habetur Cap. *is qui* de ſent. Excom. ubi ſtatuitur: „ Sacerdotem celebrantem in „ Eccleſia polluta, & coram excommunicatis de„ nuntiatis nullam incurrere irregularitatem, hac „ univerſali ratione, *cum id non ſit expreſſum in* „ *jure* “. Præterea irregularitas, quæ ſupervenit Beneficiario, ipſum beneficio non privat ex indole ſua, cum ſolum reſpiciat Ordinum receptionem, eorumque miniſterium; immo nec juriſdiſtione, quæ ſine uſu Ordinis exerceri poteſt. Excipitur ſolum, quæ homicidium graſſatorium ſubſequitur, ut habetur in *6*. Cap. 1. de Homicidio.

Conſectarium Secundum.

II. Irregularitas, quæ beneficii præcedit impetrationem, ſi totalis ſit, licet occulta, ineptum reddit ea irretitum ad obtinendum quodcumque Beneficium; ſi vero ſit partialis, ſolum illorum Beneficiorum impedit aſſecutionem, quorum munia exercere non poteſt, non vero quorum poteſt officia implere. Irregulari itaque totali collatio facta Beneficii nedum illicita, ſed & irrita eſt. Non conſentiunt quidem huic aſſertioni nonnulli Canoniſtæ, ut Felinus, & Salmanticenſes: verum noſtra doctrina probabilior eſt. Nam irregularitas totalis arcet ſubjectum ea inquinatum a toto ſtatu Clericali; neceſſario igitur arcet ab iis omnibus, ſive officiis, ſive privilegiis, quæ ſolo ſtatui Clericali queunt convenire. Porro Beneficia valide ſolum Clericis conferri poſſunt. Ergo nedum illicite, ſed & invalide conferuntur totaliter ineptis ad Clericalem ſtatum. Confirmat & Tridentinum Concilium, dum ſeſſ. 22. cap. 4. de Reformat. univerſaliter ſtatuit de Beneficiis: *Ne aliis impoſterum fiat proviſio, niſi iis, qui jam ætatem, & ceteras habilitates integre habere dignoſcantur, aliter irrita ſit proviſio.*

Conſectarium Tertium.

III. Irregularis, qui in irregularitate Beneficium obtinet, non facit fructus ſuos: eapropter illos reſtituere tenetur, etiam ante omnem ſententiam judicis; cum deſit legitimum fundamentum ea obtinendi, ſcilicet Beneficium. Et ideo ſi ſciens volens impetravit Beneficium, tanquam malæ fidei poſſeſſor omnes fructus reſtituere tenetur: ſi vero ignorans invincibiliter irregularitatem, ea reſtituere ſat erit, quæ ſuperſunt, & in quo factus eſt ditior, juxta regulas ſuo loco traditas, de reſtitutione facienda a poſſeſſore bonæ, vel malæ fidei. Præterea tenetur ſtatim Beneficium dimittere, niſi ab irregularitate diſpenſationem, & novam obtineat Beneficii collationem. Nec illi prodeſt clauſula apponi aſſueta in Litteris Apoſtolicis; quippe pro eo tantum caſu cenſuras quidem ſuſpendit, at minime in irregularitate diſpenſat. Ita Garcias, Navarrus, & communiter Canoniſtæ.

CAPUT UNDECIMUM.

De Irregularitatibus ex delicto.

DOCTRINA.

I. *Quando ex homicidio neceſſario, vel voluntario oriatur irregularitas.*
II. *Num cooperantes homicidio irregularitati ſubjiciantur.*
III. *Quando ex homicidio caſuali oriatur irregularitas.*
IV. *Quinam diſpenſare poſſunt in irregularitate ex homicidio.*
V. *Quando incurritur irregularitas ex iteratione Baptiſmi.*
VI. *Quando quis ex prava Ordinum ſuſceptione irregularis efficiatur.*
VII. *Quando ex violatione cenſurarum.*
VIII. *Hæretici, & Apoſtatæ ſunt irregulares.*

I. IRregularitatis ſpecies ex delicto enumeravimus n. 3. cap. 9. Nunc eas ſumimus exponendas. Primam itaque ſpeciem conſtituit homicidium, & mutilatio. Homicidium vero tripliciter committi poteſt, nimirum *ex neceſſitate*, *ex malitia*, *ex caſu*. Primum contingit, quando quis cum moderamine inculpatæ tutelæ ad ſuæ vitæ defenſionem alterum enecat. Secundo, quando quis voluntarie, & ex malitia alterum occidit. Tertium, cum quis præter intentionem mortis alterius eſt cauſa. Qui primo modo occidit, nullam incurrit irregularitatem; cum nullum ſit crimen, immo nec verum homicidium. Homicidium vero injuſtum, & voluntarium graviſſimam inducit irregularitatem, a qua raro conceditur diſpenſatio; requiritur tamen, ut mors hominis ſequatur, ea enim excluſa, non habetur amplius reale homicidium, licet animo conceptum, & volitum. Hanc incurrunt ii omnes, qui actione ſua phyſica, ſive morali in mortem proximi influunt; proinde non ſolum qui in duello, ex ira, & odio, in bello injuſto, vel proditorio, vel venenum propinando interficiunt, ſed etiam mandantes, conſulentes, cooperantes, auxilium præbentes; ut ſtatuitur cap. 3. de Pœnit. diſt. prima: „ Perniciose ſe „ decipiunt, qui exiſtimant, eos tantum homici„ das eſſe, qui manibus hominem occidunt, & „ non potius eos, per quorum conſilium, & frau„ dem, & exhortationem homines extinguntur “. Unde cap. *Si quis* 8. diſt. 50. ſtatuitur: „ Quiſquis „ homicidii aut facto, aut conſilio aut præcepto, „ aut aſſentatione . . . . conſcius fuerit, a Cle„ ricatu in perpetuum dejiciatur “. Mandans autem ille dicitur, qui expreſſe, vel tacite illud jubet, licet mandatum revocet, ſed revocatio ad mandatarii notitiam non deveniat: immo & ſi mandatarius primo renuat, at poſtea mutata voluntate exequatur, quantumvis interim ipſe mandans de mandato pœnituerit, cum ſemper verum ſit, homicidium ex ejus profluxiſſe præcepto: ſecus autem ſi mandatum revocaverit, & mandatarius de revocatione certior fuerit effectus.

II. Cooperantes quoque iniquæ occiſioni irregularitatem contrahunt; ut omnes, & ſinguli milites

tes in bello injuſto pugnantes, etſi nonniſi eorum unus occidat: ſicut ſi plures ſe mutuo invitent, excitent ad cædem, vel armati homicidio aſſiſtant, licet unus tantum occidat, vel mutilet. Quoad conſiliarios vero, veram non puto illorum Doctorum opinionem, qui cenſent conſulentem eſſe immunem ab irregularitate, ſi etiam ſine ejus conſilio homicidium patratum fuiſſet: non enim inſpiciendum eſt, quid ſine illo factum fuiſſet, ſed quid cum illo patratum ſit. Utique ſine ejus conſilio ſecutum fuiſſet homicidium; at cum ejus conſilio commiſſum eſt; & hoc ſufficit, ut vere homicidio cooperetur, & reus ſit homicidii; quamobrem irregularitati fiat obnoxius. Quod ſi ſerio conſilium ſuum efficaciter revocet, & homicidium impediat, quantum poteſt, cohærens iis, quæ alibi dixi, puto, ſicut a crimine liberatur, ita & irregularitatem effugere.

III. Ex homicidio vero caſuali, ſi illud ſit plene involuntarium, nulla incurritur irregularitas: proinde qui dat operam rei licitæ, & debitam non omittit diligentiam, ut a cæde caveat, etſi ſequatur homicidium, non ſit irregularis. Quod ſi debitam non ſervet diligentiam in cavendo homicidio, irregularitatem non vitat. Negligentia vero debet eſſe cum culpa, & quidem non juridica tantum, ſed & theologica, ac mortali: in caſu vero homicidii culpa raro levis eſſe poteſt ratione materiæ, ſed ſolum ratione ſubreptionis, & inadvertentiæ. Qui vero dat operam rei illicitæ, ad evitandam irregularitatem non ſatis erit, ſi eam adhibeat diligentiam, quæ communiter adhiberi ſolet, ſed attentiore opus eſt ſtudio, & majori diligentia: alioquin ſecuto homicidio eſt irregularis habendus, præſertim ſi actio illius ſit etiam periculoſa, ut docet S. Th. 2. 2. q. 64. art. 8. ſcribens: „ Ille, „ qui non removet ea, ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat removere, incurrit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo, quando dans operam *rebus illicitis*, *quas vitare debet*, homicidium incurrit: alio modo, quando non adhibet debitam ſollicitudinem. Et ideo ſecundum jura, ſi aliquis det operam *rei licitæ*, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur, non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam *rei illicitæ*, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, ſi ex ejus opere homicidium ſequatur". Quod docuerat & in 4. Sent. diſt. 20. qu. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 3. „ Nullus facit niſi illud, cujus eſt cauſa, quod eſt voluntarium in homine: & ideo ille, qui ignoranter hominem occidit homicidio caſuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, *niſi dederit operam rei illicitæ*, vel niſi omiſerit debitam diligentiam". Primum patet in illo, qui non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ injuſtum occidit invaſorem: quia licet det operam rei licitæ, ſuæ nimirum defenſioni; tamen debitam non adhibet diligentiam, ne invaſorem occidat. Alterius vero exemplum eſt in illo, qui mulierem prægnantem calce petit ira percitus, etſi abortum nec voluerit, nec intenderit, ſi tamen ſequatur, irregularis habetur; quod certum eſt de procurante abortum animati fœtus illo ſecuto. Irregularitati quoque ſubjicitur, qui ex juſtitia obſtrictus, proximi occiſionem negligit, vel omittit. Quod autem de homicidio diximus, eſt & mutilationi applicandum. In quo tamen ſolum attendenda diſtinctio inter mutilationem, & debilitationem: illa ſiquidem affert membri alicujus a corpore ſeparationem; hæc vero ſolummodo membrum adhuc corpori conjunctum relinquit, ſed vel inutile, vel debilitatum: ex priori certo ſequitur irregularitas; ex poſteriori vero probabilius cenſent Canoniſtæ non certo ſequi.

IV. Diſpenſare in irregularitate ex quocumque homicidio ſolus poteſt Summus Pontifex, qui tamen raro cum homicidis voluntariis, & injuſtis diſpenſat. Epiſcopi vero diſpenſare non poſſunt ab irregularitate contracta ob homicidium voluntarium injuſtum, immo nec juſtum; cujuſmodi eſt quod publica ſit auctoritate, & defectum inducit lenitatis: quod patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. ubi ſolum Epiſcopis conceditur, ut diſpenſare poſſint in omnibus irregularitatibus *ex delicto* occulto provenientibus, excepto *homicidio voluntario*; proinde ſolum diſpenſare poſſunt in homicidio caſuali occulto, cum homicidium caſuale non ſit omnino voluntarium. Prælati vero Regulares non poſſunt in hac irregularitate ſuos ſubditos diſpenſare, licet homicidium perpetraverint ante Religionis ingreſſum, multoque minus poſt: nam privilegia ante Tridentinum illis conceſſa per ipſum revocata ſunt; poſteriora vero ad ſummum nonniſi eam concedunt facultatem, quam obtinent Epiſcopi in ſuos ſubditos, quos certum eſt diſpenſare non poſſe in irregularitate ob homicidium voluntarium etiam occultum; ſicut nec ab irregularitate orta ex abortu fœtus animati, licet occulto, effectu ſecuto. Legatur P. Gabriel a Vicentia par. 2. cap. 31. & quæ diximus Diſſ. 4. cap. 6. n. 11.

V. Altera irregularitas oritur ex iteratione Baptiſmi. Huic ſubjiciuntur irregularitati 1. qui iterum baptizat ſemel baptizatos, licet ſub conditione; niſi, ut docent Catechiſmus Romanus, & S. Carolus Borromæus in Inſtruct. de Baptiſmo, *re diligenter perquiſita*, *verum relinquatur dubium*, *an Baptiſmus rite datus ſit*. Legantur ea, quæ diximus de Baptiſmo. 2. Qui ſciens, & volens, nec prudenter dubius de ſuſcepto Baptiſmo iterum baptizari vult, vel permittit. Non ſubjiciuntur tamen, qui in infantia ignorantes bis baptizati ſunt. Sicut nec Parochus, qui non admonitus de Baptiſmo domi dato infanti, vel ex inadvertentia de hoc non interrogans, puerum ad Eccleſiam delatum more ſolito baptizaret, cum nullam animo conceperit intentionem baptizandi jam baptizatum, immo noluiſſet baptizare, ſi reſciviſſet. 3. Qui etiam ex metu gravi iterum vel baptizaret, vel baptizari ſe ſineret. 4. Qui ab hæretico denuntiato Baptiſmum voluntarie, & ſine neceſſitate ſuſciperet. 5. Qui Baptiſmi ſuſceptionem uſque ad mortem differret. 6. Etiam qui rebaptizanti miniſtrant, & reſpondent: at in iſtis irregularitas impedit aſcenſum ad ſuperiores Ordines, non vero in ſuſceptis miniſterium; & ſi occulta res ſit, nec hoc inducit impedimentum. Auferri autem poteſt irregularitas ex iteratione Baptiſmi, ſi occulta ſit, ab Epiſcopis. Hæc irregularitas locum non habet in repetita receptione aliorum Sacramentorum, etiam characterem imprimentium; cum nulla in jure ſit

ſit indicta irregularitas, niſi iterantibus Baptiſma.

VI. Tertia irregularitas oritur ex prava Ordinum receptione. Huic ſubjiciuntur, qui nec adprobati, nec admiſſi fraudulenter ſe ordinandis immiſcent. 2. Qui eodem die plures Ordines ſacros ſuſcipit, irregularitatem incurrit, ſi in ipſa receptione, Ordinis exerceat miniſterium. Hinc Sacerdotes hoc pacto ordinati irregularitatem incurrunt, quippe qui cum Epiſcopo conſecrant; ſecus vero Diaconus, qui in ordinatione Evangelium non legeret. Ratio autem eſt, quia irregularitas reſpicit Ordinum ſuſceptionem, quam impedit, eapropter ipſos Ordines debet præcedere; ſuſpenſio vero exercitium, & miniſterium Ordinum pro objecto habet: qui itaque duos Ordines ſacros eodem die ſuſcipit, ſuſpenſione punitur; officium exercens ſuſpenſus, irregularitatem incurrit, ut paulo poſt dicemus. Quare irregulares non ſunt, qui per ſaltum Ordines recipiunt, puta Diaconatum ante Subdiaconatum, vel ante ætatem legitimam, vel extra tempora a jure ſtatuta, vel abſque dimiſſoriis litteris, niſi in ſuſceptis miniſtrent Ordinibus; ſic enim ſuſpenſionis violant cenſuram, & irregularitati fiunt obnoxii. 3. Qui non ordinatus Ordinis alicujus, quem non obtinuit, miniſteria ſolemniter ſibi uſurpat, irregularis efficitur. Hinc Clericus, vel Subdiaconus ſolemniter Baptiſmum miniſtrans & irregularis efficitur, & inſuper anathemate percellitur: *Si quis baptizaverit* (ſtatuitur titulo de Clerico non ordinato miniſtrante) *aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem ejiciatur de Eccleſia, & nunquam ordinetur.* 4. Conjugati, qui etiam matrimonio non conſummato aliquem ſacrum Ordinem ſuſcipere præſumunt.

VII. Quarto oritur irregularitas ex violatione cenſurarum: & ideo qui excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, etſi tolerati & occulti, Ordinum majorum miniſteria ſolemniter celebrare audent, fiunt irregulares. Dicitur etiam *tolerati*, & *occulti*, quia Conſtitutio Martini V. illis non favet, ſed aliis cum eis communicantibus. Additur *Ordinum majorum*: nam minorum Ordinum munia etiam a Laicis, & non ordinatis ſolent exerceri; niſi forte in aliqua Eccleſia mos ſit, ut non niſi ab ordinatis exerceantur. Ideo etiam qui Subdiaconi exerceret miniſterium Epiſtolam in Miſſa canendo, ſed ſine manipulo, irregularitatem effugeret; quia non ex officio, ſed ex commiſſione munus illud impleret. Qui ſacramentaliter abſolvit, licet occulte Sacramentum Pœnitentiæ miniſtret, ſit irregularis; quia hoc Sacramentum nullam requirit ſolemnitatem. Immo & qui, cum Sacerdos non ſit, confeſſionem tamen alterius excipit, licet oppoſitum ſentiat Sylveſter: hoc enim miniſterium in *divini Officii* nomine continetur, quod nonniſi a Sacerdote fieri poteſt. Qui vero juriſdictione carens audet Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare, irregularis non efficitur, cum a jure ſtatuta ſit irregularitas, non contra uſurpantes juriſdictionem, quam non obtinent, ſed contra exercentes miniſterium Ordinis, quem non obtinuerunt, ſicut nec Sacerdos, qui Parochi officium ſibi uſurpans, Matrimonio aſſiſteret, non fieret irregularis; ſed ipſo jure ſuſpenſionem incurreret, latam a Tridentino Conc. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. Ab hac irregularitate diſpenſant præter Summum Pontificem, etiam Epiſcopi, ſi ſit crimen occultum. Ab irregularitate vero ob exercitium ordinis non ſuſcepti, etſi publicum ſit, diſpenſare poteſt Epiſcopus quoad miniſterium Ordinum ſuſceptorum, non quoad aſcenſum ad ſuperiores, in quo pariter diſpenſat, crimine occulto.

VIII. Inter irregulares jure communi enumerantur Hæretici omnes, & Apoſtatæ a fide, eorumque fautores, & defenſores, qui nec quidem poſt converſionem ſunt ad Ordines promovendi; ut ſtatuitur in jure cap. *De Hæreticis* in 6. & ſolum cap. 21. 1. q. 7. illis conceditur, ut poſt converſionem in ſuſcepto Ordine maneant, *adempta ſibi omni ſpe promotionis*. Subjiciuntur autem irregularitati, licet ſint occulti, dummodo tamen hæreſim ſuam exterius quoquo modo manifeſtaverint; licet Suarez & de Lugo oppoſitum ut probabile traducant. Sicut & qui idolis ſacrificant, licet corde fidem retineant; non vero qui errorem contra fidem in corde retinentes, exterius non manifeſtant. Apoſtatæ quoque a Religione in cap. *Finali*, Diſt. 50. *Ad Clericatus officium admitti non debent*, ſunt propterea irregulares. Schiſmatici, qua tales, irregularitate non fœdantur; bene quidem, ſi ſimul ſint hæretici; etenim, ut dicitur in Jure canonico, *nullum ſchiſma, non aliquam ſibi confingit hæreſim*. In eodem jure irregulares declarantur hæreticorum filii uſque ad ſecundum gradum per paternam lineam; per maternam vero ad primum dumtaxat, ſive legitimi ſint, ſive nothi; dummodo tamen eorum parentes vel actu hæreſim profiteantur, vel in ea deceſſiſſe conſtet. Hæc tamen ſtatuta pro hæreticis locum non obtinent ubique. Nam in Galliis teſtibus Auctoribus Gallis, & in Germania teſte Bonacina, nec Hæretici, nec eorum filii irregulares habentur; ſed reverſi ad Eccleſiæ gremium abſque diſpenſatione ad Ordines promoventur. Ubi vero vigent hæc Decreta, irregularitas tolli non poteſt in hæreticis apertis, ſicut nec ab eorum filiis, niſi a Summo Pontifice, cum in his poſterioribus irregularitas ſit ex defectu. Occultos vero hæreticos ab irregularitate liberant, qui poteſtate pollent ab excommunicatione abſolvendi. Videantur, quæ ſuperius diximus Diſſer. 4. cap. 5. n. 9.

CAPUT DUODECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Occiſio ad defenſionem vitæ commiſſa irregularitatem olim inducebat.*
II. *Nonnullorum Caſuiſtarum falſæ doctrinæ exponuntur.*
III. *Quinam irregularitati ſubjiciantur ob occiſionem in defenſione vitæ.*
IV. *Qui ante Confirmationem Ordines ſuſcipit, non eſt irregularis.*
V. *Nec qui violat præceptum non exercendi ſacros Ordines.*

Conſectarium Primum.

I. OCciſio ad defenſionem propriæ vitæ, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, olim irregularitatem inducebat. Unde S. Thom. 2. 2. q. 64.

64. art. 7. ad 3. ſcribit: „ Clericus etiamſi ſe defendendo interficiat aliquem, irregularis eſt, „ quamvis non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere “. Jure autem recentiori putant Theologi hanc ſublatam irregularitatem, & Clementinam afferunt de Homicidio, ubi ſtatuitur: „ Nullam „ ex hoc irregularitatem incurrit, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit vel mutilat „ invaſorem “. Concilium tamen Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. de Reform. mandat hujuſmodi homicidis, ne ſacros Ordines recipiant, niſi diſpenſationem obtineant; quam tamen jure illis deberi fatetur. En Concilii verba: „ Si vero homicidium „ non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum, & Altaris miniſterium, & beneficia quæcumque, ac dignitates jure quodammodo diſpenſatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex cauſa, Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo, qui non niſi cauſa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, diſpenſare poſſit “.

Conſectarium Secundum.

II. Rejiciendæ ſunt ut falſæ, & laxæ nonnullorum Caſuiſtarum doctrinæ, quibus aſſerunt: Non eſſe homicidii reum, nec irregularitate ligari illum, qui ad evitandum leve vulnus in facie, aggreſſorem occidit. 2. Si fuga ſit ignominioſa viro nobili, vel militi, poſſe ea omiſſa, occidere aggreſſorem. 3. Idem dicendum & de Clerico, qui regulariter, & abſolute nullo modo tenetur fugere, ſed occidere poteſt, quin fiat irregularis. 4. Illum, qui cauſam ſua culpa invaſori dedit, ſi non prævidit damnum futurum, poſſe invaſori reſiſtere, abſque eo quod incurreret irregularitatem eum occidendo, tametſi fugiendo ſe liberare poſſit. 5. Nobiles, & milites, qui *ſine nota* fugere non poſſunt, licite poſſunt invadenti reſiſtere, & occidere: quia ex ſe fuga nobilibus, ac militibus ſemper ignominioſa eſt; & per accidens eſt, quod in tali caſu non ſequatur. 6. Homines etiam ignobiles, & mechanici, qui fugam *ſine periculo* poſſunt arripere, licet invaſori reſiſtant, non fient irregulares occidendo; quia omni generi perſonarum fugere eſt infamia, quam omnes vitare tenentur. Vah crudeles, truceſque doctrinæ, vitam auferentes, & ſanguinem fundentes ad vanum honorem tuendum! Qui itaque occidit invaſorem ad defendendam pecuniam, famam, honorem, exiſtimationem, bona temporalia, irregularitati ſubjicitur: tum quia peccat lethaliter, ut ſuo loco de Homicidio oſtendimus; tum quia illi tantum diſpenſatione dignantur a Tridentino Concilio, qui ob defenſionem vitæ, cum moderamine inculpatæ tutelæ, aggreſſorem iniquum interficiunt, vel mutilant.

Conſectarium Tertium.

III. Qui verbis, vel factis alium provocat ad iram, ſi ab ipſo invaſus, ob ſui defenſionem, illum etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit, vel mutilat, irregularitati ſit obnoxius. Adverſantur plures benigniores Caſuiſtæ. Verum poſita doctrina & probabilior eſt, & unice vera: nam provocando, illicitæ rei, & periculoſæ dedit operam; proinde ſi ſequatur homicidium, illud eſt provocanti voluntarium in cauſa, proinde reus eſt homicidii, & fit irregularis. Unde irregulares habendi ſunt adulteri, & fures, qui a marito, vel domino in furto, vel mœchia deprehenſi invaduntur, ſi ſe defendendo, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, illos vel mutilent, vel occidant. Pari pacto non evadit irregularitatem mandans alium occidi, ſi ipſe mandatarius occidatur; quia dans operam rei illicitæ, & periculoſæ prævidere poterat, & tenebatur ipſum mandatarium occidere quidem poſſe, ſed & ſimul occidi. Qui homicidium ſuo nomine, & gratia factum, etſi non mandatum, adprobat, & in illud conſentit, incurrit irregularitatem; non vero ſi ejus gratia patratum non ſit, vel in illud non conſentiet, quia tunc nullo pacto in illud influit. Qui ſe defendendo ab injuſto aggreſſore, ſolum venialiter excedunt moderamen inculpatæ tutelæ, multo magis qui ex ſubita ira, vel repentina rixa occidunt, vel mutilant, ab irregularitate non excuſantur ex Tridentino Concilio, quod nec ſe defendentem cum moderamine inculpatæ tutelæ ab irregularitate eximit, ſed ſolum dignum judicat diſpenſatione.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui ante Confirmationem Ordines ſuſcipit, peccat quidem lethaliter; at nulli ſubjicitur irregularitati, cum in jure nihil in hoc ſtatutum legatur. Sicut nec qui eodem die minores Ordines, & Subdiaconatum recipit, ubi ea Sacramenta miniſtrare mos eſt; ut in Gallia fieri ejuſdem gentis Theologi teſtantur. Qui ficto Patrimonio, vel falſis dimiſſoriis Ordines recipit, ſuſpenſus quidem manet ipſo facto ab exercitio Ordinum ſuſceptorum; at non incurrit irregularitatem, niſi ſuſpenſionem violando miniſteria ſacra obeat. Nec pariter, qui ordinationem obtinet ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui, & juriſdictioni abrenuntiaverit: nam contra hos ordinatos in jure ſuſpenſio quidem decernitur, at irregularitas non indicitur. Sic enim ſtatuitur cap. 1. *de Ordin. ab Epiſc. quia indignum ſe fecit, executionem non habebit:* quæ verba ſuſpenſionem quidem indicant, irregularitatem vero omnino non indicant.

Conſectarium Quintum.

V. Cui vetitum eſt ſub pœna excommunicationis, ne ſuſcepti Ordinis miniſteria exerceat, ſi non pareat, peccat lethaliter, & excommunicatione feritur; verum nulli ſubeſt irregularitati; nam ſolum tunc cenſura ligari cœpit, cum Superioris mandato non obtemperavit; quare miniſtrando cenſuram incurrit, at non violat, cum hæc factum ſequatur.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De Irregularitatibus ex defectu.

DOCTRINA.

I. *Quando corporis vitio quis ſit irregularis.*
II. *Quando ratione deformitatis.*
III. *Diſcrimen inter defectus præcedentes, & ſubſequentes Ordines.*

IV. *Quis*

IV. *Quis ab hac irregularitate diſpenſat.*
V. *Quinam ſint irregulares defectu ætatis.*
VI. *Quinam ex defectu libertatis.*
VII. *Illegitimi quando ſint irregulares.*
VIII. *Defectus rationis, ſcientiæ, & fidei quando irregularitatem inducat.*
IX. *Bigamiæ ſpecies, ſive modi explicantur.*
X. *Quid ad eam conſtituendam requiratur.*
XI. *Inducit irregularitatem.*
XII. *Quis in hac irregularitate diſpenſet.*
XIII. *Num Prælati Regulares diſpenſare valeant.*
XIV. *Infamia irregularitatem inducit.*
XV. *Quinam ob infamiam irregulares ſint.*
XVI. *Quomodo hæc irregularitas tollatur.*
XVII. *Defectus lenitatis irregularitatem cauſat.*
XVIII. *Quando milites fiant irregulares.*
XIX. *Quando Medici, & Chirurgi.*

I. DEfectus irregularitatem inducentes ſuperius enumeravimus cap. 9. num. 3. qui omnes ad duas potiores corporis ſcilicet, & animi partes revocari poſſunt. Ex parte itaque corporis irregularitati ſubjiciuntur 1. corpore vitiati. Unde can. 77. inter Apoſtolicos dictos ſtatuitur: „ Qui „ ſurdus, & cæcus, ne ſit Epiſcopus, non ut pol- „ lutus, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur “. Et in jure can. cap. 1. & 12. diſt. 5. univerſim indicitur: *Corpore vitiati, aliquorum membrorum damna perpeſſi, debiles corpore, a Clero & Ordinibus arceantur*. Duplex autem poteſt eſſe corporis defectus, ut docet S. Thom. in IV. Diſt. 24. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 4. „ Vel propter impedimentum a- „ ctus, vel propter impedimentum claritatis per- „ ſonæ: & ideo patientes defectum in membris „ impediuntur a ſuſceptione Ordinis, ſi ſit talis „ defectus, qui maculam notabilem afferat, per „ quam obſcuretur perſonæ claritas (ut abſciſſio „ naſi) vel periculum in executione facere poſ- „ ſit “. Nimirum 1. talis, qui impotentem reddat ad officium ordinis exequendum. 2. Qui impediat, ne decenter fiat propter Miniſtri deformitatem. Ex priori capite irregulares ſunt, qui altera manu, vel pollice, vel indice carent. Muti, vel ita balbutientes, ut ſine riſu audiri non poſſint. Cæci, & etiam cæcutientes, monoculi præſertim, ſi non ſolum viſu careant, ſed & ipſo membro cum deformitate. Qui tremulas manus habent, ut Calicem, & Hoſtiam ſine periculo vel lapſus, vel effuſionis contrectare non poſſint. Abſtemii, qui vinum bibere, vel retinere non poſſunt, quin ad vomitum excitentur. Nullius membri occulti carentia irregularitatem inducit, niſi quando quis ſibi culpabiliter amputaverit, vel voluerit ab alio reſecari. Hinc irregulares ſunt, qui ſibi virilia amputaverunt, licet ob caſtitatis amorem hoc perfecerint; multoque magis ſi ad vocis ſuavitatem conſervandam. Excipiuntur tamen in Jure can. 7. qui a Medicis propter languorem diſſecti ſunt, aut a barbaris exciſi, ſi alias digniſſimi inveniantur. Hermaphroditi, ſive alter ſexus prævaleat, ſive non, a Clero, & Ordinibus arceantur.

II. Ex capite vero deformitatis irregulares ſunt habendi, qui certam habent corporis, vel membrorum conformationem, ut notabiliter vel horrorem, vel contemptum, vel riſum moveant, ut os turpiter diſtortum, labia corroſa, quæ vix dentes tegant, qui naſo carent, ex S. Thom., vel auriculis, vel pede altero, inſigniter gibboſi, vel prætumidi ventre, qui adeo brevis ſunt ſtaturæ, ut pygmæi, vel ita ſublimiores, ut gigantes videantur. Æthiopes vero nonniſi in ſua regione in Clero aptari poſſunt; in noſtris enim regionibus nimium forent deformes. In hiſce tamen dijudicandis defectibus ſtandum eſt Epiſcoporum judicio.

III. Notandum tamen, non eſſe eandem rationem habendam defectuum corporis, qui ſacram Ordinationem præcedunt, & qui ſubſequuntur. Qui enim præcedunt, ab Ordinis cujuſcumque ſuſceptione excludunt, & difficilius diſpenſatione donantur. Qui vero ſubſequuntur, ſolum ab eo arcent miniſterio, ad quod ſubjectum reddunt ineptum; & facilius conceditur diſpenſatio. Qui itaque cæcus, vel cæcutiens eſt ante Ordinationem, a ſtatu Clericali repellitur; qui vero factus eſt talis ob ſenectutem, vel morbum, a celebratione Miſſæ, non vero a Sacramento Pœnitentiæ miniſtrando impeditur. Pariter defectus, qui etiam primæ Tonſuræ ſuſceptionem impediunt, ab omni excludunt beneficio; qui vero ſubſequuntur, ſolum ab illis arcent, quæ ad officium beneficio adnexum incapacem reddunt. Hinc Clericus ſurditate laborans non poteſt beneficia obtinere, quorum munia ſine auditu exerceri non poſſunt. Defectus præcedentes promotionem ad beneficia impediunt, ne beneficia ſine diſpenſatione obtineri poſſint; qui vero conſequuntur, beneficiarium beneficio minime privant, licet munia implere non poſſit, ne addatur afflicto afflictio.

IV. Hæc irregularitas tollitur vel per ceſſationem defectus, ut ſi a morbo viſum, vel auditum impediente convaleſcat; vel diſpenſatione, quæ eſt ex conſtanti conſuetudine Papæ reſervata, qui eam nunquam concedit, niſi executionem Epiſcopis, & quidem Ordinariis, committendo, hiſce clauſulis, *ut inſpecto per ſe ipſum, & conſiderato diligenter defectu, ſi talis non ſit, nec ex eo tanta proveniat deformitas, quæ ſcandalum generet in populo, aut Divinis impedimentum præſtet, ſuper quo ejuſdem Ordinarii conſcientia oneratur, diſpenſet*.

V. Alter defectus ex parte corporis eſt ætatis requiſitæ deficientia, quæ in præſenti Eccleſiæ diſciplina conſtituta habetur a Tridentino. Pro minoribus quidem Ordinibus ſuſcipiendis nullum eſt definitum tempus. In Pontificali tamen indicitur Epiſcopis, Rubrica de Ordinandis, ne primam Tonſuram, & minores Ordines conferant ante annum ſeptimum completum. Pro majoribus vero Ordinibus ſtatuit Tridentina Synodus ſeſſ. 23. cap. 12. „ Nullus ad Subdiaconatus ordinem ante vi- „ geſimum ſecundum, ad Diaconatum ante vigeſi- „ mum tertium, ad Presbyteratum ante vigeſi- „ mumquintum ætatis ſuæ annum promoveatur “. Ante præfatam ætatem itaque omnes irregulares ſunt, ideſt licite promoveri non poſſunt. Ad Beneficia vero ſimplicia ætas requiritur quatuordecim annorum, ita ſtatuente ſancto laudato Concilio cit. ſeſſ. cap. 6. „ Nullus prima Tonſura „ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus con- „ ſtitutus, ante decimum quartum annum benefi- „ cium poſſit obtinere “. Beneficia vero curam animarum habentia, nonniſi in ætate 25. annorum conſtitutis conferri poſſunt. Variæ tamen ſunt juxta diverſas Eccleſias conſuetudines, & ſtatuta, quæ ad beneficia obtinenda ſancte ſervanda ſunt. Annus autem ſufficit, ſi ſit inceptus per aliquod tem-

temporis ſpatium, niſi tam breve ſit, ut in eo computando periculum ſit erroris. Ab hac irregularitate non diſpenſat niſi Summus Pontifex, & ex ſpeciali privilegio aliqui Germaniæ, & Galliarum Epiſcopi. Si quis bona fide ante legitimam ætatem ſit ordinatus, ſuſpenſus manet a miniſterio ordinis ſuſcepti, uſque ad præfinitam ætatem, qua adveniente abſque ulla diſpenſatione ſtatim ceſſat.

VI. Sequitur defectus libertatis, qui tamen in noſtris regionibus locum non habet, ubi ſervi proprie dicti, ſeu mancipia non ſunt. Si qui tamen eſſent, ad Ordines promoveri non poſſent ex jure can. diſt. 54. cap. 1. ſtatuente: *Nullus Epiſcopus ſervum alterius ad Clericatus officium promovere debet*. Si vero ſervus, ſciente domino, & non contradicente, promoveretur, liber evaderet quantum ad ea, quæ cum Clericali ſtatu pugnant: ſi vero eo contradicente, peccarent lethaliter & Epiſcopus ordinans, & mancipium ordinatum; & hoc a ſervitute non liberaretur, & ille domino ſatisfacere teneretur. Ad hanc ſpeciem irregularitatis revocantur etiam alienorum bonorum adminiſtratores, alienorum negotiorum Actores, Puſillorum Tutores, & minorum curatores, & denique omnes ad ratiocinia reddenda obſtricti; cum præfati omnes ad ſæcularia Tribunalia trahi poſſint, eoſque fraudis & doli accuſare, ac litibus vexari contingat in Eccleſiaſtici Ordinis dedecus, & ignominiam. Quoaduſque igitur ab his oneribus, & periculis non ſint ſoluti, in Clerum admitti non debent. Excipiuntur tamen bonorum Eccleſiæ adminiſtratores, defenſores miſerabilium perſonarum, & qui legitimam conſanguineorum tutelam ſuſcipere coguntur.

VII. Ex defectu ad corpus ſimul, & animam pertinente irregulares ſunt omnes illegitimi. Hi vero in varias diſtinguuntur claſſes, & diverſis deſignantur nominibus. Qui enim nati ſunt ex viro, & muliere ſolutis, qui matrimonio jungi poterant, videlicet ex viro, & concubina, non domi retenta, vocantur *nothi*; ſi ex concubina adhærente, vocantur ſimpliciter *naturales*; ſi ex viro, & ſcorto corporis ſui quæſtum faciente, vocantur *manzeres*. Si vero ex coitu etiam legibus humanis damnato, puta ex viro libero & conjugata, vel ex conjugato, & libera, vel ex duobus adulteris, vel ex conſanguineis, vel denique ex perſonis ſacris vel voto, vel ordine, *ſpurii* abſolute vocantur. Hi itaque omnes irregulares ſunt, & inepti ad Ordinum promotionem, ſive occulte, ſive manifeſte illegitimi ſint. In hoc numero minime habendi, 1. qui ex infidelibus nati ſunt, licet eorum parentes in gradibus ab Eccleſia prohibitis matrimonium contraxerint. 2. Qui nati ſunt ex matrimonio nullo, etiam & invalido ob aliquod impedimentum dirimens, ſed bona fide ab alterutro contracto, licet poſtea per judicis ſententiam, nullitate matrimonii detecta, ſeparentur, ut declaravit Innoc. III. tit. *Qui ſint Filii legitimi* cap. 12. & 14. 3. Qui licet ex fornicatione nati ſint, tamen poſtea per ſubſequens matrimonium legitime contractum legitimi facti ſunt. Nam ut ſtatuit Alexander III. cap. *Tanta*, Extra, qui Filii ſint legitimi, *Tanta eſt vis matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur*; quæ tamen legitimatio non ſufficit ad Cardinalatus dignitatem obtinendam nec ad ea beneficia, in quorum fundatione eſt conſtitutum, ut nonniſi legitimis conferantur; legitimi enim non vere, & proprie, ſed ſolum fictione juris pro legitimis habentur. Tollitur autem hæc irregularitas 1. diſpenſatione, quæ a ſolo Summo Pontifice concedi poteſt quoad Ordines majores, & Beneficia curam animarum habentia. Epiſcopi vero diſpenſare valent ad Tonſuram, & Ordines minores ſolum, & ad ea beneficia, quibus non eſt cura animarum adnexa; dummodo tamen hæc beneficia vel Ordinem ſacrum non exigant, vel Dignitates non ſint, & Perſonatus, aut a patre ante poſſeſſa. 2. Tollitur Profeſſione Religioſa, ſed ſolum quoad Ordines, & Beneficia ſimplicia; non vero quoad Dignitates, & Prælaturas etiam Regulares, niſi privilegio ſpeciali conceſſum ſit Profeſſis alicujus Ordinis, ut etiam ad Prælaturas Religionis ſtatim emiſſa profeſſione idonei, habileſque efficiantur. Et certe pluribus Ordinum Prælatis a Summis Pontificibus Greg. XIV. Clemente VIII. & Paulo V. conceſſum eſt, ut poſſint cum illegitimis diſpenſare ad Prælaturas, aliaſque dignitates juſta interveniente cauſa. Verum conſulenda ſunt, & expendenda, cum caſus occurrerit, cujuſcumque Ordinis ad hoc conceſſa privilegia, ſtatuta, & conſuetudines. 3. Legitimatione, quæ quoad forum Eccleſiaſticum, & effectus eccleſiaſticos ſolum conceditur a Summo Pontifice, & valet, ut ea donatus poſſit ad quoſcumque Ordines, dignitates, & officia eccleſiaſtica promoveri: & in hoc differt a diſpenſatione, qua ſolum ad ea habilis redditur, ad quæ ſe extendit conceſſa diſpenſatio.

VIII. Ex defectu ſolius animæ 1. irregulares ſunt, qui uſum rationis impeditum habent, ſive ex natura, ſive ex morbo; cujuſmodi ſunt omnes pueri, & amentes, ſive habitualiter mente careant, ſive variis intervallis ratione priventur, ut lunatici furioſi, quibus adjunguntur & energumeni, ſeu arreptitii, qui a Dæmone vexantur; ſicut & epileptici, qui comitiali morbo corripiuntur, & extra ſe rapiuntur, præſertim ſi hoc affligantur morbo poſt pubertatem, & in provectiori ætate. 2. Carentia ſcientiæ requiſitæ ad Ordines, & munia eccleſiaſtica. Quænam autem ſcientia requiratur, dicemus ubi de Ordine ſermo erit. Et hic defectus tollitur acquiſitione ſcientiæ. Tolli etiam poteſt ad tempus diſpenſatione Summi Pontificis, cum hæ adſint conditiones. 1. Ut ſcientiæ defectus gravis non ſit, & ſubjectum comparandæ ſibi ſcientiæ capax ſit. 2. Pietate polleat. 3. Ut a miniſteriis abſtineat, quæ ſcientiam, qua adhuc caret, neceſſariam poſtulant. 4. Ut alius non adſit idoneus, qui abſque diſpenſatione ad officium poſſit aſſumi. 5. Carentes fide, non quidem qui vel non credunt, ut infideles, vel male credunt, ut hæretici; hi enim jure naturali, & divino ad eccleſiaſtica munia idonei non ſunt; ſed qui recenter ad fidem, ſive ex Judaiſmo, ſive ex Mahumetiſmo, vel ex Gentilitate converſi ſunt, unde & Neophyti vocantur: hi itaque omnes non ſunt ad Clericalem ſtatum admittendi, & ad Ordines promovendi, niſi prius convenienti probentur tempore. Quantum vero temporis neceſſarium ſit ad hanc probationem, non conveniunt Theologi, & Juriſperiti; alii unum annum ſufficere putant, alii biennium requirunt, alii decennium. Verum communiter

Do-

Doctores, Covarruvias, Barboſa, Gibalinus, Gibertus probabilius docent, nullum eſſe in jure temporis ſpatium præſtitutum ad hanc probationem perficiendam; ſed Epiſcoporum arbitrio relictum, & ſapientiæ diſcernere, quando ſit ſatis probatus Neophytus, & ad Clericalem ſtatum, Ordineſque ſuſcipiendos idoneus, nullumque ſit periculum, ut vel ad vomitum revertatur, vel ſuperbia efferatur. Quod ſi aliqua urgens Eccleſiæ neceſſitas ante plenam probationem illum ad Ordines evehere cogat, ad Pontificem pro diſpenſatione recurrendum eſt; cum hæc irregularitas a jure communi conſtituta, & ab Apoſtolo deſignata, ſit ex defectu. Ab irregularitatibus vero ex defectu diſpenſare non valent Epiſcopi: immo nec quando poſt probationem Ordines Neophytis conferunt, in hac irregularitate diſpenſant, ſed eam omnino ceſſaſſe declarant.

IX. Ad animum quoque referri poteſt defectus Bigamiæ, qui & defectus Sacramenti a Theologis, & Juris Canonici Doctoribus dicitur: quia, ut explicat D. Thom. in ſupplem. quæſt. *66.* artic. 1. „ Defectus in Sacramentis eſt, quando Sa„ cramenti ſignificatio integra non invenitur. Sa„ cramentum autem Matrimonii ſignificat conjun„ ctionem Chriſti ad Eccleſiam, quæ eſt unius „ ad unam. Et ideo requiritur ad perfectam Sa„ cramenti ſignificationem, quod vir ſit tantum „ unius uxoris vir, & uxor ſit tantum unius vi„ ri uxor. Et ideo bigamia, quæ hoc tollit, „ irregularitatem inducit “. Deinde S. D. quatuor enumerat bigamiæ modos, ſubdens: „ Pri„ mus eſt, quando quis plures habet uxores de „ jure ſucceſſive: *Et hæc dicitur bigamia vera*, „ *ſed licita*. Secundus, cum ſimul habet plures, „ unam de jure, aliam de facto. Tertius, cum „ habet plures ſucceſſive, unam de jure, aliam „ de facto. Quartus, quando viduam ducit in „ uxorem “: & hi tres modi illam conſtituunt bigamiæ ſpeciem, quam Theologi interpretativam appellant. Eſt alia bigamia quæ ſimilitudinaria dicitur, quando videlicet quis in ſacris conſtitutus, vel profeſſione Religioſa obſtrictus, matrimonium contrahere, ſeu verius attentare non horreſcit, etiam cum virgine: hic enim duplex videtur contraxiſſe matrimonium, videlicet ſpirituale per votum caſtitatis, & carnale cum fœmina. Hi omnes irregulares habendi ſunt, & in jure declarantur. Et quidem de primo bigamiæ veræ modo indicitur ab Innoc. I. *Ne is, qui ſecundam ducit uxorem, Clericus fiat*. De bigamiæ vero interpretativæ modis ab Innoc. III. cap. *Nuper* ſtatuitur: *Cum Clericis, qui, quantum in ipſis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter conjunxerunt* (de facto ſcilicet, non de jure) *tanquam cum bigamis non licet diſpenſare, licet in veritate bigami non exiſtant, non propter Sacramenti defectum, ſed effectum intentionis opere ſubſecuto*. Et Cæleſt. III. cap. *de Bigamis de Viduarum maritis, ac bigamis* ſtatuit, *ut nec viventibus uxoribus, nec defunctis ad divinorum debeant celebrationem admitti*. Similitudinaria vero bigamia declaratur de Bigamis cap. 24. ubi „ quotquot virginitatem pollicitam prævaricati ſunt, „ profeſſione contempta, inter bigamos “ haberi decernuntur.

X. Ad bigamiam tum veram, tum interpretativam, tum ſimilitudinariam requiritur carnalis copula: unde ſi quis legitimo matrimonio virginem accepit, quam tamen minime cognovit, eaque defuncta alteri nubit, cum qua matrimonium celebrat, & conſummat, bigamus non eſt dicendus. Requiritur in bigamia interpretativa, ut cum duabus matrimonium attentet, licet unum validum ſit, & alterum invalidum, ſed & utrumque conſummet. Hinc bigamus non eſt qui matrimonio junctus cum univira, fornicetur cum meretrice, vel concubina, ſive ante, ſive poſt matrimonium: nam per ſimplicem conjunctionem fornicariam non ſignificatur Chriſti conjunctio cum Eccleſia. Bigamus tamen eſt, qui duas ſibi copulavit uxores, alteram ante Baptiſmum, alteram eo ſuſcepto. Nam per Baptiſmum non tollitur hujuſmodi defectus: quia, ut inquit Innoc. I. in ſua Decretali ad Vitricium Epiſcopum Rodumnenſem cap. *6. In Baptiſmo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur*. Et S. Auguſtinus lib. *de bono conjugali* idem confirmat dicens: „ Acutius intellexerunt, qui nec eum, qui Cate„ chumenus, vel Paganus, habuerit alteram uxo„ rem, ordinandum eſſe cenſuerunt. De Sacra„ mento enim agitur, non de peccato; nam in „ Baptiſmo peccata omnia dimittuntur “. Bigamus etiam eſt, qui in uxorem ducit viduam, vel ab alio corruptam, licet ignoret viduam eſſe, vel corruptam, non vero ſi ducat a ſe ante matrimonium corruptam; & qui propriam uxorem univiram poſt adulterium ab ipſa commiſſum iterum cognoſcit, etiamſi adulterium ignoret, vel uxor per vim fuerit oppreſſa, ut docet Barboſa; & denique qui cum vidua, vel corrupta matrimonium etiam invalidum contrahit, ſi tamen conſummet.

XI. Bigamia itaque inducit irregularitatem, quæ olim erat ſolum partialis: nam concedebatur bigamis, ut ad Lectoratum, & etiam Subdiaconatum aſſumerentur. Hinc Can. 3. Concil. Tolet. I. a Gratiano relati diſt. 34. can. 18. ſtatuebatur: „ Si viduam alterius uxorem acceperit, in Lecto„ ratu permaneat; aut ſi forte neceſſitas fuerit, „ Subdiaconus fiat, nihil autem ſupra “. Sed in præſenti diſciplina bigamia impedit omnium Ordinum ſuſceptionem, & ſuſceptorum adminiſtrationem. Immo bigami prohibentur accipere & primam Tonſuram, omnique privilegio Clericali privantur, & tanquam Laici habentur; ut declaratum fuit in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. & habetur cap. *Unico* de Bigamis in *6.* ſtatuente: „ Bigamos omni privilegio Clericali declaramus „ eſſe nudatos, & coercitioni fori ſæcularis addi„ ctos, conſuetudine contraria non obſtante. Ipſis „ quoque ſub anathemate prohibemus deferre Ton„ ſuram, vel habitum Clericalem “. Eſt præterea incapax bigamus cujuſcumque Beneficii, & Eccleſiaſticæ penſionis.

XII. In hac irregularitate ſecundum totam ſuam amplitudinem diſpenſare poteſt Summus Pontifex pro ſua ſapientia, & urgente neceſſitate. Epiſcopi minime diſpenſare queunt in bigamia vera, & interpretativa notoria, ne quidem quoad minores Ordines. Nec mirum ſi in hoc a D. Thom. recedimus, qui in IV. diſt. 27. qu. 3. docet, poſſe Epiſcopos diſpenſare in bigamia quoad minores Ordines. Nam S. D. ita aſſerebat juxta ſui temporis diſciplinam, quam mox indicavimus, ſed quæ immutata poſtea fuit, præſertim in ſuperius lau-

laudato Concilio Lugdun. ſub Greg. X. ad quod ipſe quidem D. A. vocatus fuit, ſed in itinere vita functus intereſſe non potuit. Et confirmatur in Conc. Trident. ſeſſ. 23. cap. 17. ubi conceſſum quidem fuit Clericis conjugatis, ut minorum Ordinum, quos receperant, miniſteria exercere poſſint, ſed cum aperta reſervatione, *ne Bigami ſint;* & Epiſcopis eſt quidem data poteſtas abſolvendi ab irregularitatibus occultis ex delicto, non vero ex defectu. Hinc inferunt Canoniſtæ, Barboſa, Reiffenſtuel, Pontaſius, Henriquez, aliique poſſe Epiſcopum diſpenſare in bigamia interpretativa occulta, quoties ex delicto provenit, cujuſmodi eſt, quæ oritur ex duplici matrimonio invalido, vel altero valido, altero invalido, quando crimen eſt occultum. Et quidem diſpenſare poteſt non ſolum, ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtret, ſed etiam ut ad altiores poſſit aſcendere; cum Tridentinum conceſſerit Epiſcopis, ut diſpenſare poſſint in omni irregularitate occulta, orta ex delicto, & ſolum excipiat provenientem ex homicidio voluntario etiam occulto. In bigamia vero ſimilitudinaria, quæ admixtam non habeat interpretativam, Epiſcopus diſpenſare poteſt, etiam ad altiores Ordines ſuſcipiendos; dummodo Clericus in ſacris conſtitutus, vel profeſſus in aliquo Ordine, qui matrimonium cum virgine contrahere, & conſummare præſumpſit, condigna pœnitentia patratum crimen aboleverit, & laudabili vita, & virtutibus ſuam ornaverit Pœnitentiam. Ita ſtatuit Alex. III. in ſua Decretali indicens Archiepiſcopo Rhemenſi: „ De Diacono, qui . . . . uxorem accepit, hoc „ tuæ prudentiæ reſpondemus, quod ſi contrito, „ & humiliato corde ad Eccleſiam redire voluerit, „ dimiſſa illa, quam accepit in uxorem, & abſolutione obtenta, injuncta ſibi pœnitentia . . . . „ poſt eam peractam diſpenſative poteris ei Diaconatus officium reddere, & , ſi perfectæ vitæ, „ & converſationis fuerit, eum in Presbyterum „ ordinare ".

XIII. Num vero Prælati Regulares cum ſuis ſubditis diſpenſare valeant in bigamia occulta, diſputant Canoniſtæ. Et quidem qui Regularibus favent, adeo hanc poteſtatem amplificant, ut non vereantur afferere, (inter quos Reiffenſtuel) poſſe non ſolum præfatos Regulares ſuos ſubditos, ſed etiam Confeſſarios regulares pœnitentes regulares diſpenſare in irregularitate vera, & interpretativa, etiam notoria. At 1. certum eſt, Prælatos Regulares, multoque minus Confeſſarios jure communi diſpenſare in hac irregularitate cum ſuis ſubditis nec quoad minores Ordines poſſe, cum hæc poteſtas nec ipſis Epiſcopis ſit conceſſa. 2. Nec ex privilegiis talem eis convenire facultatem, cum quæ ab eis proferuntur, vel minus authentica ſint, vel revocata. Illis igitur ſolum eſt conceſſa poteſtas erga ſuos ſubditos, quæ Epiſcopis convenit erga Clericos ſibi ſubjectos ex Bulla Sancti Pii V. ſuperius relata cap. *9.* num. *6.* nec quid amplius, ut oſtendit P. Gabriel a Vicentia p. 2. cap. *29.*

XIV. Subſequitur irregularitas, quæ infamiam conſequitur. Infamiam autem inter animi defectus connumero: quia licet quandoque ſine culpa habeatur, frequentius tamen culpam conſequitur, vel criminis pœnam. Ideo cum Apoſtolus aperte dicat, ſicut de Epiſcopo, *oportet illum habere bonum teſtimonium ab his, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat*, & Apoſtoli in Diaconos dixerint deligendos *viros boni teſtimonii;* ſequitur illos, qui ob aliquod crimen infames effecti ſunt, irregularitati ſubjacere. Quamobrem optime docet Van-Eſpen: „ Tametſi juxta modernam diſciplinam, nonniſi quædam ſpecialia in jure expreſſa „ crimina proprie irregularitatem inducant; tamen „ publica, ac manifeſta crimina ratione infamiæ, „ qua ipſum reum aſpergunt, ſpeciem irregularitatis cauſant ". Infamia autem alia juris eſt, alia facti. Juris infamia incurritur per ſceleris patrationem, cui jure civili, vel canonico adnexa eſt infamia; facti per ſententiam judicis condemnantis. Infamia juris adnexa eſt hiſce criminibus, homicidio, hæreſi, maleficio, furto, ſacrilegiis, adulterio, inceſtui, veneficio, falſo teſtimonio in judicio, ſodomiæ, ſimoniæ, lenocinio &c. Nullum tamen ex his criminibus, excepto homicidio, ut ſuperius vidimus, adnexam habet irregularitatem, niſi publicum ſit, & notorium. Infames vero facti, ſunt, qui per ſententiam judicis pœna infamante afflicti ſunt, nimirum damnati ad carcerem, triremes, exilium, mortem, cauterio inuſti, ignominiæ expoſiti, fuſtibus publice puniti; non vero ſolum reprehenſi, vel ad pecuniariam pœnam, vel ad eleemoſynam damnati. Sunt alii infames ratione profeſſionis, de quibus ſtatim dicemus.

XV. Repelluntur itaque a ſacris Ordinibus, tanquam irregulares, omnes qui turpem artem exercent, vel turpi lucro vivunt. Hujuſmodi autem in jure declarantur 1. Lenones, qui lenocinium exercent, & quæſtuaria proſtitutione vivunt. 2. Hiſtriones, Mimi, Comœdi, „ & quiſquis (verba ſunt ff. leg. 1. & 2.) artis ludricæ pronunciandive cauſa in ſcenam prodierit, ſpectaculum „ ſui præbiturus, ſive in publico, privatove loco, „ vel in vico, quo tamen loco paſſim homines „ ſpectaculi cauſa admittuntur ". 3. Qui operam ſuam locant ad pugnandum cum beſtiis. 4. Uſurarii manifeſti. 5. Qui macellariorum, aut tabernariorum officium publice, & perſonaliter exercent, & ab eo nolunt abſtinere, antequam ad Clerum admittantur. *6.* Qui carnificum, lictorum, ſatellitum, tortorum officia implent; quamvis oppoſitum doceant aliqui benigniores Caſuiſtæ, cum ab omnibus communiter hujuſmodi infames habeantur; & alia etiam irregularitate irretiuntur, nimirum ex lenitatis defectu, de quo poſtea.

XVI. Hæc irregularitas pluribus modis aufertur. Et 1. infamia orta ex crimine publico, ſed non deducto ad forum contentioſum, tollitur emendatione rei, qui vitæ honeſtate, morum gravitate, bonis operibus publicis famam ſuam, & bonum nomen recuperet. Tollitur etiam, ut aliquibus videtur, per mutationem loci, ubi nulla ſit criminis notitia, & reus chriſtianis moribus vivens, bono nomine, & bona fruatur fama. Infamia vero juris per ſententiam judicis contracta non tollitur niſi diſpenſatione, quæ quidem abſolute concedi poteſt a Summo Pontifice, qui tamen nunquam putaret, decere infamem Altaribus admoveri, 2. Etiam ab Epiſcopis, dummodo crimen gravitate adulterium non excedat; & diſpenſatio ſolum ſiſtat in concedenda poteſtate miniſtrandi in ſuſceptis Ordinibus, non vero ut ad altiora

offi-

officia, & beneficia promoveatur. Quam poteſtatem & Regularium Prælatis convenire poſſe ex ſæpius laudata Pii V. Bulla non diffiteor.

XVII. Poſtremus defectus irregularitatem inducens, qui pariter animum afficit, eſt lenitatis deficientia. Hæc contingit, quotieſcumque proximo mors, aut mutilatio infertur, quod tamen dupliciter fieri poteſt, injuſte ſcilicet proximum interficiendo, vel mutilando in vindictam, vel alia injuſta cauſa; vel juſte aut ad ſuæ vitæ defenſionem, aut ad juſtitiæ vindicativæ exercitium. Et quidem quoad necem, vel mutilationem proximi ex ira, & prava cauſa, vel ad propriæ vitæ tutelam ſatis diximus cap. 11. pluribus numeris, ubi de irregularitatibus ex delicto differuimus. Supereſt igitur ad hujuſce tractationis complementum, ut de homicidio juſto inducente irregularitatem, non ex crimine, ſed ex defectu lenitatis, diſputemus. Porro hæc lenitatis deficientia merito irregularitatem inducit. Nam, ut ſcribit S. Th. 2. 2. q. 40. art. 2. „ Omnes Clericorum Ordines ordinantur ad Altaris miniſterium, in quo ſub Sacramento repræſentatur paſſio Chriſti, ſecundum illud 2. ad Corinth. 11. *v. 26.* ... Et ideo non competit eis occidere, vel effundere ſanguinem, ſed magis eſſe paratos ad propriam ſanguinis effuſionem pro Chriſto, ut imitentur opere, quod gerunt miniſterio. Et propter hoc inſtitutum eſt, ut effundentes ſanguinem etiam ſine peccato ſint irregulares". In horum numero 1. computantur, qui ordine judiciario ad alterius mortem concurrunt. Ejuſmodi ſunt accuſatores criminaliter accuſantes, vindictam expetentes, ſi mors, vel mutilatio reo inferatur: qui vero ſolum civiliter agunt ad ſatisfactionem impetrandam, excuſantur, licet ſequatur mors vel mutilatio, dummodo proteſtentur coram judice ſe nolle vindictam, vel pœnam ſanguinis. 2. Judices, Procurator fiſci, qui mortem rei, vel mutilationem urget. Notarii, qui ſententiam mortis ſcribunt, vel denuntiant. Carnifex, qui mortem infert. Nonnulli & teſtes addunt in cauſa capitali, ſi rei mors ſequatur. Verum hos immunes eſſe puto, ſi vocati, & acciti ſint; tenentur enim Principi vocanti, & judici interroganti reſpondere: ſecus vero, ſi ſponte ſe ad teſtificandum ingerant ad Rei mortem ſollicitandam.

XVIII. Sunt 2. loco irregulares ex defectu lenitatis Milites, non tamen qui ſolum arma geſtarunt, ſed qui revera in bello pugnarunt: quod conſtat ex Cap. 24. de Homicidio, ubi ſtatuitur, Sacerdotem, qui contra infideles pugnaverat, ſolum debere a miniſterio abſtinere, *ſi de interfectione alicujus eum conſcientia remordeat*. Qui vero pugnarunt in bello juſto, ſi vel ſua manu aliquem mutilarunt, vel interfecerunt, vel de hoc prudenter dubitant, irregulares ſunt habendi. Non vero qui in eodem bello alios excitant ad pugnam, arma, pyrium pulverem ſuppeditant, ſarcinas cuſtodiunt, dummodo ipſi nullum interficiant, vel mutilent. Hoc enim eſt diſcrimen inter pugnantes in bello juſto, & in bello injuſto: in hoc enim omnes ſunt irregulares, cum omnes mutilationi, & occiſioni injuſtæ cooperentur; & ſunt irregularitati obnoxii potius ratione criminis, quam defectu lenitatis: in alio vero ſolum qui mutilant, vel occidunt. Immo & hos aliqui Juriſtæ ab irregularitate eximunt, ſi mutilent, vel occidant non aggrediendo, ſed ſe defendendo; dummodo non ſint ad bellum parati, nec venerint animo præliandi.

XIX. Medici, & Chirurgi Laici ex hoc ſolo capite quod ſuam artem exercent, irregulares non ſunt, licet membrum abſcindant, vel juxta medicinæ regulas abſcindi jubeant; cum hæc ex caritate, & miſericordia præſtent. Subjiciuntur tamen irregularitati, ſi eorum culpa, vel imperitia mors ſequatur; & tunc irregularitas eſt potius ex delicto, quam ex defectu. Clerici vero, & Monachi irregulares fiunt, ſi has artes cum inciſione, & aduſtione exercent; cum illis hujuſmodi artes ſint vetitæ, & interdictæ in Concil. Later. ſub Innoc. III. his verbis. Nullus chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ aduſtionem, vel inciſionem inducat. Ab hac irregularitate ſolum Summus Pontifex diſpenſare poteſt, non vero Epiſcopi, cum conſtituta ſit ex jure communi, & in Concilio generali, cujus decretis ſolum Pontifex poteſt derogare. Hanc tamen poteſtatem ex privilegiis Prælatis Regularibus convenire plures affirmant Theologi; quia illis conceſſum eſt diſpenſare in omni irregularitate, excepta ea, quæ ex homicidio profluit. Verum in occurrentibus caſibus ſunt expendenda accurate cujuſcumque Ordinis privilegia, & juxta illa ſtatuendum.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quomodo computanda ætas ad Ordines requiſita.*
II. *Num infantes expoſiti ſint illegitimi.*
III. *Quando nati ante Matrimonium ex ipſo fiunt legitimi.*
IV. *Quando infirmitas ſuperveniens ordinatis irregularitatem inducat.*
V. *Bigamia etiam cum unica uxore habitando contrahitur.*
VI. *Quando Eccleſiaſtici ex defectu lenitatis ab irregularitate ſint immunes.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. ÆTas requiſita ad Ordines ſuſcipiendos computari non debet nec a tempore conceptionis, nec Baptiſmi, ſed a nativitatis puncto. Ita ſtatuit Sacra Congregatio, ut videre eſt apud Fagnanum. Hinc qui natus eſt poſt duas horas a ſolis ortu Ordines valide ſuſcipit circa meridiem, cum tunc verum ſit legitimam attigiſſe ætatem; non vero natus hora poſt meridiem prima, poteſt ante meridiem, vel in meridie ad Ordines promoveri; licet oppoſitum doceant Diana, Salmanticenſes, Ledeſma, aliique putantes in favorabilibus diem inceptum pro completo haberi. Nam cum Eccleſia ſtatuerit, ut ad Presbyteratum annus vigeſimus quintus requiratur, profecto qui annum vigeſimum quartum nondum complevit, etſi ſola deſit hora, vigeſimum quintum attigiſſe non eſt dicendus; proinde ad Ordines ſuſcipiendos nondum idoneus. Nec lex Eccleſiæ ætatem pro ſuſcipiendis Ordinibus decernens, eſt favorabilis illis, qui Ordinem ſuſcipere debent, ſed ipſi Eccleſiæ, & Ordinum dignitati, ne minus maturis, & idoneis con-

conferantur. Propterea noſtra ſententia eſt ſola vera, & tuta, ac in praxi ſervanda.

Conſectarium Secundum.

II. Num infantes expoſiti ſint inter illegitimos computandi, non conſentiunt Doctores. Sunt qui cenſent, inter illegitimos non eſſe habendos; 1. quia nulla lege illegitimi declarantur; 2. quia ſaltem dubium eſt, num ſint illegitimi, proinde non ſunt irregulares; nam nemo eſt pro illegitimo habendus. 3. Et revera multi infantes exponuntur, non ob crimen, ſed ob inopiam parentum. 4. Gregorius XIV. ſua Bulla in gratiam Confraternitatis pro expoſitis conſtituta, illos pro legitimis habendos declaravit; ita ſentiunt Salmanticenſes, & plures alii Theologi, & Canoniſtæ, ab eis laudati. At oppoſita opinio probabilior videtur, quam docent Habertus, Pontaſius, Covarruvias, Toletus, aliique. Nam juxta regulas Juris, *in obſcuris, quod veriſimilius eſt, attenditur; & in dubiis tutior pars eſt eligenda.* Porro qui patrem oſtendere non poteſt, vel ſi oſtendit, ignominioſum oſtendit, veroſimilius eſt credere ipſum non legitimo natum conjugio; & tutius eſt diſpenſationem petere, vel ab Ordinibus abſtinere, quam Eccleſiæ leges violandi periculo ſe exponere. Præterea longe plures ſunt, qui ob turpem natalem exponuntur, quam qui ex paupertate. Epiſcopi quoque neminem vel ad primam Tonſuram admittunt, niſi oſtendant ſe legitimos. Reſpondetur autem argumentis, ſatis eſſe in lege comprehendi poſſe eos, de quorum legitimo ortu dubitatur, ut ad tutiorem ſemitam eligendam teneantur; & licet nonnulli etiam legitimi exponantur, experientia tamen, & publica præſumptione conſtat, pleroſque eſſe illegitimos. Bulla autem Gregorii in Bullario non reperitur; & ad ſummum nonniſi ſpeciale indultum oſtendit Confraternitati conceſſum, & diſpenſationem datam infantibus ab ipſa excipiendis: quod proinde potius noſtram confirmat doctrinam, ſcilicet indigere expoſitos ſpeciali indulto, & diſpenſatione, ut ad Ordines promoveri poſſint.

Conſectarium Tertium.

III. Ut nati ante Matrimonium habeantur poſt ipſum tanquam legitimi, neceſſe eſt, ut tempore conceptionis eorum parentes potuerint legitimo copulari Matrimonio. Hinc nati ex adulterio, vel ex inceſtu, licet poſtea parentes vel ex obitu conjugis, vel ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ contrahant Matrimonium etiam ante prolis nativitatem, hæc legitima minime reputatur, ut declaravit Alexander III. cap. *Tanta eſt vis.* in 6. „ Si vir vivente uxore aliam cognoverit, & ex ea „ prolem ſuſceperit, licet poſt mortem uxoris eam „ duxerit, nihilominus ſpurius erit filius “. Et juremerito, cum ſemper verum ſit, tempore conceptionis Matrimonium contrahi non potuiſſe, & diſpenſatio Apoſtolica ſolum concedat, ut Matrimonium contrahatur, non ut proles jam concepta pro legitima habeatur. Aliter autem dicendum, ſi tempore conceptionis poterant Matrimonium parentes contrahere; licet poſtea ſupervenerit impedimentum dirimens, quod per Apoſtolicam tollatur diſpenſationem: quia ſemper verum erit, eos potuiſſe tempore conceptionis prolis, Matrimonium celebrare. Idem pariter dicendum, licet inter conceptionem prolis, & Matrimonium cum Matre, cum alia interceſſerit Matrimonium, poſt cujus mortem priorem, ex qua prolem habuit, ducat in uxorem.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui poſt ſuſceptos Ordines illis morbis, & infirmitatibus fiunt obnoxii, per quos ab Ordinibus repellerentur, ut ſunt præſertim epileptici, debent quidem ab exercitio Ordinum ceſſare, ita tamen ut, ſi convaluerint, abſque alia diſpenſatione ad ſuum Miniſterium revertantur, poſtquam tamen per aliquod tempus probati fuerint ab Epiſcopo, qui examini peritorum Medicorum illos debet ſubjicere, & ex eorum judicio vel probationem prorogare, vel Ordinum exercitium concedere. Quod ſi adhuc ſubeat timor, ne aliquo vexentur præteriti morbi repentino levi aſſultu, docet S. Antoninus 111. par. tit. 28. cap. 5. in fine, „ ut non prohibeantur ab officio Miſſæ, dum ta„ men habeant juxta ſe alium Sacerdotem, ut, „ ſi illi cadant, vel deficiant, iſte ſuppleat “. Sed quid dicendum de Sacerdotibus illis, qui ita ſcrupulis anguntur, ut pene mente amoti videantur, adeo ut a Breviarii penſione, immo & a quacumque alterius orationis recitatione diſpenſentur; qui nec Confeſſionis capaces judicantur, qui coram populo infirmitatem ſuam in facie oſtendunt, ut ſtulti habeantur; & quærentibus, quo vexentur morbo, reſpondetur ſcrupulis dementari: eſtne iſtis permittenda Miſſæ celebratio? Ipſe de hac re in ſubjecto, & determinato Presbytero conſultus libere irregularem pronunciavi, donec a tanta ſcrupulorum vexatione liberaretur. At rejectus fui, & conviciis non parum oneratus, quaſi ipſum enecare fame voluiſſem. Regerebat ſiquidem mihi qui illius curam habebat, interim quis eum alet? quis ad victum neceſſaria ſuppeditabit? Repoſui, Sacerdotium miniſterium non eſſe de pane lucrando, ſed maximum, & ſublime munus nonniſi a ſanæ mentis Sacerdotibus adminiſtrandum; & quem ad cætera etiam communionis vitæ munia ineptum prorſus agnoſcebant, & fatebantur, nec aptum eſſe ad Sacerdotale miniſterium. Nihil profeci; ſed paullo poſt ille dira correptus apoplexia, non ex defectu animi, ſed ex impotentia corporis, a celebratione ceſſare debuit, quin tamen aliquid illi ſive ad ſuſtentationem, ſive ad levamen deeſſet.

Conſectarium Quintum.

V. Bigamiæ irregularitatem incurrunt, qui copulam habent cum propria uxore poſt adulterium cum alio viro, licet vel ipſe a Judice coactus, ob deficientiam probationum de patrato adulterio, cum ea habitare cogatur, vel ipſa uxor non in adulterium conſenſerit, ſed per vim fuerit ab alio oppreſſa. Et ratio eſt manifeſta: quia hæc irregularitas non ex crimine oritur, ſed ex defectu; quia nimirum mulier illa non amplius apta eſt ad repræſentandam unionem Chriſti cum ea Sponſa, quæ alium virum non cognovit: in quo cum non voluntas, ſed quid factum ſit, inſpiciatur; irregularis ha-

habendus eſt, qui ad hujuſmodi mulierem acceſſit. Qui publicam meretricem ducit uxorem, licet proprie Bigamus dici non poſſit, videtur tamen a Clero repellendus ſaltem ratione infamiæ, cui ſubjicitur. Et quidem Canone 18. ex Apoſtolicis ſtatuitur: „ Qui viduam accepit, vel ejectam, vel meretricem, vel Mimam, ſeu Scenicam, non poteſt eſſe Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali ".

Conſectarium Sextum.

VI. Irregularitatem ex defectu lenitatis non contrahunt 1. Clericus, qui auctor eſt, ut malefactor capiatur; licet in eo capiendo mors ſequatur malefactoris, vel alicujus ſatellitis eum invadere conantis: quia ipſe illius necis nec indirecte cauſa fuerit, cum de licito opere conſilium dederit, ut declaravit Innocent. IV. Cap. *ad audiendum* Extra, de Homicidio. 2. Nec qui judices hortatur, ut ſceleſtos ſecundum legis rigorem puniant. 3. Nec qui reum capitalis criminis, ad veritatem judici legitimo interroganti confitendam, etiam denegata abſolutione, obſtringit, vel vetat, ne injuſtam interponat appellationem. 4. Nec qui milites hortantur, ut in bello juſto pro patria, vel Rege ſtrenue, ac fortiter dimicent. Hi enim omnes & quod juſtum, & quod ſui muneris eſt, conſulunt. Non ſunt quoque irregularitati obnoxii Clerici, qui reorum ſuppliciis ſolius curioſitatis cauſa tamquam ſpectatores interſunt: quia licet in Concilio Lateranenſi ſub Innocent. III. hujuſmodi funeſtis adeſſe ſpectaculis vetitum fuerit per hæc verba; *ſententiam ſanguinis nullus Clericus dictet, vel proferat, ſed nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur interſit;* Gloſſa tamen talem apponit explicationem: *Si intereſt tantum, non videtur, quod debeat deponi, ſed alias debet puniri, quia interfuit contra præceptum hujus canonis.* Et Innoc. IV. in ejuſdem canonis commentario ſic ſubdit: *Hoc non facit irregularitatem, niſi auctoritatem præſtet, vel auxilium.* Sicut nec Sacerdos, ſi morte plectendo aſſiſtens carnifici dicat, ſe ſuo eſſe officio functum. Monet tamen Natalis Alexander, irregularitatis ſubire periculum Clericos, qui etiam bono animo carnificem monent, ut citius ſuo fungatur officio, vel adhuc palpitantem finiat, nec diu languere, & pati ſinat.

REFLEXIO.

I. Primis florentis Eccleſiæ ſæculis corporales defectus, niſi ſacra impedirent miniſteria, nullam inducebant irregularitatem, & corporis vitia ab Altaribus dignos non removebant. *Si quis* (ſtatuitur 76. canone ex his, qui Apoſtolici dicuntur) *vel oculo orbatus, vel femore oblæſus, Epiſcopatu autem dignus ſit, fiat.* Immo defectus, & corporum deformitates, membrorum vel debilitatio, vel carentia pro Chriſto tolerata ſanctuarii miniſtros non defœdabant, ſed ornabant. Oſculabatur piiſſimus Imperator Conſtantinus faciem Epiſcoporum, in qua oculum pro Chriſti confeſſione effoſſum cernebat; ſucciſos poplites amplexabatur, tanquam ſplendida ſanctorum Confeſſorum decora, & ornamenta.

II. At ex oppoſito crimina, flagitia, ſcelera ita fideles defœdabant, ut a Clero etiam poſt Pœnitentiam repellerentur. Et jure meritoque: nihil enim vehementius urget, & inculcat Apoſtolus Tito, & Timotheo, quam ut miniſtros deligant integros vitæ, ſceleriſque puros. *Reliqui te Cretæ*, ſcribit Tito cap. 1. *ut conſtituas per civitates Presbyteros ..... ſi quis ſine crimine eſt ..... oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum .... ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem.* De Diaconibus quoque ſubdit in epiſt. ad Timoth. cap. 3. eligendos *Diaconos ſimiliter pudicos .... habentes myſterium fidei in conſcientia pura: & hi probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.* Conſentiunt & Patres, inter quos D. Hieronymus Apoſtoli verba explicans hæc ſcribit: „ Non eo tantum, quo ordinandus eſt tempore, ſed eo tempore quo in Chriſtum renatus eſt, nulla peccati conſcientia mordeatur ". Quamobrem criminibus pollutos, & peccati reos ad pœnitentiam quidem revertentes ſuſcipiebat Eccleſia, ea tamen conditione, ne unquam Clero adſcriberentur. Origenes enim poſtquam dixerat, carnalibus vitiis defœdatos, & vere pœnitentes, & in Eccleſia recipi, & communione donari, ſubdit, *ea tamen conditione, ut quoniam lapſi ſunt, excludantur impoſterum ab omnibus dignitatibus, & magiſtratibus Eccleſiaſticis.* Et IV. Concil. Carthaginenſi can. 64. ſtatutum fuit, *ex pœnitentibus, quantumvis ſit bonus, Clericus non ordinetur.* Et Can. inter Apoſtolicos dictos 61. decernitur: *Si quis Clericus propter metum hominum negaverit ſiquidem nomen Chriſti, ab Eccleſia rejicitur. Si vero nomen Clerici, deponitur, pœnitentia tamen ductus, ut Laicus, recipitur.*

III. Sed crimen, quod magis deteſtabantur, & quod Eccleſiaſtico miniſterio & Laicos, & Clericos indignos reddere exiſtimabant, erat lapſus carnis. Hinc S. Baſilius in ſua 1. Epiſtola Canonica cap. 8. hanc oſtendens diſciplinam dicit, recipiendos quidem Clericos in fornicationem lapſos; nunquam tamen in eum, ex quo ceciderant, locum reſtituendos. Sanctus quoque Gregorius M. epiſt. ad Januarium Epiſcopum Calaritanum ſcribit: „ Pervenit ad nos quoſdam de ſacris ordinibus lapſos, vel poſt pœnitentiam, vel ante ad Officii ſui miniſterium revocari: quod omnino prohibemus, *& in hac re ſacratiſſimi Canones contradicunt.* Qui igitur poſt acceptum ſacrum Ordinem lapſus in peccatum fuerit, ſacro Ordine ita careat, ut ad miniſterium ulterius non accedat ". Sed nihil luculentius, hujuſce diſciplinæ cuſtodiam in Eccleſia oſtendit epiſtola Martini I. ad Amandum Epiſcopum Ultrajectenſem ſic ſcribentis: „ Nullatenus in hujuſmodi peccato (carnis) delinquentibus ad deſtructionem canonum compaſſionem exhibeas. Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum inciderit, jam depoſitus erit, nullumque gradum ſacerdotii poterit adipiſci; ſed ſufficit ei lamentationibus, fletibuſque aſſiduis, quouſque advixerit, in eadem pœnitentia perdurare, ut commiſſum delictum divina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad ſacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ „ con-

„ contagium mentes, & corpora præoccidat; quanto magis, ſi poſt ordinationem ſuam quiſpiam in lapſum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus eſt cum manibus lutulentis, atque pollutis myſterium noſtræ ſalutis tractare? Sitque hujuſmodi *ſemper juxta ſacrorum Canonum ſtatuta in hac vita depoſitus*, ut ab illo, qui mentis arcana ſcrutatur, nullamque de ovibus errare congaudet, dum aſpexerit ſacram pœnitentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum.

IV. Diminutus quidem eſt in præſenti diſciplina tam juſtus rigor, & inducta diſtinctio inter publica, & occulta crimina: at nec imminuta dignitas Eccleſiaſtici ſtatus, nec ſacris debita reverentia miniſtris; ideoque ſemper ſervandum quod ſtatuit Urbanus II. in ſua epiſtola ad Epiſcopum Conſtantienſem: „ De Presbyteris, inquit, Diaconis, & Subdiaconis, qui poſt acceptum Ordinem in aliquod crimen *ſi ve palam*, *ſive clam* lapſi fuerint, conſtat quidem canonum cenſura ab Eccleſiaſticis eos officiis cohiberi; Tuæ tamen providentiæ, diſcretionique committimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ notis non fuerint aſperſi, *neceſſitate Eccleſiæ urgente*, & ipſorum ſancta converſatione promerente, in ſuis gradibus recuperari debeant. Hoc autem ſecundum indulgentiam dico, non ſecundum imperium “. Quamobrem optime animadvertit Van-Eſpen: „ Tametſi juxta modernam diſciplinam nonniſi quædam ſpeciatim in jure expreſſa crimina irregularitatem inducant; tamen publica, & manifeſta crimina ratione infamiæ ipſum reum aſpergunt, & ſpeciem irregularitatis cauſant “.

TRA-

TRACTATUS DE SACRAMENTIS

PARS SEXTA.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

DISSERTATIO UNICA.

Pauca ſunt de hocce Sacramento exponenda : proinde brevi ſermone ea omnia complectemur, quæ ad dignitatem Sacramenti aſſerendam, ejuſque materiam, formam, miniſtrum, ſubjectum explicanda opportuna erunt, & Tyronibus ſcitu neceſſaria. Pluribus nominibus deſignatur hoc Sacramentum. A Græcis non minus, quam a Latinis Sanctum Oleum *dicitur. Ab Innocentio I. Epiſt. ad Decentium* Sacri Chriſmatis oleum *vocatur.* Oratio etiam cum oleo *appellatur a Græcis juxta verba D. Jacobi dicentis*, orent ſuper eum ungentes oleo. Infirmorum *etiam* olei *ratione ſubjecti, cui applicatur, nuncupatione donatur, ſicut &* Extremæ Unctionis : *tum quia alias eam præcedentes ſupponit unctiones ; tum quia imminente vitæ termino infirmis miniſtratur ; unde & a Tridentina Synodo* exeuntium Sacramentum *appellatur. Alia etiam aſſignatur a D. Thom. hujus nuncupationis cauſa ; quia, inquit 4. contra Gentes „ eſt quodammodo conſummativum totius ſpiritualis curationis, quo homo quaſi ad par„ ticipandam gloriam præparatur ; unde &* Extrema Unctio *nuncupatur*".

CAPUT PRIMUM.

Extremæ Unctionis definitio. Verum eſſe Sacramentum oſtenditur. Materia & forma ſtatuuntur.

DOCTRINA.

I. *Extremæ Unctionis definitio traditur.*
II. *Dignitas Sacramenti illi convenit.*
III. *Probatur argumento præſcriptionis.*
IV. *Et diſcuſſionis.*
V. *Materia eſt oleum olivarum.*
VI. *Et quidem benedictum.*
VII. *Ab Epiſcopo.*
VIII. *Unctio materia proxima.*
IX. *Forma Sacramenti eſſe debet deprecativa.*
X. *In aliquibus tamen Eccleſiis olim adhibita indicativa.*
XI. *Latinæ Eccleſiæ forma exhibetur.*

I. Extrema Unctio optime definitur, *ſenſibile ſignum permanenter a Chriſto inſtitutum, quo per unctionem, & Sacerdotis orationem gratia ſanctificans confertur.* Dicitur *ſignum ſenſibile*, quod omnibus Sacramentis commune eſt. Dicitur a *Chriſto inſtitutum*, quippe qui, ut alibi diximus, ſolus quibuſdam exterioribus ſignis conferendæ gratiæ efficacitatem valet tribuere. Quæ ſequuntur verba materiam, formam, & Miniſtrum deſignant hujus Sacramenti ; & poſtrema ejus effectum. Ex qua definitione patet Extremæ Unctioni ea omnia convenire, quæ ad verum Sacramentum deſignandum tanquam neceſſaria a Theologis requiruntur: nimirum ſenſibile ſignum in unctione poſitum, Chriſti inſtitutionem, & gratiæ promiſſionem, ac infuſionem.

II. Dignitatem Sacramenti extremæ Unctioni auferre conati ſunt Lutherani, & Calviniſtæ, quorum hæreticam doctrinam damnavit Tridentina Synodus duplici canone. 1. Docet: „ Si quis di„ xerit, Extremam Unctionem non eſſe vere, & „ proprie Sacramentum a Chriſto Domino noſtro „ inſtitutum, & a B. Jacobo Apoſtolo promulga„ tum ; anathema ſit". Et Canon. 2. „ Si quis „ dixerit, ſacram infirmorum unctionem non con„ ferre gratiam, nec remittere peccata, nec alle„ viare infirmos ; ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tan„ tum fuerit gratia curationum ; anathema ſit". Et jure merito, nam Sacramenti dignitatem illi ineſſe confirmant argumenta & præſcriptionis, & diſcuſſionis.

III. Nam Lutheranorum, & Calviniſtarum ætate jam in utraque Eccleſia tum Latina, tum Græca uſus Extremæ Unctionis vigebat. A quibus igitur invecta fuit, quando introduci cœpit, a quo inducta in Eccleſiam fuit, oſtendant, oportet, ut humanum figmentum eſſe probent, non divinitus inſtitutum Sacramentum : quod profecto probabunt nunquam. Evincunt præterea vetuſtiſſima tum Sacramentaria, tum Euchologia, in quibus & mentio habetur benedictionis olei pro infirmis, & ritus illud miniſtrandi, ut videre eſt in Sacramentario Sancti Gregorii Magni, ubi in Officio Fer. 5. in Cœna Domini ritus deſcribitur benedictionis præfati Olei, & modus illud miniſtrandi deſignatur. Accedit & Pœnitentiale Theodori Cantuarienſis Epi-

Epiſcopi anni *668.* & aliarum Eccleſiarum Rituales, & Pœnitentiales Libri a pluribus ſæculis exarati.

IV. Confirmat & argumentum diſcuſſionis, quod in perpetua Eccleſiæ traditione ſitum eſt, quæ in omni ſæculo viguit. Omnium Patrum teſtimonia afferri longum nimium foret, & legi poſſunt apud Polemicos Theologos, & Juveninum præſertim: ſatis proinde erit ea indigitare in fonte, vel apud laudatos Theologos legenda. Origenes III. ſæculo hom. 2. in Leviticum Extremæ Unctionis meminit, tanquam ritus jam ante ipſum obtinentis ad remiſſionem peccatorum inſtituti. Quod confirmant IV. ſeculo S. Jo. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio; initio V. ſeculi S. Innoc. I. in epiſt. ad Decentium; VI. ſeculo S. Greg. M. in ſuo Sacramentario, & ſæculo VII. laudatus Theodorus Cantuarienſis in ſuo Pœnitentiali; VIII. ſæculo Capitularia Caroli M. lib. *6.* cap. 75. & IX. ſeculo Patres Concilii Cabilonenſis celebrati anno 815. Aquiſgranenſis an. 836. Moguntini an. 847. X. ſeculi extant canones Elphrini ad Wlphinum Epiſcopum, ut teſtatur Auctor vitæ S. Oſualdi Eboracenſis Epiſcopi, qui obiit anno *992.* XI. ſeculi teſtis eſt Extremæ Unctionis datæ infirmis Umbertus Archidiaconus in vita Leonis IX. qui obiit anno 1005. lib. 2. cap. 14. XII. denique ſæculo traditionem Patrum claudunt D. Bernardus in vita Sancti Malachiæ, & Hugo a S. Victore ſententiarum tract. *6.* cap. 5. Agnita itaque fuit ſemper in Eccleſia Extrema Unctio tanquam verum Sacramentum, ad peccatorum remiſſionem inſtitutum, & uſurpatum.

V. Hujus autem Sacramenti materiam remotam conſtituit Oleum olivarum. Et quidem Oleum eſſe ſolum hujus Sacramenti materiam evincunt verba Apoſtoli Jacobi in ſua epiſtola cap. 5. jubentis: *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo*, & quidem olivarum, quia hoc ſolum nomine olei communiter deſignatur: *alii* enim *liquores*, inquit D. Thom. hic q. *29.* art. 4. *ex ſimilitudine ad ipſum olei nomen accipiunt*, & proprio donantur vocabulo, ſcilicet nucum amygdalarum, lini &c. Congruam autem hujus materiæ rationem exhibet D. A. l. l. ſcribens: „ Spiritualis ſanatio, quæ in fi„ ne adhibetur, debet eſſe perfecta (quia poſt eam „ alia non relinquitur) & lenis, ut ſpes, quæ „ exeuntibus maxime eſt neceſſaria, non frangatur, ſed foveatur. Oleum autem lenitivum „ eſt, & penetrativum uſque ad intima, & etiam „ diffuſivum. Et ideo quantum ad utrumque „ prædictorum eſt conveniens materia hujus Sacramenti “.

VI. Debet autem eſſe benedictum, & quidem probabilius de eſſentia ſacramenti. Nam licet, ſcribit Dominicus Soto in IV. ſent. qu. 1. art. 3. „ utrum olei conſecratio ſit de eſſentia Sacramenti, non appareat prima fronte uſque adeo certum; attamen indubie tenendum eſt, quod requiritur benedictio Olei tanquam de eſſentia Sacramenti “. Et merito: nam Concilia, tum Florentinum, tum Tridentinum aſſignant pro materia oleum *ab Epiſcopo benedictum*. Et profecto non de materia ſolum ad perfectionem requiſita loquuntur, ſed de materia eſſentiali, ſicut & in aliis Sacramentis. Et revera etſi extra caſum neceſſitatis non liceat ex præcepto Eccleſiæ baptizare, niſi aqua in Baptiſmali fonte benedicta; quia tamen talis benedictio ad eſſentiam Sacramenti non pertinet, Concilium Tridentinum ſtatuit, ſolum aquam veram, & naturalem eſſe de eſſentia Sacramenti Baptiſmi: pariter ſi benedictionem olei non eſſentialem exiſtimaſſet, oleum quidem dixiſſet materiam hujus Sacramenti, & poſtea benedictionem ejus præcepiſſet. Ita etiam ſentire videtur S. Thom. hic q. *19.* art. 5. Dicendum, quod „ quidam dicunt, quod oleum ſimplex eſt materia „ hujus Sacramenti; & in ipſa ſanctificatione olei, „ quæ fit per Epiſcopum, perficitur Sacramentum. „ Sed hoc patet eſſe falſum de his, quæ de Eu„ chariſtia dicta ſunt .... ubi oſtenſum eſt, quod „ illud ſolum Sacramentum conſiſtit in conſecra„ tione materiæ. Et ideo dicendum eſt, quod „ hoc Sacramentum conſiſtit in ipſa unctione, ſi„ cut Baptiſmus in ipſa ablutione; & materia hu„ jus Sacramenti eſt *oleum ſanctificatum* “. Et „ iterum 3. p. q. 72. art. 3. quærens, utrum de neceſſitate Sacramenti Confirmationis ſit, *quod chriſma fuerit ab Epiſcopo* conſecratum (ubi, ut patet, loquitur de neceſſitate Sacramenti, non de præcepto) ſic concludit: „ Et ideo tam Chriſma, „ quam Oleum infirmorum, prius *benedicuntur*, „ quam adhibeantur ad uſum Sacramenti “. Et confirmat praxis utriuſque Eccleſiæ, tum Latinæ, tum Græcæ, quæ nonniſi oleo benedicto utuntur in hoc Sacramento.

VII. Non eſt tamen adeo neceſſarium, ut benedictio fiat ab Epiſcopo. Nam in Eccleſia Græca, ut etiam obſervat Bened. XIV. de Syn. lib. 8. cap. 3. a mille & amplius annis oleum Infirmorum ab ipſis Presbyteris benedicitur. Nec diſſentit D. Th. qui licet quæſierit l. mox cit. num de neceſſitate Sacramenti Chriſma debeat eſſe ab Epiſcopo conſecratum, concludit tandem conſecrationem requiri, & non addit, hanc eſſe ab Epiſcopo faciendam, ut ex ejus mox adductis verbis conſtat. In Eccleſia tamen Occidentali poſſet quidem ſummus Pontifex poteſtatem conſecrandi oleum infirmorum & Presbyteris concedere: atqui vel oleo ab Epiſcopo non benedicto uteretur, vel ſi ſimplex Sacerdos benedicere præſumeret, gravis ſacrilegii reus efficeretur.

VIII. Proxima autem materia Extremæ Unctionis, ſicut & in aliis Sacramentis, excepta Euchariſtia, conſiſtit in uſu, & applicatione materiæ remotæ, nimirum in ipſa unctione, ut vidimus etiam ex D. Th. l. n. *6.* laudato. Non tamen quælibet unctio eſt facienda, puta totius corporis; quia, ut inquit S. Thom. in IV. diſt. 23. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. „ Hoc Sacramentum per modum „ curationis exhibetur: curatio autem corporalis „ non oportet, quod fiat per medicinam toti cor„ pori appoſitam, ſed illis partibus, ubi eſt radix „ morbi “. Sufficit igitur, ſi fiat in aliqua parte corporis; & quidem ad eſſentiam Sacramenti non pertinet, ut in hac potius, quam in illa parte fiat. Nam urgente neceſſitate, ut inquit Bened. XIV. loc. cit. n. 5. Parochi unicum ſenſum inungunt formam univerſalem pronunciando. Quinimmo in prædicto eventu conſultius eſt, ut caput, a quo omnium ſenſuum nervi deſcendunt, ſub eadem forma univerſali ungatur. Ex præcepto tamen Eccleſiæ in quinque ſenſibus eſt facienda, quibus Eugenius IV. & aliam in renibus adjunxit

in

in Decreto pro Armenis: quæ tamen præſertim in fœminis, honeſtatis gratia, omittitur, & etiam in viris, qui ſine difficultate moveri, vertique non poſſunt. Unde optime docet S. Thom. in iv. Diſt. 23. q. 3. artic. 3. quæſtiunc. 2. „ Unguntur loca „ quinque ſenſuum, ſcilicet oculi propter viſum, „ aures propter auditum, nares propter odoratum, „ os propter guſtum, manus propter tactum .... „ ſed propter appetitum unguntur a quibuſdam re- „ nes, propter motum unguntur pedes .... Illa „ unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quin- „ que ſenſus quaſi de neceſſitate Sacramenti; qui- „ dam vero illam ſervant, quæ eſt ad pedes, & „ non quæ ad renes ".

IX. Forma hujus Sacramenti, ſicut & in ceteris omnibus, ſunt verba a Miniſtro in applicatione materiæ enuntiata. Hæc autem deprecativa eſſe debent, & per modum orationis, dicente Apoſtolo: *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum.* Hujuſmodi deprecativæ formulæ plures congruas affert rationes D. Thom. hic q. 29. artic. 9. ſcribens: „ Ratio multiplex aſſignatur; 1. quia ſuſcipiens Sacramentum hoc, eſt propriis viribus „ deſtitutus: unde indiget orationibus ſublevari; „ 2. quia datur exeuntibus, qui jam deſinunt de „ foro Eccleſiæ eſſe, & in ſolius Dei manu re- „ quieſcunt: unde & ei per orationem committan- „ tur; 3. quia hoc Sacramentum non habet effe- „ ctum, qui ſemper ex operatione Miniſtri conſe- „ quatur, omnibus, quæ ſunt de eſſentia Sacra- „ menti, peractis; ſicut Character in Baptiſmo, „ & Confirmatione, & tranſubſtantiatio in Eucha- „ riſtia, & remiſſio peccati in Pœnitentia exi- „ ſtente contritione .... Et ideo in hoc Sacra- „ mento non poteſt eſſe forma indicativi modi, „ ſicut in prædictis Sacramentis ". Quæ tamen poſtrema D. Angel. verba non ita ſunt intelligenda, ut ſi forma hujus Sacramenti etiam indicativis proferatur verbis, illud irritum, & inane reddat.

X. Aliquando enim obtinuit in aliquibus Eccleſiis etiam forma indicativa, vel quæ indicativa ſimul eſſet, & deprecativa, ut videre eſt in forma Ambroſiana, quæ V. ſeculo obtinebat in Eccleſia Mediolanenſi his verbis: *ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas poſſis ſuperare poteſtates.* Et Petrus Arcudius laudat Sacramentarium Venetum a Leone X. adprobatum, in quo forma his verbis efferebatur: *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus ſtare poſſis adverſus varias incurſiones in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Apud Græcos tamen obtinet forma omnino deprecatoria, ut ex eorum conſtat Euchologiis.

XI. Verba latinæ formæ ſunt hæc: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, olfactum, guſtum, & tactum.* Quam confirmavit etiam Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 1. Quæ forma eſt eodem tempore pronuncianda, quo materia applicatur, & peragitur unctio. Utrum autem verba omnia ſint de hujus Sacramenti eſſentia, dicemus in Conſectariis.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Inſtitutum fuit a Chriſto Sacramentum Extremæ Unctionis.*
II. *Sine oleo ab Epiſcopo benedicto non eſt danda extrema unctio.*
III. *In quibus membris ſit unctio adhibenda.*
IV. *Non omnia formæ verba ſunt de eſſentia, ſed omnia de præcepto.*

Conſectarium Primum.

I. INſtitutum a Chriſto Domino Sacramentum Extremæ Unctionis dubitare non ſinit Tridentini Concilii definitio can. 1. ſtatuentis: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum; anathema ſit.* Num vero per ſe, & immediate inſtituerit, non definivit Concilium. Hinc non deſunt Theologi, qui docent ab Apoſtolis inſtitutum, ut Hugo a S. Victore dicente: *Hoc Sacramentum fuit ab Apoſtolis inſtitutum.* Et Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 24. ſcribit: *hoc Sacramentum ab Apoſtolis inſtitutum legitur.* Hos tamen locutos eſſe de *mediata* inſtitutione dicendum eſt; cum ſolus Chriſtus, ut etiam ſuperius innuimus, & alibi probavimus, gratiæ ſanctificantis donum aliquibus exterioribus ſignis, & ſymbolis potuerit alligare. Inſinuatum quidem fuit, ut ait Tridentinum, apud Marcum in unctione ſuper infirmum adhibita; & vere inſtitutum, quando poſt Reſurrectionem cum Apoſtolis converſatus multa illos docuit de Regno Dei. Legantur, quæ diximus in Tract. de Sacramentis in genere.

Conſectarium Secundum.

II. Benedictio olei in Extrema Unctione adhibendi eſt certe neceſſaria neceſſitate præcepti eccleſiaſtici; adeout graviſſime peccaret, qui vel alio non benedicto uteretur, vel benedicto ab alio, quam ab Epiſcopo. Veritatem hujus doctrinæ nullus eſt, qui oppugnet: quapropter deficiente oleo ab Epiſcopo benedicto non eſt danda in nullo caſu Extrema Unctio. Illud itaque, ut ſtatuit Rituale Romanum, Parochi accipere debent ab Epiſcopo, illudque in loco nitido, & decenter ornato, in vaſe argenteo, vel ſtanneo diligenter cuſtodire, & quidem ſeorſum ab Oleo Catechumenorum, & Sacro Chriſmate, tum ut commodius deferatur, tum etiam ne propter inſtantem Baptiſmum, infirmi unctio differatur, aut impediatur. *Quod ſi* (ſubdit Rituale) *infra annum ita aliquo modo deficiat, ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate ſuperinfuſo reparari poteſt.* Si per errorem ad Sacramentum Extremæ Unctionis adhiberetur vel Chriſma, vel oleum Catechumenorum, nullum eſſet Sacramentum; ſed iterum dandum oleo Infirmorum, docet S. Carolus in Inſtruct. de Extrema Unctione, & ſtatuit in Concil. Mediol. v.

Co-

Conſectarium Tertium.

III. Unctio peragenda eſt in membris in Rituali deſignatis, vel in proximis ad illa. Conſtat veritas hujus doctrinæ tum ex præſcripto Eccleſiæ, tum ex ipſis formæ verbis, quæ effectum Sacramenti exprimunt in remiſſionem peccatorum per illa membra patratorum; & quia, ut inquit Sanctus Thomas, *ubi eſt prima origo peccati, ibi debet unctio adhiberi*. Neceſſe tamen non eſt, ut ubi ſunt duplicata membra, ambo ungantur; ſed ſufficit, ſi vel oculus, vel auris ungatur: alicujus tamen partis unctio eſt de eſſentia Sacramenti; ſicut de præcepto Eccleſiæ eſt unctio quinque ſenſuum: binæ vero, ſcilicet renum, & pedum, juſta aliqua ſuadente ratione omitti abſque culpa poſſunt, ut docet Benedictus XIV. de Syn. lib. 8. cap. 10. Quando duo unguntur membra ejuſdem ſenſus, ſub una tantum forma ſunt ambo ungenda. In Laicis manus ſunt interius ungendæ; in Sacerdotibus exterius, cum jam interius in conſecratione Sacro Oleo fuerint delibutæ. Alteram vero partem docet S. Thom. hic q. 32. art. 7. ſcribens; „ Mutilati debent inungi, quanto propinquius fieri poteſt ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat; quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur ſaltem in radice, & interius peccare poſſunt per eas, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius “. Nec per hunc unctionis modum falſa redditur formæ ſignificatio, dum dicitur cæco: *indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum*, vel *ſurdo per auditum*; cum adhuc verum ſit, per illos ſenſus peccare potuiſſe, & peccaſſe non quidem exterius operando, ſed interius ob eorum inordinatum deſiderium, vel moleſte, & minime patienter eorum carentiam tolerando. Hanc tamen unctionem in ſurdis, & cæcis a nativitate omittendam præſcribunt nonnulla Ritualia.

Conſectarium Quartum.

IV. Nullum verbum formæ ſine peccato omitti poteſt, non tamen omnia ſunt ad valorem Sacramenti neceſſaria. Et quidem ſine peccato etiam gravi, niſi excuſet ſubreptio, & ſubita inadvertentia, omitti non poſſe, patet manifeſte, cum ſint de præcepto Eccleſiæ, & de re ſummi momenti, & religioſe ſervanda. Non omnia tamen neceſſaria eſſe oſtenditur. Nam neceſſaria non ſunt prima verba *per iſtam ſanctam unctionem*; cum validum ſit Sacramentum, licet in forma Sacramenti materia non exprimatur. Sicut nec quæ ſequuntur, per ſuam piiſſimam miſericordiam, cum hoc contineatur in ſequentibus verbis, *indulgeat tibi Deus*, qui profecto non niſi per ſuam miſericordiam peccata condonat. Non denique quinque ſenſuum expreſſio, cum aliquando unica unctio ſufficiat, ut vidimus Cap. præced.; quamobrem hæc verba ſolum ſunt habenda de eſſentia formæ, *indulgeat tibi Deus*. Neceſſaria non eſt expreſſio Trinitatis, cum hæc nec ab Eccleſia mandetur, nec Extrema Unctio ſit Sacramentum fidei. Urgente itaque neceſſitate valide, & licite confertur hoc Sacramentum, ſi ungendo vel aliquem ex ſenſibus, vel caput ſenſuum omnium ſedem, hæc adhibeatur forma, *indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per ſenſus*. Neceſſe quoque non eſt, ut unctio fiat admota parti ungendæ Miniſtri manu; cum in hoc Sacramento non requiratur manus impoſitio: proinde fieri poteſt vel penicillo, vel virga ſacro oleo intincta tempore peſtis, ut inſinuat laud. Bened. XIV. de Synodo lib. 9. cap. 19. n. 17.

CAPUT TERTIUM.

De Miniſtro, & ſubjecto Sacramenti Extremæ Unctionis.

DOCTRINA.

I. *Soli Sacerdotes Miniſtri Extremæ Unctionis.*
II. *Unus ſufficit.*
III. *Non tamen licite a quolibet Sacerdote confertur.*
IV. *Infirmis dandum.*
V. *Quando ſit pueris miniſtrandum.*
VI. *Utrum dandum amentibus.*
VII. *Quibus etiam morituris non ſit concedendum.*

I. SOli Sacerdotes Miniſtri ſunt hujus Sacramenti. Conſtat ex S. Jacobo, præcipiente ad ungendos infirmos vocandos eſſe *Presbyteros*, non quoſcumque, ſed *Eccleſiæ*: quo nomine non deſignantur, ut putant heterodoxi, *Seniores laici*; ſed Presbyteri ab Eccleſia ordinati, prout laudatum Apoſtoli textum interpretantur S. Joan. Chryſoſt. lib. 3. *de Sacerdotio*, & Innoc. I. in epiſt. *ad Decentium*, & definivit Tridentina Synodus can. 4. his verbis: *Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos B. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem; anathema ſit*. Theologicam rationem reddit S. Thom. 4. *cont. Gentes* cap. 7. & IV. Sent. diſt. 23. q. 2. art. 1. ſcribens: „ Per hoc Sacramentum peccata dimittuntur: peccatum autem non dimittitur, niſi per gratiam: manifeſtum eſt autem, quod in hoc Sacramento gratia confertur. Ea vero, in quibus gratia illuminans mentem confertur, exhibere ſolum pertinet ad Sacerdotes “. Et in Supplem. q. 31. a. 2. oſtendit Diaconis non convenire hujus Sacramenti miniſterium, quia, inquit, *Diaconus habet vim purgativam tantum, non illuminativam*. Hinc, Sacerdote deficiente, nulli unquam inferioris Ordinis Clerico, quacumque urgente neceſſitate, conceſſum fuit hoc Sacramentum miniſtrare.

II. Sufficit unus Presbyter, licet plures adducere conveniens ſit. Et quidem unum ſatis eſſe Sacerdotem, docet & D. Thom. l. l. cont. Gentes ſcribens: „ Si unus ſolus Presbyter adſit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, cujus Miniſter exiſtit, & cujus perſonam gerit “. Et ita declaravit Alexander III. cap. *Quæſivit*, de verb. ſignifi. ſtatuens: „ Nos itaque taliter duximus reſpondendum, quod Sacerdos, uno præſente Clerico, & etiam ſolus poſſit infirmum ungere “. Nec urgent verba

Apo-

Apoſtoli Jacobi dicentis, inducendos Presbyteros Eccleſiæ: nam ſignificant vocandum aliquem ex Presbyteris Eccleſiæ, cum frequenter in Scripturis pluralis numerus pro ſingulari ponatur. Vetitum vero non eſſe plures advocare, immo & convenienter fieri, docet, & confirmat D. A. theologica ratione l. l. cont. Gentes dicens: „ Quia „ hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum „ habet, competit huic Sacramento, quod multi „ Sacerdotes interſint, & quod oratio totius Ec- „ cleſiæ effectum hujus Sacramenti coadjuvet “. Optime tamen advertit Bened. XIV. licet olim uſque ad XIII. ſeculum viguerit in Eccleſia mos plures arceſſendi Sacerdotes; in præſenti tamen diſciplina, illicitum a pluribus Theologis reputari, ſecluſa neceſſitate, hoc Sacramentum a pluribus adminiſtrari, cum nemini integrum ſit in Sacramentis adminiſtrandis a norma recedere in Rituali præſcripta: quam tamen non violant Sacerdotes, qui Miniſtro adſtantes, pro infirmo interim orent Pœnitentiales Pſalmos recitando. Quod ſi contingat Sacerdotem miniſtrantem propter infirmitatem, vel alio caſu deficere; quod deeſt, ſuppleri debet ab alio Sacerdote, quin jam perfectas repetat unctiones, ut docet S. Carolus in ſuis Inſtructionibus.

III. Non cuilibet tamen Sacerdoti licite hoc Sacramentum adminiſtrare conceditur. Ita docet Catechiſmus Concilii Tridentini P. 2. de Sacr. Ext. Unct. in hæc verba: „ Neque tamen ex S. Eccle- „ ſiæ Decreto cuivis Sacerdoti, ſed proprio Paſto- „ ri, qui juriſdictionem habet, ſive alteri, cui „ ille hujus muneris fungendi poteſtatem fecerit, „ hoc Sacramentum adminiſtrare licet “. Immo Regulares, qui nulla petita a Parocho venia hoc Sacramentum præſumerent miniſtrare, præter lethalis culpæ reatum, excommunicatione feriuntur, ut habetur in Clement. I. de Privilegiis.

IV. A Miniſtro ad Subjectum gradum moventes, dicimus, in Eccleſia Latina ex conſtanti, & perpetua traditione ſolis infirmis miniſtratam Extremam Unctionem, & quidem ad mentem D. Jacobi, dicentis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo*. Quare merito ſtatuit Eugenius IV. in Decreto pro Armenis: *Hoc Sacramentum non niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet*. Et Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. declarat „ eſſe hanc unctionem infirmis adhibendam, illis „ vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, „ ut in exitu vitæ conſtituti videantur “. Et ratione theologica confirmat D. Thom. hic quæſt. 32. artic. 1. ſcribens: „ Hoc Sacramentum eſt „ quædam ſpiritualis unctio .... quæ quidem per „ quemdam corporalis curationis modum ſignifica- „ tur. Et ideo illis, quibus corporalis curatio „ non competit, ſcilicet ſanis, non debet hoc Sa- „ cramentum conferri “. Cur vero præcipue iis, qui extremo morbo laborant, ſit miniſtrandum, docet art. ſeq. ſubdens: „ Hoc Sacramentum eſt „ ultimum remedium, quod Eccleſia poteſt con- „ ferre, quaſi immediate diſponens ad gloriam: „ & ideo illis tantum infirmantibus debet exhibe- „ ri, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc „ quod ægritudo nata eſt inducere mortem, & de „ periculo timetur “.

V. Non tamen omnibus infirmis, etiam in extremo agone conſtitutis, dandum eſt hoc Sacramentum. Nam cum ordinetur ad remiſſionem peccatorum, dari non debet pueris nondum rationis uſum adeptis, ut docet S. Thom. hic qu. 32. art. 9. his rationibus; 1. quia hoc Sacramentum exigit actualem devotionem in ſuſcipiente. 2. Quod infirmitates in pueris non ſunt ex peccato actuali cauſatæ, ſicut in adultis; & contra illas præcipue infirmitates hoc Sacramentum datur, quæ ſunt ex peccato cauſatæ, quaſi peccati reliquiæ. 3. Quia non datur contra reliquias originalis peccati, niſi ſecundum quod ſunt per actualia peccata quodammodo confortatæ. Unde principaliter contra actualia peccata datur (ut ex ipſa forma patet) quæ non ſunt in pueris. Ut autem pueris uſum rationis adeptis dari poſſit, optime monet Bened. XIV. de Synodo lib. 8. cap. 6. num. 3. non eſſe expectandam quatuordecim annorum ætatem; ſed cum judicantur pueri rationis compotes, & doli capaces, & culpæ, ſi gravi & periculoſo opprimantur morbo, infirmorum oleo poterunt liniri, quin neceſſe ſit, ut Euchariſtiæ prius recipiant Sacramentum: ſatis enim eſt, ut Sacramenti Pœnitentiæ capaces ſint, ut ad extremam ſuſcipiendam unctionem idonei habeantur; licet ad Euchariſtiæ dignitatem, & excellentiam concipiendam apti non habeantur.

VI. Num vero dari debeat amentibus, & furioſis, egregie nos inſtruit D. Thom. hic q. 32. art. 3. ſcribens: „ Ad effectum hujus Sacramenti per „ cipiendum plurimum valet devotio ſuſcipientis, „ & perſonale meritum conferentis, & generale „ totius Eccleſiæ, quod patet ex hoc, quod per „ modum deprecationis forma hujus Sacramenti „ confertur. Et ideo illis, qui non poſſunt reco- „ gnoſcere, & cum devotione ſuſcipere, dari non „ debet, & præcipue furioſis, & amentibus, qui „ poſſent irreverentiam Sacramento per aliquam „ immunditiam facere, niſi haberent lucida inter- „ valla, in quibus Sacramentum cognoſcerent: & „ ſic eis conferri in ſtatu illo poſſet “. In qua doctrina actualem devotionem deſignat Angelicus, vel quæ prius actu præceſſerit, & moraliter perſeveret; licet poſtea in eum devenerit ſtatum infirmus, ut actualis devotionis capax non ſit. Et in hoc ſenſu Concilium Arauſicanum can. 13. ſtatuit, *amentibus, quæcumque pietatis ſunt, conferenda*. Et Navarrus in Manuali docet cap. 22. infirmo eſſe miniſtrandum, „ etiamſi jam ſit amens, vel „ phreneticus, ſi abſque irreverentia Sacramenti „ fieri poſſit .... & antequam inſaniret, expreſſe, „ vel tacite petierit illud, aut, ſi meminiſſet, pe- „ titurus fuiſſet, nec in peccato mortali notorio „ inſaniret “. Quod & confirmat S. Carolus Borromæus in ſuis Inſtruct.

VII. Non eſt hoc Sacramentum miniſtrandum nec navigantibus, nec in bello pugnantibus, nec capite mox plectendis, licet ſint in diſcrimine vitæ; & ratio eſt manifeſta: cum hujuſmodi infirmi non ſint. Senio tamen confectis, licet actu infirmitate non premantur, exhibendum eſt; cum ipſa ſenectus, & præſertim provecta, graviſſimus ſit morbus. Quamobrem ſtatuit S. Carolus in ſuo IV. Concil. Mediolanenſi: „ Parochus Extremæ „ Unctionis Sacramentum miniſtrare debet adultis „ periculoſe ægrotantibus, propeque moribun- „ dis ſenio confectis, etiam non ægrotis in diem „ mo-

„ morituris “. Non eſt tamen miniſtrandum impœnitentibus, & in ſtatu peccati mortalis morientibus, ut publicis uſurariis, concubinariis, monomachis, mimis, excommunicatis, & ſimilibus.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Neceſſitate urgente licet cuilibet Sacerdoti Extremam Unctionem dare.*

II. *Non reprobatur mos Græcorum plures adhibendi Miniſtros*,

III. *Nunquam data ſanis extrema unctio, nec in Latina, nec in Græca Eccleſia.*

IV. *Quando ſit mulieribus in partu periclitantibus danda.*

V. *Quando repentino morbo correptis, & ſenſibus deſtitutis.*

Conſectarium Primum.

I. URgente neceſſitate, & deficiente Parocho, licet aliis Sacerdotibus etiam Regularibus Extremæ Unctionis Sacramentum adminiſtrare. Adverſatur Navarrus, qui putat, nec in eo caſu licere aliis Sacerdotibus, præter Parochum, vel Epiſcopum, hoc præbere Sacramentum. At hanc rigidam ſententiam rejiciunt communiter cæteri Theologi. Nam Clementinæ Decretum, vetans Regularibus hujus Sacramenti miniſtrationem, datum eſt ad abuſus tollendos, non ad fidelium detrimentum. Propterea S. Carolus in Concil. V. Mediolanenſi ſtatuit: „ Ne alius Sacerdos, niſi „ Parochus hoc Sacramentum miniſtret: ſi porro „ is impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque „ periculum inſtet, tunc Sacerdos alius miniſtret “. Quod dicendum eſt, ſi Parochus ex iniquitate, & malitia hoc Sacramentum denegaret; tunc enim quilibet Sacerdos, etiam Parocho renuente, licite illud tribueret. Etſi vero ſimplex Sacerdos ex officio non teneatur hoc Sacramentum miniſtrare, & ſine gravi peccato contra juſtitiam petenti poſſit denegare; ſi tamen petens aliud Sacramentum recipere non valeret, graviter contra caritatem peccaret illud denegando. Immo etſi alia ſuſcepiſſet Sacramenta, vix percipio, quomodo poſſet ſine læſione caritatis hoc beneficium petenti denegare, quando ſine difficultate impertiri poteſt. In peculiari caſu tamen ſunt ſingulares expendendæ circumſtantiæ, ex quibus culpa denegantis vel deprehendatur, vel excuſetur.

Conſectarium Secundum.

II. Mos Eccleſiæ Græcæ, plures adhibendi Miniſtros in hujus Sacramenti adminiſtratione, nunquam fuit ab Eccleſia Latina improbatus. Græci ſeptem Sacerdotes inducunt ad Extremæ Unctionis miniſterium, & ſi tot haberi non poſſunt, ſaltem tres acceſſunt, ut ex eorum Euchologiis conſtat. Porro diſciplinam hanc nunquam a Latinis reprobatam conſtat: tum quia & in Eccleſia ipſa Latina, ut ſuperius diximus, olim plures etiam adhibebantur Miniſtri; tum quia ſic declararunt Summi Pontifices, Benedictus XIII. in adprobatione Synodi Provincialis Ruthenorum habitæ Zamoſciæ anno 1720. & Benedictus XIV. in ſua Conſtit. 57. *Etſi Paſtoralis* §. 5. ubi ſic docet: „ Nec „ refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum, „ vel plures Presbyteros fiat, ubi hujuſmodi viget conſuetudo; dummodo credant, & aſſerant, „ illud Sacramentum ſervata debita materia, & „ forma ab uno Presbytero valide, & licite con- „ ferri “. Quando autem plures adhibentur Miniſtri, tunc monet laud. Pontifex, quod idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronuntiare reſpective debet; ac propterea qui ungit, idem dicat formam reſpondentem, nec alius ungat, alius formam pronuntiet.

Conſectarium Tertium.

III. Nunquam in Latina Eccleſia data eſt extrema Unctio ſanis; & probabilius nec in Eccleſia Græca. Prima pars hujus aſſertionis conſtat ex perpetua praxi Occidentalis Eccleſiæ, cui non obſtat, aliquando pios ſanctoſque viros de proxima ſua morte præmonitos, licet ſanos, extremam petiiſſe, & illis fuiſſe adminiſtratam unctionem. Nam, ut inquit Auctor vitæ S. Heduigis (quæ, antequam ægrotaret, ſibi tamen mortem imminere ex divina revelatione cognoſcens, hoc Sacramento muniri voluit) „ hoc potius admirandum „ eſt, quam imitandum; & cui ſpiritus Domini „ per revelationem tribuit efficaciam, & in eo, „ ut pie creditur, ſancta devotio diſpenſavit “. Et præterea dici poteſt, illos jam cœpiſſe interiori morbo, & quidem lethali laborare, licet exterius ſani adhuc viderentur, & de hoc lethali morbo per revelationem certiores factos idoneos agnitos fuiſſe ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum. Sed altera pars de Eccleſia Græca majoribus ſubeſt difficultatibus. Nam certum eſt Græcos conſueviſſe & ſanos oleo infirmorum etiam ab Epiſcopo benedicto linire; & hanc unctionem Sacramentalem fuiſſe tuentur Juveninus, & Sambovius. Verum quam certo conſtat de Græcorum praxi etiam ſanos oleo infirmorum ungendi, tam incertum eſt, utrum eam unctionem adhibeant ſolum tanquam Sacramentalem aliquam benedictionem, qua precentur ſano vel liberationem a præſenti aliquo levi morbo, vel præſervationem a futuro; an animo, & intentione conferendi Sacramentum: quod ſi intendant aliqui rudiores Græci, ſunt corrigendi; nec permittendum, ut ſanis Sanctum oleum miniſtrent. Legatur Benedictus XIV. de Synodo lib. 8. cap. 5. ubi rem accurate, & ſapienter pertractat.

Conſectarium Quartum.

IV. Quando ſit mulieribus ex partu vitæ periculo laborantibus danda Extrema Unctio, non conveniunt Doctores. Putat Concina non eſſe adminiſtrandam, licet ex dolorum violentia ſint in periculo mortis conſtitutæ. Natalis Alexander cenſet miniſtrandam, ſi ex ægritudine in periculo mortis verſentur. Has tamen ſpecie tenus contrarias doctrinas conciliari hoc pacto poſſe puto, nimirum acerbitatem dolorum non eſſe per ſe ſufficientem cauſam adminiſtrandi extremam unctionem, cum in omnibus mulieribus plus minuſve acerbi

cerbi ſint partus dolores; quod ſi prudenter exiſtimetur, ex nimia acerbitate dolorum oriri viſcerum diſruptionem, vel ſanguinis tantam effuſionem, quæ mortem inducere poſſit, eſſe oleo ſancto muniendas exiſtimo; cum tunc non ex ſolo partu, ſed ex infirmitate, ob difficilem parturitionem, & dolorum acerbitatem inducta, in extremo vitæ diſcrimine conſtituantur.

Conſectarium Quintum.

V. Qui repentino corripiuntur morbo, & Sacerdotem vel expetierunt, vel pie vixerunt, ſunt Sancto oleo muniendi. Ita docet S. Thom. ſive Auctor Opuſculi 65. inter Opuſcula S. D. ſcribens: ,, Si infirmus, qui petit unctionem, amiſit loquelam, vel notitiam antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum Sacerdos, quia in tali caſu debet baptizari, & a peccatis abſolvi “. Nec oppoſitum ſequitur ex doctrina S. Th. requirentis in ſuſcipiente devotionem. Nam hæc devotio quidem valet ad uberiorem gratiam recipiendam; quin tamen ejus actualis carentia effectum impediat Sacramenti. Et S. Carolus in ſuis Inſtructionibus ſic monet Parochos: ,, Infirmis, qui ſana mente dum erant, illud petierunt, aut veriſimile eſt, quod petiiſſent, etiamſi poſtea in amentiam inciderint, vel ratione, ſermoneve uti deſierint, miniſtrabitur “. Item in Synodo pariter Cæſenatenſi relato a Genetto dicitur: ,, Si vero non conſtet de aliquo contritionis ſigno, ſaltem teſtimonio aliorum miniſtrent nihilominus extremam unctionem, ſi æger pie, & chriſtiane vixerit; neque gravis ſuſpicio ſubſit eum eſſe in peccato mortali.

CAPUT QUINTUM.

De Præcepto, & tempore recipiendi hoc Sacramentum, & de ejus iteratione.

DOCTRINA.

I. *Num Extremæ Unctionis ſuſceptio ſit in præcepto.*
II. *Danda poſt Viaticum.*
III. *Periculoſa ægritudo ſufficit ad dandam Extremam Unctionem.*
IV. *Peccant, qui differunt ad extremum halitum.*
V. *Ad hoc Sacramentum licite recipiendum requiritur ſtatus gratiæ.*
VI. *Et actualis devotio ad utilius ſuſcipiendum.*
VII. *Iterari poteſt, non tamen in eodem vitæ diſcrimine.*

I. EXtremæ Unctionis Sacramentum abſolute ad ſalutem neceſſarium non eſt: illud tamen non recipere vel ex contemptu, vel ex negligentia gravi culpa non vacat. Et quidem neceſſarium non eſſe ad ſalutem conſtat, cum & ſine illo per alia Sacramenta etiam peccatores ſalutem conſequi poſſint; immo nec omnibus, ut diximus, etiam morti proximis adminiſtratur. At ad illud ſuſcipiendum teneri ex præcepto divino docet Juveninus: & jure merito; nam verba Apoſtoli interpretari de conſilio, non de præcepto, abſurdum videtur, cum omnia, quæ ibi ab Apoſtolo deſignantur, ſint de præcepto divino, nimirum de *ungendo infirmo*, & de *oratione adhibenda in ea unctione*; alioquin non haberetur Sacramentum. Et ipſa igitur ſuſceptio, & miniſtratio eſt divini juris, & præcepti habenda. Et revera Concilia, & præſertim Cabilonenſe, in verbis Apoſtoli, *inducat Presbyteros Eccleſiæ* &c. verum agnovere præceptum. Sic enim ſtatuit laud. Concil. can. 48. ,, Secundum Apoſtoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo . . . . . a Presbyteris ungi debent “. Et Colonienſe anni 1538. Part. 7. cap. 50. ait: ,, Hæc Sacra Unctio impendatur cum expoſitione mandati Apoſtolici “. Immo & ipſum Concilium Tridentinum damnat aſſerentes, hanc unctionem fictitiam eſſe, vel figmentum humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec *mandatum Dei*, nec promiſſionem gratiæ. Et S. Thom. ſimile agnovit præceptum ſuſcipiendæ Extremæ unctionis, ac ſumendæ Euchariſtiæ. Porro certum eſt in exitu vitæ urgere præceptum divinum de Euchariſtia ſumenda. Ergo & de Extrema Unctione. Verba S. Doct. in IV. Diſtinct. 23. hæc ſunt: *Ita judicandum eſt de hoc Sacramento, ſicut judicatur de Sacramento Altaris.* Nec deſunt argumenta Eccleſiaſtici etiam præcepti, quod certe elucet & in canone mox citato Concilii Cabilonenſis, & in perpetua Eccleſiæ ſollicitudine, ne fideles ſine hoc Sacramento decedant. Unde & in Sacramentario Sancti Gregorii, & in Capitularibus Caroli Magni dicitur: ,, Si in infirmitate quis deprehenſus fuerit, vitam ſine communione non finiat, nec unctione Sancti Olei careat “. Et Synodus Lingonenſis ſic Parochos inſtruit: ,, Debet dicere iis (infirmis) quod ſi recuſent, vel differant recipere, ex eo quod contemnunt Sacramentum, peccant mortaliter, & graviter: & licet dicant, quod non faciunt ex contemptu; debet tamen dubitari, ne malignus ſpiritus eos extrahens in extremo decipiat “. Certum eſt igitur juxta omnes Theologos contemptum hujus Sacramenti lethale peccatum conſtituere, & proinde negligentes illud recipere a peccato lethali vix excuſari; quia hæc ipſa negligentia virtualem involvit contemptum. Id etiam animadvertit de Syn. Bened. XIV. lib. 8. c. 7. num. 8. ſcribens: ,, Facile contemptum præſumi in infirmo, qui jam vita periclitatur, ſciens & volens petere negligit, multoque magis, ſi a Parocho exhibitum recipere renuat “. Ea de cauſa improbabilem puto Caſuiſtarum doctrinam, a gravi culpa excuſantium conſanguineos, affines, domeſticos, ſi ex quadam falſa miſeratione Sanctum Oleum miniſtrari non curent, cum maximo bono infirmum privent.

II. Danda eſt Extrema Unctio poſt Viaticum; non tamen improbandus mos alicujus Eccleſiæ illam præmittendi. Et quidem poſt Euchariſtiam præbendum eſſe hoc Sacramentum, docet Trident. Syn. Catechiſmus num. 12. ,, Servanda eſt Catholicæ Eccleſiæ perpetua conſuetudo, ut ante Extremam Unctionem Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtretur. Ac deinde ægroto perſuadere Parochi ſtudeant, ut ea fide ſe ungendum Sacerdoti præbeat, qua olim, qui ab Apoſtolis ſanandi erant, ſe ipſos offerre con-

,, ſue-

„ ſueverant “. Et S. Carolus in ſuo Rituali ſic inſtruit Parochos: „ Quamvis apud veteres aliquando conſuetudo fuit, ut poſt pœnitentiam, & reconciliationem infirmorum, extrema prius eis unctio, ac deinde Sacra Communio exhiberetur .... poſtea tamen ex generali conſuetudine, quæ & hodie univerſaliter in Latina, & Occidentali Eccleſia viget, ut prius ſacra Communio, poſtmodum vero Extremæ Unctionis Sacramentum infirmis exhibeatur, & hunc ordinem hic ſervare oportet “. Non eſſe vero oppoſitum morem, in aliqua Eccleſia, vel Religione vigentem, reprobandum monet Benedictus in ſæpius laud. Opere de Synodo loc. cit. cap. 8. n. 2. ſcribens: „ Verum nos hanc permiſſionem (præmittendi Extremam Unctionem Viatico) nequaquam improbamus: ſiquidem a laudato Suarezio diſcimus, contrariam conſuetudinem non eſſe ſub gravi ſaltem obligatione ab omnibus Chriſtiani Orbis regionibus receptam; & præterea ex Natali Alexandro accepimus, apud Ciſtercienſes etiam hodie perſeverare antiquum morem, Sacram Unctionem præmittendi Viatico “. Immo & D. Thom. hunc morem adprobaſſe viſus eſt, cum dixit 3. p. q. 65. art. 3. *Per Extremam Unctionem hominem præparari ad digne ſumendum Corpus Chriſti*. Monet tamen laudatus Pontifex, ex privata alicujus devotione non eſſe recedendum a communi praxi Eccleſiæ; & infirmum monendum, utilius eſſe, ac tutius Eccleſiæ Romanæ ritui, ac uſui ſe accommodare.

III. Periculoſæ ægritudinis tempus eſt opportunum ad Sanctam Unctionem & recipiendam, & miniſtrandam; nec neceſſe eſt, ut infirmus ſit in extremo agone, vel exitu vitæ conſtitutus. Nam nec D. Jacobus, nec Patres unquam docuere, extremum eſſe expectandum vitæ terminum ad præbendam Extremam Unctionem; ſed ſufficere docent, *ſi infirmitas vitæ afferat periculum*. Sic enim ſcribit D. Thom. hic q. 32. art. 2. „ Illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter quod ægritudo *nata eſt inducere mortem*, & de periculo timetur “. Quibus verbis clare docet A. P. quando ægritudo nata eſt (ideſt periculoſa, & gravis) ad mortem inducendam, & incutiendum timorem de ea, tempus opportunum adeſſe dandæ, & accipiendæ Extremæ Unctionis. Porro hæc infirmitas, & hic prudens timor frequentiſſime ab ipſo vitæ extremo diſtat. Concilium quoque Tridentinum docet, eſſe hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præcipue, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur. Nec verbo illo *præcipue* denotare vult, communiter omnibus infirmis eſſe dandam, non periculoſe decumbentibus: quod profecto & doctrinæ ipſius Concilii, & praxi Eccleſiæ repugnaret: ſed indicare, poſſe dari etiam illis infirmis, qui non adeo apparenter, & proxime videntur conſtituti in exitu vel extremo vitæ, verum etiam quando habetur ſufficiens ratio periculi, & futuræ ob eum morbum mortis prudens timor. Favet huic explicationi Catechiſmus Romanus dicens: „ Illis eſſe miniſtrandum, qui adeo periculoſe ægrotare videntur, ut, ne ſupremus vitæ dies illis inſtet, metuendum ſit “.

IV. Graviſſime itaque peccant (verba ſunt Catechiſmi Romani) qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat. Et jure merito: nam ſubdit: „ Conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, dum in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro Oleo liniatur “. Hoc autem obſtringuntur peccato, 1. Parochi, qui ad hoc extremum vitæ Sacramentum differunt: unde eos monet S. Carolus in ſuo 1. Mediolanenſi Concilio: „ Extremæ Unctionis Sacramentum curet Parochus, ut ægroto, dum integris eſt ſenſibus, perhibeatur “. 2. Familiares, qui, ne infirmos nimis terreant, ne opportune adminiſtretur, impediunt; cum maxima hujus beneficii parte illos privent.

V. Ad hoc Sacramentum licite percipiendum requiritur, ut nemo lethalis peccati reus illud ſuſcipiat, ſed Sacramentalem Confeſſionem præmittere tenetur, niſi ſit ſenſibus omnino deſtitutus. Nam, ut obſervat D. Thom. hic qu. 30. art. 1. ad 1. „ Quia pœnitentia eſt principaliter inſtituta contra actualem culpam, quodcumque aliud Sacramentum actualem culpam delet ex conſequenti, nec excludit neceſſitatem pœnitentiæ “. Falſa eſt itaque aliquorum Caſuiſtarum doctrina aſſerentium, non eſſe neceſſariam Confeſſionem in conſcio lethalis peccati, ſed poſſe ſe diſponere per ſolam contritionem. Nam nonne quando ſuſcipere debet Extremam Unctionem, eſt in diſcrimine vitæ? Sed omnes benigniores Caſuiſtæ Confeſſionem eſſe tunc de præcepto dicunt. Quomodo igitur omitti poteſt, & ejus loco ſolam ponere contritionem? Præterea nonne contritio includit votum Sacramenti Pœnitentiæ, & in ordine ad illud peccata remittit? Ad quid igitur valet votum Sacramenti, quando ipſum Sacramentum ſuſcipi & poteſt, & debet? Dixi, niſi ſit ſenſibus deſtitutus: nam tunc quidem non eſt neceſſaria confeſſio, niſi eo, quo fieri poteſt, modo; eſt tamen neceſſaria pœnitentia. Eapropter prius eſt abſolutione donandus, vel abſolute vel conditionate, ut ſuo loco docuimus, deinde ſacro Oleo liniendus.

VI. Ad hoc Sacramentum cum uberiori fructu percipiendum requiritur & ipſius ſuſcipientis devotio. Veritatem hujus doctrinæ oſtendunt ea, quæ ex Catechiſmo Romano ſuperiori num. 5. recitavimus, & confirmat D. Thom. hic q. 32. art. 3. ſcribens: „ Ad effectum hujus Sacramenti percipiendum plurimum valet devotio; quod patet ex hoc, quod per modum deprecationis forma hujus Sacramenti confertur. Et ideo illis, qui non poſſunt recognoſcere, & cum devotione ſuſcipere hoc Sacramentum, dari non debet “. Quæ tamen devotio neceſſe non eſt ad valorem, ut actualiter adſit, ſed virtualiter, vel in ipſius Sacramenti petitione & deſiderio, vel in vita chriſtiane peracta: Unde de furioſis, & amentibus ſubdit: „ Niſi haberent lucida intervalla, in quibus Sacramentum cognoſcerent (illud ſcilicet petendo, & deſiderando) & ſic eis conferri in illo ſtatu poteſt “. Hinc minus accurate docent nonnulli benigniores Caſuiſtæ, dandum hoc Sacramentum ebriis deficientibus, niſi conſtet, eos eſſe in mortali peccato. At, amabo, ebrietas

nonne eſt de ſe mortale peccatum? Quomodo ergo conſtare poteſt morientes in ebrietate non eſſe in peccato mortali? Prius itaque eſt explorandum, utrum veræ dent pœnitentiæ ſigna, quæ ſi exhibeant, abſolvendi prius ſunt, & poſtea extrema unctione muniendi. Quod ſi non exhibent pœnitentiæ ſigna, vel dubia, attendenda eſt doctrina Innoc. I. Cap. *Illud* diſt. 95. de Extrema Unctione: „ Non pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi “? Datur quidem iſtis fortaſſis abſolutio a peccatis, ſaltem conditionate, quia hoc Sacramentum eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem: quare melius eſt illud etiam ſub dubio dare, quam negare; cum conſultius ſit ſaluti animæ providere remedio dubio, quam ſine remedio relinquere. Tantæ autem non eſt neceſſitatis Extrema Unctio, quæ ſub dubia diſpoſitione dari debeat.

VII. Iterari poteſt hoc Sacramentum, non tamen in eodem vitæ diſcrimine. Non defuere xi. & xii. ſeculo, qui arbitrarentur, id iterari non poſſe, vel nonniſi poſt triennium, & nunquam eodem anno. Quam doctrinam labente xvi. ſeculo adhuc fortaſſis non omnino deletam damnavit in Synodo Iprenſi Epiſcopus Rethovius tit. 11. cap. 3. ubi, poſtquam veram tradidit doctrinam, & docuit licere, Extremam Unctionem, quandocumque opus fuerit, denuo adminiſtrare, ſubdit: „ Proinde conſuetudinem, ſecundum quam non conſuevit hoc Sacramentum intra annum ſecundo ſuſcipi, etiamſi altera gravis adveniat infirmitas, tamquam noxiam abrogamus “. Noſtræ vero aſſertionis veritatem perpetua confirmat praxis, & doctrina Eccleſiæ, cui nullus modo eſt, qui obſiſtat. Et confirmat D. Thom. hic q. 33. a. 1. ſcribens: „ Sacramentum autem, quod habet effectum non perpetuum, poteſt iterari ſine injuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia ſanitas corporis, & mentis, quæ eſt effectus hujus Sacramenti, poteſt amitti, poſtquam fuerit per Sacramentum effecta; ideo hoc Sacramentum ſine ſui injuria poteſt iterari “. Alteram vero partem, quæ affirmat, non eſſe in eodem periculo iterandum, pariter olim nonnulli antiquiores non adprobarunt. Conſtat enim ex antiquis monumentis apud Hugonem, Menardum, & apud Baluzium Tom. 7. Miſcellanearum, in aliqua Eccleſia ſtatutum fuiſſe, ut infirmi de vita periclitantes per ſeptem continuos dies & Chriſti Corporis Viatico reficerentur, & ſancto oleo linirentur. Verum poſtmodum uſus ab Eccleſia receptus, ab omnibus Theologis admiſſus, in omnibus ferme Synodis conſtitutus, ac in Ritualibus præſcriptus obtinuit, ut nonniſi ſemel in eadem infirmitate, etiam diutius durante mortis periculo, conferatur Unctio Extrema. Rem more ſuo egregie illuſtrat D. Thom. hic q. 33. art. 2. ſcribens: „ Hoc Sacramentum non reſpicit tantum infirmitatem, ſed etiam infirmitatis ſtatum; quia non debet dari niſi infirmis, qui ſecundum humanam æſtimationem videntur morti appropinquare. Quædam autem infirmitates non ſunt diuturnæ: unde ſi in eis datur hoc Sacramentum tunc quando homo ad ſtatum illum pervenit, quod ſit in periculo mortis, non recedit a ſtatu illo niſi infirmitate curata: & ita non debet iterum inungi. Sed ſi recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero ſunt ægritudines diuturnæ, ut hectica, hydropiſis, & hujuſmodi: & in talibus non debet fieri unctio, niſi quando videntur perducere ad periculum mortis: & ſi homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per illam ægritudinem reducatur, iterum poteſt inungi; quia jam quaſi eſt alius infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter “.

CAPUT SEXTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Doctrina Haberti, & Colleti expenditur.*
II. *Quando iteranda Extrema Unctio.*
III. *Parochi etiam lue infectis Unctionem ſanctam tenentur exhibere.*

Conſectarium Primum.

I. NOn uſquequaque veram puto doctrinam Habert, cui ſubſcribit Continuator Tournelii, ſcilicet „ Senſibus deſtitutis etiam in ipſo criminis actu, puta in duello lethaliter vulneratis, dandum eſſe hoc Sacramentum; ſi tamen ſpatium habuerint pœnitentiæ: quia conjectare licet, eos pœnituiſſe, etiamſi nullum pœnitentiæ ſignum dederint “. Ex quo infert: „ Adultis quibuſve fidelibus, ſive pie, ſive male vixerint, modo pœnitentes præſumi poſſint, dandam Extremam Unctionem, etiamſi ſenſibus ſint deſtituti “. In qua doctrina nonnulla minus accurate dicta mihi videntur, 1. Dandum eſſe Sacramentum in ipſo flagitioſo crimine deſtitutis ſenſibus, ſi tempus habuerint pœnitentiæ. Profecto, ſi ſtatim in ictu oculi ex vulnere accepto mortui ſunt, locus non eſt Extremæ Unctioni, nec ulli Sacramento. 2. Si ſpatium pœnitentiæ habuerint. At ſi pœnitentiæ ob ſenſuum deſtitutionem capaces non fuerunt, quid prodeſt tempus? Num hoc ſufficit ſine pœnitentia ad fructum Sacramenti percipiendum? Minime, ſubdit. Sed conjectare licet eos pœnituiſſe. At unde deſumenda hæc conjectatio, quæ profecto nec temeraria eſſe debet, nec imprudens? Num ex ſignis præſentibus? num ſaltem ex ſignis paulo ante datis, vel Sacramentum petendo, vel pectus tundendo? Nequaquam, cum ultro fateatur, nullum dare pœnitentiæ ſignum. Num ſaltem in vita chriſtiane acta? Profecto, qui in tali ſtatu peccati moriuntur, vel ebrii, vel monomachi, vel fornicatores vitam non chriſtiane traduxerunt. Immo Habertus, & Colletus non horrent aſſerere, dandam & iis, qui *non pie, ſed male vixerunt*. Temeraria itaque erit, & minime prudens hæc conjectatio. Præterea nonne in extremo vitæ agone, etiam juxta laxiſſimos Caſuiſtas, actus Caritatis, aut Contritionis eſt de neceſſitate præcepti? Igitur vel hos concepit, vel non: ſi primum, non indiget Extrema Unctione; ſi non, nec prodeſt. At dices: ergo nec danda abſolutio. Reſpondeo non deeſſe, qui negant dandam. Sed benignius ſentiendo, dico dandam ſaltem ſub conditione: quia etſi

forte adſit neceſſaria contritio, & actus caritatis, hic non remittit peccata niſi ex voto Sacramenti Pœnitentiæ, & in ordine ad illud. Eſt ergo perficiendum Sacramentum, & danda abſolutio. At Caritas, & Contritio non includit votum Sacramenti Extremæ Unctionis, quod juxta veriorem doctrinam, quam mox propugnabimus, per ſe non delet peccata mortalia, ſed ſolum per accidens, ſicut cetera vivorum Sacramenta, inter quæ ab Eccleſia, & a toto Theologorum choro enumeratur Sacramentum Extremæ Unctionis. Præterea Sacramentum Pœnitentiæ eſt adultis poſt Baptiſmum in peccata lapſis neceſſarium neceſſitate medii, vel in re, vel in voto. At hujuſmodi non eſt Extrema Unctio; proinde non danda iis, quibus nec Pœnitentia dari poteſt. Nec urget, ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri actus ipſius Pœnitentis, & quidem exteriores; quod non requiritur in Sacramento Extremæ Unctionis: quare illud ex deficientia materiæ non poteſt quandoque adminiſtrari, hoc vero & licet, & poteſt. Nam falſum eſt, ad Extremam Unctionem non requiri actus Pœnitentis. Quandoquidem oppoſitum docent Innoc. I., S. Thom., omnes pene Synodi ſive Diœceſanæ, ſive Provinciales, cum hoc ſolo diſcrimine, quod in Sacramento Pœnitentiæ actus pœnitentis requiruntur tanquam pars, & materia Sacramenti; in Extrema Unctione tanquam conditiones omnino neceſſariæ: ſicut in Baptiſmo adulti requiritur deteſtatio criminum commiſſorum, non ut materia Baptiſmi, ſed ut conditio neceſſaria; quæ ſi deſit, effectum impedit Sacramenti. Inepte vero adducit Sancti Auguſtini teſtimonium Colletus, dicentis in lib. 1. de Adulterinis conjugiis: *Multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti denegare;* cum hoc dicat Sanctiſſimus Doctor de ſolis Baptiſmo, & Pœnitentia neceſſariis neceſſitate medii; quare imprudenter extenditur ad alia Sacramenta non tantæ neceſſitatis. Subſcribo itaque opinioni Sylvii, quam Coletus *pauloſeveriorem* appellat, docentis, ad licite adminiſtrandum hoc Sacramentum phrenetico, vel ſenſibus deſtituto requiri, ut vel Sacramentum petierit, vel, ſi non petierit, vir fuerit bonæ famæ, aut ſaltem oſtenderit ſigna ſinceræ ad Deum converſionis. Quid? quod ita ſtatuit Rituale Romanum: „ Impœnitentibus vero, & qui in manifeſto peccato „ mortali moriuntur, & excommunicatis, & non„ dum baptizatis penitus denegatur ". At, amabo, quinam ſunt, qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, niſi qui in ebrietate, in fornicatione, in duello moriuntur, nec ullum exhibent pœnitentiæ ſignum? Et Cardinalis Denofius in ſuo Cæſenatenſi Synodo ſic docuit: „ Admonemus Pa„ rochos, ne Sacramentum hoc miniſtrare cunctentur ægris ſubita vi mortis oppreſſis, ut nec pec„ cata confiteri, nec Communionem ſumere poſ„ ſint; ea tamen ratione, ut, ſi illi aliquod „ contritionis ſignum dederint, prius *eis abſolutionem impertiant*; quod ſi vero non conſtet de a„ liquo contritionis ſigno, ſaltem teſtimonio alio„ rum miniſtrent nihilominus extremam unctio„ nem, *ſi æger pie, & chriſtiane vixerit*, neque „ gravis ſubſit ſuſpicio, eum eſſe in peccato morta„ li ". En, quam plane contraria Tournelio, & Haberto doceat hic doctiſſimus, & piiſſimus Cardinalis, denegandam Extremam unctionem jubens Chriſtianis, qui nec *pie*, *nec chriſtiane vixerunt*, & de quibus *gravis eſt ſuſpicio*, ne ſint in peccato mortali: illi vero *omnibus* dandam eſſe docent, ſive *pie*, ſive *male* vixerint; & dandam, quando certo conſtat eſſe in peccato mortali, & ſolum leviſſima eſt de eorum pœnitentia ſuſpicio.

Conſectarium ſecundum.

II. Optima eſt admonitio Van-Eſpenii, quam & adprobavit Bened. XIV. de Synodo lib. 8. cap. 8. n. 4. videlicet: „ Ne Parochi nimium ſcrupuloſe „ ſe gerant in iteranda Extrema Unctione infir„ mis; ſed ſi dubitent, an revera morbi ſtatus ſit „ mutatus, ſeu num idem, vel diverſum ſit vitæ „ periculum, in quo æger verſatur, expedit, ut „ ad Sacramenti iterationem propendeant, eo quod „ hæc iteratio conformior ſit veteri Eccleſiæ con„ ſuetudini, & per eam novum ſpirituale ſubſi„ dium, & levamen infirmo obveniat ".

Conſectarium Tertium.

III. Parochus etiam cum ſuo gravi periculo infirmis vel peſte, vel alio morbo contagioſo infectis hoc Sacramentum tenetur miniſtrare; immo & alii Sacerdotes deficiente vel recuſante Parocho, hoc infirmis ſpirituale ſubſidium exhibere obſtringuntur. Hanc doctrinam attigimus in Tract. de Sacram. in genere cap. 7. conſect. 5. & hic confirmamus. Nam primo, ut ibi diximus, etiam cum diſcrimine vitæ hoc Sacramentum tenetur Parochus miniſtrare infirmo, cui alio ſubvenire non potuit Sacramento. Quod ſi Pœnitentiam, & Euchariſtiam miniſtravit, adhuc tenetur cum gravi periculo & Sacram Unctionem præbere, quando non adeſt moralis certitudo contrahendæ infectionis, ſed ſolum illud periculum, quod regulariter ſequitur ex tali infirmitate, & contagio. Ita enim docet Manuale Iprenſe relatum a Petro Daneſio: „ Si morbo contagioſo laboret infirmus, „ non poteſt a ſuo Paſtore negligi, vel ſine debi„ ta Sacramentorum, etiam Extremæ Unctionis, „ adminiſtratione relinqui ". Nugnus quoque de Extrema Unctione ſcribit: „ Parochus tenetur „ ad adminiſtrandum ſuis ſubditis hoc Sacramen„ tum, etiam cum notabili periculo vitæ. Alias „ eſſet magna triſtitia, & perturbatio in Eccleſia; „ quia nullus vellet conferre Sacramentum Extre„ mæ Unctionis tempore peſtis ". Immo idem ſtatuit & S. Carolus in ſuo IV. Concilio Mediolanenſi. Hujus doctrinæ veritatem agnoſcit ſaltem ex parte & ipſe Ferrarius, qui præceptum negavit ad hujus Sacramenti ſuſceptionem obſtringens. Hinc enim ſcribit v. *Extr. Unctio* n. 44. „ Paro„ chus tenetur, etiam cum periculo contagii, mi„ niſtrare hoc Sacramentum moribundo peſte in„ fecto, etiamſi receperit Sacramentum Pœni„ tentiæ, ſed non Euchariſtiæ; quia licet in tali „ caſu non eſſet in extrema neceſſitate, eſſet „ tamen in gravi, in qua etiam ſubdito ſubveni„ re debet Parochus ". Nec ab hoc onere diſpenſatur ex proprio periculo; ſed ut l. I. de Sacramentis in genere docuimus, ſolum in ceterorum utilitatem, nimirum quando periculum ſit Sacramentum hoc miniſtrando, ut aliis ſubvenire non poſſit, qui Sacramento Pœnitentiæ indigent.

Re-

Recolantur ibidem dicta. Addimus tunc licere, debita cautione ab Epiſcopo deſignanda uti, ut periculum vitæ, quantum fieri poteſt, declinet, vel penicillo, vel oblonga virga oleo ſancto intincta, utendo, ſicut & forma Sacramenti breviore, unum ſenſum ungendo magis unctioni patentem, & ceteros nominando per hæc verba: *Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum* &c. ut conſentit & Bened. XIV. de Syn. lib. 3. cap. 19. n. 29. Alii quoque Presbyteri, deficiente Parocho, ex charitate tenentur peſte morientibus hujus Sacramenti miniſtratione auxiliari: 1. quando non aliud ſuppeditari poteſt Sacramentum. 2. Quando ſolum Sacramentum Pœnitentiæ, & quidem non integre confeſſis. 3. Etiam confeſſis, & ſine Viatico diſceſſuris, immo & iis, qui ea ſuſcepere Sacramenta, cum magna ſint auxilia, quæ infirmis hoc affert Sacramentum, quibus deſtituti grave patiuntur damnum, quod avertere tenetur ex caritate Sacerdos etiam cum aliquo ſuæ vitæ periculo, obſtringente caritate ad damnum aliquod temporale, etiam grave, ſubeundum gratia avertendi majus periculum ſpirituale proximi. Et revera ita docet Clericatus de Sacr. in gen. Deciſ. 72. n. 13. qui & Valentiam, Gratianum, Bannezium, Aquavivam, Toletum, alioſque Theologos allegat.

CAPUT SEPTIMUM.

De Effectibus Extremæ Unctionis.

DOCTRINA, ET CONSECTARIA.

I. *Effectus hujus Sacramenti enumerantur.*
II. *Gratia peccatorum remiſſiva confertur.*
III. *Non tamen per ſe primo gratia lethalium remiſſiva.*
IV. *Alter effectus auxilia gratiæ.*
V. *Tollit peccati reliquias.*
VI. *Et reatum pœnæ temporalis remittit.*
VII. *Et corporalem ſanitatem aliquando affert.*
VIII. *Raro tamen ob defectum in ſuſcipiente.*
IX. *Servandæ Eccleſiaſticæ cæremoniæ in ejus adminiſtratione.*
Reflexio.

I. QUatuor enumerantur hujus Sacramenti effectus; nimirum 1. gratiam ſanctificantem donat. 2. Auxilia confert, queis animam alleviat, confortat, roborat, ut infirmitatis incommoda levius ferat, & Satanæ tentationibus obſiſtat. 3. Peccatorum reliquias abſtergit. 4. Denique & corporalem inducit ſanitatem. Quæ omnia luculenter exponit Trid. Syn. ſeſſ. 14. cap. 2. dicens: „ Res & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: & Oratio fidei ſalvabit infirmum &c. ... Res etenim hæc gratia eſt Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus, & morbi incommoda, & labores levius fert, & tentationibus Dæmonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur ".

II. Et quidem gratiam ſanctificantem diffundere in cor ſuſcipientis certum omnino eſt, cum hæc infuſio gratiæ ſit omnium Sacramentorum novæ legis communis effectus; quæ quidem gratia remiſſiva eſt peccatorum, primo, & per ſe venialium, deinde vero & ex conſequenti etiam mortalium. Et quidem gratiam hujus Sacramenti eſſe peccatorum remiſſivam, ex ipſis Apoſtoli verbis patet manifeſte, dicentis, *& ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*. At non omnes conſentiunt, mortalium peccatorum remiſſionem ſolum ex conſequenti ab hoc Sacramento profluere. Sunt enim, qui docent, primario, & per ſe eam afferre. Sunt, qui per ſe quidem, ſed non primario, ne Pœnitentiæ neceſſitatem, & efficacitatem minuant, remiſſionem peccatorum per hoc Sacramentum autumant obtineri. Hæc quæſtio ad mores informandos parum intereſt. Verum a S. Thom. doctrina recedere non poſſumus.

III. Docet itaque A. P. non per ſe Extremam Unctionem conferre primam gratiam remiſſivam peccatorum, quia eſt Sacramentum non mortuorum, ſed vivorum; & datur non mortuis per peccatum, ſed vitam gratiæ viventibus. Sic enim ſcribit hic q. 30. a. 1. „ Principaliter hoc Sacramentum eſt inſtitutum ad ſanandam infirmitatem peccati. Unde ſicut Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio, & Pœnitentia quædam ſpiritualis ſuſcitatio; ita & Extrema Unctio eſt quædam ſpiritualis ſanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis medicina præſupponit vitam corporalem in medicato; ita ſpiritualis ſpiritualem. Et ideo hoc Sacramentum *non datur contra defectus, quibus ſpiritualis vita tollitur*, ſcilicet contra peccatum Originale, vel mortale ". Et contra Gentes cap. 73. „ Contingit (ſcribit) quod homo omnium peccatorum, quæ commiſit, notitiam, aut memoriam non habet, ut poſſit per pœnitentiam ſingula expurgare, ſicut etiam quotidiana peccata, ſine quibus vita præſens non agitur, a quibus oportet hominem in ſuo exitu per hoc Sacramentum purgari ". 3. Docet lethalia peccata tolli quidem aliquando virtute hujus Sacramenti, ſed ſolum per accidens, & ex conſequenti, ſicut & alia vivorum Sacramenta. Quare ſtatim ſubdit: „ Sed quia hoc robur gratia facit, quæ ſecum non compatitur peccatum, ideo ex conſequenti ſi invenit peccatum aliquod mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis; ſicut etiam de Euchariſtia, & Confirmatione ſupra dictum eſt. Et ideo etiam Jacobus de remiſſione peccati conditionaliter loquitur, dicens: *Si in peccatis ſit, dimittentur ei*, ſcilicet quoad culpam ". Hanc S. Thom. doctrinam adoptavit & Catechiſmus Tridentini Concilii num. 14. dicens: „ Docebunt Paſtores, hoc Sacramento gratiam tribui, qua peccata in primis leviora, &, ut communi nomine appellantur, venialia tolluntur. Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remiſſionem inſtitutum eſt, ſed Baptiſmus tantum, & Pœnitentia vi ſua hoc efficiunt ".

IV. Alter itaque effectus, quem per ſe præſtat hoc Sacramentum, ſitus eſt in auxiliis gratiæ, quibus roborati, & confortati infirmitatis incommo-

da patienter ſuſtinent, adverſario tunc venienti cum ira magna, ſcienti, quia modicum tempus habet, fortiter obſiſtunt, timorem, & pro imminenti morte triſtitiam abjiciunt (inquit laud. Catechiſmus) & læto animo Domini expectant adventum, parati depoſitum ſuum, quandocumque ab eo repetere voluerit, libenter reddere. Spem quoque Divinæ bonitatis concipiunt, qua roborati inſtantis Divini judicii ſeveritate non frangitur: unde *Spei Sacramentum* appellatur Extrema Unctio; ſicut Baptiſmus *Fidei*, & Euchariſtia *Amoris*, *& Charitatis*.

V. Tertio vero loco reliquias tollit peccatorum. Nam, ut docet S. Thom. loc. laud. „ Datur hoc „ Sacramentum contra illos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, & gloriæ. Et hic defectus nihil aliud eſt, quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali". Et paulo poſt idem confirmat ad 2. dicens: „ Reliquiæ peccati non dicuntur hic diſpoſitiones ex actibus relictæ, quæ ſunt quidam habitus inchoati, ſed quædam ſpiritualis debilitas in ipſa mente exiſtens, qua ſublata (etiam iiſdem habitibus, vel diſpoſitionibus manentibus) non ita poteſt inclinari mens ad peccata. Hujuſmodi quidem infirmitates (repetit cont. Gent. lib. 4. cap. 73.) ſpirituales per Pœnitentiam ſunt curandæ, prout Pœnitens per opus virtutis, a malis retrahitur, & ad bonum inclinatur. Sed quia homo vel per negligentiam, aut per occupationes varias vitæ, aut etiam propter temporis brevitatem, aut propter alia hujuſmodi prædictos defectus in ſe perfecte non curat, ſalubriter & providetur, ut per hoc Sacramentum prædicta curatio compleatur.

VI. Reatum quoque pœnæ temporalis remittit (ſubdit S. Th. in ſuppl. l. l.) „ ſed ex conſequenti, inquantum debilitatem tollit, quia eandem pœnam levius portat fortis, quam debilis: unde non oportet, quod propter hoc minuatur ſatisfactionis menſura". His poſtremis verbis indicat D. Th. non omni ex parte remitti temporalis pœnæ reatum, itaut poſt mortem ab omni ſit temporalis pœnæ reatu ſolutus; ſed ſolum cum tanta adeſt interior diſpoſitio ad hujuſmodi reatus remiſſionem, quanta cum hoc Sacramento ſufficiat; qua poſita recte docet l. l. cont. Gentes: *A reatu pœnæ liberatur, ut ſic nihil in eo remaneat, quod in exitu animæ a corpore eam poſſit a perceptione gloriæ impedire*.

VII. Denique & temporalem aliquando reſtituit ſanitatem, ſi tamen hæc ſaluti ſpirituali animæ non ſit obfutura, ſed profutura. Hunc effectum deſignat & Apoſtolus Jacobus, dicens: *& oratio fidei ſalvabit infirmum*; quæ verba de temporali ſalute interpretantur Patres, Concilia, & Ritualia omnia: & declaravit Trid. Concilium dicens: *Sanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, infirmus conſequitur*. Congruentem theologicam rationem reddit D. Thom. hic q. 30. art. 2. ſcribens: „ Sicut Baptiſmus per ablutionem corporalem facit ſpiritualem emundationem a maculis ſpiritualibus; ita hoc Sacramentum per medicationem ſacramentalem exteriorem facit ſanationem interiorem: & ſicut ablutio Baptiſmi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem facit; ita etiam Extrema Unctio habet effectum corporalis medicationis, ſcilicet corporalem ſanitatem. Sed hæc eſt differentia, quod corporalis ablutio ex ipſa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem, & ideo ſemper eam facit: ſed Extrema Unctio non facit corporalem ſanationem ex proprietate naturali materiæ, ſed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundum quod expedit ad principalem; ideo de hoc Sacramento non ſemper ſequitur corporalis ſanatio, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem: & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis".

VIII. Cur vero raro admodum hunc poſtremum præſtet effectum Sacra Unctio, plures aſſignantur cauſæ; & quidem bene a Romano Catechiſmo. 1. Scilicet ob recipientis modicam fidem; ſic enim docet: „ Quod ægroti hoc tempore ſanitatem minus conſequantur .... ob eam cauſam evenire credendum eſt, quod eorum magna pars, vel qui ſacro Oleo inunguntur, vel a quibus adminiſtratur, infirmiorem fidem habet. Teſtatur enim Sanctus Matthæus cap. 13. Dominum apud ſuos multas virtutes non feciſſe propter incredulitatem eorum". Altera vero, quod minus neceſſariæ ſint hujuſmodi hoc tempore miraculoſæ ſanationes. Unde ſubdit: „ Dici poteſt, chriſtianam Religionem, ex quo altius tanquam radices egit in animis hominum, minus jam hujuſmodi miraculorum adminiculis indigere, quam olim naſcentis Eccleſiæ initio neceſſaria viderentur". Tertiam affert cauſam ex Suarezio Benedictus XIV. de Synodo lib. 8. cap. 7. nu. 2. quia ſcilicet ſero nimium, & quando jamjam anima in primoribus labiis laborat, adminiſtratio ſtultiſſime differtur: „ Idcirco (ſcribit) ad inungendum infirmum expectanda non eſt ultima ejus vitæ periodus, qua extremum agit ſpiritum: tunc enim effectum non operatur Sacramentum per modum miraculi, quod in illis circumſtantiis eſſet neceſſarium; ſed virtute quadam, ſupernaturali quidem, ſed quodammodo ordinaria, quæ cauſas naturales adjuvat".

IX. Quando opportune, & commode exhibetur Extrema Unctio, omnes ſervandæ ſunt ab Eccleſia præſtitutæ cæremoniæ pro ejus adminiſtratione, quas profecto omittere ex negligentia, vel oſcitantia, multoque magis ex contemptu, etiam ſolum virtuali, ſacrilegium foret. Veritas hujus doctrinæ eſt manifeſta. Ritus enim, & ſacræ cæremoniæ præſertim in Sacramentis exhibendis, & ſunt ab Eccleſia præceptæ, & in ſe non ſunt levioris momenti, cum rem ſanctiſſimam reſpiciant. Ratione itaque materiæ 1. non ſolum oleo ab Epiſcopo benedicto uti debent, ſed etiam recente, quod ſcilicet eo anno fuerit conſecratum: quod quidem ſi ex negligentia Parochi, opportuno tempore ad ſacrum excipiendum oleum vel non pergentis, vel non mittentis, omittatur, gravi culpa non vacat. 2. Oleum Sanctum in Eccleſia, & quidem in loco ad hoc deſtinato, & decenter ornato, eſt retinendum; nec domi etiam per breve tempus ſervare licet, cum & be-

ni-

nigniſſimus Buſembaum ſcribat : „ Parocho veſpe-„ re timenti, ne noctu vocetur ad ægrum , non „ licet retinere Sacrum Oleum, ut vocatus poſſit „ venire expeditus “. 3. Illud ad infirmum propriis Parochi manibus, vel alterius ſaltem Clerici opera deferatur. Unde merito in Synodo Feltrenſi indicitur : „ Antiquorum canonum veſtigiis in-„ ſiſtentes jubemus ut ob debitam , quæ ſacris „ Oleis habenda eſt, reverentiam , ſemper Sa-„ cerdos , vel Clericus in ſacris Ordinibus con-„ ſtitutus mittatur pro iis accipiendis, vel de-„ ferendis “ . 4. Illud etiam ad infirmum deferendo in via Pſalmos , & Orationes recitet . Quoad miniſtrationem vero 1. neceſſe non eſt , ut cum lumine ad infirmum deferatur , aut eo accenſo ungatur infirmus. Nam Rituale Romanum jubet quidem , ut Parochus curet parari apud infirmum cercam candelam , quæ accenſa ipſi ungenti lumen præbeat : quæ proinde cum non ad honorem Sacramenti , ſed ad commodum Sacerdotis requiratur , ſi lumine non indigeat , vel ſi non habeatur , nulla erit culpa . 2. Debet etiam Miniſtrum adhibere , qui Crucem ſine haſta , aquam benedictam cum aſperſorio , & Ritualem librum deferat : ad quod miniſterium adhibendus Clericus ſi haberi poſſit ; at laicus homo id præſtare poterit. 3. Unctiones eo ordine , quo in Rituali ſtatuuntur , ſunt peragendæ , nec mutandæ , aut invertendæ . 4. Poſt ſingulas unctiones locus inunctus eſt goſſipio , vel ſtuppa abſtergendus a Miniſtro, ſi in ſacris ſit ; aliter ab ipſo Sacerdote ungente : & in ſingulis unctionibus novi adhibeantur globuli , quos in vaſe mundo repoſitos ſecum ferat Sacerdos comburendos , & cineres in loco ſacro projiciat . Quoad miniſtrum denique Sacramenti hic ſit 1. vel Parochus : vel alius ab eo delegatus . 2. Et quidem in gratia conſtitutus ; alias gravi pollueretur ſacrilegio . 3. Sit ſuperpelliceo , & ſtola indutus . 4. Prævias orationes in Rituali præſtitutas recitet . Pſalmos vero pœnitentiales , & Litanias recitare non jubetur ; ſed ſatis eſt , ſi moneat adſtantes (inquit Rituale) ut & ubi commodum fuerit pro loco, & tempore , & adſtantium numero , & qualitate recitent ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, vel alias preces , dum ipſe Extremæ Unctionis Sacramentum miniſtrat . 5. Si mors immineat, præcedentes unctionibus preces omittere poterit, quas poſtea ſupervivente infirmo poterit ſupplere; quamvis hujus ſupplementi nulla ſit Rubrica.

REFLEXIO.

I. Divinum hoc, ſanctiſſimumque Sacramentum in extremo vitæ termino tam opportunum , neceſſarium , utiliſſimum plura ſunt , quæ fidelibus terribile , formidandum , invidioſum reddunt . Quamobrem vel aſtantes , vel ipſi infirmi adeo ſero , & inopportune vel miniſtrari , vel recipere differunt , ut præcipuis fructibus vel priventur, vel modice participent, & anſam præbeant Hæreticis calumniandi Catholicam Eccleſiam non infirmos , ſed ſane mortua cadavera pinguedine inficere : & ſi præſentem habet medicinam , qua vel morbi acerbitatem leniat , vel ſaltem aliquod animæ ſolatium afferat , crudelis ſit , quæ numquam in tempore medetur. Hæc inania terriculamenta partim ex ignorantia , partim ex humano vili timore , partim ex devotionis , & pietatis vel exiguitate , vel carentia proficiſcuntur.

II. Et quidem ea præteriere tenebroſæ ignorantiæ ſecula, in quibus ab hoc Sacramento recipiendo abhorrebant fideles, erronee exiſtimantes poſt ejus ſuſceptionem priſtinæ reſtitutis incolumitati non amplius licere carnis eſum , nudis pedibus inceſſum , cum propria uxore maritalem commixtionem , & teſtamenti condendi poteſtate privari : quæ omnia abſurda commenta, ac falſæ erroneæque opiniones, quas etiam hæreſes appellare non dubitavit Synodus Exonienſis anni 1287. Epiſcoporum ſtudio, cura , & paſtorali ſollicitudine jam a mentibus fidelium omnino exulant. Supereſt tamen adhuc erronea quædam opinio , quam ipſe ex ore mulieris audivi , non poſſe amplius poſt extremam unctionem ſanatos comedere , niſi ſtrata menſa, & lineis ornata; quem errorem eliminare non omiſi : at ſi alicubi adhuc vigeat , Parochorum cura eſt tollendus.

III. Verum viget adhuc, & in mentibus fidelium altis infixus radicibus deteſtandus error , actum ſcilicet eſſe de vita illius , qui ſancto eſt delibutus oleo , nec aliud illi ſupereſſe, niſi ſepulchrum. Qui error , quantum afferat detrimenti fidelium animis , & quantum eos a tam ſalutaris Sacramenti opportuna perceptione avocet , dici vix , & concipi poteſt . Eapropter merito de eo eliminando ſolliciti Eccleſiæ Paſtores in ſuis Synodis Parochis indixere, monendos, inſtruendoſque populos, & præcipue rudiores, Sacramenta prodeſſe , & ſolari , non occidere. Et ex Apoſtoli Jacobi doctrina certum eſt, Chriſtum non animæ tantum , verum etiam corpori, ſi expedierit , virtute hujus Sacramenti ſalutem conferre.

IV. Sed præterea ad excitandam fidelium pietatem , & ſtudium ſumendi opportuno tempore Sacram Unctionem in ſuis paſtoralibus concionibus hujus Sacramenti effectus declarent, explicent , & inculcent animarum Paſtores . Oſtendant itaque fidelibus , in extremo vitæ agone adverſus trium hoſtium genera eſſe dimicandum , contra mortem , quæ ſuis præcedentibus doloribus & metu torquet , & angit : *Circumdederunt me dolores mortis* : contra conſcientiæ ſtimulos, commiſſa peccata exprobrantis : *Pericula inferni invenerunt me , torrentes iniquitatis conturbaverunt me* : & denique adverſus dæmonem ſuis tentationibus magna vi oppugnantem : *Venit ad vos diabolus habens iram magnam , ſciens quia modicum tempus habet* . Ad infirmos itaque in tantis periculis conſtitutos adjuvandos , confortandos , corroborandos ordinatur Extremæ Unctionis Sacramentum. Nam precibus Eccleſiæ oleo conſecrato leniuntur dolores , & infirmitates ; ſic enim in ejus benedictione orat Eccleſia : *Emitte Spiritum Sanctum tuum paraclitum de cælis in hanc pinguedinem olivæ . . . . . . ut tua ſancta benedictione ſit omne hoc unguentum cæleſtis medicinæ perunctio tutamen mentis , & corporis ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque ægritudinem*, &c. Ordinatur etiam ad conſcien-

ſcientiæ remorſus tollendos, qui præcipue excitantur vel ex timore non integræ peractæ confeſſionis, vel non ſufficientis doloris, & contritionis. Nam ad hæc tollenda peccata ſe extendit hujus Sacramenti virtus, & efficacia; ut docet Trident. Synod. *Gratia datur Spiritus S., cujus unctio delicta, quæ ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit.* Hinc fieri poteſt, ut quis hujus Sacramenti ſuſceptione æternam conſequatur ſalutem, quam fortaſſis æterna pernicie amiſiſſet, ſi ſine illo mortem oppetiiſſet, ut docet Sanctus Carolus Borromæus in ſuis Inſtructionibus de Extr. Unct. ſcribens: „ Hoc Sacramentum peccati re-„ liquias tollit, tanquam complementum Sacra-„ menti Pœnitentiæ. Quæ reliquiæ peccata eſſe „ intelliguntur, ſive mortalia, ſive venialia, quæ „ poſt alia Sacramenta remanent. Poteſt enim „ fieri, ut ignorante eo, qui commiſit, vel non „ valente confiteri, peccatum mortale remaneat, „ in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut „ fieri poſſit, eum per hoc Sacramentum ſalvari, „ qui alioquin fuiſſet damnandus “. Denique Satanæ vires infringit, & animæ robur ad fortiter contra ipſum pugnandum mirum in modum auget atque confirmat, ut docet Tridentina Synodus: „ Chriſtus Extremæ Unctionis Sacramento finem „ vitæ, tanquam firmiſſimo quodam præſidio, muni-„ vit: nam etſi adverſarius noſter occaſiones per „ omnem vitam quærat, & captet, ut devorare „ animas noſtras quoquo modo poſſit; nullum ta-„ men tempus eſt, quo vehementius ille omnes „ ſuæ verſutiæ nervos intendat ad perdendos nos „ penitus, & a fiducia etiam, ſi poſſit, divinæ „ miſericordiæ deturbandos, quam cum impende-„ re nobis exitum vitæ perſpicit “.

Hæc ſi Parochi, & Paſtores animarum toto ſtudio inculcare non deſinant, exulabit timor a cordibus fidelium; & Sacramentum Extremæ Unctionis utilius percipietur; & ipſum tanquam chriſtianæ vitæ conſummationem reſpicient; & clamabunt morientes: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Jeſum Chriſtum.*

TRA-

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS
PARS SEPTIMA.
DE SACRAMENTO ORDINIS.

ORdo generatim inſpectus non aliud præſefert niſi certam inferiorum, ſuperiorumque rerum diſpoſitionem & ſeriem, quæ ita inter ſe aptantur, ut una aliam reſpiciat, una ad alteram referatur. Quare & S. Auguſtinus Ordinem generatim deſignavit conſtitutum in parium, diſpariumque rerum, ſua cuique loca tribuente, diſpoſitione. Quod ſi propius ad homines ſpectetur, varios deſignat ipſorum ſtatus & claſſes: ſic Nobilium Ordo dicitur, Plebejorum, Eccleſiaſticorum, Laicorum, Virginum, Monachorum. Sed, ut ad rem noſtram proxime accedamus, Ordo deſignat ſtatum quemdam, & dignitatem hominum, qui conſecratione aliqua divino deputantur miniſterio, & Altaris ſervitio. Ideo Ordo dicitur, quia cum in Eccleſia Miniſtrorum plures ſint gradus, munia, & Dignitates, omnes ſunt etiam tali diſpoſitione, & ſerie conſtituti, & collocati, ut unus alterum reſpiciat, & omnes divinum compleant miniſterium. Nos in hocce Tractatu de Ordine diſputabimus in hoc peculiari ſenſu accepto. Tractatum noſtrum in duas partiemur Diſſertationes, in quarum priore de Ordine generatim, in altera vero de Ordinibus ſingillatim diſſeremus.

DISSERTATIO I.

DE ORDINE IN COMMUNI.

CAPUT PRIMUM.

Ordinis definitio, Dignitas Sacramenti, & Ordinum numerus declaratur.

DOCTRINA.

I. *Datur in Eccleſia Eccleſiaſtica Hierarchia.*
II. *Quæ non in carnis ſucceſſione, ſed in electione conſiſtit.*
III. *Ordinis definitio.*
IV. *Inſtitutus a Chriſto Ordo.*
V. *Qui eſt veri nominis Sacramentum.*
VI. *Quod oſtenditur argumento præſcriptionis.*
VII. *Et argumento diſcuſſionis.*
VIII. *Unum eſt Ordinis Sacramentum.*
IX. *Ordinum numerus.*

I. IN Eccleſia admittendum eſſe ordinem perſonarum divino miniſterio addictarum, qui a Laicorum grege omnino diſtinctus ſit, dubitare non ſinit perpetua Eccleſiæ traditio, & praxis, in qua ſemper Eccleſiaſtica Hierarchia ex divina ordinatione inſtituta, & ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris compoſita viguit, & ſervata eſt. Teſtes hujus veritatis ſunt & SS. Patrum dicta, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeries, & Conciliorum ſtatuta, & Pontificum Decreta. Quare merito definivit Eccleſia in Tridentino Concilio: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris; anathema ſit.*

II. Hæc autem Hierarchia non, ſicut in Veteri Teſtamento, in carnali generatione, & ſucceſſione fundatur, ſed electione, & ordinatione ſtatuitur. Et quidem merito: nam in veteri quidem lege, ubi ſacrificia carnalia erant, & ad carnis emundationem inſtituta, congruebat & Sacerdotale munus, & Leviticum miniſterium carnali propagatione tranſmitti: at in nova lege, quæ ſpiritus lex eſt, ſacra Miniſteria non per ſucceſſionem, ſed per divinam vocationem, & electionem in ſortem Domini diſtribuenda erant. Eapropter Sanctus Thomas 3. p. quæſt. 22. artic. 2. ad 2. obſervat, Chriſtum non ex Levitica ſtirpe deſcendiſſe, ſed ex Davidica, & Regia, ne crederetur, per carnalem generationem Sacerdotem effectum, carnale quoque Sacerdotium nobis reliquiſſe.

III. Porro hæc ſacra Hierarchia ſacra Ordinatione perficitur, qua delecti homines a Deo vocati, ex hominibus aſſumpti, & in diverſis gradibus conſtituti, divino mancipantur obſequio, & Altaris deſerviunt Sacrificio. Hæc autem ſacra Ordinatio, ſive Ordo, ſic definitur: *Sacer ritus, ſive cæremonia, quo Ordinato poteſtas quædam ſpiritualis traditur & ad Corpus Chriſti conſecrandum, & ad alia Eccleſiaſtica miniſteria obeunda.* Dicitur *Sacer ritus, ſive cæremonia*, quæ ſignum ſenſibile ex-

exprimit, & communis eſt omnibus novæ legis Sacramentis, quæ ſunt inviſibilis gratiæ viſibilia ſigna. Additur, *quo datur ordinato poteſtas ad Corpus Chriſti conſecrandum*, quibus verbis Ordo a ceteris diſtinguitur Sacramentis, quæ ad talem poteſtatem tribuendam minime ordinata ſunt. Subditur *& alia miniſteria obeunda*, ut duplex indicetur poteſtas in ſacra Ordinatione collata, Ordinis videlicet, & juriſdictionis, ſeu in Corpus Chriſti verum, quod in Altari offertur, & in Corpus Chriſti myſticum, Eccleſiam ſcilicet, quæ a ſuis Miniſtris regitur, ordinatur, defenditur. Et ideo merito docuit Trid. Synodus: „ A Domino Salvatore noſtro Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus in Sacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi Corpus & Sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi, & retinendi “.

IV. Inſtitutum autem a Chriſto hoc Sacramentum conſtat ex illis verbis, quæ ad Apoſtolos habuit tum in ultima cœna, poſtquam Corporis ſui Sacramentum, & Sacrificium inſtituit dicens, prout habetur in 1. ad Corinth. 11. *Hoc facite in meam Commemorationem*; tum quando poſt Reſurrectionem inſufflavit in eos, & dixit Joan. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos . . . . . Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Et rurſus Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis*.

V. Eſſe vero ſacram Ordinationem in Eccleſia veri nominis Sacramentum ex eo evincitur, quod huic ſacræ ceremoniæ ea conveniunt omnia, quæ, ut non ſemel diximus, ad Sacramentum conſtituendum ſunt neceſſaria, inſtitutio videlicet Chriſti, ſignum ſenſibile, & promiſſio gratiæ. Chriſti inſtitutionem vidimus & in Apoſtolorum miſſione, & in ampliſſima illis conceſſa poteſtate, quæ profecto non ipſis ſolis ita conceſſa fuit, ut per eorum mortem ceſſaret, ſed per ipſos in ſuos Succeſſores propagaretur, & perſeveraret juxta promiſſionem Chriſti: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*. Signum vero ſenſibile habetur vel in manuum impoſitione, vel in inſtrumentorum traditione, ex quibus, adjunctis verbis formæ, conſurgit Sacramentum, quo gratia confertur, per quam traditum ſibi miniſterium Ordinatus recte implere poſſit, & conceſſa auctoritate rite fungi. Quare ajebat D. Paulus Timotheo in Epiſcopum ordinato: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*. Et rurſus: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum*. Quod & ſignificant verba Chriſti: *Accipite Spiritum Sanctum*, cujus gratia ſancti efficiuntur Miniſtri Eccleſiæ, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

VI. Hoc idem catholicum dogma confirmat perpetua Eccleſiæ traditio tum argumento præſcriptionis, tum diſcuſſionis. Quoad primum enim certum eſt Lutheranorum, & Calviniſtarum temporibus fuiſſe in Eccleſia varios ſacrorum Miniſtrorum Ordines, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & iſtos vero non recenter invectos, ſed ab antiquis Eccleſiæ ſeculis ſemper adhibitos, & ſpeciali deſignatione, & conſecratione ſacris addictos miniſteriis; ut conſtat ex tota Eccleſiaſtica hiſtoria, & Conciliis. Porro hi omnes originem ſuam ab Apoſtolis traxere: nam ut conſtat ex Actis Apoſtolorum, & epiſtolis D. Pauli, ab ipſis ordinati ſunt Diaconi, conſtituti in variis regionibus Epiſcopi, & Presbyteri, qui Eccleſiam regerent, plebem inſtruerent, Sacramenta adminiſtrarent. Confirmant antiquiſſima tum Græcorum Euchologia, tum Latinorum Sacramentaria, in quibus Sacramentum Ordinis conferendi ritus traduntur. Non igitur ex humana inventione, ſed ex divina inſtitutione ſuam originem ſumit ſacra Ordinatio: alioquin oſtendant, oportet, Heterodoxi, quando incœperit ſacra Miniſtrorum electio, eorum conſecratio, & quomodo plebs chriſtiana regeretur ante horum humanam inſtitutionem: quod profecto nunquam ullo ſolido fundamento probabunt.

VII. Argumentum quoque diſcuſſionis, quod in teſtimoniis Patrum omnium ſeculorum conſiſtit, eandem confirmat veritatem, a quibus proferendis brevitatis cauſa abſtineo, cum legi poſſint in Polemicis Theologis; & ſolum nonnullos indigitabo. Sanctus Ignatius in ſuis genuinis Epiſtolis Epiſcoporum, & Miniſtrorum meminit. Innocent. I. in Epiſt. 42. temeritatem hæreticorum reprehendit, qui plenitudinem Spiritus Sancti in ſacris Ordinationibus ſibi uſurpabant. Sanctus Ambroſius lib. de Dignit. Sacerdotum, Sanctus Joannes Chryſoſtomus in libris de Sacerdotio, Sanctus Auguſtinus lib. 2. cont. Parmenionem, S. Leo M. epiſt. 11. cap. 1. S. Greg. M. in Sacramentario. Hinc merito Catholicam veritatem definivit Tridentina Synodus dicendo ſeſſ. 23. cap. 3. „ Cum Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica Traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram Ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri, nemo dubitare debet, Ordinem eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis “. Et adverſus Novatores definiendo ſubdit can. 3. *Si quis dixerit, Ordinem, ſive Sacram Ordinationem non eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum; anathema ſit*.

VIII. Licet plures in Eccleſia ſint, & varii Ordinum gradus, nonniſi unum eſt Ordinis Sacramentum, quippe quia omnes ad unum ordinantur, & in uno complentur. Unde ſcribit D. Thom. in Supplem. q. 37. art. 1. ad 2. „ Diſtinctio Ordinum non eſt totius integralis in partes, neque totius univerſalis, ſed totius poteſtativi; cujus hæc eſt natura, quod totum ſecundum completam rationem eſt in uno, in aliis autem eſt aliqua participatio ipſius. Et ita eſt hic; tota enim plenitudo hujus Sacramenti eſt in uno Ordine, ſcilicet Sacerdotio, ſed in aliis eſt quædam participatio Ordinis “. Quod & confirmat 4. cont. Gent. cap. 74. „ Quia vero poteſtas Ordinis ad diſpenſationem Sacramentorum ordinatur, & inter Sacramenta nobiliſſimum, & conſummativum aliorum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, oportet, quod poteſtas Ordinis conſideretur præcipue

„ ſe-

„ ſecundum comparationem ad hoc Sacramentum, „ nam unumquodque denominatur a fine “.

IX. Septem autem enumerantur Ordines, ſcilicet ab inferioribus incipiendo, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus. Poſtremi tres majores vocantur, & ſacri, alii vero quatuor priores minores, & non ſacri appellantur. De ſingulis ſuo loco differemus.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Presbyteratum eſſe Sacramentum de fide eſt.*
II. *Diaconatum eſſe Sacramentum prope ad fidem accedit.*
III. *An ceteri Ordines vere ſint Sacramenta.*
IV. *Tonſura non eſt Ordo, nec Epiſcopatus Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum.*

Conſectarium Primum.

I. Fide divina tenendum eſt ſaltem Presbyterorum Ordinationem verum eſſe, & proprie Sacramentum. Nam cum ex perpetua, ut vidimus, Eccleſiæ traditione, & ex Conciliorum definitionibus, nec non luculentis ſacræ Scripturæ teſtimoniis conſtet, Ordinem verum eſſe Sacramentum, in nova lege a Chriſto inſtitutum, profecto hoc ſaltem de Presbyteratu, ad quem omnes tanquam ad ſuum complementum ordinantur, certum eſſe debet, præſertim cum ad ipſum ceteri Ordinum gradus ultimo referantur, & in ipſo conſiſtant.

Conſectarium Secundum.

II. Diaconatum quoque eſſe verum Sacramentum proxime ad fidem accedit. Veritas hujus doctrinæ aperte traditur in Concilio Tridentino, ubi ſeſſ. 23. can. 6. definitum legitur: *Si quis dixerit, in Eccleſia non eſſe Hierarchiam, divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris; anathema ſit.* Porro ſi de fide eſt, inſtitutam a Chriſto Hierarchiam etiam ex Miniſtris conſtare; iſtorum etiam ordinationem a Chriſto inſtitutam dicendum eſt, tanquam Hierarchiæ portionem abſolute neceſſariam: inter Miniſtros vero, ſaltem Diaconos, tanquam neceſſarios ex inſtitutione Chriſti Miniſtros admittere oportet; nam de ceteris inferioribus Clericis Canonem illum eſſe potius intelligendum, nemo prudens dixerit.

Conſectarium Tertium.

III. Num ceteri inferiores Ordines ſint Sacramenta, merito dubitant Theologi; & ipſa S. Th. mens dubia videtur. Nam revera plurimi Theologi eos minime a Chriſto inſtitutos exiſtimant, nec ad Eccleſiaſticam Hierarchiam ex Divina inſtitutione pertinere cenſent. Urbanus II. in Concilio Beneventano anni 1091. ſic docet: „ Nullus „ deinceps in Epiſcopum eligatur, niſi qui in ſa„ cris Ordinibus religioſe vivens inventus eſt. Sa„ cros autem Ordines dicimus Diaconatum, ac „ Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva „ legitur Eccleſia habuiſſe, ſuper his ſolum „ præceptum habemus Apoſtoli “. Confirmat dubitationem, quod nec ſemper, nec ubique inferiores Diaconatu Ordines iidem, atque eodem modo habiti ſunt: quandoquidem Eccleſia Græca certe alios Ordines infra Diaconatum non admittit præter Subdiaconatum, & Lectoratum, nec in ſuis Euchologiis a mille, & amplius annis recenſet. Cardinalis Bona Rer. Liturgicarum lib. 1. cap. 25. dubitat, num Subdiaconi inſtitutio ſit ad Chriſtum, vel Apoſtolos referenda; ceteros vero inferiores Ordines recentioris inſtitutionis eſſe aperte affirmat (Videbimus tamen ſuo loco de illo locutos Auctores II. & III. Seculi) ſcribens, „ Tertia Claſſis Miniſtrantium Clericos minorum „ Ordinum complectitur, Acolythos ſcilicet, E„ xorciſtas, Lectores, & Oſtiarios, quos antiquiſ„ ſimos eſſe, & ab Apoſtolis, vel ab immedia„ tis eorum ſucceſſoribus inſtitutos, Doctores Scho„ laſtici afferunt, ſed non probant “. Immo licet ad Apoſtolos omnium Ordinum referatur origo; tamen, ut optime animadvertit Melchior Canus: „ Apoſtoli plura ad Eccleſiæ uti„ litatem inſtituere potuerunt, poteſtate quidem a „ Chriſto accepta, ſed quæ non fuerunt imme„ diate ab ipſo Chriſto tradita, propterea muta„ tionibus obnoxia, quibus certe obnoxia eſſe non „ poſſunt vel præcepta a Chriſto data, & multo „ minus Sacramenta ab ipſo inſtituta “. Quoad mentem vero S. Thom. merito ejus ſententiam non ſatis claram pronuntiamus. Nam licet in Supplem. quæſt. 35. art. 2. concedere videatur omnibus Ordinibus Sacramenti dignitatem, tamen in IV. Sent. Diſtinct. 24. quæſtiunc. 2. art. 1. qu. 2. ad 2. ſcribit: „ In primitiva Eccleſia propter „ paucitatem Miniſtrorum *omnia inferiora miniſte*„ *ria* committebantur Diaconis . . . . Nihilomi„ nus erant prædictæ poteſtates, ſed in una Dia„ coni poteſtate. Sed poſtea ampliatus eſt cultus „ divinus, & Eccleſia quod *implicite* habebat in „ uno Ordine, *explicite* tradidit in diverſa “. Et iterum Opuſc. 19. „ Sicut etiam in primitiva Ec„ cleſia fuerunt ſoli duo Ordines Sacri, Presby„ teri, & Diaconi, tamen poſtea Eccleſia mino„ res ſibi Ordines inſtituit “.

Conſectarium Quartum.

IV. Tonſura non eſt Ordo, nec Epiſcopatus Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum. Et quidem primam Tonſuram Ordinem non eſſe, ſed ad eos recipiendos præparationem, certum omnino eſt, & ab omnibus admiſſum: & licet Innoc. III. eam Ordinem appellet, hoc ſolo in ſenſu tali nuncupatione eam deſignat, quia ſubjectum jam conſtituit in ordine plane a Laicis diſtincto, & inter Clericos connumerat. Hinc ſcribit D. Thom. l. l. quæſt. 3. „ Miniſtri Eccleſiæ a populo ſeparan„ tur ad vacandum Divino cultui. In cultu au„ tem divino quædam ſunt, quæ per potentias de„ terminatas ſunt exercenda; quædam ſunt, quæ „ a toto Collegio fiunt, ſicut dicere divinas lau„ des, & ad hoc non præexigitur aliqua poteſtas „ Ordinis, ſed ſolum quædam deputatio ad tale „ Officium, & hoc fit per coronam: & id„ eo non eſt Ordo, ſed præambulum ad Or-

„ di-

„ dines “ . Alteram vero partem non omnes admittunt Theologi, ſed hanc eſſe S. Thom. doctrinam luculenter demoſtravit Cl. V. P. Bernardus de Rubeis Diſſert. præmiſſa Tom. 13. Operum S. Thom. ubi oſtendit doctrinam S. Thom. eſſe, Ordines, quibus Hierarchia Eccleſiaſtica conſtat, alios eſſe officia, & dignitates, & Sacramenta ſimul, aliumque *altioris* cujuſdam miniſterii Ordinem erga Corpus Chriſti myſticum, ſcilicet Epiſcopatum; proinde Epiſcopatum eſſe quidem Ordinem, non vero Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum. Plura ſunt S. Thom. teſtimonia, quæ ab erudito illo viro producuntur: unum tantum, aut alterum promam. Sic itaque ſcribit S. Thom. in 4. Diſt. 24. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 2. „ Ordo, „ ſecundum quod eſt Sacramentum imprimens characterem, ordinatur ſpiritualiter ad Sacramentum Euchariſtiæ, in quo ipſe Chriſtus continetur; quia per characterem ipſi Chriſto configuramur. Et ideo licet detur aliqua poteſtas Epiſcopo in ſui promotione reſpectu aliquorum Sacramentorum; non tamen illa poteſtas habet rationem characteris: & propter hoc Epiſcopatus non eſt Ordo, ſecundum quod Ordo eſt Sacramentum . . . . . Alio modo poteſt conſiderari Ordo, ſecundum quod eſt *Officium quoddam* reſpectu quarumdam actionum ſacrarum: & ſic cum Epiſcopus habeat poteſtatem in actionibus hierarchicis reſpectu corporis Myſtici ſupra Sacerdotem, *Epiſcopatus eſt Ordo* “. Quod & confirmat Diſtinct. 25. quæſt. 1. art. 2. ad 2. ubi agnoſcit quidem in Epiſcopo abundantiorem poteſtatem, at minime collatam per characterem a Presbyteratus charactere diſtinctum. Unde ſcribit: „ In promotione Epiſcopi datur illi poteſtas, „ quæ perpetuo manet in eo, quamvis dari non poſſit character, quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, ſed ad Corpus Chriſti myſticum; & tamen indelebiliter manet, ſicut character, quia per conſecrationem datur “. Et ne quis putet, S. Thom. non agnoſcere in Epiſcopo niſi poteſtatem juriſdictionis, non vero ampliorem Ordinis, audiat S. D. ſic Opuſc. 18. cap. 24. ſcribentem: „ Habet *ordinem* Epiſcopus per comparationem ad Corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia . . . . . Sed quantum ad Chriſti Corpus verum, quod in Sacramento continetur, non habet ordinem ſupra Presbyterum. Quod autem habeat *aliquem Ordinem*, & non *juriſdictionem* ſolum, ſicut Archidiaconus, vel Curatus Presbyter, patet ex hoc, quod Epiſcopus poteſt multa facere, quæ non poteſt committere, ſicut *confirmare*, *ordinare*, *& conſecrare Baſilicas*; quæ vero juriſdictionis ſunt, poteſt aliis committere “. Qui plura cupit, laudatam legat eruditam Diſſertationem.

CAPUT TERTIUM.

De Miniſtro Sacramenti Ordinis.

DOCTRINA.

I. *Solus Epiſcopus eſt ſacræ Ordinationis Miniſter ordinarius.*
II. *Poteſtate ordinandi nunquam privari poteſt Epiſcopus.*
III. *Licite non ordinat niſi ſibi ſubditum.*
IV. *Quinam ſit ſubditus Epiſcopi ratione originis.*
V. *Quinam titulo domicilii.*
VI. *Quinam ratione Beneficii.*
VII. *Quis ſit Regularium proprius Epiſcopus.*
VIII. *Quibus ex privilegio conceſſum ſit aliquos Ordines conferre.*
IX. *Quid poſſint Abbates.*

I. SOlus Epiſcopus eſt Sacræ Ordinationis Miniſter ordinarius. Propoſitio hæc, quæ fidei veritatem continet, conſtat ex Sacra Scriptura, in qua habetur, nonniſi Apoſtolos, & ab eis in Epiſcopos aſſumptos Sacros Ordines Diaconatus, & Presbyteratus contuliſſe. Quamobrem Apoſtolus Titum, & Timotheum monebat, ut Presbyteros per Eccleſias ordinarent, & caverent, ne cito nemini manus imponerent, videlicet ne minus dignos ad ſacra aſſumerent miniſteria. Confirmat & perpetua traditio Patrum, cujus teſtis ſit S. Epiphanius adverſus Aerium Hær. 75. num. 4. qui diſcrimen aſſignans inter Presbyteros, & Epiſcopos, ſic ſcribit: „ Totum illud ſoliditatis eſſe pleniſſimum prudens quiſque facile perſpicit, „ cum Epiſcopum, & Presbyterum adæquare conatur. Hoc enim conſtare qui poteſt? Siquidem Epiſcoporum Ordo ad gignendos Patres (Sacerdotes) præcipue pertinet. Hujus enim eſt Patrum in Eccleſia propagatio. Alter (Presbyter ſcilicet, vel Sacerdos) cum patres non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres, aut magiſtros. „ Quinam vero fieri poteſt, ut is Presbyterum conſtituat, ad quem creandum manuum imponendarum nullum jus habet “? Ad hoc pertinet & illud D. Hieronymi effatum ad Evag. epiſt. 85. „ Quid enim facit accepta Ordinatione Epiſcopus, quod non faciat Presbyter “? Merito itaque Tridentina Synodus ſeſſ. 23. can. 7. definivit: *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, eſſe illis cum Presbyteris communem . . . . . anathema ſit.*

II. Hæc ordinandi poteſtas ita Epiſcopis convenit per ſuſceptum ordinem, ut nec Hæretici, nec Schiſmatici, nec depoſiti, aut degradati eam amittant. Hanc doctrinæ veritatem confirmant Decreta Nicæni, & Epheſini Concilii, quæ hæreticos ad Eccleſiam redeuntes in eodem Presbyterii gradu retinendos ſtatuere. Et confirmat D. Auguſtinus lib. 2. contr. Epiſt. Parmen. ſcribens cap. 13. „ Si quando ex ipſa parte (Donatiſtarum) venientes, etiam Præpoſiti pro bono pacis, correcto ſchiſmatis errore, ſuſcepti ſunt, „ & viſum eſt, opus eſſe, ut eadem officia gererent quæ gerebant, non ſunt *rurſum* ordinati. „ Sed ſicut Baptiſmus, ita ordinatio in eis manet integra; quia in præciſione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum eſt, non in Sacramentis, quæ ubicumque ſunt, ipſa ſunt “. Confirmat D. Thom. 3. p. quæſt. 64. artic. 9. ad 3. docens: „ Poteſtas miniſtrandi Sacramenta pertinet ad ſpiritualem characterem, qui indelebilis eſt: & ideo per hoc, quod aliquis ab Ec-

„ cle-

„ cleſia ſuſpenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit poteſtatem conferendi Sacramenta, ſed licentiam utendi hac poteſtate: & ideo Sacramentum quidem confert, ſed tamen peccat conferendo “.

III. Non tamen quilibet Epiſcopus, ſicut valide, ita & licite poteſt Ordines conferre. Nam Sacra Ordinatio nedum poteſtatem poſtulat Ordinis, ſed & juriſdictionem in Ordinandos. Quapropter licet olim fortaſſe conceſſum fuerit Epiſcopis, non quidem ut aliorum Epiſcoporum Clericos ad altiores Ordines promoverent, ſed laicum alterius Epiſcopi ſubditum in ſuum Clerum adſcriberent; modo tamen in præſenti Eccleſiæ diſciplina id minime licet juxta Sardicenſis Concilii can. 19. ubi dicitur: „ Hoc univerſe conſtituimus, ut quicumque ex alia Parochia alienum Miniſtrum ſine conſenſu ipſius, & ſine voluntate ordinaret, non ſit rata ordinatio ejus “. Multoque magis vetitum fuit, alienos Clericos ordinare, vetantibus Concil. Nicæno 1. can. 16. & Sardic. can. 18. ſic ſtatuentibus: „ Nulli Epiſcopo liceat alterius Epiſcopi miniſtrum Eccleſiaſticum ſollicitare, & in ſuis Parochiis ordinare “. Et in Carthagin. 1. can. 34. Gratus Carthaginenſis Epiſcopus dixit . . . . . „ Memini in Sanctiſſimo Concilio Sardicenſi ſtatutum, ut nemo alterius plebis hominem uſurpet: ſed ſi forte ſit neceſſarius, petat a Collega ſuo, & per ejus conſenſum habeat “. Quinam autem ſubditi Epiſcopo dicantur, ut queant ab ipſo in Clerum aſſumi, & ad Ordines promoveri, declararunt Summi Pontifices Clemens IV. & Bonifacius VIII. ſtatuentes, triplici titulo aliquem fieri, vel eſſe alicujus Epiſcopi ſubditum, nimirum vel nativitatis, vel Beneficii, vel domicilii: ſic enim jubet Bonifacius VIII. Cap. 3. de Temporibus Ordinationum in 6. „ Cum nullus Clericum Parœciæ alienæ præter Superioris ipſius licentiam debeat ordinare, Superior in caſu intelligitur Epiſcopus, de cujus Diœceſi eſt is, qui ad Ordinem promoveri deſiderat, oriundus, ſive in cujus diœceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem “.

IV. Tametſi olim Epiſcopi quis ſubditus diceretur titulo originis, in cujus Diœceſi Baptiſmum accepiſſet, in præſenti tamen diſciplina locus attenditur nativitatis, ut olim declaravit Bonifacius VIII. & noviſſime confirmavit Innoc. XII. Conſtit. *Speculatores* ſtatuens: „ Ceterum ſubditus origine is tantum ſit, ac eſſe intelligitur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat “. Excipitur tamen, ut ſubdit laudatus Pontifex: „ ſi quis ibi natus fuerit ex accidenti occaſione, nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ Patris in illo loco, quo caſu nullatenus hujuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantum, & naturalis patris origo eſt attendenda “.

V. Ratione vero domicilii tunc quis alicujus Epiſcopi ſubditus evadit, cum quis & facto, & animo ita in aliquo habitat loco, ut nullum animum ad ſuæ originis locum revertendi oſtendat. Rem luculenter declarat laud. Innocent. XII. cit. Conſtit. ſtatuens: „ Subditus ratione domicilii ad effectum ſuſcipiendi Ordines, is dumtaxat cenſeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis ædibus in locum hujuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod notabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuo ibidem permanendi animum demonſtraverit: & nihilominus ulterius utroque caſu ſe vere, & realiter animum hujuſmodi habere jurejurando affirmet “.

VI. Beneficii autem titulo Epiſcopus ſibi in ſubditum adſciſcit illum, cui Beneficium confert; ut decernitur Cap. *Nullus* 3. de Tempor. ordinat. Oportet tamen, ut hæ accedant conditiones: 1. quod Eccleſiaſticum Beneficium ſit vere, & realiter collatum: 2. ut ſit in re, & in ſe actu poſſeſſum, non vero in futura etiam certa ſpe: 3. quod Beneficii reditus ad congruam ſufficiat ſuſtentationem. Tertiam hanc conditionem minime neceſſariam putant Garcias, Barboſa, immo & Natal. Alex. hic art. 2. qui & tenue Beneficium putant ſufficere. At poſitam conditionem neceſſariam declaravit laud. Innoc. XII. cit. Conſt. ſtatuens: „ Beneficium ejus ſit reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem per ſe ſufficiat, illudque ab ordinando pacifice poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi, quod deficeret fructibus ejuſdem Beneficii, cum adjectione patrimonii etiam pinguioris, quod ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diœceſi obtineret “. Nihil autem refert, ſive hujuſmodi Beneficium ab ipſo Ordinante Epiſcopo, aut ab alio quovis fuerit collatum, & ſive in titulum detur, ſive in commendam, modo perpetuum ſit. Num vero reſidentiam exigere debeat, digladiantur juris Canonici periti.

VII. Regulares ab Epiſcoporum jurisdictionibus exempti dimiſſoriales litteras ſuorum Prælatorum obtinere debent, & quidem ad Epiſcopum illius Diœceſis, in qua ſitum eſt Monaſterium, ubi Religioſus ordinandus de ſuorum Superiorum obedientia commoratur. Rem in bono lumine poſuit Benedictus XIV. in ſua Bulla *Impoſiti nobis* ſtatuens 1. Regulares non aliis indigere dimiſſoriis, niſi ſuorum Prælatorum. 2. Non uti poſſe privilegio recipiendi Ordines a quocumque Catholico Antiſtite, niſi hoc illi fuerit conceſſum poſt Tridentinam Synodum, & quidem immediate, & directe, non per privilegiorum communicationem. 3. Quo ſecluſo privilegio teneri & petere, & recipere ordinationem ab Epiſcopo Diœceſis, in qua morantur. 4. Si vero Epiſcopus, vel abſens ſit, vel non ſit ſacras habiturus Ordinationes, tunc poſſe a Prælatis Regularibus dirigi dimiſſoriales litteras ad alium Antiſtitem, cum authentica tamen atteſtatione Epiſcopi Diœceſani, qua compertum fiat, ab eo non haberi tunc temporis Ordinationes. 5. Qui has ſanctiſſimas violaverint Ordinationes, & ab alio, quam a Diœceſano, Ordines acceperint, ſuſpenſionis pœnæ ſubjiciuntur. Superiores vero, qui dimiſſorias conceſſere, vocis activæ, & paſſivæ pœna mulctantur.

VIII. Diximus, Epiſcopum eſſe Ordinum Miniſtrum ordinarium: nam ex privilegio Pontificis ali-

aliquibus Prælatis, Epiſcopali charactere non inſignitis, conceſſum eſt, ut poſſint ſuis ſubditis Ordines aliquos conferre. Quid vero & concedere poſſint, & ſoleant Summi Pontifices exponit D. Thom. hic q. 38. art. 1. ad 3. ſcribens: „ Papa, „ qui habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis, „ poteſt committere non Epiſcopo ea, quæ ad E„ piſcopalem dignitatem pertinent; dummodo il„ la non habeant immediatam relationem ad verum „ Corpus Chriſti. Et ideo ex ejus commiſſione „ aliquis Sacerdos ſimplex poteſt conferre mino„ res Ordines, & confirmare, non vero aliquis „ non Sacerdos: nec iterum Sacerdos majores Or„ dines, qui habent immediatam relationem ad „ Corpus Chriſti, ſupra quod conſecrandum Papa „ non habet majorem poteſtatem, quam ſimplex „ Sacerdos “.

IX. Poſſunt itaque Abbates regulares primam Tonſuram, & minores Ordines conferre, tribus tamen ſervatis conditionibus; 1. ut hac poteſtate a Summis Pontificibus donati ſint; 2. juxta Concilii Tridentini ſtatutum ſeſſ. 23. Cap. 10. ut ſolum ſuis ſubditis eos conferant; 3. ut non ſolum ſint in Sacro Presbyteratus Ordine conſtituti, ſed inſuper benedictionem ab Epiſcopo acceperint. Hinc ſequitur, Abbates hoc privilegio minime donatos, licet ampliſſimam habeant & quaſi Epiſcopalem jurisdictionem cum territorio etiam, ut ajunt, ſeparato, non ſolum illicite, ſed & invalide præfatos Ordines conferre. 2. Abbates eodem privilegio fruentes non tamen poſſe alios ordinare extra limites conceſſi ſibi privilegii, proinde nec Clericos alterius vel Epiſcopi, vel Regularis Prælati ad ipſos cum dimiſſorialibus litteris miſſos: quod ſi ſibi uſurpant, pœnæ ſuſpenſionis a collatione Ordinum tum ipſi Ordinatores, tum concedentes dimiſſorias ſubjiciuntur; at eorum ordinatio, licet illicita, habetur tamen ut valida. Legis vero recipiendæ benedictionis violatores non ſunt habendi Abbates, qui ea nondum accepta ordinaverint, ſi tertio cum humilitate, & devotione, ſicut convenit, requiſitus Epiſcopus eos benedicere renuerit; vel ſi a Sede Apoſtolica illis conceſſum fuerit, ut etiam non recepto benedictionis munere, tamen poſſint ea omnia peragere miniſteria, & officia, quæ Abbati benedictione ſacrato conveniunt. Hæc omnia ex lib. 2. de Synodo Cap. 11. deprompta ſunt.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Statuta Concilii Tridentini circa Ordinationes.*
II. *Origo Matris quando ſufficiat ad Domicilium conſtituendum.*
III. *Quid requiritur, ut quis titulo Beneficii Ordines accipiat.*
IV. *Epiſcopus quam debeat habere in ordinando intentionem.*

Conſectarium Primum.

I. SErvanda ſunt ſtatuta a Concilio Tridentino ſeſſ. 14. Cap. 2. & Seſſ. 23. Cap. 9. quoad Ordinationes faciendas ab Epiſcopis circa ſibi non ſubditos, ſunt vero hæc: „ Nemo Epiſcoporum, „ qui titulares vocantur, etiamſi in loco nullius „ Diœceſis, etiam exempto, aut in aliquo Mona„ ſterio cujuſvis Ordinis reſederint, aut moram „ traxerint, vigore cujuſvis privilegii ſibi de pro„ movendo quoſcumque ad ſe venientes pro tem„ pore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætex„ tu familiaritatis, & continuæ commenſalitatis „ ſuæ, abſque ſui proprii Prælati expreſſo con„ ſenſu, aut litteris dimiſſoriis ad aliquos Sacros, „ aut minores Ordines, vel primam Tonſuram „ promovere, ſeu ordinare valeat. Contrafacien„ tes ab exercitio Pontificalium per annum; tali„ ter vero promotus ab exercitio Ordinum ſic ſu„ ſceptorum, donec Prælato ſuo viſum fuerit, i„ pſo jure ſint ſuſpenſi “. 2. „ Epiſcopus quivis „ familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſ„ ſit, niſi per triennium ſecum fuerit commora„ tus; & Beneficium, quacumque fraude ceſſante, „ ſtatim illi conferat, conſuetudine quacumque „ etiam immemorabili in contrarium ſublata “. 3. Nec poteſt Epiſcopus etiam proprium ſubditum in aliena Diœceſi ordinare ſine licentia Ordinarii, cum idem Concilium ſeſſ. 6. Cap. 5. ſanxerit: „ Nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegii prætex„ tu, Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, „ niſi de Ordinarii expreſſa licentia, & in perſo„ nas eidem Ordinario ſubjectas tantum: ſi ſecus „ factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontifica„ lium, & ſic Ordinati ab executione Ordinum, „ ſint ipſo jure ſuſpenſi “. Abbates Novitiis nondum profeſſis, licet ſibi ſubditis per ingreſſum in Monaſterium, & aſſumptionem religioſæ veſtis, non poſſunt Ordines Minores conferre; ſed illorum collatio ad Epiſcopum pertinet loci, ubi Novitii annum probationis decurrunt, cum inibi domicilium non trahant.

Conſectarium Secundum.

II. Ut aliquis ſubditus dicatur alicujus Epiſcopi, origo Matris communiter non ſufficit. Id conſtat ex jure Civili Leg. *Filios*, cod. de Mancip. *Filius patris, non matris originem ſequitur.* Excipiuntur tamen ab hac lege illegitimi, qui matrem, ejuſque originem ex jure ſequuntur: eapropter ſi a defectu natalium diſpenſentur, in loco originis maternæ ordinari poſſunt, niſi hæc alibi contraxerit domicilium. 2. Expoſiti quoque, quorum ignoti ſunt parentes, ad Diœceſim pertinent, vel in qua naturaliter orti ſunt, vel, ſi de hac non conſtet, in ea, ubi expoſiti, & excepti fuere.

Conſectarium Tertium.

III. Qui plura obtinet in diſtinctis Diœceſibus Beneficia, quem ſibi maluerit Epiſcopum eligere poterit, ut titulo Beneficii ad Ordines promoveatur. Sic docent Juris Canonici Doctores, & præſertim Barboſa tit. 9. lib. 1. in 6. Ad præcavendas tamen fraudes ſtatuit in ſæpius laudata ſua Conſtitut. Innocent. XII. „ Nulli Epiſcopo, ſeu cu„ juſvis loci Ordinario . . . . liceat deinceps ex„ ternum quempiam, ac ſibi ratione originis, vel „ domicilii . . . . non ſubditum, ad Clericalem „ Tonſuram promovere, cujuſvis Beneficii ei con„ ferendi prætextu ..... Præterea Clericum, qui „ legitime a proprio Epiſcopo ad eandem Clericalem

„ lem Tonſuram, ſeu etiam ad Minores Ordines „ promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo ra„ tione, ac titulo cujuſcumque Beneficii in illius „ Diœceſi obtenti ad ulteriores ordines promove„ ri, niſi ante eorum ſuſceptionem teſtimoniales „ litteras proprii Epiſcopi tam originis, quam do„ micilii ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, „ & vita ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſco„ po ordinanti in Actis illius Curiæ conſervandas „ exhibuerit.

Conſectarium Quartum.

IV. Epiſcopus Ordines conferens debet intentionem habere generalem ordinandi ſibi pro Ordinibus oblatos. Huic doctrinæ occaſionem præbent ea, quæ egregie animadvertit Benedictus XIV. de Synodo lib. 8. cap. 11. nimirum 1. In Pontificali Romano edictum contineri prævie ad omnes Ordinationes indicendum, ne quis canonico aliquo impedimento devinctus, ſub pœna excommunicationis audeat ad Ordines ſuſcipiendos accedere. 2. Aliquos non deeſſe Epiſcopos, qui, ut magis terrerent indignos, vel per ſe, vel per Archidiaconum indicunt, & proteſtantur, ſe non habere intentionem ordinandi cenſuris irretitos, vel legitimo deſtitutos Patrimonio, ſive Beneficio, vel validas non habentes ſui Ordinarii Dimiſſorias. Et 1. quidem laudatus Pontifex animadvertit, unicum hujuſce ſcopum proteſtationis eſſe, deterrere præfatis impedimentis irretitos ab indigne ſuſcipiendis ſacris Ordinibus. 2. Cum hac tamen proteſtatione, ſupponendam in Epiſcopo intentionem abſolutam Ordinem conferendi ſubjecto præſenti, quod ordinat. 3. Epiſcopum hanc generalem excludentem intentionem peccare lethaliter, cum ſine ullo fundamento, ullave ratione Sacramentum, quod abſolute conferendum eſt, conditionate conferat, & ſacram Ordinationem nullitatis periculo exponat; nec non anxietatibus viam aperiat, & dubitationibus, num aliquis revera fuerit valide ordinatus, non ſine Eccleſiæ ſcandalo, & magna perturbatione: præterquamquod, ut De Lugo obſervat, cum hujuſmodi proteſtatio nullum habeat in ſacris ritibus fundamentum. 4. Quod ſi Epiſcopus revera ex animo hanc emiſerit proteſtationem, & conſtet aliquem impedimentis præfatis ligatum ſacros Ordines ab eo recepiſſe, tunc repetendam eſſe Ordinationem, cum certo pateat, nullam omnino fuiſſe, deficientia intentionis in Ordinante: ſi vero dubium ſit, num ex animo, vel ſolum ad terrorem emiſerit, repetenda ſed ſub conditione: qualis autem fuerit Ordinantis Epiſcopi mens & animus, ab ipſo, ſi adhuc vivens ſit, intelligendum. Ita ſapientiſſime laudatus Pontifex.

CAPUT QUINTUM.

De Materia, & forma ſacræ Ordinationis in communi.

Doctrina, et Consectaria.

I. *Manus impoſitio eſſentialis in Ordinibus Hierarchicis.*
II. *Inſtrumentorum quoque traditio ſervanda.*
III. *Saltem ut pars integralis Ordinis.*
IV. *In quo ſita ſit Sacræ Ordinationis forma.*
V. *Materia, & Forma inferiorum Ordinum indicantur.*
VI. *Eſt neceſſarius contactus phyſicus materiæ.*

I. Quemadmodum in aliis Sacramentis, ita & in ſacra Ordinatione ad Sacramentum conficiendum oportet, ut accedat ad elementum, ideſt debitæ adhibeantur materia & forma. At in quo poſitæ ſint hæ duæ Sacramenti eſſentiales partes, diſputant acerrime Theologi. Nos ſpeculativam quæſtionem Scholaſticis, Polemiciſque Theologis relinquentes, quæ ad morum doctrinam, & ad praxim pertinent, explicabimus. Dicimus itaque in Ordinibus Hierarchicis, ideſt Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu, ita eſſentialem eſſe manuum impoſitionem, ut nec inſtrumentorum porrectio ſit ullo modo omittenda; his autem ſuam debere conjungi reſpectivam verborum formam. Et quidem manuum impoſitionem ad eſſentialem materiam pertinere, dubitare non ſinunt tum ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ per manuum impoſitionem teſtantur ab Apoſtolis ordinatos Diaconos, & a D. Paulo in Epiſcopos Titum, & Timotheum, quibus & præcipit, ut *per manuum impoſitionem* conſtituant Presbyteros, & Epiſcopos, & monet, ne cito *nemini manum imponant*, ideſt inter Miniſtros Sacramentorum adſcribant. Confirmat & praxis Eccleſiæ Occidentalis, quæ per novem ſaltem ſecula ſola manuum impoſitione Ordines Hierarchicos contulit; nec ulla habetur in antiquis Ritualibus, & Sacramentariis a Menardo, Morino, & Martenne prolatis inſtrumentorum porrectionis mentio. Immo & Concilium Carthaginenſe anni 398. cui & D. Auguſtinus interfuit, diſcrimen inter Hierarchicos Ordines, & Subdiaconatum aſſignans, in eo conſtituit, quod *in illis conferendis manus impoſitio adhiberetur*, *in hoc vero ſola inſtrumenta miniſterii porrigerentur*. Denique confirmat praxis Orientalis Eccleſiæ, quæ & ſemper, & etiam modo ſola manus impoſitione præfatos Ordines confert, quin de illorum validitate ulla unquam apud Latinos ſuborta fuerit dubitatio.

II. Non eſſe vero ullo pacto inſtrumentorum porrectionem omittendam etiam in Hierarchicis Ordinibus, ſed ſaltem ut partem integralem adhibendam, oſtendunt 1. Praxis Occidentalis Eccleſiæ a ſeptingentis, & amplius annis invecta, quam ſuo Decreto confirmavit Eugenius IV. dum Armenos inſtruens ſic docet: „ Sextum Sacramentum „ eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus „ traditionem confertur Ordo; ſicut Presbytera„ tus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ „ cum pane porrectionem; Diaconatus vero per „ Libri Evangelii traditionem; Subdiaconatus ve„ ro per Calicis vacui cum Patena ſuperpoſita tra„ ditionem “.

III. Dixi, non omittendam porrectionem inſtrumentorum, ſaltem ut partem integralem: nam & ipſam ad eſſentialem materiam pertinere contendunt Scholaſtici, quibus favere videtur D. Thom. ſcribens in IV. Sent. Diſtinct. 24. qu. 1. artic. 3. „ Per manus impoſitionem datur plenitudo gratiæ, „ per quam ad magna Officia ſunt idonei; & „ ita

„ ita ſolis Diaconibus, & Sacerdotibus fit manus „ impoſitio, quia eis competit diſpenſatio Sacramentorum, quamvis uni ut principali, alteri ut „ Miniſtro; ſed & unctione ad aliquod Sacramentum tractandum conſecrantur . . . . & ideo unctio ſolis Sacerdotibus fit, qui propriis manibus „ Corpus Chriſti tangunt . . . . . Sed poteſtatis „ collatio fit per hoc, quod datur eis aliquid „ quod ad proprium actum pertinet; & quia principalis actus Sacerdotis eſt conſecrare Corpus & „ Sanguinem Chriſti, ideo in ipſa datione Calicis „ ſub forma verborum determinata character Sacerdotalis imprimitur “. Quæ doctrina profecto tamquam tutior ab Eccleſia adprobatur; adeo ut Sacra Congregatio declaraverit, ut ſi qua occurrat omiſſio, ſive impoſitionis manus, ſive porrectionis inſtrumentorum, tota ordinatio ſub conditione iteretur.

IV. Quod de materia diximus quoad Ordines Hierarchicos, eſt & de forma dicendum, ſcilicet eam ſitam eſſe in verbis, vel orationibus manus impoſitionem, & inſtrumentorum porrectionem comitantibus, & datam poteſtatem declarantibus, quod uberius explicabimus, cum de ſingulis Ordinibus diſputabimus.

V. In ceteris vero Ordinibus infra Diaconatum poſitis materia remota in ipſis inſtrumentis, ſive rebus ab Epiſcopo traditis, eſt collocanda; ſicut & proxima in eorum traditione, & Ordinati acceptione, ſeu contactu; formam vero verba conſtituunt porrectionem ipſam comitantia.

VI. Porro hic contactus phyſicus ſit, oportet, ut docet S. Thom. hic q. 34. art. 3. ad 3. ſcribens: „ Poteſtas Ordinis accipitur a Miniſtro, „ ſed non a materia; ideo porrectio materiæ magis eſt de eſſentia, quam tactus: tamen ipſa „ verba formæ videntur oſtendere, quod tactus „ materiæ ſit de eſſentia Sacramenti; quia dicitur, *Accipe hoc*, *vel illud* “. Et revera ſicut in aliis Sacramentis neceſſarius eſt contactus phyſicus materiæ, ut in Baptiſmo infuſio phyſica aquæ ſuper Baptizatum, unctio phyſica frontis in Chriſmatione, & ſenſuum in Extrema Unctione, non eſt, cur excipiatur Ordinis Sacramentum ab hac lege. In Pontificali etiam Romano præcipitur Epiſcopis, ut moneant Ordinandos, ut inſtrumenta, in quibus Character imprimitur, tangant; & hoc ſollicite curant, & requirunt Epiſcopi. Sufficit tamen, ſi contactus fiat rei in ſuo continente: unde habetur contactus hoſtiæ in contactu Patenæ illam continentis, ſicut & vini in Calice, in quo continetur; immo, & non improbabiliter, habetur contactus phyſicus rei, licet res tangatur vel manu chirothecis operta, vel ſi res ſit aliquo levi velo contecta, vel etiam ſolo digito.

CAPUT SEXTUM.

De Subjecto Ordinis.

DOCTRINA.

I. *Character Baptiſmi præſupponitur in ſubjecto, ut Ordines recipere poſſit.*
II. *Et Character Confirmationis, ut licite.*
III. *Nec non uſus rationis.*
IV. *Non tamen ut valide, ſed ut licite conferantur.*
V. *Adulti inviti, & recuſantes invalide ordinantur.*
VI. *Requiritur & ſtatus gratiæ.*
VII. *Sunt recta ſerie Ordines ſuſcipiendi.*
VIII. *Dimiſſoriales Litteræ quando ſint neceſſariæ.*
IX. *Aliæ conditiones pro licita Ordinatione indicantur.*

I. IN ſubjecto, ut fiat idoneum ad recipiendos Ordines, præter maſculinum ſexum (ſunt enim mulieres ad ſacra munera penitus ineptæ) requiritur Baptiſmi character, per quem ſit in Eccleſiam admiſſus, ut aditus illi pateat ad alia ſuſcipienda Sacramenta, ut docet S. Thom. hic q. 35. art. 3. ſcribens: „ Nihil poteſt aliquis recipe„ re, cujus receptivam potentiam non habet. Per „ characterem autem Baptiſmalem efficitur homo „ receptivus aliorum Sacramentorum. Unde qui „ Characterem Baptiſmalem non habet, nullum „ aliud Sacramentum recipe re poteſt.

II. Requiritur & Character Confirmationis, non quidem ad valide, ſed ad licite recipiendos quoſcumque Ordines. Ita enim præcepit S. Tridentina Synodus Seſſ. 23. cap. 4. *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint.* Num vero hoc præceptum ita urgens ſit, ut graviter peccent, qui primam Tonſuram, vel Ordines, ante acceptam Confirmationem, ſuſciperent, negant quidem plures benigniores Caſuiſtæ. At eorum doctrinam aperte rejecimus in Tract. 11. de Sacram. Confirm. cap. 8. n. 9. ad quem locum, ne actum agamus, Lectorem remittimus. Solum hic addimus, fieri, ſed raro poſſe, ut ex inadvertentia excuſari quis poſſit a gravi culpa, ſaltem reſpectu primæ Tonſuræ; at minime quoad minores Ordines, multoque minus quoad majores, cum qui eos ſuſcipere volunt, ad ea, quæ neceſſaria ſunt, attendere debeant.

III. Requiritur & uſus rationis, & quidem ad licitam collationem, non vero ad validam. Et quidem illicitam eſſe Ordinationem datam ante uſum rationis, nullus eſt qui ambigat, cum id rigoroſo vetetur præcepto Concilii Tridentini, ſtatuentis Seſſ. 23. cap. 4. „ Ne prima Tonſura i„ nitientur . . . . qui fidei rudimenta edocti non „ fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant, & „ de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non „ ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fi„ delem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſ„ ſe “: quæ profecto omnia cadere non poſſunt in puero nondum rationis lumen adepto. Multoque magis vera eſt noſtra Doctrina, ſi ſermo ſit de Majoribus Ordinibus, in quibus longe plura, & majora requirunt in promovendis tum Tridentina Synodus, tum Eccleſiæ univerſæ canones, quæ certe ante rationis uſum obtineri non poſſunt. Hinc a gravi culpa immunis non eſſet, qui talibus præſertim Ordines Sacros, & Majores vel conferret, vel ut conferrentur, ſollicitaret. Dixi, præſertim Majores, & Sacros Ordines; cum S. Thom. concedere videatur, ut neceſſitate Eccleſiæ poſtulante poſſint Tonſura, & minores Ordines etiam non habentibus rationis uſum concedi. Sic enim ſcribit hic q. 39. art. 2. „ Aliqui, *ſi neceſſitas adſit,* „ & ſpes profectus, ad minores Ordines poſſunt „ ante annos diſcretionis promoveri ſine pecca„ to, & ſuſcipiunt Ordines; quia quamvis tunc

„ non

„ non ſint idonei ad officia, quæ eis committun-„ tur; tamen per aſſuefactionem idonei red-„ dentur. Sed ad majores Ordines requiritur „ uſus rationis & de honeſtate, & de *neceſ-„ ſitate præcepti*.

IV. Num vero etiam ad ſuſceptorum Ordinum validitatem requiratur, affirmant quidem plures, ut inquit S. D. l. l. ſed ſubdit: „ Eorum dictum ra-„ tione, vel auctoritate non confirmatur “. Nam, ut obſervat A. P. „ per pueritiam, & alios defe-„ ctus, quibus tollitur uſus rationis, præſtatur im-„ pedimentum actui; & ideo omnia illa Sacra-„ menta, quæ actum requirunt ſuſcipientis Sacra-„ mentum, talibus non competunt, ſicut Pœni-„ tentia, Matrimonium, & hujuſmodi. Sed quia „ poteſtates infuſæ ſunt priores actibus, ſicut & „ naturales, quamvis acquiſitæ ſint poſteriores, „ remoto autem poſteriori non tollitur prius. Id-„ eo omnia Sacramenta, in quibus non requiritur „ actus ſuſcipientis de neceſſitate Sacramenti, ſed „ poteſtas aliqua ſpiritualiter divinitus datur, poſ-„ ſunt pueri ſuſcipere, & alii, qui uſu rationis „ carent “. Et doctrinam ſuam confirmat S. D. auctoritate Innoc. III. qui Sacerdotio ante Diaconatum initiato, & ſe excuſanti, quod Ordines ſuſcepiſſet ante annos diſcretionis, mandavit quidem, ut Diaconatum ſuſciperet, minime vero de iterandis aliis Ordinibus aliquid aut dixit, aut præcepit; proinde eos valide collatos minime dubitavit. Confirmat & Catechiſmi Romani auctoritas, qui n. 33. docet: „ Pueris, qui uſu rationis ca-„ rent, hoc Sacramentum dandum non eſt: quam-„ vis, ſi iis quoque adminiſtraretur, Sacramenti „ characterem in eorum anima imprimi, certo „ credendum eſt “. Quam doctrinam confirmavit & Bened. XIV. in ſua Bulla 129. incipiente *Et quamvis tempore* §. 20. Ad validitatem tamen Ordinis Epiſcopalis D. Thom. videtur ſentire, requiri uſum rationis; ſic enim ſubdit: „ Sed ad „ Epiſcopatum, ubi etiam in corpus Myſticum ac-„ cipitur poteſtas, requiritur actus ſuſcipientis cu-„ ram animarum paſtoralem. Et ideo eſt etiam „ de neceſſitate conſecrationis Epiſcopalis, quod „ uſum rationis habeat “.

V. In adultis requiritur etiam intentio, & voluntas ſuſcipientis Ordines, adeo ut nolentibus & reluctantibus nedum illicite, ſed & inutiliter ſacri Ordines conferantur. Ita enim aperte declaravit Innoc. III. loquens de Baptiſmo, & ſtatuens: „ Ille, qui nunquam conſentit, ſed peni-„ tus contradicit, nec rem, nec characterem ſu-„ ſcipit Sacramenti “. Quod ſi verum eſt de Sacramento ſummæ neceſſitatis, cujuſmodi eſt Baptiſma; multo magis verum erit de ſacra Ordinatione, in qua cum onera imponantur, & miniſteria minime ad ſalutem neceſſaria, neceſſarium profecto eſt, ut qui ordinatur, non obſiſtat, & non reluctetur. Quod tamen non contingit in illis ſanctis viris, qui inviti ad Presbyteratum, vel Epiſcopatum ab aliis Epiſcopis, poſtulantibus Clero & populo, potius rapti, quam aſſumpti ſunt: illorum enim obſiſtentia non ex abſoluta voluntate ordinationi repugnante proficiſcebatur, ſed ex cognitione propriæ imbecillitatis, & ex humilitatis ſpiritu, quo ſe tanto munere indignos putabant: quamobrem non inviti, ſed trementes, caput manuum impoſitioni ſubmittebant.

VI. Requiritur, ut ſuſcipiens Ordines ſit in ſtatu gratiæ. Et quidem quoad majores Ordines nullus eſt etiam ex benignioribus Caſuiſtis, qui diſſentiat. Quoad minores vero & illi Caſuiſtæ gravis peccati reum faciunt eos ſuſcipientem in lethali, qui cenſent eſſe ſacramenta, cum ſint Sacramenta vivorum, quæ ſine gravi ſacrilegio ſine gratia ſanctificante ſuſcipi non poſſunt. Reſpectu vero illorum, qui eos non putant eſſe Sacramenta, nonnulli ſunt, qui a gravi culpa ſuſcipientes in peccato excuſant, inter quos Navarrus, qui dicit: „ Durum videri damnare omnes, qui accipiunt „ eos non præmiſſa Confeſſione, vel ſaltem con-„ tritione ſufficienti, quorum infinitus creditur eſ-„ ſe numerus; quod tamen neceſſe eſſet facere, ſi „ eſſent Sacramenta vere gratiam conferentia ex „ opere operato “. Verum hæc doctrina mihi minus probabilis videtur, & cenſeo lethaliter peccare, qui indigne minores ſuſcipit Ordines. Nam 1. probabilis certe ſaltem eſt opinio, affirmans eſſe Sacramenta. Qui ergo peccato inquinatus illa ſuſcipit, periculo probabili ſe exponit Sacrilegium committendi; quod profecto jam lethale peccatum conſtituit. 2. Licet Sacramenta non ſint, ſunt tamen ſacri, & ſolemnes Eccleſiæ ritus, per quos Ordinati ad ſacra miniſteria aſſumuntur; proinde eos profanant, qui coinquinati lethali peccato ſuſcipiunt. 3. Ita aperte docet S. Th. hic q. 36. art. 1. ſcribens: „ Cum in quolibet Ordine aliquis con-„ ſtituatur dux aliis in rebus divinis, quaſi præ-„ ſumptuoſus mortaliter peccat, qui cum conſcien-„ tia peccati mortalis ad Ordines accedit. Et id-„ eo ſanctitas vitæ requiritur ad Ordinem de ne-„ ceſſitate præcepti, ſed non de neceſſitate Sacra-„ menti. Unde ſi malus ordinatur, nihilominus „ ordinem habet, tamen cum peccato “. Nec ratio Navarri multum urget. Nam multitudo peccantium peccati naturam non tollit, nec mutat. Præterquam quod, ut optime obſervat Benedictus XIV. de Syn. lib. 8. cap. 9. cum regulariter minores Ordines ab Epiſcopis nonniſi inter Miſſarum ſolemnia conferantur, ad illos ſuſcipiendos accedere debent in ſtatu gratiæ, cum initiati Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere debeant. Quid? quod & ipſam Clericalem Tonſuram in peccato ſuſcipere, lethalis peccati arguit Natalis Alex., qui tamen in Epiſt. 21. mentem ſuam eſſe declaravit, lethaliter peccare ſuſcipientem primam Tonſuram, non qui non eſt in ſtatu gratiæ, ſed qui accedit cum affectu ad peccatum, ſine animo ſe emendandi. Et in hoc ſenſu doctrinam ejus omnino certam puto: mentitur enim Spiritui S. & Eccleſiæ, qui ſe Deo addictum tam ſolemniter profiteatur, dicendo: *Dominus pars hæreditatis meæ*, & intus in corde velle eſſe Diaboli mancipium non reformidet. Quamobrem ut peccatum fugiat oportet, ut ad Deum ſincero aliquo pietatis actu, & pœnitentiæ affectu ſe convertat. Sed ſine hac diſtinctione Habertus, & Colletus ſuſcipientem in peccato lethali Clericalem Tonſuram gravis peccati accuſant his rationibus: 1. Ex communi Eccleſiæ ſenſu, quæ in Synodis jubet, prima Tonſura initiandos præmittere debere Confeſſionem. 2. Quia tunc quiſque tenetur ſe ad Deum convertere, quando maximum beneficium a Deo in ordine ſpirituali obtinet. 3. Quia injuriam Deo irrogat, dum ſe ejus adjicit famulatui, quando eſt voluntarie

tarie

voluntarie ipſi Deo inimicus. 4. Quia Ordini Clericali injuriam irrogat, cujus proprium eſt homines Deo arctius devincire; a quo tamen eſt animo averſus. Hinc optime infert Colletus huic opinioni moraliter inhærendum; licet fortaſſis contingere poſſit, ex ignorantia, vel inadvertentia aliquem puerum, ſibi conſcium lethalis peccati, accedere ad primam Tonſuram, qui, ſi non a toto, ſaltem a tanto peccato excuſabitur.

VII. Requiritur, ut ſtatuta ſerie Ordines recipiantur, & non, ut ajunt, per ſaltum. Id enim vetitum eſt a ſacris canonibus, ut videre eſt Cap. *Unico* de Clerico per ſaltum promoto, & in Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 2. Quod ſi ſcienter quis fecerit, & grave ſacrilegium committit, & ſuſpenſionis a miniſterio ſuſcepti per ſaltum Ordinis pœna plectitur, quam ſuſpenſionem ſi violet, irregularis efficitur. A ſuſpenſione tamen, ſi non miniſtraverit, abſolvi poteſt ab Epiſcopo, facultate illi conceſſa a Tridentino Seſſ. 24. cap. 14. ſtatuente: „ Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poterit diſpenſare ". Immo taliter ordinatum, licet per ignorantiam, vel inadvertentiam invincibilem (ſi tamen hæc locum habere poteſt in re tam momentoſa) ſuſpenſioni adhuc ſubjacere affirmant nobiliores Theologi, & Canoniſtæ, Abbas, Navarrus, Fagnanus, donec omiſſum Ordinem recipiat, non quidem in pœnam, ſed ut decori, & ordini ab Eccleſia ſapienter inſtituto conſulatur. Quod ſi ex eadem ignorantia, vel inadvertentia in ſuſcepto per ſaltum Ordine miniſtraverit, adhuc indigere & abſolutione, & diſpenſatione, ſaltem ad cautelam, declaravit Sacra Congregatio Concilii in Florentina Ordinum 5. Decembris anni 1744.

VIII. Si ab alio, quam a proprio Epiſcopo, Ordines ſuſcipere quis debeat, indiget dimiſſorialibus litteris. Ita ſtatuit Tridentinum Concilium ad normam antiquorum Canonum, declarans Seſſ. 24. cap. 2.: „ Nemo Epiſcoporum . . . . alterius „ ſubditum . . . . abſque ſui proprii Prælati ex„ preſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis ad ali„ quos Sacros, aut minores Ordines, vel primam „ Tonſuram promovere, ſeu ordinare valeat ". Quas dimiſſoriales litteras Clericis ſecularibus ſoli Epiſcopi concedere poſſunt, ita ſtatuente laud. Concil. ſeſſ. 23. cap. 10. „ Nec Abbates & alii „ quantumvis exempti, aut Collegia, aut Capi„ tula quæcumque, etiam Eccleſiarum Cathedra„ lium, litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſe„ cularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, „ ſed horum omnium ordinatio . . . . . ad Epi„ ſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtunt, „ pertineat, non obſtantibus quibuſcumque pri„ vilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudini„ bus, etiam immemorabilibus ". Seſſ. tamen 7. cap. 10. declaraverat: „ Capitula Eccleſiarum, „ Sede vacante, elapſo anno a die vacationis, „ ordinandi licentiam, aut dimiſſorias concede„ re poſſe, immo & infra ipſum annum, ſed ſo„ lum iis, qui beneficii Eccleſiaſtici recepti, ſeu „ recipiendi occaſione arctati fuerint ". Epiſcopi vero dimiſſorias concedere non debent Clericis ſuis, niſi urgente neceſſitate: nam jubet Tridentina Synodus, ut Epiſcopi per ſemetipſos Ordines conferant, & non niſi ab ipſis examinatis, & adprobatis. Regulares vero, ut diximus cap. 3. num. 7. a ſuis Prælatis dimiſſorias obtinere debent.

IX. Sunt & aliæ conditiones; nimirum ne ſit cenſura irretitus, de quo diximus in Tract. de Cenſuris; ut ſit in debita ætate conſtitutus; ut titulum ad Ordines, & ſcientiam requiſitam habeat, de quibus in ſequentibus, ubi de Ordinibus in particulari ſermo erit.

CAPUT SEPTIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Diaconiſſæ nullo erant Ordine inſignitæ.*
II. *In ſuſcipiente Ordines requiritur intentio eos recipiendi.*
III. *Divina vocatio.*
IV. *Bona, & recta intentio, ſeu finis.*
V. *Quinam Clericalem ſtatum eligere non debeant.*

Conſectarium Primum.

I. Licet in Eccleſiaſtica Hiſtoria, & nonnullis Conciliorum Canonibus Diaconiſſæ, Presbyteræ, & Epiſcopæ nomina legantur, nulla tamen ſacra ordinatione inſtitutæ erant. Quandoquidem hoc appellabantur nomine, quia vel uxores erant illorum, qui iis relictis, ad Diaconatum, Presbyteratum, vel Epiſcopatum aſſumebantur, ut conſtat ex Canonibus Concilii Romani ſub Greg. II. ubi can. 21. ſtatuitur: *Non licet Presbytero poſt acceptam benedictionem in uno lecto cum ſua Presbytera dormire*. Et can. 22. *Non licet relictæ Diaconi, vel Subdiaconi poſt ejus mortem maritum accipere*. Et cap. 1. & 2. *Si quis Presbyteram, vel Diaconam duxerit in conjugium, anathema ſit*. Vel etiam hujuſmodi donabantur nominibus, quia aliqua benedictione, etiam Epiſcopali, minime tamen Sacramentali, divino cultui addicebantur. Unde in Conc. Nicæn. 1. can. 9. indicitur: *Diaconiſſarum autem nominibus, quæ in habitu quidem cenſentur, quoniam nec ullam habent manus impoſitionem, inter laicos numerentur*. Illarum autem conditionem, & munia deſcribit S. Epiphan. hær. 79. n. 3. „ Quamquam Diaconiſſarum in Eccle„ ſia Ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii functio„ nem, aut ullam hujuſmodi adminiſtrationem in„ ſtitutus eſt; ſed ut muliebris ſexus honeſtati „ conſulatur, ſive ut Baptiſmi tempore adſit, ſi„ ve ut inſpiciat, ſi quæ paſſa ſit, aut moleſte „ pertulerit &c.

Conſectarium Secundum.

II. Requiritur in adulto intentio ſaltem virtualis recipiendi Ordinem illi collatum. Et quidem hanc intentionem requiri, veritas eſt ſatis comperta. Nam ſicut in conficientibus, & conferentibus Sacramenta intentio requiritur ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia; ita par intentio requiritur & in ſuſcipiente, cum nemo adultus, invitus, & nolens ullum Sacramentum valeat ſuſcipere. Quod vero ſufficiat virtualis, nec neceſſaria ſit actualis, minimeque idonea habitualis, conſtat ex iis, quæ diximus in tract. de Sacram. in genere cap. 8. n. 13. ubi & mentem explicavimus S. Th. qui

qui docere videtur 3. p. q. 64. art. 8. intentionem habitualem ſufficere ad perfectionem Sacramenti ; cum nomine *habitualis* intentionis ipſe *virtualem* intellexerit, illam nimirum, quæ, ut ipſe ſubdit, *virtute primæ intentionis* (actualis) *influit in Sacramentum*. Hinc qui timore, & minis parentum coactus ad Ordinationem accedit, valide ſuſcipit Sacramentum : nam quæ fiunt ex metu, licet involuntaria ſint ex parte, & ut inquiunt Theologi, *ſecundum quid*, ſunt tamen ſimpliciter voluntaria ; ut & de Baptiſmo ſtatuit Innoc. III. Cap. *Majores* de Baptiſmo. Qui vero indifferens, ideſt nec conſentiens, nec diſſentiens, ſibi manum imponi permitteret, invalide Ordines ſuſcipere cenſet Bened. XIV. de Sacrif. Miſſ. par. 2. cap. 3. §. 1. & hanc communius receptam affirmat opinionem.

Conſectarium Tertium.

III. Quod principaliter requiritur in volente Clero adſcribi, & ad Ordines promoveri, eſt divina vocatio : ſine hac væ Sanctuarium ingredientibus : hi fures dicendi ſunt, & latrones, qui non per oſtium, ſed aliunde aſcendunt in ovile. Hi profecto ſibi damnationem pariunt : nam non vocati etiam auxiliis illis privantur, quibus poſſint recte ſibi impoſita miniſteria exercere. Nam, ut dicit S. Thom. hic q. 35. art. 1. „ Dei perfecta ſunt o„ pera : & ideo cuicumque datur potentia aliqua „ divinitus, dantur etiam ea, per quæ executio „ illius potentiæ poſſit congrue fieri “. Qui ergo a Deo vocationem non obtinet, nec ea ſperare poteſt auxilia gratiæ, per quæ ſacra, quæ ſibi uſurpavit, munia digne poſſit exercere. Proinde cum, ut inquit Apoſtolus, *omnis ſufficientia noſtra ex Deo ſit, qui idoneos facit miniſtros novi Teſtamenti*, quomodo hi vivere caſte, pie, ſobrie, ut decet Eccleſiæ Miniſtros, poterunt ? Nam, ut inquit piiſſimus Salvianus, *Aſſumptio Religioſi nominis ſponſio eſt ſanctitatis*. Hinc Eccleſia & in ipſa primæ Tonſuræ collatione Deum orat, ut donet illi Spiritum Sanctum.

Conſectarium Quartum.

IV. Secundo requiritur in Ordinandis recta intentio, ea nimirum, quam pro initiandis prima Tonſura poſtulat Tridentina Synodus ſeſſ. 23. cap. 4. Voluntas ſcilicet ſincera Deo fidelem cultum præſtandi. Hac vera intentione carent 1. qui in Clerum cooptari petunt, ut ſeculare judicium fugiant ; quos repellendos jubet S. Synodus l. cit. 2. Qui ut curas, & ſollicitudines ſtatui ſuo adnexas evitent, & otio abundent ; quos merito reprehendit D. Bernardus Epiſt. 14. ad Henricum Archiepiſc. „ Curritur in Clero paſſim ab omni æta„ te, & ordine, a doctis pariter & indoctis ad Ec„ cleſiaſticam curam, tanquam ſine curis jam quiſ„ que victurus ſit, cum ad curas pervenerit “. 3. Qui Clero adſcribi poſcunt, ut habeant, unde vivant, & laborioſas declinent artes, qui proinde Sacerdotium quæſtum faciunt, & artem de pane lucrando. Contra hos vocem extollit laudatus Sanctiſſimus Abbas de Vita, & Moribus Clericor. Cap. 5. „ Qui gradus Eccleſiaſticos, & Miniſte„ ria Sanctuarii eo quærit, aut tenet animo, „ eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat neceſſa„ ria, evangelizat, ut manducet, & perverſo ni„ mis ordine cæleſtibus terrena mercatur “. Et D. Gregor. Nazianz. Orat. 1. hos redarguit, tanquam non virtutis exemplum, ſed victus parandi occaſionem, & ſubſidium, hunc Ordinem eſſe judicantes. 4. Qui ut ad honores, & dignitates, ac pinguiora beneficia viam ſibi ſternant, clericalem eligunt ſtatum. Et adverſus hoſce ſuperbos detonat D. Gregor. Paſtor. par. 1. cap. 8. „ Sa„ crum officium non ſolum non diligunt omnino, „ ſed neſciunt, qui in occulta meditatione cogi„ tationis ad honorem cor elevant, rerum afflu„ entium abundantia exultant. Mundi ergo lu„ crum quæritur ſub ejus honoris ſpecie, quo „ Mundi deſtrui lucra debuerant “. Et S. Bonaventura contra omnes, & perverſos iſtos, detortoſque in Clerum irruendi fines ſic vociferatur, & minas ingeminat in Opuſc. de *Præparat. ad Miſſ.* cap. 8. „ Væ, Væ, Væ, Domine Deus ! quanti „ hodie infelices ad Sacros Ordines accedunt, & „ Divina Myſteria accipiunt, non cæleſtem pa„ nem, ſed terrenum quærentes, non Chriſto ſer„ vire mundo corde, & corpore in ſacris Myſte„ riis, ſed deliciari, ditari, ſuperbire, luxuriari „ de patrimonio Chriſti, & de eleemoſynis pau„ perum, ac eccleſiaſticas dignitates ambiendo, „ multis litigiis, & ſimoniis potius rapiunt, quam „ aſſequantur, non vocati a Deo, ſed compulſi a „ Diabolo, tanquam Dathan, & Abiron ! Tu au„ tem, o homo Dei, dirige vota tua, & deſide„ ria ad Deum : vide quibus affectionibus, & de„ ſideriis trahi debeas “.

Conſectarium Quintum.

V. Clericalem ſtatum eligere non debent, qui ſe ſentiunt perverſis habitibus, & præſertim incontinentiæ, & avaritiæ irretitos. Olim Clero non adſcribebantur, niſi qui vitæ integritate præfulgerent ; & repellebantur, qui criminibus fœdati aliquando fuerant, licet pœnitentiam egiſſent. Quamobrem Gelaſius Papa, ut refertur Can. *Si quis*, Diſt. 55. ſtatuit : „ Si quis miniſterialibus diſcipli„ nis eruditus ad Clericale munus accedit, et„ iam de Laicis, anteacta ejus vita requiratur, „ ne ſit aliquo facinore infectus, vel illittera„ tus .... vel ab adoleſcentia ſordidatus “. Verum in tanta morum corruptione cum difficile ſit reperire, qui integræ ſint vitæ, & ab omni ſcelere puri ; illud ſaltem cavendum, ne pravos ex peccatis contraxerint habitus, & illos præſertim, qui Clericalem ſtatum quammaxime dedecent, cujuſmodi ſunt libidinis, & avaritiæ vitia. Quare egregie monet D. Auguſtinus tract. 41. in Joan. : „ Apoſtolus Paulus, quando elegit ordi„ nandos Presbyteros, vel Diaconos, & quicum„ que ordinandus eſt ad Præpoſituram Eccleſiæ, „ non ait, *Si quis ſine peccato eſt*, hoc enim ſi „ diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordi„ naretur ; ſed ait, *Si quis ſine crimine eſt*, ſicut „ eſt homicidium, adulterium, *aliqua immunditia fornicationis*, furtum, fraus, ſacrilegium, „ & cetera hujuſmodi, quilibet hiſce implicitus „ Ordines non præſumat accipere “. Idem confirmat S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 3. ſentent. cap. 31. „ Non ſunt, inquam, promovendi ad regimen „ Eccleſiæ, qui adhuc vitiis ſubjacent. Hinc „ eſt,

„ eſt, quod præceptum eſt David non ædificare „ Templum Dei, quia ſanguinum vir belli fre„ quentia eſſet: qua figura illi ſpiritualiter ad„ monentur, qui vitiorum corruptioni adhuc ſunt „ dediti, ne Templum ædificent, hoc eſt Eccle„ ſiam docere præſumant .... Non debet honoris „ ducatum ſuſcipere, qui neſcit ſubjectis tramite „ vitæ melioris præire: neque enim quiſquam ad „ hoc tantum præficitur, ut ſubditorum culpas cor„ rigat, & ipſe vitiis ſerviat". Quare merito hos audaces terret S. Bernardus de Converſ. ad Cler. cap. 19. „ Væ Miniſtris infidelibus, qui necdum „ reconciliatis, reconciliationis alienæ negotia, „ quaſi homines, qui juſtitiam fecerint, apprehen„ dunt. Væ filiis iræ, qui ſe Miniſtros gratiæ „ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum ſibi „ uſurpare gradus, & nomina non verentur. Væ „ filiis iræ, qui fideles ſeſe Mediatores pacis, ut „ peccata populi comedant, mentiuntur. Væ, qui „ ambulantes in carne, Deo placere non poſſunt, „ & placare velle præſumunt .... Quid de mun„ ditia cordis loquar? Utinam non illud oblivio„ ni dediſſet tanquam mortuus a corde! Utinam „ non eſſet Columba ſeducta non habens cor! U„ tinam eſſet, quod vel de foris eſt mundum, nec „ ea quæ corporalis eſt maculata tunica invenire„ tur! .... ut obedirent vel in hac parte dicen„ ti, *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*".

CAPUT OCTAVUM.

De Tempore tum conferendi, tum ſuſcipiendi Ordines.

Doctrina.

I. *Quo tempore conferri, & ſuſcipi debeant Ordines.*
II. *Debent conferri in Miſſa.*
III. *Et quidem ab ipſo Ordinante celebrata.*
IV. *Sunt & interſtitia ſervanda.*
V. *Et tempora conſtituta, niſi adſit ſpeciale privilegium, quod Regularibus conceſſum eſt.*
VI. *Quod dubium non efficiunt aliquorum Doctorum objecta.*
VII. *Quæ diluuntur.*

I. Conſtituta ſunt ab Eccleſia tempora, in quibus ſolum ſunt ſacræ habendæ Ordinationes. Hæc autem ſunt, pro Epiſcopatu Dominici dies, & Natalitia Apoſtolorum; pro aliis vero ſabbata quatuor temporum, necnon præcedentia Dominicam in Paſſione, & Dominicam Reſurrectionis. Ita enim ſtatuunt antiquiores Canones Gelaſii, Gregorii II., Synodi Romanæ ſub Zacharia, & Alexandri III. quos omnes confirmavit Tridentina Synodus ſeſſ. 23. c. 8. de Reformat. Ordines tamen Minores conferre licet etiam omnibus Dominicis, & Feſtis duplicibus, ſed de præcepto, ut additum eſt Pontificali Romano ex correctione Urbani VIII. & animadvertit poſt Cardinal. de Lugo Lambertinus in ſua Inſtitutione 106. num. 3. & 4., & declaratum fuit a Sacra Congregatione Concilii. Quapropter non eſt modo cenſenda probabilis illorum opinio, qui pro Feſtis duplicibus ea intelligebant, quæ juxta Kalendarii, & Breviarii ritum duplicia dicuntur, licet penes populum feſtiva non ſint. Additur in Pontificali, eſſe Minores Ordines conferendos *mane*, proinde jejunis, tam recipientibus, quam conferentibus: quod certe obſervandum eſt, quotieſcumque Minores Ordines extra generalem Ordinationem conferuntur, in qua certum eſt requiri jejunium, cum ſacra ſumenda ſit Euchariſtia ab omnibus Ordinatis. In aliquibus tamen Diœceſibus mox invaluit conferendi Minores Ordines veſpere feriæ ſextæ præcedentis Sabbatum generalis Ordinationis, & tunc non jejunis, ſive ſuſcipientibus, ſive conferentibus: quam conſuetudinem, ſi ab immemorabili ſit, tolerari poſſe declaravit Sacra Congregatio Concilii. Prima vero Tonſura conferri poteſt quolibet die, & hora in loco decenti, & honeſto.

II. Ordines Majores ſunt conferendi intra Miſſarum ſolemnia, & quidem ab ipſo Epiſcopo ordinante celebrata. Et quidem eſſe conferendos in Miſſarum ſolemniis conſtat ex antiqua, & perpetua Eccleſiæ praxi, teſtantibus antiquioribus Patribus, Ordinationes ſemper ſacrificii tempore fuiſſe peractas: quapropter & Ordo Romanus, & Pontificale Romanum ſevere prohibent, ne Sacri Ordines extra Miſſæ Sacrificium conferantur. Eapropter nullus, inquit Bened. XIV. de Synodo lib. 8. cap. 11. num. 6. a gravi culpa eximeret Epiſcopum, qui Sacrum Ordinem extra Miſſarum ſolemnia conferret. Hoc autem præceptum, licet ſolum Majores reſpiciat Ordines, oſtendit tamen congruum eſſe, etiam Minores Ordines in Miſſa conferre, & ſuſcipere: quia, ut animadvertit Hallier de Sacris electionibus, & ordinat. P. 111. Sect. 8. cap. 1. num. 5. Omnes Ordines ad Sacrificium Miſſæ tanquam ad finem ſuum, & ſcopum referuntur, & omnium ipſum conſummatio, ac perfectio eſt.

III. Addimus ab ipſo Ordinante celebrata. Ita enim obtinuit conſtans, & perpetua Latinæ Eccleſiæ conſuetudo, & quia niſi Miſſa ab eo celebretur, a quo Ordines conferuntur, *dividitur Myſterium unitatis*, ut loquitur Innoc. III. Cap. *Quod ſicut* de electione: „ niſi enim Euchariſtia (ſub„ dit l. l. Bened. XIV.) ab illo eodem conficia„ tur, a quo initiatis porrigitur, non adeo perfe„ cte repræſentatur unio ipſorum cum ſuo Præſule; „ quemadmodum exhibetur, cum cæleſtem panem „ ab eodem paratum ... omnes ſimul accipiunt". Quæ quidem ratio fortius urget, ſi agatur de Ordinatione Epiſcopi, & Presbyteri, qui ad eamdem unionem repræſentandam debent idem Sacrificium cum Ordinante conficere, ſeu concelebrare. Accedit, Ordines eſſe conferendos juxta modum in Romano Pontificali præſtitutum, ubi non alius eſt ritus præſtitutus conferendi Sacros Ordines, niſi in Miſſa celebrantis. Quapropter graviter peccaret Epiſcopus, qui etiam prætextu ſenii, vel infirmitatis, Ordines Sacros conferre auderet alio Sacerdote celebrante. Generales vero Ordinationes juxta Tridentinum ſtatutum Seſſ. 23. cap. 8. ſunt publice habendæ in Cathedrali Eccleſia, vocatis, præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis; & ſi habentur in alio Diœceſis loco, præſente Clero loci, & dignior, quantum fieri poterit, Eccleſia ſemper deligatur.

IV. Sunt etiam ſervanda interſtitia, ſcilicet ſpatium aliquod temporis intercedat, oportet, inter di-

diverſorum Ordinum collationem, & ſuſceptionem. Sic enim decernunt antiqui Canones. Innoc. I. in Epiſt. ad Felicem Amerinum Epiſcopum ſic ſcribit: *Tempora a Majoribus conſtituta ſerventur. Nec cito quilibet Lector, cito Acolythus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat.* Et quidem inter minores Ordines interſtitii tempus a Tridentina Synodo determinatum minime fuit, ſed relictum arbitrio Epiſcopi: ſic enim ſtatuit Seſſ. 23. cap. 11. „ Minores Ordines . . . . per temporum interſti„ tia, niſi aliud Epiſcopo magis videretur, con„ ferantur “. Solum de Acolythatu poſtremo Ordinum minorum ſic ſubdit: „ Nonniſi poſt an„ num a ſuſceptione poſtremi gradus Minorum ad „ Sacros Ordines promoveantur, niſi neceſſitas, „ vel Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud ex„ poſcat “. De majoribus vero Ordinibus ſic ſtatuit: „ Promoti ad Sacrum Subdiaconatus Ordi„ nem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſa„ ti, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo vi„ deatur, aſcendere non permittantur “. Et cap. 14. „ Qui pie, & fideliter in miniſteriis anteactis „ ſe geſſerint, & ad Presbyteratus Ordinem aſſu„ muntur . . . hi ſunt qui . . . in Diaconatu ad „ minus annum integrum, niſi ob Eccleſiæ utili„ tatem, & neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur, „ miniſtraverint “.

V. Ut extra conſtituta tempora quis vel conferre vel recipere poſſit Ordines, ſolus Romanus Pontifex concedere poteſt. Nam decretis, & ſtatutis Conciliorum generalium ſolus ſummus Pontifex derogare poteſt, & paſſim per privilegia ſaltem particularia derogat. Num vero Regulares hoc donati Privilegio ſint, ut extra tempora ordinari poſſint, ſunt qui ambigunt. Hæc, quæ nobis certa videntur, ſtatuimus. 1. Privilegia Regularibus in hac re conceſſa ante Tridentinum abolita ſunt ab ipſo Concilio. 2. Poſt Concilium vero conceſſum fuit Religioſis jam abolitæ Societatis Jeſu, & quidem a Paulo III. ante Concilii Tridentini finem, & poſtea a Greg. XIII. Ea tamen conditione, ut hujus gratiæ (verba ſunt Conſtit. 77. Greg. XIII. communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum ipſa Societate copioſe participant, & participare poterunt, quomodolibet in futurum fieri omnino prohibeat. 3. Abſque tali tamen reſtrictione conceſſum fuit hoc privilegium aliis Religioſis Ordinibus, nimirum a Gregor. XIV. Congregationi reformatæ Sancti Bernardi Conſtitut. *Romanus Pontifex*, & a Clemente VIII. Congregationi Sancti Joannis Evangeliſtæ in Luſitania, & noviſſime a Benedicto XIII. ſuæ Ordinis Prædicatorum Religioni ſpeciatim conceſſum eſt in Bulla *Pretioſus* §. 34. per hæc verba: „ Quia vero ad aures noſtras pervenit non „ obſtante noſtra, ac etiam noviſſima Romani „ Concilii per nos habiti Tit. 5. cap. 2. ſenten„ tia, *Quod Regulares vigore ſuorum privilegiorum* „ *ſine*, & *abſque novo indulto Apoſtolico extra tem*„ *pora ſacris initiantur*, etiam poſt Decretum „ Concilii Tridentini, a nonnullis etiam Epiſco„ pis in dubium revocari, an inter tales Regula„ res, licet indefinite nominatos, recenſeri de„ beant FF. prædicti Ordinis PP., motu, ſcien„ tia, & auctoritate prædictis declaramus, eoſdem „ FF. ex noſtra, ac dicti Romani Concilii defini„ tione eodem privilegio frui, ac potiri poſſe, & „ debere; & quatenus opus ſit, pariformiter diſ„ penſantes ſuper quacumque contraria diſpoſitio„ ne, de novo illud idem privilegium pro ſingu„ lari noſtra erga prædictum Ordinem . . . . . dile„ ctione iiſdem Fratribus ſignanter, ſpecifice, & in „ individuo concedimus “. 4. Hoc privilegium agnitum fuit, & confirmatum Regularibus ab eodem Benedicto XIII. in laudato Concilio Romano ſic l. cit. ſtatuente: „ Quod vero ad Regu„ lares privilegia a Summis Pontificibus habentes „ ſive expreſſe, ſive per viam communicationis „ conceſſa, Sacros videlicet Ordines extra tempora „ ſuſcipiendi, *cum privilegia ipſa in ſuo robore per*„ *ſiſtant*, *nec iis derogatum fuiſſe* conſtet, decerni„ mus proinde Regulares eoſdem *abſque novo in*„ *dulto Apoſtolico* tuto poſſe extra tempora ordi„ nari “. Hæc omnia profecto oſtendunt, meo videri, firmiſſime conceſſum Regularibus privilegium, ut extra conſtituta a Sacris Canonibus tempora Ordines, tum Majores, tum minores recipere licite valeant.

VI. Nec argumenta, quæ ad illud privilegium ſaltem in dubium revocandum proferuntur, adeo firma ſunt, ut a poſita doctrina nos recedere cogant. 1. Ajunt. In laudato Concilio Romano non dici, *ſive expreſſe*, *ſive per viam communicationis ante Tridentinum Concilium conceſſa*; proinde cum non deroget Concilio, adhuc dubium eſt, num ſubſiſtant privilegia ante ipſum Concilium conceſſa. 2. Bullam Benedicti XIII. fuiſſe a Clemente XII. ad terminos juris redactam, proinde & revocata privilegia in eo contenta. 3. Romæ non aliud admitti privilegium, niſi illud a Gregor. XIII. abolitæ Societati Jeſu conceſſum: quod indicat alia privilegia minime legitima reputari.

VII. Verum reſpondemus ad 1. In Romano Concilio ſermonem non eſſe de privilegiis ante Concilium Tridentinum conceſſis, ſed de ipſum Concilium ſubſequentibus: ait enim Pontifex, *ipſa Privilegia in ſuo robore permanere*, *nec iis derogatum fuiſſe conſtare*; quod profecto dicere non poterat de Privilegiis Tridentinam Synodum præcedentibus, quæ optime noverat Pontifex, noverant Patres Concilii, noverant Conſultores, tum Theologi, tum Canoniſtæ, ab ipſo Concilio revocata, *nec in ſuo robore perſiſtere*, & *conſtare ipſis fuiſſe derogatum*; ſed de poſterioribus, quæ citat, conceſſis a Sancto Pio V. & a Clemente VIII. & hæc dicit in ſuo robore perſiſtere, & conſtare non fuiſſe revocata, ſed etiam poſt Concilium Tridentinum vim habere, ut aperte declarat in laudata Bulla *Pretioſus*, in qua hocce Privilegium etiam, ſi opus tamen ſit, denuo largitur, & concedit. 2. Nec obſtat revocatio, ſeu moderatio præfatæ Bullæ a Clemente XII. factæ: ſolum enim Pontifex ea revocat, & tollit privilegia, quæ Epiſcoporum juriſdictionem, poteſtatem, & jus aliquo modo lædere, vel imminuere videbantur, ac diſſenſiones inter ipſos Epiſcopos, & Regulares excitare poterant: in quorum numero certe non eſt præſens Privilegium, cum nihil officiat auctoritati, ac juriſdictioni Epiſcoporum, qui per hoc privilegium non coguntur Regulares extra tempora ordinare, ſed, ſi eis pro ſua clementia, & benignitate placeat, promovere ad Ordines valent; quod ſi recuſent, tunc non ex deficien-

tia Privilegii, ſed ex voluntate Epiſcopi repelluntur. Ad 3. dicimus, minime nos improbare morem Diœceſis Romanæ, in qua juſta de cauſa Summus Pontifex, ut Romanus Epiſcopus, poteſt nolle extra tempora etiam privilegiatos Regulares promovere; quod & quilibet alius Epiſcopus pro ſapientia ſua velle poteſt: at hoc nequaquam oſtendit, illos hoc legitimo eſſe deſtitutos privilegio. Quid? quod ſapientiſſimus Lambertinus, qui Inſtit. ſua 23. videtur hoc privilegium in dubium revocare, tamen ſponte fatetur, ſe *Regulares in diebus Feſtivis, ſed extra tempora ad Ordines promoviſſe, nec ſibi mentem eſſe præfatum ſyſtema mutandi, ſed velle libenter admittere præfatum Privilegium Regularibus conceſſum, dummodo cætera non illis deſint requiſita*. Agnovit igitur ſapientiſſimus Archiepiſcopus præfatum privilegium, & in ſuo robore permanere, & conſtare non ipſi fuiſſe derogatum; & dubitationis argumenta ab eo adducta (ſunt vero ea, quæ attulimus) non tanti eſſe facienda, ut ab Ordinibus poſſint Epiſcopi Regulares extra tempora repellere ob ſolam hujuſce privilegii vel deficientiam, vel dubitationem.

CAPUT NONUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Ab interſtitiis ſoli Epiſcopi diſpenſare poſſunt.*
II. *Num liceat eodem die Minores Ordines, & Subdiaconatum conferre.*
III. *Non licet duos Ordines Majores una Ordinatione conferre.*
IV. *Peccat, qui non ſervatis interſtitiis Ordines ſuſcipit.*
V. *Privilegio donatus, ut tribus diebus ordinari poſſit, quid ſervare debeat.*

Conſectarium Primum.

I. AB interſtitiis ſoli Epiſcopi diſpenſare poſſunt. Et quidem Epiſcopos poſſe in interſtitiis diſpenſare tam in Minoribus, quam in Sacris, & Majoribus Ordinibus conſtat ex ipſo Concilio Tridentino in omnibus ſtatutis interſtitia decernentibus ſemper clauſulam apponente, *niſi aliud Epiſcopo videbitur expedire*. Quam diſpenſationem concedere poſſunt Epiſcopi non ſolum urgente neceſſitate, ſed expoſcente etiam ſuæ Eccleſiæ utilitate; nimirum, ut explicat Bened. XIV. in ſua Inſtruct. 42. Si pauci ſuppetant Miniſtri; ſi promovendus ſit ætate provectus, ſed & in ſtudio bene verſatus; vel ſi de promotione agatur in aliqua Parœcia, vel Beneficio, quod intra annum ſacros in promovendo Ordines poſtulet. Nec ſolum a ſtatutis interſtitiis diſpenſare poſſunt Epiſcopi, ſed etiam ea, ſi neceſſarium, vel opportunum duxerint, & protrahere, & dilatare poſſunt, quando id poſtulent Ordinandorum conditiones; quia nimirum non ſatis conſtat de eorum legitima vocatione, de neceſſaria morum, & vitæ honeſtate, & innocentia, vel nondum ſint ſufficientem adepti requiſitam ad Ordines, ad quos promoveri poſtulant, eruditionem & ſcientiam. Diximus, ſolos Epiſcopos ab interſtitiis diſpenſare poſſe: quo tamen nomine intelliguntur & Vicarii Generales Epiſcoporum, & Vicarii Capituli Sede vacante, non vero Prælati Regulares, qui ſolum humiliter efflagitare poſſunt ab Epiſcopo, ut hanc diſpenſationem largiatur, & quidem in ipſis dimiſſoriis Litteris, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii 17. Maii 1593. ſtatuens, judicium hoc remittendi temporum interſtitia ad Epiſcopum ſolum pertinere, non autem ad Generales, aut Provinciales Ordinum. Declaravit tamen eadem Congregatio in hac concedenda Regularibus diſpenſatione Epiſcopum de cauſis remiſſionis teneri fidem adhibere, ac deferre teſtimonio Superioris. Immo non Epiſcopus Ordines conferens ab interſtitiis diſpenſare poteſt, ſed Ordinarius Clerici promovendi, ut declaravit Sacra Congregatio die 9. Auguſti 1593. Et jure merito, cum ad hanc diſpenſationem concedendam non commodum, & utilitas ipſius Ordinati, ſed Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas ſpectanda ſint; quod profecto ſolum Ordinarius noſſe poteſt. Immo ſi quis a Sancta Sede diſpenſationem impetraverit, ut extra tempora ſacros Ordines poſſit ſuſcipere, adhuc ab interſtitiis diſpenſatio ad Ordinarium pertinet, qui poteſt etiam juſta de cauſa hujuſmodi privilegiato eam denegare, ut declaravit Innoc. XII. & merito, cum hujuſmodi gratiæ, & privilegia non Epiſcopos obſtringant ad Ordines conferendos, ſed quod conferre poſſint, ſi velint, & opportunum ac ſalutare noverint.

Conſectarium Secundum.

II. Non licet eodem die Minores Ordines, & Subdiaconatum ſuſcipere. Id enim vetitum habetur in Decret. Cap. 2. *De eo qui Ordines furtive ſuſcipit*, ubi ſtatuitur: „ Qui Minores Ordines „ cum Subdiaconatu ſine Epiſcopi licentia ſuſcipit, in Minoribus dumtaxat Ordinibus miniſtrare conceditur; quod ſi & Subdiaconi munia velit peragere, Religionem ingrediatur “. Fatendum tamen per illud Decretum puniri Clericum, non quia Minores, & Subdiaconatum eadem ſuſceperit Ordinatione; ſed quia hoc furtive & inſcio Epiſcopo auſus ſit: unde inferre licet, conſentiente Epiſcopo licere. Verum tamen eſt, quod nec de licentia Epiſcopi licet, cum pluribus decretis ſacræ Congregationis declaratum ſit, non licere, ut conſtat ex Decreto Congregationis Concilii in cauſa Bovenſi & Calaritana, relatis a Lambertino Inſtit. 106. §. 10. Num vero conferens, & ſuſcipiens ſcienter Minores, & Subdiaconatum ſuſpenſionem incurrant, ille quidem ab Ordinum collatione, iſte vero a ſuſceptorum Ordinum miniſterio, non certo conſtat, & probabilius dicendum, non ſubjacere. Cum tamen in aliquibus Diœceſibus mos ſit eodem die conferendi Subdiaconatum, & Minores Ordines, inſpiciendum eſt, num hæc conſuetudo fuerit ante Tridentinum, vel poſt ipſum invecta: ſi enim poſt Tridentinum, tollenda videtur, cum ejus Decretis opponatur, & habeatur Decretum irritans in Bulla 73. Pii IV. confirmatoria Concilii; ſi vero ipſum præceſſit Concilium, tolerari poterit, cum illi expreſſe non derogaverit præfatum Concilium. Verum cum hoc ad Epiſcopos expendere pertineat, illorum ſapientiæ deciſionem remittimus, qui noſtra non indigent inſtructione. Illud ſolum notan-

tandum puto, nimirum, ubi eſt conſuetudo conferendi Ordines Minores veſpere feriæ ſextæ præcedentis Sabbatum Ordinationum, non licere uni, & eidem ſubjecto veſpere feriæ ſextæ conferre minores Ordines, & Sabbato ſequenti Subdiaconatum; hoc enim idem eſſet, ac conferre omnes præfatos Ordines uno die, quod illicitum, & vetitum vidimus, niſi excuſet allata conſuetudo vigens conferendi Minores Ordines, & Subdiaconatum eodem die. At poſſe quidem Epiſcopum in feria ſexta præcedente, ſi dies feſtus ſit de præcepto, mane conferre Minores Ordines, & Sabbato ſequenti Subdiaconatum, ſi id poſtulet vel utilitas, vel neceſſitas Eccleſiæ; cum hic agendi modus nonniſi diſpenſationem ab interſtitiis præſeferat, quam concedi poſſe ab Epiſcopo nullus dubitat.

Conſectarium Tertium.

III. Duos Majores Ordines eodem die nec conferre, nec recipere conceditur. Vetitum id eſt tum antiquioribus Decretis Innocent. III. & Honorii III. tum recentioribus ſtatutis in Concil. Trident. Seſſ. 23. Cap. 13. de Reformat. jubente: ,, Duo Sacri Ordines non eodem die, etiam Re- ,, gularibus, conferantur; privilegiis, ac indul- ,, tis quibuſvis conceſſis non obſtantibus quibuſ- ,, cumque ". Quod ſi quis eos vel conferat, vel recipiat, ſuſpenſione puniuntur, Ordinator quidem a collatione Ordinum, Ordinatus vero a miniſterio poſterioris Ordinis: quæ ſuſpenſio, licet dubium ſuboriri poſſit, an ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, cum Canoniſtæ in diverſas abeant opiniones, tamen ex mox citato Decreto Congregationis Concilii in Bovenſi Ordinationis eſſe latæ ſententiæ colligitur; cum juſſerit Clerico, qui Minores Ordines cum Subdiaconatu ſuſceperat, dandam abſolutionem prævia ſalutari pœnitentia, & Epiſcopo condonandam pœnam, quam incurrerat: quod multo magis videtur dicendum de illo, qui duos Majores Ordines eodem die confert, vel ſuſcipit.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui Ordines ſuſcipit non ſervatis interſtitiis, gravioris culpæ reus eſt, ſed nullam incurrit ipſo facto eccleſiaſticam cenſuram. Loquimur de ſuſcipiente furtive: nam qui ſervatis interſtitiis ab Epiſcopo ſciente, & conſentiente ordinatur, profecto diſpenſatione donari conſtat; proinde nullius culpæ reus eſt. At qui furtive, grave ſacrilegium committere certo conſtat; cum legem Eccleſiæ violet in re graviſſima, & decorem, ac honorem Sacramenti Ordinis reſpiciente. Quoad pœnam vero Sixtus V. Ordinatos non ſervatis interſtitiis ſuſpenſioni ipſo facto ſubjecit, proinde & irregularitati, ſi in ſuſceptis Ordinibus miniſtraverint, ut conſtat ex ejus Conſtitut. 91. Verum Clemens VIII. eam Bullam, exceptis iis, quæ ad Simoniacam pertinent Ordinationem, revocavit ad terminos Tridentini Concilii, in quo cum nulla ſit inflicta pœna ſuſcipientibus Ordines non ſervatis interſtitiis, conſentiunt communiter Doctores Theologi, & Canoniſtæ nullam eos pœnam incurrere; poſſe tamen merito ab Epiſcopo ſuſpenſione mulctari, prout ipſi juſtum, & æquum videbitur: quam inflictam ſuſpenſionem ſi violent irregulares efficiuntur.

Conſectarium Quintum.

V. Qui privilegio donatur, ut in tribus feſtivis diebus Sacros Ordines poſſit recipere, expectare debet dies feſtivos de præcepto, & quidem non continuos, ſed interpolatos, niſi in Brevi conceſſionis addatur Clauſula, *etiam continuis*. Et quidem dies, in quibus ſunt habendæ Ordinationes, non quocumque modo feſtivos eſſe debere, ſed de præcepto luculenter oſtendimus Cap. præced. n. 1. Quod vero interpolati eſſe debeant, cenſent Doctores; tum quia in jure ſtatuitur Cap. 13. *de Temp. Ordin.* ut ordinatus Diaconus die Sabbati in ſequenti Dominico die ad Presbyteratum promoveri non poſſit, cum fictione canonica ob jejunii continuationem mane diei Dominicæ trahatur ad Sabbatum; tum quia cum hujuſmodi privilegia ſtatutis Eccleſiæ, & Tridentini Concilii derogent, ſunt ſtrictius interpretanda, & quantum fieri poteſt, legibus Eccleſiæ accommodanda. Sunt tamen, qui putant Ordinatum in Sabbato in Presbyterum poſſe ſequenti die Dominico in Epiſcopum conſecrari, ſed hac ſpeciali de cauſa, tum quia Epiſcopatus ſolum inadæquate a Sacerdotio diſtinguitur, cujus eſt major extenſio: tum quia inter Presbyteratum, & Epiſcopatum nulla ſunt conſtituta interſtitia. Falſum tamen eſt, poſſe quempiam die Dominica mane Sacerdotem fieri, & circa meridiem in Epiſcopum conſecrari, cum nullus, ut ſuperius diximus, extra Miſſam Ordines vel conferre, vel ſuſcipere poſſit: binæ autem Miſſæ eodem die celebrare vetitum eſt; quod tamen faciendum eſſet, ſi eodem die quis & Epiſcopus, & Sacerdos efficeretur.

CAPUT DECIMUM.

De Sacramenti Ordinis Effectibus.

D o c t r i n a.

I. *In Sacramento Ordinis confertur gratia ſanctificans.*
II. *Et gratia Sacramenti propria.*
III. *Imprimitur Character.*
IV. *Num tot ſint* Characteres, quot Ordines.
Reflexio.

I. IN Sacramento Ordinis confertur gratia ſanctificans, non quidem prima peccatorum remiſſiva, ſed ſecunda. Ita docet Sanctus Thomas, qui gratiam ſanctificantem in Sacra Ordinatione concedi oſtendit hic quæſt. 35. artic. 1. ſcribens: ,, Dei perfecta ſunt opera . . . . & ideo cuicum- ,, que datur potentia aliqua divinitus, dantur et- ,, iam ea, per quæ executio illius potentiæ poſſit ,, congrue fieri . . . . Sicut autem gratia gratum ,, faciens eſt neceſſaria ad hoc, quod homo digne ,, Sacramenta recipiat; ita & ad hoc quod homo ,, digne Sacramenta diſpenſet. Et ideo ſicut in ,, Baptiſmo (per quem homo fit ſuſceptivus alio- ,, rum Sacramentorum) datur gratia gratum fa- ,, ciens; ita in Sacramento Ordinis, per quod ,, homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum ,, ad-

„ adminiſtrationem “. Quod vero hic gratia non prima ſit remiſſionem afferens peccatorum, ſed juſtitiæ incrementum, oſtendit idem D. A. ad 3. ſubdens: „ Ad idoneam executionem Ordinum „ non ſufficit bonitas qualiſcumque, ſed requiritur bonitas excellens, ut ſicut illi, qui Ordinem ſuſcipiunt, ſuper plebem conſtituuntur gradu Ordinis, ita & ſuperiores ſint merito ſanctitatis. Et ideo præexigitur gratia, quæ ſufficiat ad hoc, quod digne connumerentur in plebe Chriſtiana. Sed confertur in ipſa ſuſceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad „ majora reddantur idonei “. Quando vero non per ſe, ſed per accidens & primam gratiam conferat Ordinatio, jam abunde declaravimus de Sacrament. in genere Cap. 6. Conſect. 7.

II. Confertur & gratia Sacramentalis, quam loco laudato diximus Cap. 5. n. 11. ſitam eſſe in jure obtinendi ſpecialia auxilia, & dona, queis roboratus animus Sacra miniſteria, & Ordinum ſuorum functiones pie, & utiliter, tum ad propriam, tum ad aliorum utilitatem valeat exercere. Hoc peculiare donum gratiæ agnoſcunt Patres omnes, & magnificant merito, & extollunt. S. Gregorius Nyſſ. Orat. in Baptiſmum: „ Eadem (inquit) „ verbi vis etiam Sacerdotem auguſtum, & honorabilem facit, novitate benedictionis a communitate vulgi ſegregatum. Cum enim heri, ac „ tempore ſuperiori unus e multitudine, ac plebe eſſet, repente redditur Præceptor, Præſes, Doctor pietatis, Myſteriorum latentium „ Præſul; & licet nihil corpore, vel forma mutatus . . . . inviſibili quadam vi, ac gratia animam in melius transformatam gerit “. Et S. Leo ſer. 1. „ Qui mihi honoris eſt auctor, ipſe „ mihi fiet adminiſtrationis adjutor, & ne ſub magnitudine gratiæ (officii videlicet) ſuccumbat „ infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem “. Doctrinam noſtram confirmat Tridentini Concilii Catechiſmus n. 34. de Sacr. Ord. ſic Parochos inſtruens: „ Quamvis Ordinis Sacramentum, ut antea dictum eſt, maxime ad Eccleſiæ „ utilitatem, & pulchritudinem ſpectet; tamen in „ ejus quoque anima, qui Sacris initiatur, ſanctificationis gratiam conſtat efficere, qua idoneus, „ habiliſque ad recte munus ſuum agendum, Sacramentaque adminiſtranda reddatur “.

III. Imprimitur & in Sacra Ordinatione character, ſignum videlicet indelebile in anima impreſſum, quo deſignatur poteſtas in Sacro Ordine accepta. Hunc autem characterem in anima imprimi per Sacram Ordinationem definivit Trident. Synodus ſeſſ. 7. Cap. 9. „ Si quis dixerit, in tribus Sacramentis Baptiſmo, Confirmatione, & „ Ordine non imprimi characterem in anima, hoc „ eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde „ ea iterari non poſſint; anathema ſit “. Et ſeſſ. 23. can. 4. ſpeciatim de Sacra Ordinatione definivit: „ Si quis dixerit per Sacram Ordinationem „ non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra „ Epiſcopos dicere, *accipe Spiritum Sanctum*, „ aut per eam non imprimi characterem, vel „ eum, qui Sacerdos ſemel fuit, laicum rurſus „ fieri poſſe; anathema ſit “. Indelebilem vero eſſe hujuſmodi characterem, proinde non iterabilem Sacram Ordinationem, oſtendit D. Auguſt. cont. epiſt. Parmeniani ſcribens: „ Utrumque Sacramentum eſt (Baptiſmus ſcilicet, & Ordo) „ & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur; ideoque in Catholica utrumque non licet „ iterari “. Recolantur dicta de Sacramentis in genere Cap. 7.

IV. Num vero tot ſint characteres, quot ſunt collati Ordines, vel unus tantum, qui ad plura munia ſe extendat, quæſtio eſt plane ſcholaſtica, & ad mores minime pertinens, ceteroquin admodum obſcura. Non recedendum tamen a S. Th. doctrina, qui ita ſentit: ſicut in omni Ordine nova datur poteſtas in ordine ad Corpus Chriſti verum; ita & novus donatur character acceptæ poteſtatis pignus, & ſignum. Sic itaque ſcribit hic q. 35. art. 2. „ Quidam dixerunt, quod in ſolo „ Ordine Sacerdotali character imprimitur. Sed „ hoc non eſt verum: quia actus Diaconi nullus „ poteſt exercere licite, niſi Diaconus; & ita patet, quod habet aliquam poteſtatem in diſpenſatione Sacramentorum, quam alii non habent. „ Et propter hoc alii dixerunt, quod in Sacris „ Ordinibus imprimitur character, non autem in „ Minoribus. Sed hoc iterum nihil eſt: quia „ per quemlibet Ordinem aliquis conſtituitur ſupra plebem in aliquo gradu poteſtatis ordinatæ ad Sacramentorum diſpenſationem. Unde „ cum character ſit ſignum diſtinctivum ab aliis, „ oportet, quod in omnibus character imprimatur: „ cujus etiam ſignum eſt, quod perpetuo manent, „ & nunquam iterantur “. Quod confirmat in reſponſ. ad 1. ſubdens: „ Quilibet Ordo vel habet „ actum circa ipſum Sacramentum, vel ordinat „ ad Sacramentorum diſpenſationem. Sicut Oſtiarii habent actum admittendi homines ad divinorum Sacramentorum inſpectionem, & ſic de aliis. Et ideo in omnibus requiritur ſpiritualis „ poteſtas “.

REFLEXIO.

I. Imploremus (inquiebat S. Gregorius Hom. 7. in Evangelia) Jeremiæ lacrymas, & dicamus, *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, lapides Sanctuarii diſperſi ſunt in angulis platearum?* Et quis noſtrorum calamitatem temporum non deploret, dum tot cernuntur Clerici, Presbyteri ſacrum characterem, & dignitatem defœdantes pravis moribus, & ſacroſancta myſteria indecore, & indigne tractantes? Porro tantæ calamitatis non aliam eſſe puto cauſam, niſi quia plurimi ad Clerum, & ad Ordines convolant non vocati, non probati, non edocti.

II. Quis enim neſciat, neminem debere ſibi Clericalem gradum aſſumere, niſi qui a Deo vocatus ſit, tanquam Aaron? Et Chriſtus cum ſuam fundaret Eccleſiam, non ſibi obvios quoſque etiam illum ſequi volentes admiſit, ſed, ut inquit D. Marcus cap. 3. *Vocavit ad ſe, quos voluit ipſe, & venerunt ad eum.* Et Joan. 15. dicebat Apoſtolis: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis.* Et iterum cap. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi?* Quod exemplum imitati Apoſtoli, cum alium in Apoſtolico Collegio loco prævaricatoris Judæ cooptare vellent, divinæ vocationis ſignum a Domino humili prece efflagitarunt, inquientes Actor. 1.

Tu

„ *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem* „ *elegeris.* Quare merito ajebat Clericis D. Bernardus *De Vit. & Morib. Cleric.* Cap. 42. Per „ Deum vocatus *ſi quis introierit, ſalvabitur, &* „ *paſcua inveniet. Si vero aſcenderit aliunde, fur* „ *eſt, & latro.* Videte vocationem veſtram, ait „ vocatus Apoſtolus. Conſideremus & nos, an „ vocati venerimus, & vocati a Deo, cujus nimirum hæc vocatio eſt, nec communem modo „ vocationem dixerim, ſed qua vocaverit in honorem Cleri ". Deinde expendens, quomodo non pauci in Clerum adſcribantur, ſic deflens proſequitur Doctor Mellifluus. „ Convenire volo conſcientias ſingulorum, ut ſecundum præceptum „ Domini *ad cor Hieruſalem loquar.* Huic enim „ parvulo adhuc, & forſitan nedum nato, Eccleſiaſtica jam beneficia provida ſane parentum „ ſollicitudo parabat. Hunc nos, inquiunt, „ illi, vel illi trademus Epiſcopo, apud quem „ habemus gratiæ locum, aut cui forte ſervivimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot „ liberos noſtra dividatur hæreditas. Illum Præpoſitus, aut Diaconus, ut ſibi ſuccederet, pluſquam materno educavit affectu, in deliciis enutritus, & delictis. Ille dignus Archidiaconatu, „ utpote filius Principis, magis autem ſi ſit Epiſcopi conſobrinus, in quo nimirum tota eſt „ Epiſcopata progenies. Alius undique circuit „ ſedulus explorator, blanditur, obſequitur, ſimulat, & diſſimulat, miſeraque ſibi ſuffragia mendicare non erubeſcit, ſi quo modo tandem aliquando ſeſe ingerere queat in patrimonium Crucifixi, & bona Domini, quæ ſola ex omnibus „ hodie inveniuntur expoſita . . . . . Quis ea intentione gradus Eccleſiaſticos, & Miniſteria Sanctuarii quærit, immo quæritur (quæri nempe „ potius, quam quærere ipſe debuerat) ut ſine „ curis ſeculi in ſanctimonia cordis, & corporis „ illuminandus accedat ad Dominum, & ſuam „ prius, ac proximorum operetur ſalutem orationis ſtudio deditus, & verbo prædicationis? Nam „ ſi eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, „ ut hic vitæ habeat neceſſaria, evangelizet, ut „ manducet, perverſo nimis ordine cæleſtibus terrena mercatur. Quam certe dignius, ampliuſque „ conſentaneum rationi, ut pro carnali victu carnalia magis opera, & negotia exerceret, ne „ fieret invaſor rerum, aut inhoneſtaret miniſterium ſpirituale! . . . . . Univerſos denique in „ Ordinibus Eccleſiaſticis, ceteriſque ad Sanctuarium pertinentibus honorem quærentes proprium, „ aut divitias, ſeu corporis voluptatem, poſtremo quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, „ manifeſte prorſus, & indubitanter non ea, „ quæ Deus eſt, Caritas, ſed aliena a Deo, & „ omnium radix malorum cupiditas introducit. „ Quid iſtud temeritatis, immo quid inſaniæ eſt? „ Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? ubi „ gehennæ metus, & terribilis expectatio illa „ judicii "?

III. Accedunt non probati. Nullum profecto ſalubrius a Tridentina Synodo prodiit conſilium, atque mandatum, quam Seminariorum inſtitutio, & Clericorum Collegiorum erectio, in quibus ii admittantur, „ quorum indoles (verba ſunt ſacræ „ Synodi) & voluntas ſpem afferat, eos eccleſiaſticis miniſteriis perpetuo inſervituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo ſuo ſumptu alantur. Hos partim, cum ei opportunum videbitur, Eccleſiarum miniſterio addicet; partim in „ Collegio erudiendos retinebit . . . Grammatices, „ cantus, computi eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium diſciplinam diſcent: Sacram Scripturam, libros eccleſiaſticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad Confeſſiones audiendas videbuntur „ opportuna, & rituum, ac cæremoniarum formas „ ediſcent. Singulis diebus Miſſæ ſacrificio interſint, „ ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & juxta Confeſſoris judicium ſumant Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti; Cathedrali, & „ aliis loci Eccleſiis diebus feſtis inſerviant . . . . „ Dyſcolos, ac incorrigibiles, ac malorum morum ſeminatores acriter puniant, eos etiam, ſi „ opus fuerit, expellendo ". Verum hæc Clericorum Collegia vel non ubique habentur, vel ubi erecta ſunt, paucos nanciſcuntur alumnos ob inopiam, vel quia eam educationem declinant, quantum poſſunt, juniores Clerici. Quamobrem oportet, ut Epiſcopi juxta Apoſtoli monitum, nemini cito manum imponant; ſed eorum vitam, converſationem, exercitia, ſtudia, mores accurate perſcrutentur, & nonniſi pios, probos, a vitiis alienos, virtutum ſtudioſos admittant. Nam Apoſtoli verba expendens D. Joan. Chryſoſt. hom. 16. in epiſt. 1. ad Timoth. ſcribit: „ Non ex prima „ probatione, non ex ſecunda, nec tertia, ſed ubi „ conſideratio diuturna præceſſit, exactiſſimaque „ diſcuſſio. Tunc imponito manus. Neque enim „ ea res periculo caret: eorum, quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis, qui initium „ dediſti præcedentium delictorum ". Et merito, nam ſubdit S. Gregor. Nazianz. Orat. 1. „ Hic „ eſt rerum naturalis ordo. Purgari prius, deinde purgare, ſapientia inſtrui, atque ita denuo „ ſapientia alios inſtruere, lux fieri, & alios illuminare, ad Deum appropinquare, & ita alios „ deducere, ſanctificari, & poſtea ſanctificare ". Nec præterea ab hac vigilanti cura ceſſare debent, quando jam promoti ſunt, & in Sacerdotio jam conſtituti, ad miniſteria Eccleſiæ aſſumpti; ſed, ſi probi ſint, laudare, ad meliora chariſmata erigere. Si vero ſuſceptæ benedictionis miniſterium in ambitionis, vel avaritiæ, vel fœdioris criminis argumentum vertentes deprehenderint, a Sacerdotio, a ſacris miniſteriis ſubmoveant, arceant, repellant, ſententiam ab Innoc. III. cap. *A multis* extra. *de qualit. Ordinand.* jamdiu latam exequantur, jubente: *Erubeſcant impii, & intelligant judicio Spiritus Sancti, eos qui in Sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu ſunt poſiti, ſi non caſte, & ſancte vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate.*

IV. Accedunt non inſtructi. Nihil enim eſt, quod magis contemptibilem, perverſumque efficiat Clericum, quam ignorantia: nam in iſtis eſt fere ſemper cum iniquitate conjuncta. Nam ſcientia carentes, nec ſacra ſtudia amantes, otio marceſcunt, indigna ſuſcipiunt apud ſeculares miniſteria, mercaturæ operam navant, venationi, ludis, comeſſationibus tempus inſumunt. Quamobrem non minus ſunt a Clericali ſtatu repellendi ignari, quam improbi: „ Sicut enim (inquit S. Iſidorus

 „ Hiſ-

,, Hiſpalenſis lib. 3. ſent. cap. 35.) iniqui, & peccatores miniſterium Sacerdotale aſſequi prohibentur, ita indocti, & imperiti a tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis vitam bonorum corrumpunt; iſti vero ſua ignavia iniquos corrigere nequeunt. Quomodo docere poterunt, quod ipſi non didicerunt? Deſinat locum docendi ſuſcipere, qui neſcit docere. Ignorantia quippe Præſulum, vitæ non congruit ſubjectorum. *Cæcus enim ſi cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt* ". Et S. Bernardus in illa verba, *Ecce reliquimus omnia*, in hiſce ignavis nec divinam vocationem locum habere poſſe arbitratur, ſcribens: ,, Itaque hac dote ſcientiæ carens fruſtra ſibi, tanquam per Chriſtum introierit, blandiatur; ſiquidem dicitur ignoranti, *Si cæcus cæco* &c. ". Quamobrem merito Catechiſmus Romanus ſic nos inſtruit: ,, In Sacerdote non ſolum ea cognitio requirenda eſt, quæ ad Sacramentorum uſum, & tractationem pertinet, ſed etiam Sacrarum litterarum ſcientia inſtructum eſſe oportet, ut populo chriſtiano divinæ legis præcepta tradere, ad virtutem & pietatem incitare, a vitiis removere fideles poſſit ".

Non lætentur igitur Eccleſiæ Præſules de Clericorum numero, ſed de eorum vocatione, probatione, doctrina ſint ſolliciti: Quia, ut eos monet Gelaſius I. Epiſt. ad Lucaniæ Epiſcopos: ,, Convenientia Eccleſiæ miniſteria reparanda ſunt, non inconvenientibus meritis ingerenda . . . . ne per occaſionem ſupplendæ penuriæ Clericalis, vitia potius divinis cultibus intuliſſe, non legitimæ familiæ Domini putemur procuraſſe compendia.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE SACRIS ORDINIBUS SINGILLATIM.

CAPUT PRIMUM.

De Tonſura, & minoribus Ordinibus.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit prima Tonſura.*
II. *Quibus conferenda.*
III. *Quibus gaudeant privilegiis Tonſurati.*
IV. *In quo examinandi.*
V. *Minorum Ordinum inſtitutio antiquiſſima.*
VI. *Oſtiarii munia, & officia.*
VII. *Quid ſit Lectoratus, & ejus officia.*
VIII. *Quid ſit Exorciſtatus.*
IX. *Quid Acolythatus.*
X. *Quænam ſcientia in Ordinandis requiratur.*

I. TAmetſi non deſint Canoniſtæ, inter quos & Covarruvias, & Proſper Fagnanus, qui Tonſuram inter Ordines enumerant; communior tamen, & verior ſententia eſt, non eſſe inter Ordines recenſendam, cum nullam conferat poteſtatem, nullum imprimat characterem, ſed præparationem ad eorum ſuſceptionem eſſe, ſitam in cæremonia quadam eccleſiaſtica, per quam homo laicus, baptizatus, & Confirmatione roboratus in Clerum adſcribitur. Hinc Epiſcopus, qui alterius Epiſcopi ſubdito primam Tonſuram conferret, ſuſpenſionem non incurreret, indictam a Tridentino ſeſſ. 23. cap. 8. contra Ordinantes alienum ſubditum, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii. In prima Tonſura tonduntur capilli in modum coronæ, quam, inquit Catechiſmus Romanus, „ perpetuo conſervare oportet, & ex traditione deſcendit Apoſtolorum, quorum Princeps eam induxit conſuetudinem ad memoriam coronæ, quæ ex ſpinis contexta Salvatoris noſtri capiti fuit impoſita “. Ex tunc Clericus audit, deducto inde vocabulo, quod Dominum ſortem, & hæreditatem ſuam habere incipiat. Unde Tonſuratus cum Epiſcopo dicit: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Induitur vero ſuperpelliceo albo, & mundo, quo deſignatur morum integritas, & vitæ candor, dicente Epiſcopo: *Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.*

II. Prima Tonſura donandi non ſunt, juxta Tridentina Decreta, niſi qui 1. rudimenta fidei edocti ſunt. 2. Qui Confirmationis ſuſceperint Sacramentum. 3. Qui legere, & ſcribere ſciant. 4. Quos conſtet, Clericalem ſtatum elegiſſe, ut Deo fidelem cultum præſtent. Non eſt igitur danda prima Tonſura, niſi uſum rationis adeptis, proinde non ante ſeptennium. Peccant, qui Tonſuram recipiunt non ſuſcepto Confirmationis Sacramento, ut ſuperius vidimus. Sicut pariter peccant qui Tonſuram petunt, & accipiunt ſine animo in ſtatu Clericali perſeverandi; ſed vel ut Beneficium obtineant, vel forum declinent, parati poſtea, cum opportunum ſibi, & utile exiſtimaverint, Beneficio renuntiare, & ad nuptias convolare. Non quia id non poſſent urgente neceſſitate, vel juſta cauſa præſtare; ſed quia „ hoc animo, & mente primam Tonſuram recipientes, inquit Hallerius ſect. 2. cap. 3. Epiſcopalem benedictionem ad profanum vel lucrum, vel ambitionem convertunt, Eccleſiæ expectationem fruſtrantur, myſticum ſacræ cæremoniæ ſenſum evertunt, mendacii eccleſiaſtica, quæ in Tonſuræ collatione funduntur, verba preceſque arguunt, & Clericalem profeſſionem temere ementiuntur “. Immo graviter peccare hos docent, ſi ea mente cum prima Tonſura Beneficium etiam ſimplex accipiunt. Ita docet Toletus lib. 5. cap. 5. n. 5. ſcribens: „ Peccaret quidem mortaliter, qui animo ducendi uxorem retineret Beneficium aliquod “. Et confirmat Sylvius 2. 2. q. 63. artic. 2. q. 2. „ Qui vel Capellaniam, vel Canonicatum, vel alia beneficia recipiunt, & poſſident, ut eorum fructibus alantur, donec ſtudia abſolverint, aut donec uxorem ſibi convenientem invenerint, poſtea dimiſſuri, peccant mortaliter, & obligati ſunt vel ſtatim relinquere, vel propoſitum habere vivendi more Clericorum “.

III. In Clerum per Tonſuram adſcriptus fruitur hiſce privilegiis, nimirum 1. Fori, & Canonis. 2. Capax efficitur penſionis, & beneficii eccleſiaſtici, & ubi etiam legibus civilibus conceſſum eſt, a quibuſdam tributis, & vectigalibus fit immunis. Ut tamen primo fruantur privilegio debent habitum, & Tonſuram clericalem deferre. Ut ſecundo gaudeant, neceſſaria eſt ætas quatuordecim annorum ex ſtatuto Concilii Tridentini, ut diximus in Tract. de Benef. Verum hæc conſtituta a Tridentino diſciplina non ubique viget. Nam in Gallia & ſeptennes Clerici Tonſura donati aliquorum habentur Beneficiorum capaces. In Hiſpaniis vero ſaltem ea poſſunt obtinere beneficia, ad quæ vocantur Clerici (ut dicunt) *de parentela*, vel quæ a Laicis Patronis conferuntur. Eamdem requiri ætatem tam pro penſionibus, quam pro Beneficiis, Barboſa in hunc Tridentini locum num. 9. a Sacra Congregatione declaratum affirmat. Quoad 3. vero peccant Clerici, qui publica defraudant vectigalia, ubi illis a Principibus temporalibus hoc non conceditur privilegium.

IV. Nec ſine aliquo petentis Tonſuram examine eſt illi conferenda. Quandoquidem ea ſaltem ſunt expendenda, quæ Tridentina Synodus poſtulat in Laico, ut Clericus fiat; nimirum, num fidei rudimenta ſciat; num legere noverit, & ſcribere; qua voluntate, mente, & intentione Clericalem eligat ſtatum; num animum habeat in eo permanendi. Præterea interrogandus, an ſciat, quid ſit Clericalis Tonſura, quas ſecum ferat obligationes, & præſertim deferendi Clericalem habitum, & coronam, juxta quidem eorum captum; ita

tamen ut non more pecudum ſe manibus Tonſoris tradant.

V. Minorum Ordinum nulla licet habeatur mentio ſive in Actis Apoſtolorum, ſive in canonicis Epiſtolis, ſive in priorum ſeculorum monumentis, ea fortaſſis ratione, quam affert D. Thom. hic q. 37. art. 2. ad 2. *Quod in primitiva Eccleſia propter miniſtrorum paucitatem, omnia inferiora miniſteria committebantur Diaconis*; antiquiſſimi tamen ſunt: nam circa medium tertii ſæculi S. Cornelius in epiſt. ad Felicem Antiochenum recenſet in Eccleſia Romana Presbyteros quatuor & quadraginta, Exorciſtas, Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos. Immo Tertullianus ejuſdem ſeculi initio de Præſcript. hæret. cap. 41. Acolythorum meminit. Fatendum tamen apud Græcos unum tantum reperiri Lectoratum, non quia cetera minorum Ordinum munia non agnoſcant; ſed quia partim ea Lectori, partim Subdiacono tribuunt.

VI. Quatuor itaque ſunt Minores Ordines, quos Cornelius recenſet, ſed ordine inverſo a ſuperiori incipiens. At primus, qui poſt Tonſuram confertur, eſt Oſtiariatus, in quo datur poteſtas ordinato aperiendi, & claudendi oſtia Eccleſiæ. Materia proinde hujus Ordinis ſunt Claves Eccleſiæ, quæ accipiendæ, & tangendæ traduntur Ordinato, qui poſtea ab Archidiacono ducitur ad oſtium Eccleſiæ, quod aperire, & claudere jubet. Forma vero verba ſunt, quæ Epiſcopus profert in Clavium traditione, dicens: *Sic age, quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his Clavibus continentur*. Miniſteria vero, & munia Oſtiarii indicat S. Th. hic q. 37. art. 2. ſcribens: „ Quidam ſunt omnino infideles, credere nolentes, & hi totaliter etiam a viſione divinorum, & a cœtu fidelium arcendi ſunt; & hoc pertinet ad Oſtiarios “. Fuſius vero enumerat, & explicat D. Carolus in ſuo Mediolanen. Concil. I. Tit. de Oſtiario docens: „ Oſtiarius fores Eccleſiæ cuſtodiat: Eccleſiam ſuo tempore claudat, & aperiat. Infideles, hæreticos, & excommunicatos, & alios, quibus jure interdictum eſt, ab Eccleſia arceat, & ejiciat, nec populum pro pius ad Sacerdotem rem divinam facientem accedere patiatur. Campanas pulſet. In Eccleſia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliave ratione divina officia perturbantes, & quovis modo indecore, & irreverenter ſe habentes moneat, ſi pertinaces ſint, expellat, aut ad Superiorem deferat, Mendicantes excludat. Eccleſiam verrendam curet. Bruta denique, caneſque expellat, quidquidve in Eccleſia dedeceat, amoveat “.

VII. Subſequitur Lectoratus Ordo, in quo confertur poteſtas legendi in Eccleſia Sacræ Scripturæ libros: ejus proinde materia eſt ſacer Codex, quem tangere debet: forma ſunt verba Epiſcopi in Libri traditione dicentis: *Accipe, & eſto Dei relator, habiturus, ſi fideliter, & utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene adminiſtraverunt ab initio*. Eccleſia Græca, quæ, ut diximus, hunc ſolum admittit Ordinem minorem, pro materia utitur manus impoſitione, & pro forma, adjuncta illi oratione. Lectoris officia in Eccleſia Latina ſunt legere Scripturas, præſertim veteris Teſtamenti, ſeu alias, quas illi Epiſcopus per concionem explicaturus juſſerit; & præterea, ut notat Catechiſmus Concilii Tridentini, ad eum pertinet & rudimenta Fidei Catechumenis tradere. Quare ſic munia Lectoris explicat D. Thom. l. l. ſcribens: „ Quidam ſunt volentes credere, ſed nondum inſtructi, ſcilicet Catechumeni; & ad horum inſtructionem ordinatur Ordo Lectorum: & ideo prima rudimenta doctrinæ fidei, ſcilicet vetus Teſtamentum, eis legendum committitur “. Addit Epiſcopus in Lectorum ordinatione, ad ipſos pertinere benedictionem panis, & novorum fructuum, quæ tamen benedictio in præſenti diſciplina a ſolis Presbyteris peragitur. Ampliora ſunt penes Græcos Lectoris munia; nam epiſtolam in Miſſa canit, quod in Eccleſia Latina Subdiaconis reſervatur; oblationes, vinum, & aquam Sacerdoti celebranti offert; Cereos ad Sacrificium in Altari accendit; ipſumque præcedit cum luminari ferentem ſacra Myſteria in magno (ut inquiunt) introitu.

VIII. Tertio loco habetur Exorciſtarum Ordo, in quo Ordinato poteſtas confertur invocandi nomen Domini ſuper energumenos, & eos etiam ab obſeſſione liberandi; proinde hujus Ordinis materia conſiſtit in traditione libri Exorciſmorum, vel, ut habetur in Pontificali, Miſſalis, vel Pontificalis ab ordinato tangendi: & forma in verbis traditionem comitantibus, ſcilicet: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive Baptizatos, ſive Catechumenos*. Illius itaque præcipuum munus eſt exorcizare obſeſſos a Dæmone; præterea indicere populo in Sacrificio, ut qui non communicant, dent locum; Parocho inſervire in Baptiſmi adminiſtratione, & præcipue in Exorciſmis, qui in illo fiunt Sacramento; curare, ne aqua benedicta deficiat. De Exorciſtarum miniſterio ſcribit S. Thom. l. l. „ Quidam vero ſunt fideles, & inſtructi, ſed impedimentum habentes ex Dæmonis poteſtate, ſcilicet energumeni: & ad hoc miniſterium eſt Ordo Exorciſtarum “. Quoad principale tamen munus exorcizandi, animadvertendum, 1. non incongruum fore, ſi hoc exerceatur etiam a junioribus Clericis in hoc Ordine conſtitutis, & morum innocentia, ac pietate conſpicuis, probeque inſtructis ad majorem Satanæ confuſionem, & dejectionem. 2. In præſenti tamen diſciplina reſervari hoc munus Presbyteris, & quidem non omnibus, ſed ad hoc delectis ab Epiſcopo; cum hoc officium nedum poteſtatem Ordinis poſtulet, ſed & juriſdictionis in obſeſſos adjurandos. Plurima ſuggerit in hoc difficili miniſterio & cavenda, & obſervanda S. Carolus Borromæus in ſuis Conciliis I. & IV. opportune ab Exorciſtis legenda, & fideliter obſervanda.

IX. Succedit ultimo, & nobiliori loco Acolythatus, quo datur Ordinato poteſtas miniſtrandi Subdiacono, & Diacono in Sacrificio. Duplex in ejus Ordinatione adhibetur materia, nimirum ceroferarii cum cereo traditio, quæ fit ab Epiſcopo, & tangitur a Clerico; altera conſiſtit in traditione urceoli vacui, quæ olim fiebat ab Archidiacono, ſed modo, ex Romano Pontificali, eſt ab ipſo Epiſcopo præſtanda. In traditione ceroferarii hæc profert verba formæ: *Accipe Ceroferarium cum cereo, & ſcias te ad accendenda Eccleſiæ luminaria man-*

mancipari in nomine Domini. In traditione autem urceoli vacui hanc profert formam: *Accipe urceolum ad ingerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti*. Porro in hiſce formis indicantur Acolythorum miniſteria, ſcilicet ſuperioribus miniſtris, ut diximus, inſervire, cereos accendere, & deferre, præſertim dum a Diacono legitur Evangelium, unde & ceroferarii dicti ſunt; aquam, & vinum pro Sacrificio præparare, & Diacono, ac Subdiacono porrigere: olim etiam ſacram Euchariſtiam ad Titulos Eccleſiæ Romæ deferebant.

X. Ad minores Ordines promovendi præter ea, quæ diximus de prima Tonſura, debent etiam linguam latinam intelligere, & talem præferre ſcientiæ ſpecimen, per quod ſe oſtendant, & ſpem faciant aliquando idoneos futuros ad ſacros Ordines ſuſcipiendos. Et primo quidem quoad latinæ linguæ intelligentiam, hanc abſolute requirit in promovendis ad Ordines Minores Tridentinum jubens, *Minores Ordines iis, qui ſaltem linguam latinam intelligant, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur*. Non eſt itaque in arbitrio Epiſcopi in hoc diſpenſare, & conferre Ordines minores linguam latinam non intelligentibus, licet ſpes ſit, ab illis poſtea addiſcendam; cum id abſolute requiratur a Concilio: nec verba illa, *ſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur*, ſunt huic conditioni applicanda, ſed poſteriori ſcilicet *per interſtitia*, a quibus diſpenſare poſſunt Epiſcopi, ut obſervavit Lambertinus in ſua Inſtruct. 42. num. 2. Quoad ſcientiam vero requiritur, ut noverint, quænam ſit Ordinum materia, quænam forma, quænam ſingulorum Ordinum munia, & miniſteria. Præterea de profectu in ſtudiis ſunt examinandi, unde appareat & ingenii acies, & amor proficiendi, ex quibus juxta Tridentinum ſpes concipiatur aptitudinis ad Ordines majores ſuo tempore ſuſcipiendos.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Qui ſine animo Clericalem ſtatum amplectendi Beneficium obtinet, fructus ſuos non facit.*
II. *Epiſcopus Tonſuram in alieno territorio, vel alterius ſubdito conferre non poteſt.*
III. *Quid agendum cum Græco Clerico ad Latinum ritum tranſeunte.*

Conſectarium Primum.

I. QUi primam Tonſuram, vel minores Ordines ſuſcipiunt ſine animo clericalem ſtatum amplectendi, ſed ſolum ad Beneficium obtinendum, fructus perceptos reſtituere tenentur. Veritas hujus doctrinæ conſtat ex iis, quæ diximus cap. præced. nu. 2. ubi ex Sylvio oſtendimus, hujuſmodi teneri vel mentem mutare, vel Beneficio renunciare, cum fraudulenter illud ſibi uſurpent, Eccleſiam mendacio fallendo. Et revera ita definivit Bonifac. VIII. cap. 35. de Electione in 6. decernens: „ Ceterum ſi promoveri ad Sacerdotium non intendens, Parœcialem receperis „ Eccleſiam, ut fructus ex ea per annum percipias, „ ipſam poſtmodum dimiſſurus (niſi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad fructuum eorumdem reſtitutionem, cum eos receperis fraudulenter “. Quæ profecto fraus non tam reperitur in acceptante Parœciam ſine animo recipiendi Presbyteratum, ſed ſola intentione obtinendi fructus per annum, quam in quocumque alio acceptante quodcumque beneficium ad percipiendos etiam per plures annos illius fructus ſine animo ſtatum Clericalem amplectendi, ſed opportune ab eo recedendi. Immo illud nec in alterius favorem reſignare licite poteſt: quia collatio beneficii fuit quidem valida reſpectu conferentis, ſed illicita reſpectu recipientis, qui proinde legitimus non eſt poſſeſſor; reſignare autem Beneficium conceſſum eſt quidem legitimo poſſeſſori, at non fraudulento; qui ſi licite reſignare poſſet, fructum aliquem ex ſua fraude reportaret, & dolus illi patrocinaretur contra juris compertam regulam: fraus, & dolus nemini patrocinatur.

Conſectarium Secundum.

II. Non fas eſt Epiſcopis in aliena Diœceſi, vel alieno ſubdito Tonſuram dare. Primam partem docet Barboſa in ſeſſ. 6. Concil. Trident. cap. 5. de Reformat. cap. 9. quia licet Ordo non ſit, unde eam conferens aut in aliena Diœceſi, vel alieno ſubdito, non incurrat ſuſpenſionem; eſt tamen actus juriſdictionis Epiſcopalis in alieno territorio non exercendæ. Altera vero pars eſt manifeſta: quia & antiquis, & recentioribus canonibus vetitum eſt, alienum ſubditum in Clerum adſcribere, ut vidimus cap. 3. num. 3. & cap. 4. conſectar. 1. Et in hoc conveniunt Theologi, & Canoniſtæ; ſed diſſentiunt, num valida ſit Tonſura alieno ſubdito ab Epiſcopo data. Sunt, qui putant a proprio Epiſcopo iterum dandam; ita Sambovius, & Collector Andegavenſis. Sunt, qui putant ſatis eſſe, ſi eam ratam habeat Ordinarius. Rabuſſus *in Praxi* Tit. de Lit. Dimiſſ. tutius ſentit: „ Si quis „ a non ſuo Epiſcopo Tonſuram aſſumpſerit ſine „ litteris dimiſſoriis, cautela eſt, ut impetret litteras *perinde valere* a Papa, ut illa Tonſura „ perinde valeat, ac ſi data, & conceſſa a ſuo „ fuiſſet Epiſcopo; & hoc antequam alios ſumat „ Ordines “.

Conſectarium Tertium.

III. Cum in Eccleſia Græca unus tantum habeatur Ordo minor, nempe Lectoratus, ut diximus; optime ſanxit Bened. XIV. in ſua Conſtitut. *Etſi Paſtoralis* num. 7. ut, ſi contingat Græcum Clericum poſt ſuſceptum Lectoratum Apoſtolicæ Sedis conceſſione tranſire ad ritum Latinum, antequam ad Subdiaconatum promoveatur, tres minores Ordines omiſſos debeat ritu latino ſuſcipere: ſi vero præter Lectoris Ordinem, ad Subdiaconatum etiam ritu Græco aſcenderit, & ex diſpenſatione Apoſtolica facultas illi facta ſit ceteros Ordines Latino ritu ſuſcipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorciſtatum tantum ſupplere cogitur; cum per Subdiaconatum ritu græco collatum, Acolythatum, & Oſtiariatum recepiſſe cenſeatur.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Subdiaconatu, ejuſque oneribus.

DOCTRINA.

I. *Subdiaconatus antiqua inſtitutio.*
II. *Ejus materia, & forma tum apud Latinos, tum apud Græcos.*
III. *Officia, & miniſteria.*
IV. *Lex continentiæ indicitur Subdiaconis.*
V. *Et onus recitandi Horas Canonicas.*
VI. *Quænam in illis ſcientia requiratur.*

I. SUbdiaconatus Ordinem antiquum eſſe, & vetuſtiſſimum patet ex teſtimoniis, quæ ſuperius attulimus cap. 1. num. 5. ex Tertulliano & Sancto Cornelio. Non tamen ſemper inter majores, & ſacros connumeratus, nec illi ſemper conjuncta caſtitatis lex. Sunt, qui ejus inter majores Ordines cooptationem Innocent. III. attribuunt. Et revera Petrus Cantor, qui XII. ſeculo florebat, ſcribit: *De novo inſtitutum eſt, Subdiaconatum eſſe ſacrum Ordinem.* Sacer autem dicitur hic Ordo, ſicut & ceteri ſuperiores, non quaſi minores Ordines ſacri non ſint; ſed, inquit S. Thom. hic q. 37. art. 3. „ ratione materiæ, „ circa quam habent aliquem actum: & ſic Ordo „ ſacer dicitur, qui habet aliquem actum circa „ materiam conſecratam. Et ſic ſunt tantum tres „ Ordines ſacri, ſcilicet Sacerdotium, & Diaco„ natus, qui habent actum circa Corpus Chriſti, „ & Sanguinem conſecratum, & Subdiacona„ tus, qui habet actum circa vaſa conſecrata: „ & ideo eis continentia indicitur, ut ſancti, & „ mundi ſint, qui ſancta tractant “. Antequam tamen inter ſacros Ordines connumeraretur, erat Subdiaconis indicta lex caſtitatis, ut patet ex S. Greg. Papæ lib. 1. epiſt. 42. jubente: *Nullum facere Subdiaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe caſte victurum promiſerit.*

II. Subdiaconatus materia duplex eſt, nimirum traditio Patenæ, & Calicis vacui ab Epiſcopo facta, & urceolorum cum vino, & aqua, ac linteoli, quo manus abſterguntur, ab Archidiacono, ut intelligat Subdiaconus Diacono miniſtrare debere. Inſtrumentorum autem traditione ordinatur, quia manuum impoſitionem non accipit. Forma vero ſunt verba, quæ profert Epiſcopus ſacra vaſa tradens: *Videte, cujus miniſterium vobis traditur: ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis.* Alia autem materia, quæ ſaltem integralis habenda eſt, eſt traditio Libri Epiſtolarum, quem dextera tangere debent Ordinati, dum Epiſcopus aliam profert formam: *Accipite Librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia Sancta Dei tam pro vivis, quam pro Defunctis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Græci vero Ordinandi caput obſignant, eique manum imponentes orationem recitant, qua Deum precantur, ut ſervum ſuum irreprehenſibilem reddat ... & per ejus gratiam amet decorem Domus Dei, ut aſſiſtat foribus Templi &c. Deinde Pontifex mantile accipiens ſiniſtro humero imponit, & vas illi præbet ad infundendam aquam pro manuum lotione.

III. Subdiaconi munia ſunt, Diacono miniſtrare, illique Calicem, & Patenam in uſum Sacrificii offerre, Epiſtolam canere, aquam ad miniſterium Altaris præparare, oblationes, quæ ad Altare offeruntur, ſuſcipere, & ex iis, quantum ſufficit, in Altari ponere, pallas Altaris, & corporalia abluere, & cavere, ne quid immundum in Sacrario remaneat. Habet ſuas peculiares veſtes, quibus ab Epiſcopo induitur, videlicet Amictum, Manipulum, & Tunicam. De lectione tamen Epiſtolæ nulla mentio in antiquis Ordinationum Ritualibus, nec apud antiquiores Rerum Liturgicarum Scriptores: & ideo traditionem Libri Epiſtolarum cum ſubjunctis ab Epiſcopo verbis, integralem potius dixi, quam eſſentialem; nullo modo tamen omittendam, immo caſu aliquo omiſſam, omnino ſupplendam.

IV. Indicitur Subdiaconis in Eccleſia Latina lex continentiæ. Nam illis aperte proteſtatur Pontifex, *hactenus liberos fuiſſe, at poſtmodum non amplius illis licere a propoſito caſtitatis reſilire, ſed Dei perpetuo mancipari ſervitio, & in Eccleſiæ miniſterio eſſe dicatos.* Hanc legem illis a VI. ſeculo indictam vidimus ex S. Gregorio, & quidem jure Eccleſiaſtico, ut indicavit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. can. 9. definiens: „ Si quis dixerit, „ Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos poſſe „ Matrimonium contrahere ..... *non obſtante le-* „ *ge Eccleſiaſtica* ..... anathema ſit “. Sed ad Apoſtolorum ætatem revocanda eſt, cum Patres, & Concilia continentiæ inſtitutionem ipſis tribuant Apoſtolis. Unde Concilium Carthag. II. dicit: *Legem continentiæ Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit Antiquitas.* Et S. Epiph. hær. 48. eam ab Apoſtolis *honeſte, & religioſe inſtitutam* pronuntiat.

V. Additur Subdiaconis, & aliud onus, ſcilicet Horas Canonicas perſolvendi; licet nec ullum obtineant Eccleſiaſticum Beneficium, nec ſint ullius Eccleſiæ ſervitio mancipati, ut oſtendimus in Tr. de Præcept. Decal. Diſſ. 2. cap. 4. n. 5. Hic addimus, hoc onus incipere a primo die, & hora ſuſcepti Ordinis Subdiaconatus. Quamobrem Subdiaconus illas tenetur recitare horas, quæ juxta tempora ſuæ correſpondent ordinationi; proinde a Tertia, vel Sexta, aut Nona incipere debet. De modo autem pio, & religioſo hoc penſum perſolvendi fuſe loc. cit. diximus.

VI. Præter ætatem viginti & duorum annorum a Trid. Synodo conſtitutam, ut diximus, requiritur in Subdiacono ſcientia ſuo Ordini congrua. Et quidem 1. requiritur, ut ea omnia noverit, & probe calleat, quæ ad ejus Ordinem, & miniſteria pertinent, nec non modum recitandi Divinum Officium. 2. Ut in ſtudiis quoque ſe profeciſſe oſtendat, linguam latinam bene intelligat, Theologiæ, aut juris Canonici, necnon & Philoſophiæ aliquam operam dederit, & aliquam ſit aſſecutus illorum notitiam, juxta Epiſcoporum conſtitutas ordinationes, & Decreta, quibus Clerici obtemperare tenentur. Sciunt enim, & optime norunt Epiſcopi, ſcientiam eſſe Clericis omnino neceſſariam, & pluribus canonum Decretis vetitum, ne illitterati ad ordines promoveantur. Nam Can. *Præcipimus*, Diſtinct. 34. indicitur: „ Illitteratos nullus præſumat ad Clericatus Ordinem promovere; quia litteris carens, ſacris non

„ pot-

„ poteſt eſſe aptus officiis “. Et Can. *Priſcis* Diſt. 5. „ Inſcii litterarum ad Sacros Ordines aſpirare non audeant.

CAPUT QUARTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Subdiaconi ad ſervandam continentiam ex voto obſtringuntur.*
II. *Non qui ante uſum rationis, vel ex metu gravi Subdiaconatum ſuſceperunt, lege continentiæ obſtringantur.*
III. *Quid agendum cum Clerico in carnali vitio habituato, & Subdiaconatum appetente.*

Conſectarium Primum.

I. SUbdiaconi ad continentiam ſervandam ex voto obſtringuntur. Lex ſiquidem Eccleſiæ eos ad tale emittendum votum obſtringit; quod revera licet expreſſe in ipſa Ordinatione non pronuntient, implicite tamen emittere intelliguntur ex eo, quod Sacram recipiunt Ordinationem. Ita expreſſe docent Patres. Sanctus Gregorius lib. 1. epiſt. 42. Nullum facere Diaconum (modo & Subdiaconum) præſumant Epiſcopi, niſi ſe victurum caſte promiſerit. Et Alexand. III. Cap. *Sine* de Cleric. Conjug. lib. 3. Tit. 2. *Niſi qui caſtitatem voverit perpetuam*. Et longe ante Synodi Ancyr. can. 9. dicitur: *Quicumque tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem profeſſi continentiam*. Confirmat S. Th. hic q. 53. art. 3. ſcribens: „Ordo Sacer de ſui ratione habet ex quadam congruentia, quod Matrimonium impedire debeat; quia in Sacris Ordinibus conſtituti ſacra vaſa, & Sacramenta tractant .... Sed quod impediat Matrimonium, ex inſtitutione Eccleſiæ habet: tamen aliter apud Latinos, quam apud Græcos; quia apud Græcos impedit Matrimonium contrahendum ſolum ex vi Ordinis. Sed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & ulterius *ex voto continentiæ*, quod eſt Ordinibus Sacris annexum: quod etiamſi quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipſo tamen quod Ordinem ſuſcipit, ſecundum ritum Occidentalis Eccleſiæ, intelligitur emiſiſſe “. Paria habet & 1. 2. q. 73. artic. 10. Hinc ſi quis fraudulenter Subdiaconatum recipiens, interius expreſſe renueret, ac votum caſtitatis profecto nec in ſe explicite, nec virtualiter in ipſa Ordinatione emitteret, nihilominus & peccaret graviter Eccleſiam fallendo, & ſi contra caſtitatem peccaret, Sacrilegium committeret; cum, ut docet S. Thom. teneatur ad caſtitatem non ſolum ex voto continentiæ, ſed *ex vi Ordinis*, ſcilicet conſecrationis ſuæ, & dedicationis ſuæ Deo factæ in ſuſcipiendo Subdiaconatum: violaret itaque rem ſacram, corpus ſcilicet ſuum, Deo per Ordinationem conſecratum; proinde ſacrilegio pollueretur. Præterea nonne peccaret contra Religionem præceptum Eccleſiæ in materia ad Religionem ſpectante violando? Sacrilegium ergo committeret: ſicut qui jurat falſum animo non jurandi, perjurium committit; licet non juret formaliter, quia legem juramenti violat. Non tamen abſolvendus, niſi expreſſe ſe voto caſtitatis obſtringeret.

Conſectarium ſecundum.

II. Qui ante uſum rationis, vel etiam ante pubertatem Subdiaconatum recepere, non cenſentur adſtricti lege continentiæ, & eccleſiaſtico addicti ſtatui, niſi poſt ſextumdecimum annum, ſuam Ordinationem vel tacite, vel expreſſe ratam habuerint. Qui vero ex metu cadente in virum conſtantem opportuno tempore ad Subdiaconatum promoti fuerunt, voto continentiæ obligantur; & addicti ſtatui Eccleſiaſtico cenſentur, donec a Sancta Sede impetraverint diſpenſationem. Prima pars confirmatur a Benedicto XIV. in Bulla 129. incipiente, *Eo quamvis tempore*, ubi §. 20. & ſeq. poſtquam docuit, Ordinationes collatas ante uſum rationis, vel ante pubertatem, validas eſſe habendas, ſubdit: „ Æque tamen certum eſt, & exploratum, per hanc Ordinum collationem non taliter promotos obligationi ſervandæ caſtitatis, nec iis oneribus ab Eccleſia impoſitis teneri; cum electio ſtatus a libera cujuſque pendeat voluntate, & Altiſſimo noſtra, non aliena, vota reddere teneamur “. Deinde ſubdit, obſoletam illam veterem Eccleſiæ Diſciplinam, qua coacte, & per vim promotus ad Sacerdotium, & Epiſcopatum duro ſubjiciebatur jugo ſervitutis, & obſervationis onerum, & legum cuicumque Ordini impoſitorum; ſicut & conſuetudinem, quæ viguit uſque ad duodecimum ſeculum, qua conſueverunt parentes Filios devovere, & Divino famulatui mancipare, perpetuo vetito egreſſu a ſeptis Monachorum: quam legem dicit abrogatam Clementis III. & Cœleſtini III., nec non Tridentinæ Synodi decretis. Expendendam itaque docet ordinati voluntatem, qui ſi ratam habeat, vel habuerit Ordinationem ſuam, ejus miniſteria exercendo, & poſt decimum ſextum annum onera ſubeundo, teneri cenſeatur legibus continentiæ, & ceteris oneribus; non tamen poterit in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, donec aſſignatam a Tridentino attingat ætatem. Si vero recuſet, vel recuſaverit, & ſtatum Clericalem rejiciat, ſuæ relinquendus eſt libertati. Legatur præfata Bulla. Quoad alteram vero partem diſtinguendum puto, nimirum qui per metum ſuſcepit Ordinationem, vel de violentia ſibi impacta proteſtatus eſt, vel ante, vel in ipſa Ordinatione; & tunc non ſubjicitur legibus Ordinis eccleſiaſtici ſibi per vim impoſiti, juxta illud quod docet laud. Pontifex n. 21. vel ſiluit, & ſe Ordinationi ſubjecit; & tunc eum obſtrictum putamus; quia talis metus non tollit ſimpliciter voluntarium, ſed minuit; proinde continentia eſt abſolute illi voluntaria. Quod tamen efficit, ut facilius poſſit a ſuſcepto voto Pontificia auctoritate liberari. Id confirmat & praxis Romanæ Sedis, a qua quicumque, obtentu Subdiaconatus accepti, vel ante uſum rationis, vel ex metu gravi, facultatem petunt a Clericali ſtatu recedendi, diſpenſationem obtinent a lege continentiæ. Qui plura cupiunt, legant binas magiſtrales Deciſiones Cæſaris de Graſſis Tit. de his, quæ vi, metuſque cauſa fiunt.

Conſectarium Tertium.

III. Clerico recidivo, & conſuetudinario in peccato carnis non eſt concedendum a pio, & ſtudioſo

dioſo Confeſſario, ut Sacrum Ordinem ſuſcipiat; licet fortaſſis ea etiam exhibeat pœnitentiæ ſigna, vi quorum poſſit abſolvi. Et quidem ex his, quæ diximus de Sacramento Pœnitentiæ conſtat hiſce recidivis, & conſuetudinariis non eſſe concedendam abſolutionem, niſi diuturna probatione de eorum conſtet emendatione, non verbis, & promiſſis, ſed opere exhibita. At hic loquimur de Clerico, qui jam habitum, & conſuetudinem peccandi contra caſtitatem contraxit, & tamen Sacrum Subdiaconatus Ordinem recipere eſt paratus; & hunc dicimus a pio, & ſtudioſo Confeſſario eſſe expellendum, nec illi concedendam ullo pacto abſolutionem, niſi a propoſito recedat, & prius conetur pravum habitum deponere, & revera multo ſtudio, labore, debitis adhibitis remediis, precibus, & carnis caſtigatione vel omnino abſtulerit, vel quam plurimum imminuerit. Et ratio eſt ſatis perſpicua: quandoquidem hic manifeſto ſe exponit periculo innumera perpetrandi ſacrilegia, & ſacrorum miniſteriorum profanationes. Addimus, licet talia exhiberet ſigna pœnitentiæ, quæ prudentem movere poſſent (quod tamen raro contingere credo) Confeſſarium ad illum pro ea vice abſolvendum. Etenim ad Sacros Ordines ſuſcipiendos non ſufficit, ut quis de peccatis ſerio doleat, vere pœniteat, firmum concipiat emendationis propoſitum; ſed requiritur, ut in re, & in facto ſit vitioſis habitibus expoliatus, quod crimina re, & facto diluerit prorſus, & aboleverit. Audiatur D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 1. ad 3. „ Ordines „ Sacri præexigunt ſanctitatem . . . . . unde pondus Ordinum imponendum parietibus jam per „ ſanctitatem deficcatis, ideſt *ab humore vitiorum* “. Præterea in Clericis major requiritur probitas quam in Laicis, etiam vere pœnitentibus, ut ſubdit laud. Sanct. Thom. „ Sicut illi, „ qui Ordinem ſuſcipiunt, ſuper Plebem conſtituuntur gradu Ordinis; ita & ſuperiores ſunt in „ merito ſanctitatis “. Immo Sanctus Doctor majorem requirit in Clericis ad Sacrum Ordinem promovendis pietatem, & ſanctitatem quam in piis Religioſis. Unde ſubdit 2. 2. q. 184. art. 8. „ Quia „ per Sacrum Ordinem aliquis deputatur ad digniſſima miniſteria, quibus ipſi Chriſto ſervitur „ in Sacramento Altaris, ad quod requiritur major ſanctitas interior, quam requirat Religionis „ ſtatus “. Et revera Pontifices in Ordinandis probatam exigunt continentiam. Nam ſcribit Siricius Papa epiſt. 1. cap. 9. „ Ad Diaconi gradum, ſi ſe *ipſa continentia præeunte* probavit ... „ accedat “. Et Sanctus Gregorius Magnus lib. 1. epiſt. 42. „ Nullus debet ad miniſterium Altaris accedere, niſi ejus caſtitas *ante ſuſceptum* „ *miniſterium* fuerit approbata “. Quomodo autem hæc convenire poſſint Clerico libidine fœdato, immo in ea prava conſuetudine fœtente, quiſque jam perſpicit. Legatur hac de re piiſſimus Ligorius, benigniſſimus alioquin Theologus Probabiliſta, qui hanc doctrinam tum in ſua Theologia Morali, tum in peculiari Diſſertatione oſtendit, confirmavit, ac in bono lumine poſuit. Excipit quidem ille caſum, nimirum ſi contingat, quempiam tanta, & tam extraordinaria a Deo donari vehementi pœnitentia, ut ſtatim omnis ejus ſublata appareat infirmitas, & prava conſuetudo, & mutatus in alium hominem, juxta S. Thom. doctrinam: *quandoque tanta commotione convertit Deus cor hominis, ut ſubito perfecte conſequatur ſanitatem ſpiritualem*. Verum non video hanc exceptionem eſſe de facili admittendam. 1. Hæc ſunt portenta gratiæ interioris, quæ æquant miracula exteriora ſanitatis repentinæ, vel reſurrectionis a mortuis; & cognitu longe difficiliora, quæ proinde humanam fugiunt cognitionem; propterea cum ſumma difficultate credenda, & admittenda. Præterea illi, quem Deus tanta, & tam prodigioſa dignatur gratia, & converſione, profecto & ad illam neceſſaria tribuit media, inter quæ profecto ſumma eſt humilitas, præſertim in peccatore a cœno vitiorum ſurgente: proinde tantum abeſſe deberet, ut hic Pœnitens vellet ad Sacros Ordines promoveri, quin immo ab illis refugeret, nec compulſus accedere vellet; & prius ſe emendare, in bono firmare, in virtute proficere optaret, quam Sacris initiari. Quod ſi vellet, & hortatus, ut aliquantiſper differret Ordinationem, recuſaret, timerem, ne loco gratiæ divinæ fallacia adeſſet Sathanæ, & occulta lateret ſuperbia, & hypocriſis. Minime, inquies: nam ſine ſcandalo recedere non poteſt, & ſine infamia; quia jam probatus ad Ordines, quia in domo receptus pro ſpiritualibus exercitiis deſtinata, quia inſtat dies Ordinationis. At vere pœnitens hos humanos reſpectus abjicit, ac contemnit; & nullam infamiam, nullum ſcandalum pertimeſcit, dicens, ſe velle maturius de ſtatu deligendo, a quo non amplius reſilire poteſt, cogitare, ſe melius diſponere. Et revera nonne hæc ſuggerenda eſſent Clerico ad Sacras Ordinationes plane indiſpoſito, & in talibus circumſtantiis conſtituto, ne ſacrilegium committeret, & ſe in æternæ damnationis diſcrimen poneret? Porro quod indiſpoſito inculcandum foret, probe diſpoſitus, & divina, ac ſingulari gratia Spiritus Sancti donatus ſponte cognoſceret, ſponte eligeret, ſponte exequeretur. Et ex hac reſponſione jam intelligitur, quid agendum a ſtudioſo, & pio Confeſſario cum Clericis minus diſpoſitis, immo indignis, qui tamen obtentu vel ſcandali, vel infamiæ vellent abſolutionis beneficium extorquere, & ad Sacram Ordinationem accedere.

CAPUT QUINTUM.

De Titulo ad Subdiaconi Ordinationem ab Eccleſia conſtituto.

D O C T R I N A.

I. *Quinam Titulus priſcis requireretur temporibus ad Ordines ſuſcipiendos.*
II. *Modo triplex datur Titulus Ordinationis.*
III. *Titulus Beneficii quæ requirat.*
IV. *Quæ poſtulet Titulus Patrimonii.*
V. *Quænam ſint ficta Patrimonia.*
VI. *Pœnæ latæ in Ordinatos ſine, vel ficto Titulo.*

I. PRiſcis Eccleſiæ temporibus ad Sacros Ordines nemo promoveri impetrabat, niſi ſervitio alicujus Eccleſiæ addictus, in ipſa Beneficium conſequeretur, quo honeſte vitam poſſet traducere. Solum itaque ſub finem XII. ſeculi mos inductus eſt, ut aliqui etiam ſine Beneficio, non tamen

men ſine titulo vel Patrimonii, vel Eccleſiaſticæ Penſionis, ad Sacros admitterentur Ordines, ut erudite oſtendit Thommaſinus *De vet. & nova Eccleſ. Diſciplina* P. II. lib. 2. cap. 9. n. 2. originem repetens Ordinationum titulo Patrimonii ex Decretali Alexand. III. cap. *Epiſcopus*, in qua indicitur Epiſcopo Clericum ſine Beneficio ordinanti: „ ut ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in „ aliqua Eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ „ Clericalis aſſignet . . . . *niſi talis ordinatus de* „ *ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſ-* „ *ſit habere* “. In Concilio autem Tridentino, re maturius diſcuſſa, hoc fuit conſtitutum Decretum, quod habetur ſeſſ. 21. cap. 2. de Reform. his verbis: „ Cum non deceat eos, qui Divino miniſte- „ rio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore men- „ dicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exerce- „ . . . ſtatuit S. Synodus, ne quis deinceps Cleri- „ cus ſecularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, „ ſcientia, & ætate, ad Sacros Ordines promovea- „ tur, niſi prius legitime conſtet, eum Beneficium „ Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſuf- „ ficiat, pacifice poſſidere .... Patrimonium vero, „ vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non „ poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſ- „ ſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Ec- „ cleſiarum ſuarum “.

II. Titulus itaque ad Sacram Ordinationem præ-requiritur, qui definiri poteſt, *Certa quædam vel Eccleſiaſtici, vel patrimonialis boni quantitas, quæ Clerico neceſſaria ſit, & opportuna, ut ſemper honeſtam habeat victus, & amictus ſuſtentationem*. Duplex in præſenti Eccleſiæ Diſciplina obtinet Titulus pro ſecularibus Clericis, nimirum Beneficii, vel Patrimonii, ſeu penſionis. Quibus & in favorem Regularium tertius accedit Titulus, religioſæ ſcilicet paupertatis. Illud tamen hic accurate notandum, non licere Epiſcopis titulo Patrimonii indiſcriminatim omnes petentes ad Sacros Ordines admittere; ſed ulterius oportere, ut id poſtulet vel neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ. Quamobrem Innocent. XI. in ſua Epiſtola ad Univerſos Eccleſiæ Epiſcopos, illis in memoriam Decretum Tridentini revocavit, illud ut ſancte cuſtodirent, mandavit, & ſcirent, ac perpenderent, *non aliter ordinandum ad Titulum Patrimonii, vel Penſionis*, niſi cum neceſſitas, vel commoditas ita exigat: qua in re prudens Epiſcopi, timoratumque judicium verſari debebit.

III. Ut quis itaque titulo Beneficii licite ad Ordines Majores poſſit promoveri, requiritur 1. Ut Beneficium ſit vere tale. Hinc non eſt idoneus Titulus Coadjutoria, quia Beneficium non eſt, ſed ſpes Beneficii; licet ſit cum ſpe futuræ ſucceſſionis, cum hæc ſpes incerta ſit, & a vita pendens Beneficiati; niſi forte ex tali Coadjutoria pars Beneficii ad honeſtam Clerici ſuſtentationem deſignaretur ſtatim obtinenda. 2. Ut canonice, & pacifice poſſideatur, prout ſtatuit Tridentinum Concilium. Hinc non ſufficit electio, ſive præſentatio ad Beneficium, niſi ſequatur inſtitutio, & ejuſdem Beneficii non contentioſa poſſeſſio. 3. Ut non ſit ſimoniace obtentum, ne quidem ignorante Beneficiario, qui detecta ſimonia dimittere debet beneficium, ejuſque novam, & caſtam obtinere proviſionem, ut diximus Tract. in Decal. p. p. Diſſ. 5. cap. 4. Conſect. 2. 4. Ut ſit perpetuum. Hinc Titulus Vicariæ temporalis, fundationis Miſſarum, alteriuſve officii amovibilis ad nutum, licet pinguioris reditus, non ſufficit: quidquid enim eſt ad nutum amovibile, deficere poteſt. Immo optime animadvertit Van-Eſpen n. 18. neque ipſe Epiſcopus aliquem ordinando ad hujuſmodi Vicariam, fundationem, aut officium poteſt illud ex temporali facere perpetuum, ſive immovibile, ut recte advertit Barboſa P. II. Alleg. 19. n. 15. 5. Denique, ut reditus ipſius ad honeſtam ſufficiat ſuſtentationem Beneficiati, quæ ſufficientia Epiſcopi judicio taxanda eſt juxta regionum diverſitatem: in aliquibus enim majores requiruntur reditus, in aliquibus minores ſufficere poſſunt. Utrum vero detrahenda ſint onera Miſſarum, dicemus in conſectariis.

IV. Patrimonium vero, ut legitimum valeat Titulum ſacræ Ordinationis conſtituere, has expoſtulat conditiones. Ut ſit bonis ſtabilibus, certis, atque frugiferis innixum. Hinc ad titulum Patrimonii conſtituendum non eſt idoneum lucrum, quod quis ex honeſto labore percipere poteſt, puta quia Muſicus eſt, Artium, vel Grammaticæ Magiſter, Pictor, Scriptor, & ſimilia; ut declaravit Sacra Congregatio in Saguntina anni 1588. Sicut nec gradus Doctoratus, ſive in Theologia, ſive in Jure Canonico; licet aliter doceat Diana ea ratione ductus, quod hujuſmodi vel facile Beneficium conſequuntur, vel docendo neceſſaria ad ſui ſuſtentationem ſibi parare poterunt, non advertens vetus adagium, *inter os, & offam multa cadere*. Quare merito Sacra Congregatio hanc doctrinam rejecit, ſicut etiam declaravit, non eſſe titulum Patrimonii fundandum in bonis mobilibus, ſeu ſemoventibus. 2. Quod hujuſmodi Patrimonium ſit ſufficiens ad Ordinati ſuſtentationem, & hoc quidem juxta quantitatem reditus ab Epiſcopis taxandum. 3. Vere, non ficte poſſideatur ab Ordinando; ſi enim hoc in Beneficio requiritur, quod titulum conſtituat juridicum, & eccleſiaſticum; quanto magis requirendum in Patrimonio titulo ſolum ſubſidiario?

V. Ficta autem ſunt Patrimonia 1. Quando aſſignata bona pro Patrimonio quis ea accipit conditione, ſive expreſſa, ſive tacita, ut ejuſdem proventus ſive integri, ſive ex parte aſſignanti, vel aſſignare ſimulanti dimittantur. In quo vix dici poteſt, quot committantur fraudes, & doli. 2. Si bona pro Patrimonio aſſignata aliis ſint obnoxia creditoribus, vel ita aliis gravata oneribus, ut reditus, qui is detractis ſuperſunt, ad ſuſtentationem non ſufficiant. 3. Si per bona, a Parente Filio pro Patrimonio aſſignata, cæteri fratres ſua priventur legitima. 4. Si Parens unico Filio omnia bona ſua largiatur, adjecto onere ipſum alendi, & bona pro utroque juxta ſtatus conditionem non ſufficiant.

VI. Ordinati ſine Titulo, vel ficto Titulo Beneficii, vel Patrimonii his mulctantur pœnis. Et quidem primis Eccleſiæ ſeculis ſine Titulo ordinati pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda plectebantur. Nam can. *Neminem*, & can. *Sanctorum* diſt. 20. dicitur: *Decernimus, ut ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur*. Quam tamen ſeveriorem diſciplinam temperavit Innoc. III. ſtatuens cap. *Cum ſecundum*, de Præb. & Dign. *Licet Prædeceſſores noſtri Ordinationes eorum, qui ſine certo titu-*

lo

lo promoventur, *in injuriam Ordinantium irritas eſſe voluerint*, & *inanes*; *Nos tamen benignius agere cupientes*, *tamdiu per ordinatores*, *vel ſucceſſores eorum providere volumus Ordinatis*, *donec per eos eccleſiaſtica beneficia conſequantur*. Ex quo Decreto eſt quidem ſublata pœna, at non diminuta culpa, quæ gravis eſt, ſive Ordinantis, ſive Ordinati. Immo & poſtremis ſeculis Sixtus V. ſua Conſtit. *91.* antiquorum Canonum ſeveritatem innovavit, eamdem indicens pœnam ſuſpenſionis latæ ſententiæ ſine Titulo ordinatis. Verum cum Clemens VIII. eam Conſtitutionem ad normam Tridentini Concilii temperaverit, hujus Sanctæ Synodi Decretis ſtandum eſt. Hæc vero, ut conſtat ex Congregationis Concilii Decretis, ſtatuit, ut ſi quis, ſciente & conſentiente Epiſcopo, ſine titulo ordinetur, minime ſuſpenſionem incurrat; ſed teneatur Ordinator eum de alimentis providere, aut Beneficium conferre juxta Innoc. III. ſtatuta. At ſi quis per fraudem, & dolum fictum afferendo Titulum, ſive Beneficii, ſive Patrimonii, Epiſcopum fallat, ſuſpenſionis pœnam ipſo facto incurrat; quam ſi violet, irregularis efficitur. Ita declaratum legitur in Decreto Congreg. Concilii die *27.* Novembris anni *1610.* per hæc verba: „ Sacra Congregatio Concilii cenſuit, pœnam ſuſpenſionis ante Concilium non eſſe correctam, & „ hodie a Tridentino innovatam, & propterea „ Clericum, qui adhibito dolo, confictoque titulo Ordinatorem decipit, eſſe ipſo jure ſuſpenſum, carereque Ordinum executione “. Immo Urbanus VIII. Conſtit. *Secretis* anno *1624.* contra male ordinantes, & Ordinatos edita ſtatuit §. 3. Alias promoventes (contra formam ab ipſo præſcriptam) ad annum ab exercitio Ordinum, promoti vero perpetuæ ſuſpenſionis pœnam, abſque ſpe diſpenſationis a Sede Apoſtolica obtinendæ, incurrant eo ipſo.

CAPUT SEXTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Ordinatus titulo Beneficii*, *ſed cum pacto non percipiendi fructus*, *ſuſpenſionem incurrit*.
II. *Quando poſſit Epiſcopus familiarem ſuum ordinare*.
III. *Licite quis ordinatur partim titulo Beneficii*, *partim Patrimonii*.
IV. *Quid requiritur*, *ut quis titulo Beneficii a non ſuo Epiſcopo ordinetur*.
V. *Num onera Miſſarum ſint a Beneficio detrahenda*.
VI. *Quando temporarium Beneficium eſſe poſſit titulus ſufficiens Ordinationis*.
VII. *Quænam legitimum titulum Patrimonii corrumpant*.
VIII. *Beneficium*, & *Patrimonium in titulum data alienari non poſſunt*.

Conſectarium Primum.

I. QUi Beneficium obtinet in Titulum Ordinationis cum pacto ſive expreſſo, ſive tacito non exigendi fructus Beneficii, inhabilitatem ad ſuſcipiendos Ordines, & ſuſpenſionem incurrit a ſuſceptis Ordinibus. Ita ſtatuit Innoc. III. Cap. *Per ſuos* de Simonia indicens: „ Nos inquiſitioni „ tuæ taliter reſpondemus, quod niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum, nec ad ſuperiores aſcendere, nec in ſuſcepto debet Ordine miniſtrare. Quam ſuſpenſionem Sedi Apoſtolicæ „ reſervavit Gregor. IX. addens, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerit, noverit ſe ſuſpenſum “. Ab hac tamen, ſi occulta ſit, modo diſpenſare poſſunt Epiſcopi, facultate a Tridentino illis conceſſa.

Conſectarium Secundum.

II. Non licet Epiſcopo alienum ſubditum, licet ſibi commenſalem, & a triennio in ſuam familiam adſcriptum ordinare, niſi ei ſtatim vere Beneficium conferat. Ita ſtatuit Tridentinum Concilium Seſſ. 23. de Reform. indicens: „ Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, „ niſi per triennium ſecum fuerit commoratus; & „ beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim „ re ipſa conferat, conſuetudine quacumque, etiam „ immemorabili, in contrarium non obſtante “. Hinc Sacra Congregatio Concilii in Tricarienſi 23. Julii *1697.* declaravit, „ non poſſe Epiſcopum familiarem „ ſuum triennalem ad titulum patrimonii promovere ad Sacros Ordines etiam ob neceſſitatem, vel „ utilitatem Eccleſiæ nullo collato Beneficio “.

Conſectarium Tertium.

III. Poteſt quis ad Ordines promoveri, etiam tenui beneficio ad congruam ſuſtentationem non ſufficiente, a proprio Epiſcopo, ſi ex bonis tantum addatur per modum patrimonii, quantum ad congruam ſuſtentationem requiritur. Ita declaravit Sacra Congregatio Concilii in Saguntina menſe Octobris anni 158*9*. Nam quærenti, an Clericus, alioquin idoneus, habens Beneficium inſufficiens de per ſe, ſed qui juncto Patrimonio habeat, quod ſufficiat ad honeſtam vitæ ſuſtentationem, poſſit promoveri; Reſpondit poſſe juxta formam Concilii Tridentini.

Conſectarium Quartum.

IV. Ut quis Ordines ſuſcipere valeat ab Epiſcopo, cujus ſubditus non eſt ratione Originis, vel Domicilii, titulo Beneficii, debet tale obtinere Beneficium, quod ad congruam ipſius ſufficiat ſuſtentationem, detractis oneribus. Et quidem reditus quantitas, ſi beneficium continuam, & præciſam reſidentiam poſtulet, juxta taxam ſynodalem, vel morem loci, ubi eſt Beneficium, ſtatuenda: ſi vero reſidentiam non poſtulet, juxta taxam, vel morem Diœceſis, ubi Beneficiatus Originem, vel Domicilium contraxit. Ita ſtatuit, & declaravit Innoc. XIII. in ſua Conſtit. *Apoſtolici Miniſterii* per hæc verba §. 7. „ Cum juxta memoratam Innoc. XII. „ Prædeceſſoris Conſtitutionem ratione, ac titulo „ Beneficii, in aliena Diœceſi obtenti, non aliter liceat Ordines ab Epiſcopo ejuſdem Diœceſis ſuſcipere, quam ſi Beneficium prædictum ſit „ ejus reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, detractis oneribus, per ſe ſufficiat, declaramus ſufficientiam hujuſmodi prædefiniendam „ eſſe non juxta taxam ſynodalem, ſive morem

„ pro promovendis ad Sacros Ordines vigentem in „ loco prædicti Beneficii, niſi tamen illud continuam, & præciſam reſidentiam requirat, ſed „ juxta taxam, vel ea deficiente, juxta morem in „ alio loco domicilii vigentem “.

Conſectarium Quintum.

V. An onera Miſſarum celebrandarum, ſive per ſe, ſive per alium, ſint detrahenda, nec computanda inter reditus Beneficii, Epiſcoporum arbitrio determinare conceſſum eſt. Cum rara ſint Beneficia, quibus onera aliqua Miſſarum adjecta non ſint; immo plura, quæ quotidianam indicunt celebrationem; hinc dubium ortum eſt, utrum hæc onera forent detrahenda a reditibus Beneficii, & inſpiciendum, num quod ſupereſt, ſufficiat ad Ordinati ſuſtentationem. Propoſitum fuit dubium Sacræ Congregationi Concilii, & re mature diſcuſſa, ac expenſis pro utraque parte rationibus a ſapientiſſimo Lambertino, tunc ejus Congregationis a ſecretis in ſuo, ut ipſe appellat, *Diſcurſu* typis edito inter Deciſiones Congreg. Concilii quæſtion. 281. emanavit reſponſio, Hoc eſſe Epiſcoporum arbitrio relinquendum, qui proinde pro ſua ſapientia, prudentia, & ſtudio religioſi ſtatus, quod ſibi opportunum magis, magis congruum in particularibus occurrentibus caſibus definient, & declarabunt. Legatur Lambertini diſcurſus, & lectionis non pœnitebit: immo ex ipſo poterunt Epiſcopi normam declarationis ab ipſis faciendæ deſumere.

Conſectarium Sextum.

VI. Beneficium, ſive Vicaria etiam temporalis, & ad nutum amovibilis, eſſe poteſt idoneus titulus, dummodo qui jus habet nominandi, aſſentiente Epiſcopo, proteſtetur, & ſe obſtringat ad nunquam removendum a Vicaria, vel Beneficio ordinatum ejus titulo, quoadusque vixerit, vel aliud perpetuum obtinuerit Beneficium; quia tunc Clericus tutus eſt, & certus de ſua congrua ſuſtentatione. Hinc pro Patrimonio admitti poſſunt & cenſus perpetui, ad normam Decretorum Pii conſtituti; dummodo debitores, cenſum liberare volentes, ſe obligent ad ſortem, ſeu Capitale, ut vocant, deponendum apud fidelem, & tutum locum, ut iterum novus efformetur cenſus, vel bona emantur ſtabilia ad ſuſtentationem Ordinati ſufficientia; quia ita pariter ſuſtentationi ejus ſatis proviſum eſt.

Conſectarium Septimum.

VII. Non legitimum obtinet patrimonii titulum, qui aliqua bona ab alio obtinet, ſed ſub his conditionibus, ut fructus non percipiat, vel poſt ſuſceptos Ordines reſtituat, vel ſolum determinato tempore illis fruatur, vel fructus cedant in Eccleſiæ utilitatem. Et quidem omnes fatentur, hunc cum tali titulo Ordines ſuſcipientem lethaliter peccare; quippe quia decretum violat Tridentini, poſtulantis titulum perpetuum, & irrevocabilem honeſtæ Clerici ſuſtentationi inſervientem. Num vero ſuſpenſionem incurrat, inficiantur nonnulli Theologi, & Canoniſtæ, Garcias, Barboſa, & La-Croix. Quia, inquiunt, hic ſaltem verum dominium aſſignati boni obtinet, licet fructu non fruatur, immo & fructus perceperit ſaltem per aliquod tempus: unde non ordinatur ſine titulo. Verum poſita noſtra doctrina & ſola probabilis, & unice vera habenda eſt: Quia ad titulum non qualecumque ſufficit Patrimonium, ſed juxta mentem, & diſpoſitionem Tridentini conſtitutum, quale non eſt illud, quo frui vel abſolute non poteſt, vel ſolum per aliquod tempus; & tunc forſitan illo carebit, quando major urgebit neceſſitas. Præterea decipitur Epiſcopus, qui ſi noſſet taliter conſtitutum patrimonium, illud certe non admitteret: mendaci proinde titulo Ordines recipit, & ideo ſuſpenſioni ſubjicitur.

Conſectarium Octavum.

VIII. Titulus ab Ordinato dimitti non poteſt, ſive per reſignationem, ſi ſit in Beneficio conſtitutus, ſive per alienationem, ſi in bonis laicalibus fundatus. Et quidem de Beneficio in titulum aſſignato, ita ſtatuit Tridentina Synodus ſeſſ. 21. cap. 2. de Reformat. indicens: „ Id „ vero beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum „ ſit promotus: neque ea reſignatio admittatur, „ niſi conſtito, quod aliunde vivere commode „ poſſit; & aliter facta reſignatio nulla ſit “. Quæ poſtrema verba indicant, factam reſignationem non ſolum illicitam, ſed invalidam eſſe. Sunt tamen, qui aliquas admittunt exceptiones; nimirum ſi vel reſignatio fiat ſuppreſſa tituli mentione, ſed vel cum penſione ad ſuſtentationem idonea, vel per permutationem cum alio Beneficio, vel æqualis, vel majoris reditus, vel ſi reſignans obtinuerit aliud Beneficium ſufficiens, vel denique ſi Clericus habeat aliunde ex bonis patrimonialibus, unde commode vivere poſſit; quia tunc nihil fit contra intentionem Eccleſiæ, cavere volentis, ne Clerici ad mendicitatem redigantur. Verum nobiliores Canoniſtæ, Gonzales, Garzias, aliique eas rejiciunt, & merito, utpote Decretis Tridentini aperte adverſantes. Similiter Patrimonium, & Penſio aſſignata in titulum pro ſuſcipiendis Ordinibus non poteſt alienari, aut extingui ſine Epiſcopi licentia. Sic expreſſe ſtatuit Tridentinum l. l. indicens: „ Patrimonia, ſeu Penſiones deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere poſſint “. Quamobrem non tollitur Patrimonii titulus, etiamſi Ordinatus acquirat alia bona, donec ab Epiſcopo loco patrimonii ſubrogentur. Itaque declaravit Sacra Congreg. Cardinalium, patrimonium, licet conceſſum ea conditione, *donec, & quoadusque proviſus fuerit de beneficio Eccleſiaſtico, unde commode ſuſtentari valeat, quo caſu eveniente patrimonium redeat ad conſtituentem*, non tamen illo ſpoliari Clericum, qui Beneficium, vel bona acquiſivit; ſed ad-

adhuc ſubſiſtere, non obſtante poſita dicta conditione, donec ab Epiſcopo non fiat abrogatio. Qui patrimonium alienat ſine Epiſcopi licentia ante Diaconatum, vel Presbyteratum, pœnam ſuſpenſionis incurrit, fallendo Epiſcopum, qui ex Eccleſiæ diſciplina, & Tridentini ſtatutis titulum exigit ad quoſcumque Sacros Ordines: qui vero alienant ſuſcepto Presbyteratu, ſuſpenſionem non incurrere putant Suareſius, & Gibertus, & confirmat Benedictus XIV. in ſua Inſtitution. 26. n. 26. quia revera nullibi eſt indicta ſuſpenſio contra Presbyteros titulum alienantes. Verum licet ſuſpenſio in univerſali aliquo jure non ſit indicta, videndum tamen, an ſit lata a Synodalibus Conſtitutionibus. Et certe ſuſpenſione puniri meretur Clericus ſe Patrimonio privans: tum quia graviter peccat, legem Eccleſiæ gravem, & æquiſſimam violando; tum quia in mendicitatem labi poteſt, quam a Sacris Miniſtris avertere Eccleſia toto ſtudio conatur. Nec puto in primo caſu a ſuſpenſione excuſari, quia alienatio illa, vel donatio ſit invalida, ut cenſet quidam Theologus Probabilioriſta, unde in ſuſcipiendis aliis Ordinibus non caret patrimonio. Nam 1. quantum eſt de ſe, & ex parte ſua vere caret Patrimonio; cum illud donaverit, vel alienaverit: quoad invaliditatem vero donationis hæc auget delictum Clerici, qui fraudulenter proximum decipit, illi donando, vel vendendo, quod donare, vel vendere non poterat; nec fraus, & dolus illi patrocinari debet. Præterquamquod ſemper verum eſt, ipſum Epiſcopo imponere, qui putat titulum adhuc retinere, quo in Subdiaconum ordinatus fuerat; & qui ſi fraudulentiam noſſet, vel donationem, vel alienationem, ab Ordinibus repelleret.

Sunt & alii Tituli ſpeciales pro aliquibus Diœceſibus, vel Regnis idonei ad Ordines ſuſcipiendos; cujuſmodi ſunt titulus ſervitutis Eccleſiæ, vel Menſæ, vel Miſſionis, de quibus peculiaria ſunt expendenda illorum locorum Privilegia, ſtatuta, & Decreta.

CAPUT SEPTIMUM.

De Diaconatu.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit Diaconatus.*
II. *Soli Epiſcopi illum conferre poſſunt.*
III. *Diaconatus Materia, & Forma,*
IV. *Diaconi Officia.*
V. *Scientia in eis requiſita.*

I. Diaconatus Ordo ſacer eſt, quo confertur Ordinato poteſtas inſerviendi Epiſcopo, vel Sacerdoti ſolemniter celebranti divina Myſteria. Eſſe Sacramentum probabiliſſime diximus, licet non aperte ab Eccleſia definitum, ſed tamen communiter a Theologis traditum, adeo ut Dominicus Soto Diſtinct. 24. quæſt. 1. artic. 4. veritus non ſit dicere „ contrariam opinionem te„ meritate notandam, cum non ſit tam facile „ ab antiquorum doctrina recedendum “. Et revera nihil deeſt ad Sacramentum in Diaconi Ordinatione, cum habeatur & ſenſibile ſignum per manuum impoſitionem, & promiſſio gratiæ per verba Epiſcopi, *Accipe Spiritum Sanctum*, nec deſit inſtitutio Chriſti, qui Eccleſiaſticam inſtituit Hierarchiam, ut definivit Tridentina Synodus can. 8. Seſſ. 23. conſtantem ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris: inter Miniſtros vero ſaltem Diaconos eſſe recenſendos nullus ambigit. Diaconi etiam Levitæ dicuntur: quia ſicut illi Moſaicæ Legis Sacrificiis cooperabantur, ita & Diaconi in novo fœdere Sacerdotibus, incruentum offerentibus novæ Legis Sacrificium, miniſtrant, ut obſervat & D. Hieronymus epiſt. 85. ad Evagrium.

II. Soli Epiſcopi ſacrum hunc Ordinem conferre poſſunt, nec unquam fuit aliis delegata poteſtas, ut docet S. Thom. in IV. Diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 3. ſcribens: „ Sacerdos non habet comple„ tam poteſtatem in hierarchicis officiis, ſicut E„ piſcopus; ideo non ſequitur, quod poſſit Diaconos „ efficere, quamvis ille Ordo ſit ſibi propinquus “. Legantur, quæ diximus Diſſert. præced. cap. 3. num. 8. Nec obſtat jactatum privilegium conceſſum Ciſtercienſibus recipiendi Subdiaconatum, & Diaconatum ab eorum Abbatibus ab Innoc. VIII. cum revera in illo Prælatis ejuſdem Ordinis non alia ſit data poteſtas, conceſſumque privilegium, niſi ut poſſint cuilibet Catholico Antiſtiti offerre Monachos ſuos ordinandos in Diaconos, & Subdiaconos, nulla habita ratione Diœceſum, ſive Provinciarum: & ita illud Privilegium intellexere, & interpretati ſunt & Sacra Congregatio Concilii Tridentini, & Clemens VIII.

III. Duplex eſt Diaconatus materia, ſicut & duplex materiæ correſpondens forma, vel utraque eſſentialis, vel altera ſaltem integralis. Prior ſita eſt in manus impoſitione, quam eſſentialem eſſe nullus prudenter dubitare poteſt, cum & adhibita fuerit ab Apoſtolis in prima Diaconorum ordinatione, & ſemper ſequentibus ſeculis fuerit in uſu, immo aſſignata pro diſcrimine ab aliis inferioribus Ordinibus, in quibus manus non imponebantur; ut patet ex Can. Concilii Carthagin. ſupra laudato, in quo dicitur, Subdiaconum ordinari per inſtrumentorum traditionem, *quia manus impoſitionem non accipit*. Forma autem huic materiæ adjecta verba ſunt ab Epiſcopo prolata: *Accipite Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus, In nomine Domini*. Solus autem Epiſcopus Diaconibus manum imponit, quia, inquit Carthag. Concil. IV. can. 4. *non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur*. Altera vero forma, quæ vel, ut putat S. Thom. eſt æque eſſentialis, vel certe omnium conſenſione integralis, ſita eſt in traditione libri Evangeliorum a Diacono tangendi, & forma in verbis traditionem comitantibus: *Accipite poteſtatem legendi Evangelium tam pro vivis, quam pro defunctis, In nomine Domini.*

IV. Diaconi itaque plura ſunt, & quidem præ ceteris Miniſtris nobiliora munia, & miniſteria. Et primo quidem proxime, & immediate Epiſcopo, vel Sacerdoti celebranti aſſiſtunt, ſolemniter Evangelium canunt, Panem, & Vinum conſecrandum offerunt. Chriſti Sanguinem, quando ſub utraque ſpecie Euchariſtia miniſtrabatur fidelibus, e Calice ſugendum porrigebant. In aliis quoque Sacramentis operam habere poterant: nam in ſolemni Baptiſmo Catechumenorum nomina recitabant;

bant, immo & ipſi ſolemniter baptizabant, ſicut & modo deficiente Presbytero præſtare poſſunt. Pœnitentes etiam in abſentia Epiſcopi, & Presbyteri poterant reconciliare, non quidem abſolutionem a peccatis impartiendo, ſed a pœnis ſatisfactoriis, & etiam ab excommunicatione ſolvendo. Ordinibus initiandos ante Epiſcopum ſtatuebant, publicas etiam conciones ad populum habere poterant. Unde & modo in Romano Pontificali dicitur: *Diaconum oportet miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare*: Sed, ut ſubdit Sanctus Thomas 3. p. quæſt. 67. artic. 1. ad 1. *Per modum catechizantis: nam exponere Evangelium pertinet proprie ad Epiſcopum.* Eccleſiaſticorum bonorum etiam ipſis & adminiſtratio, & diſtributio concredita erat; & unicuique vel ad victum neceſſaria, vel eleemoſynas ſuppeditabant. Confeſſorum in carceribus detentorum pro fidei confeſſione curam gerebant, illorum preces pro Pœnitentiæ publicæ addictis Epiſcopo deferebant, ut eorum Martyrum intuitu aliquam illis indulgentiam largiretur. Diaconibus quoque incumbebat ſacris Virginibus, & Viduis præeſſe, illarumque neceſſitatibus providere. Illorum veſtes propriæ & peculiares ſunt Stola ab humero ſiniſtro ad dextrum latum ducta, & Dalmatica. In aliquibus locis Diaconorum manus etiam ſacro oleo conſecrabantur.

V. Ex hiſce Diaconorum miniſteriis liquido apparet, uberiorem in illis requiri ſcientiam, quam in aliis Clericis. Itaque primo ea noſſe debent, quæ ad Ordinem, quem ſuſcipere debent, ſpectant. Et, ut inquit S. Carolus in Actis lib. 2. „ Senſus intelligant Scripturarum, non ſolum quoad eos, qui ad Grammaticæ intelligentiam ſumuntur, verum etiam interiores illos, ſanctioreſque tam ad Chriſti, Eccleſiæque myſteria, quam ad ſpiritualis vitæ modum pertinentes“. Præterea, ſubdit idem S. Præſul, aliquam Sacrorum Canonum notitiam habeant, & præcipue ad Tridentini, & Provincialium Conciliorum, Synodorumque Deciſiones pertinentem. Theologiæ itaque, & Sacris Canonibus aliquam eos operam navaſſe oportet. Præterea, quando ex commiſſione poſſint vel ſolemniter baptizare, vel Euchariſtiam præbere, noſſe opportunum eſſet; ſicut & ritus ſcire hæc Sacramenta miniſtrandi. De his autem diximus ſuis opportune locis.

CAPUT OCTAVUM.

De Presbyteratu, & Epiſcopatu.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit Presbyteratus.*
II. *Ejus materia, & forma præcipua.*
III. *Altera materia, & forma.*
IV. *Utriuſque neceſſitas adſtruitur a S. Th.*
V. *Presbyteri propriæ veſtes, & officia.*
VI. *Varii Presbyterorum gradus.*
VII. *Scientia in Presbytero neceſſaria.*
VIII. *Inepti, & pravi non ſunt promovendi.*
IX. *Quid ſit Epiſcopatus.*
X. *Duplex in Epiſcopis poteſtas.*
XI. *Sunt Presbyteris jure divino ſuperiores.*
XII. *Epiſcopatus materia, & forma.*
XIII. *Ad Epiſcopi Ordinationem plures adhibentur Epiſcopi.*
XIV. *Tenentur in ſua Eccleſia reſidere.*
XV. *Eminens in Epiſcopo ſcientia requiritur.*

I. ORdo Presbyteratus, quem Sacramentum eſſe & ſuperius oſtendimus, & nullus Catholicorum ambigit, poteſtatem tribuit Ordinato & conficiendi, ſeu conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti, & abſolvendi a peccatis. Duplex proinde in illo confertur poteſtas, ſcilicet ſupra verum Chriſti Corpus, & ſupra myſticum, ideſt Eccleſiam. Priore utitur poteſtate, quando in Altari Sacrificium offert, vel adſtantibus adminiſtrat. Poſteriorem vero exequitur, quando Pœnitentiam, vel alia Sacramenta ſibi aliquo modo ſubditis ſuppeditat.

II. Materia quoque Presbyteratus duplex eſt, vel, ut de Diaconatu diximus, eſſentialis, ut poſt S. Thom. ſentiunt Scholaſtici fere omnes, vel ſaltem altera eſſentialis, altera integralis. Prima itaque conſiſtit in manus impoſitione cum adjuncta Oratione. Verum cum ter manus Ordinato imponat Epiſcopus, nimirum primo cum recitatis Litaniis ambas manus ſuper caput Ordinandorum ponit, nihil dicens; quam manuum impoſitionem & adſtantes Sacerdotes imitantur & ipſi capiti Ordinandi manus imponentes. 2. Quando extenſis ſuper ordinandos manibus orationem pronuntiat. 3. Denique quando in fine Miſſæ iterum manus capiti Ordinati imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt.* Porro hanc poſtremam Orationem ad eſſentiam Sacri Ordinis Presbyteratus non pertinere ex eo colligunt eruditiores Theologi, quia jam ordinationem peractam, & conceſſam poteſtatem Ordinis ſupponunt, cum ad conſecrandum cum Epiſcopo admiſſi fuerint. Quoad binas vero alias fruſtra eas multiplicant, cum non niſi revera una ſit, & eadem; nam manus imponit Pontifex nihil dicens, ut locum det impoſitioni manuum adſtantium Presbyterorum, quæ ſingillatim, & ſeorſum eſt a pluribus peragenda: deinde tam Epiſcopo, quam adſtantibus Presbyteris extenſas manus in proſecutionem impoſitionis factæ adhuc tenentibus, Epiſcopus orationem profert, in qua Sacerdotalis gratiæ virtutem, & Spiritus Sancti benedictionem adprecatur: in qua oratione forma impoſitioni manus correſpondens continetur. Porro impoſitionem manuum eſſe eſſentialem materiam Ordinis Presbyteratus innumera evincunt tum Sacræ Scripturæ teſtimonia, tum Patrum dicta, tum antiquiores Pontificales, & Rituales Libri confirmant, præter plura etiam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta apud Polemicos Theologos legenda. Et hæc ſola obtinet in Eccleſia Græca, quam Sacramento Ordinis carere nemo prudens exiſtimaverit.

III. Altera vero materia, & forma ſive eſſentialis, ſive integralis, numquam omittenda, & ſi quando omiſſa, omnino ſupplenda, ſita eſt in traditione Patenæ cum hoſtia, & Calicis cum vino ab Ordinatis tangenda, & in verbis traditionem, & acceptionem comitantibus, ſcilicet: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium tam pro vivis, quam pro Defunctis &c.* Dixi *Patenæ cum hoſtia, & Calicis cum vino*: nam ſi utrumque porrigeretur va-

vacuum, præter peccatum grave, niſi excuſet inadvertentia, quæ in re tanti momenti vix evenire poteſt, dubiam redderet Ordinationem, nec exequendum Sacerdotale miniſterium niſi iteraretur eadem traditio. Quod & dicendum, ſi forte omitteretur manuum conſecratio per ſacram unctionem, vel ultima impoſitio manus cum verbis Spiritum Sanctum dantibus juxta Regulam Natalis Alexandri, quam & ſua auctoritate confirmavit Benedict. XIV. de Syn. lib. 8. cap. 10. num. 12. ſcribens: „ Optime, atque ad rem omnino appoſite adnotavit Natalis Alexander Sacr. Ord. cap. 1. artic. 7. §. 2. inquiens: Si quis horum rituum, qui ad materiam, vel formam pertinent, ſecundum varias Theologorum opiniones, in Ordinatione fuiſſet omiſſus, v. gr. manuum impoſitio prima, vel adjuncta Oratio, vel Calicis cum vino & aqua, vel Patenæ cum hoſtia traditio, adjunctave formula verborum, aut Unctio, aut denique manuum impoſitio poſtrema, vel hæc verba ipſam comitantia, *Accipe Spiritum Sanctum*, ſupplere deberet Epiſcopus, quod in Ordinatione fuiſſet incaute prætermiſſum; ut colligitur ex Cap. Paſtoralis, & ex c. Presbyter Extra de Sacramentis non iterandis “.

IV. Utramque materiam, & formam neceſſariam agnovit Sanct. Thom. ſcribens hic q. 37. art. 5. „ Per manus impoſitionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia ſunt idonei. Et ideo ſolis Diaconis, & Sacerdotibus fit manus impoſitio; quia eis competit diſpenſatio Sacramentorum; quamvis uni ſicut principali, & alteri ſicut Miniſtro. Sed unctione ad aliquod Sacramentum tractandum conſecrantur. Et ideo unctio ſolis Sacerdotibus fit, qui propriis manibus Corpus Chriſti tangunt; ſicut etiam Calix inungitur, qui continet Sanguinem, & Patena, quæ continet Corpus. Sed poteſtatis collatio fit per hoc, quod datur aliquid, quod ad proprium actum pertinet. Et quia principalis actus Sacerdotis eſt conſecrare Corpus, & Sanguinem Chriſti, ideo in ipſa datione Calicis ſub verborum forma determinata character imprimitur “.

V. Presbyteri proprias habent veſtes in ſuo Miniſterio adhibendas ad propria miniſteria. Veſtes ſunt Stola a collo pendens, vel ſupra pectus in Crucis modo decuſſata, & Caſula. Miniſteria vero ſunt; 1. & principale Sacrificium ad Altare offerre. 2. Omnia Sacramenta præter Confirmationem, & Ordinem fidelibus miniſtrare. 3. Populum edocere, inſtruere, & illi Verbum Dei prædicare. 4. Populum benedicere, exorcizare, & defunctos ſepulturæ tradendos comitari, & pro eis orare. Num vero, & quando teneatur Sacerdos Miſſam celebrare, diximus de Sacrificio Miſſæ cap. 4. Confect. 2. Quando vero cætera Sacramenta vel poſſit, vel debeat, vel impediatur miniſtrare, diximus, & dicemus ubi de ſingulorum Sacramentorum Miniſtro vel diſputavimus, vel diſputabimus.

VI. Inter ipſos Presbyteros varii ſunt dignitatis gradus, quorum tamen diſtinctio non ex poteſtate in Corpus Chriſti reale deſumitur, in qua Sacerdotes omnes omnino pares ſunt; ſed ex poteſtate in Corpus Chriſti Myſticum, ideſt in Eccleſiam, in qua majori, vel minori pollent juriſdictione, vel honore, vel dignitate. Duos tantum ex his gradibus hic breviter indigitabo. 1. Eſt gradus Vicarii Generalis Epiſcopi, qui cum ipſo unum conſtituit Tribunal, & pari gaudet juriſdictione; dimiſſorias tamen litteras pro Ordinibus ſuſcipiendis dare non poteſt, niſi abſente Epiſcopo, vel ipſo præſente, ſed de ſpeciali mandato: ſicut nec poteſt eam exercere juriſdictionem, quam Epiſcopus habet ex ſpeciali delegatione, ſibi a Tridentino Concilio tributa, in qua poteſt quidem Vicarium ſubdelegare, ſed per generalem illius inſtitutionem non eſt illi communicata. Sunt & Vicarii Generales Capitulorum Eccleſiæ Cathedralium Sede Vacante, qui locum Epiſcopi tenent, & illi ſuccedunt, ſed, ut inquiunt Canoniſtæ, ſolum in juriſdictione neceſſaria, non voluntaria. Hinc Beneficia conferre non poſſunt, quorum collatio ad ſolum Epiſcopum pertinet; at valent admittere præſentatos a Patronis, & illos inſtituere; ſicut & concurſum indicere ad Parochiales Eccleſias, & magis idoneum præeligere. Juriſdictio vero, quæ Epiſcopo ſolum competit, ut delegato Sedis Apoſtolicæ, ad Vicarium Capituli non tranſit. Ordines conferendi licentiam, & dimiſſoriales litteras infra annum a die vacationis concedere non poſſunt, niſi Beneficio arctatis, ideſt qui ex nominatione, vel electione, vel præſentatione ſunt ad aliquod Beneficium aſſumpti, ad cujus munia exercenda ſacer aliquis Ordo requiritur. 2. Parochi vero officium ſemper in Eccleſia viguit; ſemper enim extiterunt Paſtores, qui ſub Epiſcopis Urbium plebem chriſtianam rexere: hinc eos inſtitutionis eſſe divinæ affirmant nobiliores juris Canonici Doctores, a quibus non diſſentit D. Thom. ſcribens 3. p. qu. 67. artic. 2. ad 2. „ Ideo baptizare pertinet ad minores Principes Eccleſiæ, ideſt ad Presbyteros, qui tenent locum ſeptuaginta diſcipulorum Chriſti “. Olim major erat eorum poteſtas: nam Parochi urbani conſtituebant velut Senatum Epiſcopi, & cum ipſo de majoribus cauſis ſententiam ferebant. Poterant etiam contumaces excommunicationis mucrone ferire; quam tamen ratam haberi oportebat ab Epiſcopo, ſaltem ſilentio; & hanc poteſtatem exercuere in Eccleſia Occidentali etiam poſt decimum ſeculum, ut teſtatur D. Thom. hic qu. 22. artic. 1. ſcribens: „ Epiſcopi propria auctoritate . . . . poſſunt excommunicare. Sed Presbyteri parochiales non niſi ex commiſſione eis facta, vel in certis caſibus, ſicut in furto, & rapina, & hujuſmodi, in quibus eſt eis a jure conceſſum, quod excommunicare poſſint “. Hæc tamen privilegia contraria conſuetudine, & Decretis Tridentini abolita ſunt. Ad ipſos pertinet omnia Sacramenta ſuis ovibus adminiſtrare, alios quoſcumque ad hoc munus deligere; & ſine eorum præſentia celebratum Matrimonium nullum eſt & invalidum, ut ſuo oſtendemus opportuniore loco. Ad ipſos etiam pertinet prædicare Evangelium, & Verbum Dei annunciare, pueros rudimentis fidei imbuere, ad Communionem, cum idoneos repererint, admittere, Moribundis Viaticum, & Extremam Unctionem miniſtrare, eorum corpora ſepulturæ tradere.

VII. Ex his ſequitur abundantiorem ſcientiam re-

requiri in Presbyteris, ut ad ſui gradus munia obeunda idonei eſſe poſſint. Non enim ad hoc unum ordinantur, ut tantum Miſſam celebrent, ſed ut Eccleſiæ inſerviant, populum erudiant, Verbum Dei annuntient, Sacramenta miniſtrent, quæ profecto officia implere non poſſunt ſine Scripturarum notitia, ſine Patrum lectione, ſine Canonum doctrina, & Sacræ Theologiæ, tum Polemicæ, tum Moralis ſtudio. Hinc merito plures Epiſcopi, inter quos Lambertinus, dum Bononienſem regebat Eccleſiam, in promovendis ad ſacrum Presbyteratus Ordinem præter ea, quæ ad Sacrificium rite, recteque celebrandum noſcenda erant, poſtulabat, ut ſaltem per tres annos vel ſacris Canonibus, vel Theologiæ, ſive Polemicæ, ſive Morali ſedulam navaſſent operam, nec niſi ſufficienti inſtructos doctrina ad Presbyteratus Ordinem admittebat. Hinc Epiſcopi Examinatores inſtituere debent in ſuis Diœceſibus, qui promovendos Clericos ſerio examinent juxta Tridentini Concilii Decretum Seſſ. 23. cap. 7. de Reform. ſtatuentis: „ Epiſcopus autem Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris peritis divinæ legis, ac in Eccleſiaſticis functionibus exercitatis, ſibi adſcitis, Ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtiget, & examinet “. Nec ab hoc experimento immunes ſunt aut qui Doctoratus, ſive Magiſterii lauream ſunt aſſecuti, aut Regulares: hos enim omnes poteſt Epiſcopus examini ſubjicere, & idoneos repertos admittere, ineptos vero repellere.

VIII. Nec Miniſtrorum penuria ſufficiens eſt ratio, ut vel indocti, & imperiti, vel indigni promoveantur. Ita ſtatuit Lateranenſe Concilium IV. can. 17. ſtatuens: „ Cum ſit Ars artium regimen animarum, diſtricte præcipimus, ut Epiſcopi promovendos in Sacerdotes diligenter inſtruant, & informent vel per ſeipſos, vel per alios viros idoneos ſuper Divinis Officiis, & Eccleſiaſticis Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare: quoniam ſi *ignaros*, & *rudes* de cetero ordinare præſumpſerint (quod quidem facile poterit deprehendi) & Ordinatores, & Ordinatos gravi decernimus ſubjacere ultioni. Satius enim maxime in Ordinatione Sacerdotum *paucos bonos*, quam multos malos habere Miniſtros “. Quam regulam confirmat & S. Thom. hic quæſt. 36. artic. 4. ad 1. ſcribens: „ Deus nunquam deſerit Eccleſiam ſuam, quin inveniantur idonei Miniſtri ſufficientes ad neceſſitatem plebis, ſi digni promoverentur, & indigni repellerentur. Et ſi non poſſit tot Miniſtri inveniri, quot modo ſunt, melius eſſet habere paucos Miniſtros bonos, quam multos malos; ut docet B. Clemens “, cujus dictum relatum in Decret. diſt. 23. Cap. *tales* licet ex ejus apocrypha epiſt. ſic ſonat: *Tales ad miniſterium eligantur Clerici, qui digne poſſint Sacramenta Domini tractare. Melius eſt enim Domini Sacerdotes paucos habere miniſtros, qui poſſint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant*.

IX. Supereſt, ut aliqua de Epiſcopatu dicamus, non ad Epiſcoporum, qui nos docere debent, non doceri, ſed ad aliorum qualemcumque eruditionem. Epiſcopi itaque oneris nomen eſt, non honoris, ut egregie animadvertit D. Auguſtinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 19. quippe quod onus importet curam gerendi fidelium. Hinc mirum non eſt, ſi quandoque & Laicis Supremis Principibus fuerit conceſſum. Nam Euſebius de vita Conſtantini lib. 1. piiſſimum hunc Imperatorem velut omnium Epiſcopum appellat. Immo & ipſe Conſtantinus Epiſcopos alloquens, apud eumdem Euſeb. hiſtor. lib. 14. cap. 24. inquiebat: „ Vos in his, quæ intra Eccleſiam ſunt, Epiſcopi eſtis, ego vero in his, quæ extra geruntur, Epiſcopus a Deo ſum conſtitutus “. Epiſcopatus autem definiri poteſt: *Ordo ſive Sacer Ritus, quo Eccleſiæ regimen, & poteſtas tum ordinandi Miniſtros, tum Neophytos confirmandi conferuntur*. Ordinem quidem eſſe a Presbyteratu diſtinctum, non vero Sacramentum ab eo diverſum diximus ex D. Thom. ſuperius Diſſert. 1. cap. 2. Conſ. 4.

X. Duplex in Epiſcopo poteſtas, Ordinis ſcilicet, & juriſdictionis. Priore Sacerdotes, ceteroſque Miniſtros ordinare poteſt, nec non Confirmationem conferre, etiam non ſubditis, valide quidem, ſed non licite: poſteriorem vero nonniſi in ſubditos nec licite, nec valide exercere poteſt. Hinc qui Diœceſi carent, nec ſubditos, quos regant, obtinent, nec valide cenſuras ferre poſſunt, nec poteſtatem concedere audiendi confeſſiones. Utramque tamen poteſtatem obtinent Epiſcopi jure divino juxta Apoſtoli teſtimonium Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo*. Et revera teſtantur Patres, & Concilium Tridentinum, Epiſcopos eſſe Apoſtolorum Succeſſores: quamobrem eodem jure convenit Epiſcopis utraque poteſtas, quo conveniebat Apoſtolis. Unde optime docet Concilium Aquiſgranenſe cap. 9. „ Ceteri Apoſtoli in toto Orbe diſperſi Evangelium prædicarunt, quibus decedentibus ſucceſſerunt Epiſcopi, qui ſunt conſtituti. Quod & confirmavit Nicolaus I. ep. 47. dicens: „ Chriſtus Cælum ſubiturus Eccleſiam Apoſtolis commendavit, ac per eos tanquam hæreditario jure ſucceſſoribus eorum, nobis ſcilicet, quos Paſtores, & Epiſcopos, ac Pontifices ſuper ipſam conſtituit, ejus providentiæ curam indulſit, quatenus pro patribus nati ſunt filii, & pro eis conſtituti Principes in omnem terram, imitatores eorum eſſemus, ſicut & ipſius Chriſti “.

XI. Sunt etiam Epiſcopi jure divino poteſtate, & dignitate Presbyteris ſuperiores. Quemadmodum enim Apoſtoli aliis ſeptuaginta diſcipulis divina electione, & ſpeciali prærogativa ſuperiores erant; ita & Epiſcopi Presbyteris: nam, ut inquit Sanctus Hieronymus epiſt. 88. „ Apoſtolorum locum tenent Epiſcopi, Diſcipulorum vero Presbyteri “. Confirmat perpetua Patrum traditio. Sanctus Ignatius M. in epiſt. ad Smyrneos ſcribebat: „ Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Eccleſiam ſpectant: & honora Deum, ut omnium Auctorem & Dominum, Epiſcopum autem, ut Principem Sacerdotum “. Et in epiſt. ad Magneſianos iterum repetit: „ Quemadmodum Dominus ſine Patre nihil facit unicus exiſtens: ita vos ſine Epiſcopo, nec Presbyter, nec Diaconus “. Tertullianus lib.

lib. de Baptiſmo cap. 3. „ Jus dandi Baptiſmum „ habet Summus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, de- „ inde Presbyteri “. Et S. Epiphanius hær. 75. num. 3. „ Ordo Epiſcoporum ad gignendos Pa- „ tres præcipue pertinet. Hujus enim Patrum in „ Eccleſia propagatio. Presbyter, cum Patres „ non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis lotione „ producit “. Dignitatem Epiſcoporum ſupra Presbyteros oſtendit etiam Theologica ratione S. Thom. hic q. 40. art. 4. ad 3. ſcribens: „ Il- „ le eſt ſuperior, qui ſecundum majorem perfe- „ ctionem Chriſtum repræſentat. Sacerdos autem „ repræſentat Chriſtum in hoc, quod per ſe ipſum „ aliquod miniſterium implevit; ſed Epiſcopus in „ hoc quod alios Miniſtros inſtituit, & Eccleſiam „ fundavit. Unde ad Epiſcopum pertinet man- „ cipare aliquem divinis officiis, quaſi cultum Di- „ vinum ad ſimilitudinem Chriſti ſtatuentem. Et „ propter hoc etiam Epiſcopus ſpecialiter ſponſus „ Eccleſiæ dicitur, ſicut & Chriſtus “.

XII. Materia, & forma Epiſcopatus ſitæ ſunt in impoſitione manus, & in oratione, qua invocatur Spiritus Sanctus, ad quam pertinent ea verba E- piſcopi dicentis: *Accipe Spiritum Sanctum*. Impo- ſitio autem Evangelii ſuper caput Ordinati anti- quiſſimus eſt Eccleſiæ ritus, nullo pacto omitten- dus. Et quidem impoſitionem manuum eſſe Epi- ſcopatus materiam dubitare non ſinunt Sacræ Scri- pturæ teſtimonia, & præcipue D. Pauli ſcribentis Timotheo: *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterii*. Et con- firmat perpetua Eccleſiæ traditio in tot Conciliis, & Patrum teſtimoniis manifeſta. Concilium Car- thagin. IV. anni 398. cap. 2. jubet: „ Epiſcopum „ ordinandum eo modo, ut uno ſupra eum fun- „ dente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, „ qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant “. Orationem vero, & invocationem Spiritus Sancti, formam eſſe diſerte affirmat Sanctus Auguſtinus ſu- per geſtis cum Emerito: „ Invocatio nominis „ Dei ſuper caput ipſorum, quando ordinantur E- „ piſcopi, invocatio illa Dei eſt, non Donati “. Ritum autem ponendi Evangelium ſuper caput Or- dinandi in Epiſcopum antiquiſſimum eſſe conſtat tum ex Conſtitut. Apoſtol. quæ D. Clementi R. Pontif. adtribuuntur lib. 8. cap. 4. ubi dicitur: „ Unus ex primis Epiſcopis una cum duobus aliis „ ſtantibus prope Altare . . . . aperta Evangelia „ ſuper caput ejus qui ordinatur, tenentibus “. Quod confirmat & antiquus Auctor lib. de Eccl. Hierarchia cap. 5. dicens: „ ſuper caput haben- „ tes divinitus data Evangelia, manumque Pon- „ tificis “. Et S. Jo. Chryſoſt. homil. de Legiſla- tore: *Evangelium Chriſti capiti imponitur*. Et Concil. Carthag. IV. ſub finem IV. ſeculi cap. 2. jubet: „ Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi „ ponant, & teneant Evangeliorum codicem ſu- „ per caput “. Proinde non omittenda, &, ſi quo caſu omiſſa, omnino ſupplenda.

XIII. Ad licitam Epiſcoporum ordinationem plures requiruntur Epiſcopi ex præcepto, & con- ſuetudine Eccleſiæ; neceſſitate tamen urgente con- cedere poteſt Summus Pontifex, ut etiam ab uno Epiſcopo peragatur Ordinatio. Prima pars con- ſtat ex plurimis tum Conciliorum, tum Summorum Pontificum Decretis, immo & hunc ritum ab A- poſtolis deſcendiſſe colligit Chryſoſt. ex illis ver- bis Apoſtoli ad Timotheum, *Noli negligere gra- tiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manus Pres- byterii*. Statuit vero Canon inter Apoſtolicos di- ctos 2. *Epiſcopus a duobus, vel tribus Epiſcopis ordinetur*. Concilii Arelaten. I. can. 2. *Placuit, ut nullus ſibi præſumat* (Epiſcopum ordinare) *niſi aſſumptis ſecum aliis ſeptem Epiſcopis; ſi autem non potuerit ſeptem, ſine tribus fratribus non au- deat ordinare*. Et confirmat Nicæni I. can. 4. Pontifices vero idem ſtatuunt. S. Gregorius in Re- ſponſis ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ait: *Epiſcoporum ordinatio ſine aggregatis tribus, vel quatuor Epiſcopis fieri non debet*. Et Gregor. III. ad Bonifacium Moguntinum ſcribit: *Quoties Epi- ſcopum conſecraveris, duo, vel tres conveniant te- cum Epiſcopi, & eis convenientibus, ipſiſque præ- ſentibus conſecres*. Datam tamen aliquando poteſta- tem, ut unus tantum peragere poſſit eam ordina- tionem, oſtendit reſcriptum S. Greg. M. ad laud. Auguſtinum Epiſcopum Anglorum, qui concedit, ut cum ſolus ſit in Anglia Epiſcopus, etiam ſine Epiſcopis poſſit eam habere Ordinationem; quod & poſteriores Summi Pontifices imitati ſunt, con- cedentes, ut in Infidelium partibus, ubi non ſunt Epiſcopi, etiam ab uno Epiſcoporum Ordinatio peragatur.

XIV. Tenentur Epiſcopi in ſuis Diœceſibus re- ſidere: & licet Concilium Tridentinum noluerit definire, reſidentiam Epiſcoporum eſſe de jure di- vino; declarat tamen Paſtores præcepto divi- no teneri ad officia, quæ ſine reſidentia minime poſſunt implere, ut videre eſt ſeſſ. 2. cap. 1. 2. Jubet abſentiæ tempus ſingulis annis ſive conti- nuum, ſive interruptum, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere. 3. Decla- rat, peccare lethaliter, qui hoc Decretum infre- gerit. 4. Denique abſentes per ſex menſes a ſua Diœceſi, mulctat privatione quartæ partis fructuum unius anni: quod ſi per alios ſex menſes ea per- duraverit abſentia, alia quarta parte, creſcente vero contumacia, ſeveriori Canonum cenſuræ ſub- jicit.

XV. Eminens requiritur in Epiſcopis ſcientia, atque doctrina. Patet manifeſte ex Apoſtolo, qui Epiſcopum jubet eſſe *Doctorem, ut potens ſit ex- hortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Et confirmat S. Thom. hic q. 36. art. 2. ubi poſtquam locutus eſt de ſcientia neceſſaria in illo, qui ſolum poteſtatem, & miniſterium ſuum exercet circa reale Chriſti corpus, ſubdit: „ Alii „ autem promoventur ad alium actum, qui eſt ſu- „ pra corpus Chriſti myſticum, & a talium ore „ populus legem requirit: unde ſcientia legis in „ eis eſſe debet, non quidem ut ſciant omnes dif- „ ficiles quæſtiones legis (quia in his debet ad „ Superiores recurſus haberi) ſed ut ſciant ea, „ quæ populus debet credere, & obſervare de le- „ ge. Sed ad Superiores Sacerdotes, ſcilicet Epi- „ ſcopos pertinet, ut etiam ea, quæ difficultatem „ in lege facere poſſunt, ſciant, & tanto magis, „ quanto in majori gradu collocantur “. Hinc merito in Concil. Carthag. IV. cui S. Auguſtinus interfuit, ſtatuitur, ut ordinandus in Epiſcopum examinetur, *Si in lege Domini ſit inſtructus, ſi in Scripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus ec- cleſiaſticis exercitatus*.

CA-

CAPUT NONUM.

De obſervandis, fugiendiſque communiter a Clericis.

Doctrina.

I. *Clerici eſſe debent ſervitio alicujus Eccleſiæ addicti.*
II. *Tenentur Tonſuram, & Clericalem veſtem deferre.*
III. *Nonnulla Clericis communiter interdicta.*
IV. *Alia nonnulla pariter vetita.*
V. *Arma deferre prohibentur.*
VI. *Indulgere venationibus vetitum.*

I. CLerici omnes debent eſſe alicujus Eccleſiæ ſervitio addicti. Ita jubent, & mandant omnes tum antiquiores, tum recentiores Eccleſiæ Canones, Decreta, & ſtatuta; adeo ut nihil magis ſpiritui, & legibus Eccleſiæ adverſetur, quam vaga, & libera, nulliuſque Eccleſiæ ſervitio obſtricta Clericorum ordinatio. Proinde Concilium Chalcedonenſe can. 6. jubet: „ Nullum abſolute „ ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec „ omnino aliquem eorum, qui ſunt in ordine ec„ cleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia Civi„ tatis, vel Regni, vel Martyrio, vel Monaſte„ rio is, qui ordinatur, deſignetur. Eos autem „ qui abſolute ordinantur, decrevit S. Synodus ir„ ritam, ac invalidam habere hujuſmodi manuum „ impoſitionem, & nuſquam exercere, ac operari „ poſſe ad ejus, qui ordinavit, injuriam". Hanc ſapientiſſimam ordinationem injuria temporum neglectam, & pene dixerim abolitam innovavit Tridentina Synodus, & præfatam Concilii legem inſtauravit Seſſ. 23. cap. 16. de Reform. dicens: „ Cum nullus debeat ordinari, qui judicio ſui E„ piſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Ec„ cleſiis, Sancta Synodus, veſtigiis ſexti Canonis „ Concilii Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit, ut „ nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, „ aut pio loco, pro cujus neceſſitate, aut utilita„ te aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur „ muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quod „ ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei ſa„ crorum exercitium interdicatur". Quæ lex profecto non ſolum eos obſtringit, qui titulo alicujus eccleſiaſtici beneficii manus impoſitionem accipiunt, ſed & illos, qui titulo Patrimonii adſcribuntur; cum idem Concilium ſtatuat, nullum præfato titulo eſſe ad Ordines promovendum, niſi Eccleſiæ vel neceſſitas poſtulet, vel utilitas.

II. Tenentur Clerici, præſertim in ſacris conſtituti, aut Eccleſiaſticum beneficium obtinentes, veſtem Clericalem, & tonſuram deferre. Nullum quidem hac de re ſtatutum legitur in antiquorum Conciliorum Decretis; quia primis Eccleſiæ ſeculis nulla erat, vel exigua diſtinctio inter Clericales & ſeculares veſtes, cum omnes talarem gestarent. At poſtquam laici veſtes mutarunt quoad formam, & non amplius talares, ſed breviores ab ipſis fuerunt aſſumptæ, Concilia, & Summi Pontifices plura ſanxerunt ad modeſtiam indumentorum in Clero conſervandam. Et quidem quoad clericalem Tonſuram; 1. vetitum eſt in Occidentali Eccleſia comam nutrire; nam cap. *Pſalmiſta* 20. diſt. 23. dicitur: *Clerici comam nutrire prohibentur*. Et Cap. *Prohibita* 26. ejuſd. diſtinct. indicitur: *Clerici, juxta Apoſtolum, comam non nutriant*. 2. Mandatur, ut Tonſuram patentem deferant, ideſt caput in modum ſphæræ raſum deferant, ut indicitur in jure canonico laud. locis. In 1. ſiquidem ſubditur: *Clericorum caput deſuper in modum ſphæræ raſum eſſe debet*; & in 2. *Deſuper caput in modum ſphæræ radant*; & in Cap. *Clerici*, cap. 15. de vita, & honeſt. Cleric. indicitur: *Coronam, & Tonſuram habeant congruentem*. Quæ congruentia in præſenti diſciplina in eo ſita videtur, ut inferiores Clerici minoris circuli Tonſuram ferant; qui vero ſunt in Sacris conſtituti, majorem; qui vero in dignitate eccleſiaſtica fulgent, longe ampliorem, ut Archidiaconi, Parochi, Epiſcopi. Quoad veſtes vero 1. vetitum eſt ſeculares induere veſtes. Cap. Epiſcopi 3. cauſa 21. indicitur: *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi ſecularibus indumentis non utantur, niſi ut condecet tunica Sacerdotali .... quod ſi temere præſumpſerint contra ſtatuta agere, communione priventur*. 2. Nec uti indumentis rubeis aut viridibus, aut virgatis, vel partitis. 3. Nec ornamenta in veſtibus deferre vana plane, & mundana cap. Clerici officia 15. de vita & honeſt. Cleric. indicitur: *Pannis rubeis, vel viridibus, neque corigiis auri, vel argenti ornatum habentes .... nec veſte virgata, aut partita ... nec diverſi coloris, aut diverſæ partis utantur*. 4. Ut & uniformitas, & modeſtia in veſtibus ſervetur, jubet Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 6. de Reform. ſtatuens, Clericale indumentum eſſe debere decens, & honeſtum, *ac juxta Epiſcopi ordinationem*. Sunt itaque a Clericis attendendæ ſive Synodales, ſive Epiſcopales ordinationes, quibus ſe conformare tenentur in Clericali veſtitu. Porro in omnibus Diœceſibus hæc communiter ſtatuta ſunt. 1. Ut veſtis ſit talaris, & uſque ad pedes protenſa. 2. Ut ſit nigri coloris, niſi aliquibus ratione dignitatis, vel muneris, vel officii conceſſum ſit uti veſte violacea. 3. Ut proprium Clericalis Ordinis ad collum deferat cinctorium. 4. Quod ſine illo nunquam in publicum prodeant. 5. Ad Eccleſiam Sacra Miniſteria peracturi nunquam ſine veſte talari accedant. 6. Solum conceditur uſus veſtis contractioris in itinere; ut declaravit S. Carolus Borromæus in ſuo 2. Concil. Diœceſ. his verbis: „ Clericis iter habentibus „ quamvis veſtitu contractiori uti licebit, at de„ centem tamen illum, atque hujuſmodi eſſe opor„ tet, ex quo eos eſſe eccleſiaſtici ordinis homines „ agnoſci facile poſſint". In aliquibus tamen Diœceſibus uſus invaluit, ut Clerici etiam contractiore utantur veſte extra Eccleſiam, cum in publicum incedunt, quæ conſuetudo, ſi ab Epiſcopis toleretur, a culpa excuſare poteſt; at ſi ab ipſis omnino prohibeatur, parendum eſt. Porro hæc omnia Epiſcopalia ſtatuta, & decreta ſub gravi Clericos obſtringunt, cum ſint in re gravi, honeſtatem, & decentiam reſpiciente Clericalis ſtatus; & oſtendunt pœnæ tranſgreſſoribus indictæ vel ſuſpenſionis, vel privationis Beneficiorum, quæ licet ſint non latæ, ſed ferendæ ſententiæ, juxta regulam tamen, quam ſtatuimus tract. 1. de Leg. Diſſert. 3. cap. 10. Conſect. 4. & 5. indicant præceptum ſub gravi obſtringens.

III. Plura ſunt Clericis interdicta, quæ recenſet S. Carolus Borromæus in ſuo Mediolan. Conc. 1. cap. 21. quorum nonnulla expendimns. 1. Interdicitur Clericis mercatura; & de hoc argumento late diſputavimus Tract. 6. de Juſt. & jur. capp. 12. & 13. Hic addimus, & illis vetitum in negotiis, & mercaturis proxenetam agere; cum & hoc negotiari ſit, & quidem viliori, & Clericali ſtatu indigno plane modo. 2. Eſt illis interdictum artem medicam, & chirurgicam exercere; & de hoc pariter argumento diximus Tract. de Cenſuris in particul. cap. 13. de Irregularitate n. 10. 3. Prohibentur Clericis officia Patroni, ſive Advocati, & Procuratoris in ſeculari Foro, & judicio: nam in Jure Canonico cap. *Clerici* de poſtulando indicitur: „ Clerici in Subdiaconatu, & ſupra, in Or„ dinibus quoque Minoribus, ſi ſtipendiis Eccle„ ſiaſticis ſuſtentantur, coram ſeculari Judice Ad„ vocati in negotiis ſecularibus fieri non præſu„ mant, niſi propriam cauſam, vel Eccleſiæ ſuæ „ fuerint proſecuti, aut pro miſerabilibus forte „ perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non „ poſſunt “. Et cap. *Sacerdotibus* 2. ſtatuitur: „ Sacerdotibus, & Clericis tuis denunties publice, „ ne Miniſtri Laicorum fiant, nec in rebus eorum „ procuratores exiſtant “. Eapropter nec Villarum poſſunt eſſe Procuratores, nec Principum Vicesgerentes, Vicedomini, Cancellarii, Præpoſiti, Judices, vel alia quacumque ratione Officiales. Hæc enim omnia munia Clericalem dedecent ſtatum, & ſunt Clericis aperte vetita in pluribus juris canonici legibus, & ſtatutis. Quinimmo eſt vetitum Clericis Tutelam teſtamentariam, vel dativam extraneorum ſuſcipere, & ſolum illis conceditur aſſumere tutelam legitimam conſanguineorum uſque ad quartum gradum; dummodo tamen ad hoc munus licentiam obtineant vel a Sede Apoſtolica, vel a proprio Epiſcopo.

IV. Vetitum eſt Clericis cum fœminis familiariter converſari. Ita ſtatuitur cap. Volumus 24. Diſt. 80. *Volumus, ut Sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus converſentur*. Proinde & illis interdicitur domos mulierum frequentare; ut hab. laud. Diſt. cap. *Clericus* 20. *Ad fœminarum domos Clericus ſolus non accedat; nec frequenter properet ſine majoris notæ Sacerdotis juſſione, nec ſolus Presbyter cum ſola fœmina fabulas miſceat*. Immo nec eas in propriis domibus excipere debent juxta præceptum D. Hieronymi in Jure canonico relatum: „ Hoſpitiolum tuum aut raro, aut numquam mu„ lierum pedes terant; quia non poteſt toto cor„ de cum Deo habitare, qui fœminarum acceſſi„ bus copulatur. Fœmina conſcientiam ſecum „ pariter habitantis exurit “. Hinc mulieres aliquo modo ſuſpectæ, licet conſanguineæ ſint, vel affines, vel provectæ ætatis, ſunt ab Eccleſiaſticis e ſuis domibus expellendæ. Ita ſtatuitur cap. *inhibendum* 1. de cohabit. Cler. & Mulier. „ In„ hibendum eſt, ut nullus Sacerdos fœminas, de „ quibus ſuſpicio eſſe poteſt, retineat, ſed neque „ illas, quas Canones concedunt . . . . quia in„ ſtigante Diabolo & in illis ſcelus perpetratum „ reperitur “. Quacumque autem ſuſpicione ceſſante, conceditur Clericis domi ſuæ, domeſticæ rei curandæ gratia, ſive alia honeſta de cauſa conſanguineas mulieres retinere, ut decernitur cap. Cum omnibus 27. diſt. 81.: „ Cum omnibus o„ mnino Clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, „ ſed ſolæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, ſo„ rores, & filiæ fratrum, aut ſororum, & quæ„ cumque ex familiæ domeſticæ neceſſitate, etiam „ antequam ordinarentur, jam cum iis habitabant: „ vel ſi filii eorum, jam ordinatis parentibus, u„ xores acceperint, aut ſervis non habentibus in „ domo, quas ducant, aliunde ducere neceſſitas „ fuerit “. Famulas quoque pro domeſticis curis habere non prohibetur Clericis; dummodo ſint extra omnem ſuſpicionem, & provectæ ætatis; in quo tamen & ſervandæ ſunt Synodales Conſtitutiones, & Epiſcoporum decreta. Vetiti ſunt etiam Clericis & ludi lucrativi, & aleatorii, nec non choreis, & ſpectaculis, ac Theatris intereſſe, de quibus late diximus de Contract. q. 3. cap. 4. & 6.

V. Vetitum eſt Clericis, & præſertim Regularibus arma deferre. Plura ſunt de hoc in Jure canonico ſtatuta, & decreta, quæ etiam excommunicationis pœnam in transgreſſores indicunt. At licet juris canonici Doctores putent eſſe non latæ, ſed ferendæ ſententiæ; tamen optime inferunt lethale peccatum eſſe hoc præceptum violare; quia, ut dicitur in jure, *Anathema eſt æternæ mortis damnatio, & nonniſi pro mortali debet imponi crimine*. Monachis quoque, & Regularibus interdicitur Decreto Clementis V. in ſua Conſtit. *Ne in agro*, ſub pœna excommunicationis arma intra ſepta Monaſterii tenere. Quod Decretum reſpiciens Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium legem tulit hujus tenoris: „ Sacra Congregatio innovans „ Decretum Clementis V. de armis ſub pœna ex„ communicationis intra ſepta Monaſterii non te„ nendis, ſtatuit, ne in ſtatu Mediolanenſi quiſ„ quis Regularis cujuſcumque Ordinis arma cujuſ„ vis generis prohibita, præſertim vero ſclopos „ retortos, tam longiores, quam breviores, intra „ Eccleſias, ſuaque Monaſteria in dicto Statu te„ nere audeat, aut præſumat, ſub pœna excom„ municationis latæ ſententiæ, quam ſibi reſerva„ vit “. Quod Decretum, licet reſpiciat ſolum Mediolanenſem Provinciam, tamen cum in eo univerſale Decretum Clem. V. innovet, & explicet, juris canonici periti nonnulli ad omnes Regulares extendunt. Arma autem Clericis vetita ex pluribus Synodis ſunt enſes, pugiones, balliſtæ, haſtæ, tormenta bellica, ſive longiora, ſive breviora, & alia inſuper, quæ & laicis deferre plerumque legibus vetitum eſt. Solum illis conceditur, ut in itinere periculoſo arma in defenſionem ferre poſſint, ut ſtatuitur in Conciliis Moguntino anni 1549. *Nulla arma induant, niſi itinerantes*. Et in Narbonenſi anni 1551. *Nec enſem, nec pugionem, nec aliud armorum genus geſtent, niſi propter itineris neceſſitatem*.

VI. Nec venationibus indulgere conceſſum eſt Clericis. Sequitur ex præcedenti ſtatuto, quo prohibentur arma deferre, cum venationes communiter cum armis exerceantur. Ita Gonzales Comment. in cap. 1. de Clerico venat. ſcribit: „ Ve„ natio ſylvatica, aucupatica, ſaltuoſa, de qua in „ præſenti agitur, eſt, dum armis, canibus, ſeu „ avibus quis animalia terreſtria, ſeu aves au„ cupatur, & ratio prohibitionis eſt, quia plerum„ que fit armis “. Hanc autem clamoroſam venationem Clericis omnibus interdictam fatentur omnes tam juris Canonici periti, quam Theologi, ut ſta-

ſtatuit etiam Tridentinum Concil. ſeſſ. 24. de Reform. *Ab illicitis venationibus, & aucupiis abſtineant*. Illam itaque ſolum permittunt Theologi venationem Clericis, quæ omnino ſine armis peragi poteſt, dummodo eam frequenter non exerceant. Ita docent juris Canonici Doctores. Abbas in cap. 1. de Cler. venat. n. 2. ait: „ Quædam vero eſt „ venatio, quæ fit cum retibus, ſeu laqueis, & „ licita eſt Clericis, dummodo frequenter non in- „ ſiſtant “. Hoſtienſis in Sum. eodem tit. „ Licet „ Clericis cauſa neceſſitatis, utilitatis, recreatio- „ nis cum retibus, laqueis, & canibus venari, „ dummodo cum ſilentio, & modeſtia “. Turrecremata in cap. quorumdam diſt. 33. n. 9. „ Alia „ venatio, quæ fit cum retibus, & laqueis forte „ licita eſt Clerico; quia non fit cum clamore, „ nec emittuntur voces “. Graff. deciſ. aur. par. 2. lib. 3. n. 9. „ Venatio cum laqueis, & pedicis „ atque retibus Clericis eſt licita, dummodo cum „ ſilentio, & modeſtia “. Hæc omnia retuli teſtimonia, ut clare appareat nullum eſſe uſum armorum admittendum in Clericorum venatione. Num vero licita ſit conſuetudo invecta aucupandi cum tormento bellico longiore, quod etiam aucupatorium vocant, videant Epiſcopi, qui juſta, & rationabili de cauſa poſſunt Clericis ſuis arma ferendi veniam impertiri, nunquam tamen pro venationibus clamoroſis, ſive voluptuoſis.

CAPUT DECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *A Tridentino innovata omnia Decreta de honeſtate Clericorum.*
II. *Clerici in Minoribus conſtituti, quibus ſubjaceant pœnis Tonſuram, & veſtem clericalem non deferentes.*
III. *In ſacris conſtituti graviter peccant.*
IV. *Et qui perſonati publice incedunt.*
V. *Qui comam nutriunt in cincinnos retortam, & vanitatem in veſtitu oſtendunt.*
VI. *Qui in domibus Nobilium Matronis inſerviunt, & rei domeſticæ curam gerunt.*
VII. *Qui ebrietati, & comeſſationibus indulgent. Reflexio.*

Conſectarium Primum.

I. OMnia Eccleſiæ Decreta, Statuta, Canones de vita, & honeſtate Clericorum ſunt a S. Tridentina Synodo innovata, confirmata, & roborata. En S. Synodi Decretum ſeſſ. 22. cap. 1. de Reform. „ Statuit S. Synodus, ut, quæ alias a „ Summis Pontificibus, & a Sacris Conciliis de „ Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque „ retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, „ choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, necnon ſecularibus negotiis fugiendis copioſe, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in „ poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus, arbitrio „ Ordinarii imponendis, obſerventur; nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum corruptionem pertinet, ſuſpendat. Si qua vero ex „ his in deſuetudinem abiiſſe compererint, ea quamprimum in uſum revocari, & ab omnibus accurate cuſtodiri ſtudeant: non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque: ne ſubditorum neglectæ „ emendationis ipſi condignas, Deo vindice, pœnas perſolvant “. Quo ſaluberrimo Decreto funditus ſubruta manet excuſatio illorum, qui in ſuorum criminum excuſationem afferunt antiquos Canones contraria eſſe conſuetudine vel abolitos, vel temperatos.

Conſectarium Secundum.

II. Clerici in Minoribus conſtituti Tonſuram non deferentes, & laicali utentes veſte, licet pœnis non ſubjaceant latis contra non deferentes Tonſuram, vel habitum clericalem, tamen privantur privilegiis fori, & canonis, & ipſo clericali habitu perpetuo ſpoliari poſſunt. Verum quidem eſt Decreta, & Canones jubentes delationem Tonſuræ, & clericalis veſtis Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Beneficium eccleſiaſticum obtinentes præſertim afficere; ſed illud in cauſa eſt, quia cum Eccleſia de internis non judicet, præſumit merito, præfatos Clericos, qui abjecta Tonſura, laicam gerunt veſtem, animum depoſuiſſe manendi in eccleſiaſtico ſtatu; proinde non illis ſubjicit pœnis, quæ ſolos reſpiciunt Eccleſiaſticos. Hinc ſequitur Clericum in Minoribus conſtitutum reum eſſe violatæ legis, & canonum, & eorum ſubjici pœnis, ſi animum gerens perſeverandi in ſtatu clericali, nihilominus nec Tonſuram deferat, nec veſtem clericalem. Merito itaque a Tridentino Concilio privantur privilegio fori, & Canonis, ut indicitur ſeſſ. 23. cap. 6. de Reform. „ Et is etiam fori pri- „ vilegio non gaudeat, niſi . . . . . . clericalem habitum, & Tonſuram deferat “. Et merito, quoniam ignominiam ſæcularis habitus, quam depoſuerant, iterum induunt. Plures itaque Synodi juſte ſtatuunt, Clericos deponentes habitum, & Tonſuram ferre negligentes, non poſſe ipſum amplius aſſumere, etiamſi ſolum per aliquot dies dimiſerint animo reaſſumendi. Ita ſtatuit Synodus Cremenſis anni 1688. cap. 4. „ Qui clericalem habitum ſemel legitime ſumptum dimiſerit, „ & inſtar laici animo iterum illum ſumendi per „ dies in publicum prodierit, ſi poſtea, nobis inconſultis, dimiſſum clericalem habitum reaſſumpſerit, noverit ſe omni ſpe fruſtratum in poſterum clericandi “.

Conſectarium Tertium.

III. Peccant graviter Clerici, ſaltem in Majoribus conſtituti, & Beneficiis donati, ſi per aliquod tempus Tonſuram, vel veſtem clericalem non deferant. Nam violant præceptum grave a Canonibus, Pontificibus, & Synodis indictum, & inculcatum. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 6. ſtatuit: „ Etſi habitus non faciat Monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini SEMPER deferre ..... Tanta autem „ hodie aliquorum inolevit temeritas, religioniſque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem parvi pendentes, veſtes etiam deferant „ publice laicales, pedes in diverſis ponentes, unum „ in divinis, alterum in carnalibus “. In Clem. de „ vita & honeſt. Cler. „ Qui abjectis veſtibus proprio „ congruentibus Ordini, alias aſſumere, & in publicum portare, rationabili cauſa ceſſante, præ-

„ ſu-

„ ſumit, profeſſorum illius Ordinis prærogativa ſe reddit indignum, præſenti Conſtitutione ſancimus &c. " & pœnas graves infligit in hos tranſgreſſores Sixtus V. ſua Conſtitut. *Cum ſacroſancta* jubens: „ Ut Clerici & eorum quilibet, quantumvis exempti exiſtant, & quovis privilegio, vel immunitate gaudeant, quacumque dilatione, aut tergiverſatione poſtpoſita, debeant omnino ... Tonſuram, & habitum clericalem, veſtes ſcilicet talares, quacumque remota excuſatione aſſumere, & *jugiter* deferre ". Conſentiunt Canoniſtæ. S. Raymundus lib. 1. de Apoſt. cap. 4. „ Numquid Clerici ſeculares, qui non portant coronam, vel Tonſuram, vel habitum congruentem, ſunt in ſtatu ſalvandorum? Ad hoc licet aliqui ſcandalizentur volentes ſibi applaudere in peccatis, & dicentes omnia jura, quæ ſuper hoc emanarunt, de conſilio intelligenda, dico quod non. Cum enim pro tali apoſtaſia pœna gravis, & multiplex imponatur, patet, quod non eſt conſilium, ſed præceptum ". Benedictus XIII. in Synodico Beneventanæ Eccleſiæ Tit. 17. cap. 7. „ Noverint Beneficiati omnes, quod nulla tenuitatis beneficii habita ratione, in habitu, & tonſura decentibus incedere tenentur, prout in Melphitenſi Sacra Congregatio Concilii declaravit ". His accedunt Synodales omnium Eccleſiarum Conſtitutiones, quæ hoc præceptum inculcant, & pœnas etiam ſuſpenſionis indicunt; quod profecto grave peccatum ſupponit. Immo S. Carolus in Synodo Mediolanenſi anni 1566. inter ſibi reſervatos caſus hunc recenſuit: *Clerici, quive eccleſiaſtica Beneficia obtinentes habitum clericalem non induunt.* Confirmant & ſeveriores pœnæ indictæ tranſgreſſoribus. Nam Tridentina Synodus illos puniendos decernit „ per ſuſpenſionem ab Ordinibus ac officio, & Beneficio, ac fructibus, & reditibus, & proventibus ipſorum Beneficiorum, & etiam per privationem officiorum, & Beneficiorum ". Hinc audiendi non ſunt Theologi docentes, 1. Neglectum Tonſuræ, & veſtium clericalium non eſſe de ſe grave peccatum, niſi ſit *periculum cauſandi vilipendium, vel contemptum*. 2. Non peccare mortaliter Clericum, in cujus capite per plures hebdomadas nullum apparet veſtigium clericalis Tonſuræ. 3. Licet etiam id a Synodalibus Conſtitutionibus vetitum ſit, quamvis fiat comminatio excommunicationis, vel ſuſpenſionis. 4. Hanc comminationem non inferre gravem culpam in tranſgreſſore, quippe quia eſt ferendæ, non latæ ſententiæ. Quæ doctrinæ tanquam falſæ, nulloque modo probabiles, ſunt rejiciendæ. Solum non tam aperte improbabilis videtur illorum doctrina, qui putant, brevitatem temporis a lethali peccato Clericum habitum deponentem excuſare; ut ſi quis ex levitate per horam, nullo pravo fine per urbem, vel agros ſeculari veſte indutus vagetur. Sicut proculdubio omnino non peccant, qui vel urgente neceſſitate, vel poſtulante caritate clericalem ad tempus vel non deferunt, vel occultant veſtem.

Conſectarium Quartum.

IV. Peccant lethaliter Clerici, & Beneficiati, qui perſonam induunt, & perſonati in publicum prodeunt. Regulares perſonam induentes lethaliter peccare, & excommunicationi ipſo facto ſubjacere, oſtendi in Tract. de Contract. p. 3. cap. 7. Hic autem de Clericis ſecularibus loquor. Eos lethaliter peccare perſonam aſſumentes, ſed non ſubjacere excommunicationi bini Scriptores luculenter probarunt, ſcilicet P. Concina in ſua quæſtiuncula de Regularibus perſonatis, & P. Ceresara in Diſſert. de eodem argumento, ex quibus nonnulla mutuabor. Et primo quidem veritas noſtræ doctrinæ ſequitur ex præcedenti Conſectario; ſi enim Clerici *jugiter*, *ſemper* ex Conciliorum Decretis tenentur Clericalem Tonſuram patentem, & eccleſiaſticam veſtem deferre, dum in publicum prodeunt; profecto qui larvas aſſumunt, & perſonati prodeunt, hoc violant præceptum, cum nulla ſubſit cauſa juſtæ depoſitionis, & occultationis, immo pravus eos moveat finis, vagandi ſcilicet libere per urbem, in theatris aſſidendi, aulas luſorias frequentandi. Et præterea id omnino vetant plura Concilia. In Mediolanenſi I. ſub S. Carolo P. 11. indicitur: „ Clerici perſonati non incedant ". Aquilejenſe anni 1596. „ Perſonatum incedere Clericum, turpe, vanum, periculoſum, non ferendum ". Farfenſe: „ Clericos præſertim ſacris Ordinibus initiatos ... larvatos, ſeu perſonatos in publicum prodere ſub ſuſpenſionis, aliiſque arbitrariis pœnis prohibemus ". Venuſinum: „ Caveant Clerici omnes cujuſcumque generis, ne perſonati incedant ". Conſentiunt Burdigalenſe anni 1583. Bituricenſe an. 1584. Narbonenſe anni 1509. Accedunt Canoniſtæ. Barboſa Juris univerſi lib. 1. cap. 40. „ Octavo, nec larvati Clerici incedere debent, ſeu habitum perſonarum ſuſcipere ". Belletus diſq. Cler. P. 1. §. 23. „ Cum ſit prohibitum Clericis larvas ante ſe fieri conſentire, quia hoc eſt diabolicum, multo magis larvis ſe tegere ". Engel lib. 3. Decret. „ Multo minus debent ipſi Clerici hiſtriones agere, larvati incedere, aut perſonarum habitum induere ". Reiffenſtuel loc. cit. n. 184. „ Clericis etiam prohibitum eſt larvas dæmonum ante ſe fieri, quia hoc eſt diabolicum, multoque magis larvis ſe tegere ". Monacelli P. 111. tit. 5. „ Non debent Clerici incedere cum larva, quia qui hoc facit lethalis culpæ reus eſt .... Si enim iſte luſus larvarum in laicis eſt improbandus ... quid dicendum in Clericis, quibus a ſacris Canonibus expreſſe vetitum eſt ". Cardinalis de Laurea epi. can. V. Clerici: „ Clerici non poſſunt perſonati incedere (cum maſchera) nec choreas ducere &c. ". Conſentiunt Theologi. Cajetanus 2. 2. q. 168. art. 3. „ Ex levitate autem, & ſine ſcandalo ludere Clericis veniale eſt, niſi ex natura actus, qui aſſumitur in ludum, repugnet Clerico, ut aſſumere arma, larvas, & hujuſmodi ". Sylveſter V. Ludus: „ Clericis interdictus eſt ludus larvalis, quia habitum mutare non poſſunt, niſi ex rationabili cauſa ". Armilla V. Larvæ: „ Credo Clericos utentes larvis graviter peccare, tum ex aliorum ſcandalo; tum quia ſe exponunt peccandi periculo; tum quia hoc non decet graves perſonas, quales Clerici eſſe debent ". Salon quæſt. 5. art. 6. „ Non deſinam admonere Clericos, juxta Angelum V. Ludus n. 2. ludum larvalem, quem exercent perſonati, quos hiſpanice vocamus Maxaras, eſſe Clericis interdictum

„ ſub

„ ſub mortali “. Caſſianus a S. Elia Tom. 4. V. Larva: „ Clericos utentes larvis, etiam ſine malo fine, & ſcandalo Leſſius Lib. 4. cap. 4. cenſet „ non peccare mortaliter. Verum longe probabilius „ eſt, quod peccent mortaliter, etiam præſcindendo „ a ſcandalo, & a quavis mala circumſtantia, præſertim ſi ſint in ſacris, & Beneficiati “. Quid? quod idem tenent & benigniores Theologi? Trullenchius: „ Denique peccat mortaliter Clericus „ more Laicorum larvatus incedens “. Bonacina de Reſtitut. diſp. 2. q. 3. p. 1. n. 17. „ Clericos „ tamen reos mortalis culpæ damnant Angelus, „ & Salonius, nec ipſe excuſarem a mortali, niſi „ forte hoc raro facerent, & ad breve tempus, „ & abſque ſcandalo. Breve autem tempus hoc „ loco appellarem unam horam “. Diana T. 7. tract. 5. reſ. *6.* „ An Clerici incedentes pervicaciter in diebus bacchanalibus perſonati peccent „ mortaliter .... Puto non eſſe recedendum a „ communi ſententia, nempe in tali caſu Clericos ſeculares, & Regulares peccatum mortale „ committere “. Suæ itaque ſaluti conſulant Presbyteri illi, qui in domibus Nobilium verſantur, & detinentur, ut præſertim pueros, puellas, adoleſcentes in diebus bacchanaliorum ad ſpectacula, & theatra larvati comitentur, & cuſtodiant. Ipſe profecto abſolutionem illis minime impertirer, niſi hoc relicto, & abdicato officio, a tam indigno abſtineant miniſterio.

Conſectarium Quintum.

V. Graviter peccant Clerici, qui comam nutriunt in cincinnos retortam, cyprio, ut vocant, pulvere aſperſam, & veſtes induunt vel colore, vel forma vanitatem redolentes. Illa eadem Statuta, Decreta, Canones, Pontificiæ, & Synodales Conſtitutiones, quæ Clericis jubent, ut Tonſuram, & clericalem veſtem deferant, præcipiunt etiam, ut comam non nutriant, & modeſtum cultum, ac honeſta veſtimenta gravitatem oſtendentia deferant. Porro qui cincinnati incedunt, capillos nutriant, oportet, ut retorqueri, & in cincinnos accommodari poſſint, adeout ſi extenderentur, ultra dorſi medietatem protenderentur. Præterea qui cyprio pulvere aſperſi, & veſtes vel coloratas, vel ad normam ſecularium deformatas gerunt, profecto eccleſiaſticam non oſtentant gravitatem; cum, ut inquit D. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium, *cum tales videris, ſponſos magis exiſtimes, quam Clericos.* Quod ſi graviter peccant, qui Tonſuram, & eccleſiaſticas veſtes non deferunt; quanto majoris criminis rei erunt, qui Tonſuram pulvere abſcondunt, & defœdant, & veſtem eccleſiaſticam deturpant, ita ut ſtomachum & ipſis ſecularibus moveant? Nec ſe ſe excuſent nobilitate generis, vel dignitate eccleſiaſtica. Nam hoc pacto & nobilitatem amittunt, & clericalem dignitatem non aſſequuntur. Illis enim merito exprobrare licet, quod ajebat D. Bernardus *de Conſ.* ad Eug. lib. 3. cap. 5. „ Forma hæc veſtium deformitatis mentium, & morum indicium eſt. „ Quid ſibi vult, quod Clerici aliud eſſe, aliud „ videri volunt? Id quidem minus caſtum, minuſque ſincerum. Nempe habitu milites (vel nobiles), quæſtu Clerici, actu neutrum exhibent: „ nam neque pugnant ut milites (nec Reipublicæ inſerviunt ut nobiles) neque ut Clerici evangelizant “. Hujus ſcandali in cauſa ſunt Confeſſarii, qui illos & cincinnatos, & odoribus fragrantes ad Pœnitentiam admittunt, & ad Altare aſcendere permittunt, quos repellere oporteret.

Conſectarium Sextum.

VI. Non licet Clericis in domibus ſecularium rei domeſticæ curam ſuſcipere, Matronis inſervire, eas comitari, & ſuſtentare, cum ipſis ludere, & converſari; ſicut nec in Villis œconomum, aut villicum agere. Mos invaluit, ut in domibus Nobilium Sacerdos adſit familiaris, Capellani nomine, ad Miſſam pro familiæ commodo, & devotione celebrandam adſcitus. In hoc more nihil eſt reprehenſione dignum, immo idipſum pietatem indicat. Verum non raro contingit, huic Sacerdoti rei familiaris, & domeſticæ curam committi, illum familiæ negotia tractare, & alia, quæ diximus, officia præſtare, quæ quam minus religioſo ſtatui conveniant, nemo pius non videat; & defleat. S. Carolus Borromæus in Concilio Mediol. IV. Clericis indicit: „ In famulatu Laicorum ne „ ſitis, multo minus fœminarum, quamvis nobilium. Ne vero illas Muſicam, litteraſve doce„ te, niſi ſcripta nominatim facultate ab Epiſco„ po cuiquam conceſſum ſit “. Et revera, quid indecorum magis Sacerdoti, quam cum ſervis contendere pro cibo, potuve, rebuſque domeſticis vel curandis, vel diſtribuendis, vel cuſtodiendis? Quid magis indecens, quam Sacerdotales conſecratas manus in vili miniſterio vel ſuſtentandæ veſtis, vel brachii demittere? Quid, ſi præterea in domo præter Matronam matrem ſint & filiæ nubiles, & nobiles, cum quibus converſari, colloqui, tractare, & quidem familiariſſime opus ſit? Heu in quanto verſantur periculo! Audiatur D. Ambroſius lib. 1. de Offic. Miniſtr. cap. 20. ſic Clericos increpans non domi cum virginibus continuo, & familiariter converſantes, ſed ſolum eas frequenter inviſentes: „ Viduarum, vel virginum domos viſitandi gratia juniores adire non eſt opus .... Quid neceſſe eſt, ut demus ſecularibus obtrectandi lo„ cum? Quid opus eſt, quod illæ quoque viſitationes crebræ accipiant auctoritatem? Quid, ſi „ aliqua illorum forte labatur? Cur alieni lapſus „ ſubeas invidiam? Quam multos etiam fortes illecebra decipit? Quanti non dederunt errori lo„ cum, & dederunt ſuſpicioni? ..... Quid nobis „ cum alienis domibus? Una eſt domus, quæ omnes capit. Illi ad nos potius veniant, qui nos „ requirunt .... Miniſterium Altaribus Chriſti, „ non obſequiis hominum deferendum recipimus “. Multoque magis indecorum eſt, & vetitum Clericis, in Villis Nobilium, ſive aliorum bona adminiſtrare, fruges colligere, ſeponere, ſervare, vendere, ſeminationi, potationi, agrorum culturæ præſidere. Concilium Vormat. anni 868. can. 6. jubet: „ Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, & „ Diaconi non ſint conductores, aut procuratores, „ neque ullo turpi negotio, & inhoneſto victum „ quærant; quia reſpicere debent ſcriptum eſſe, „ nullus militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus “. Recolantur, quæ late diximus de Juſt. & jur. cap. 12. num. 15. & ſeq. & cap. 13. conſectar. 13.

Con-

Conſectarium Septimum.

VII. Turpiſſimum eſt Clericis ebrietati, & crapulæ indulgere. Merito proinde poſſunt Epiſcopi illis prohibere, etiam ſub pœna ſuſpenſionis, ne œnopolia, & tabernas vinarias ingrediantur. Hujuſce vitii fugam in Clericis requirit Apoſtolus, dum monet, ne Presbyteri, & Diaconi *vinolenti* ſint, ſed *ſobrii*. Nihil itaque frequentius in Conciliis, & Synodis inculcant Eccleſiæ Præſules, quam 1. ne Clerici tabernas frequentent. Ita Concilium Sueſſionenſe: „ Ordinarii diligenter puniant Clericos ... tabernas frequentantes “. 2. Ut ebrietatem, & crapulam ſummo ſtudio evitent. Concil. Lat. IV. ſub Innoc. III. cap. 15. ſtatuit: „ A crapula, & ebrietate omnes Clerici „ diligenter abſtineant, unde vinum ſibi temperent, „ & ſe vino; nec ad bibendum quiſpiam incite„ tur, cum ebrietas & mentis inducat exilium, „ & libidinis provocet incentivum ..... Si quis „ autem ſuper his culpabilem ſe exhibuerit, niſi „ a Superiore commonitus ſatisfecerit, ab officio, „ vel Beneficio ſuſpendatur “. 3. Ne tabernas, niſi in itinere, & neceſſitatis cauſa, ingrediantur. S. Carolus in Concil. Mediol. I. cap. 26. jubet: „ Ut flagitii occaſionem, quæ in cauponis, „ & tabernis deeſſe non ſolet, Clericis adimamus, „ cauponarum aditum, & uſum omnino eis inter„ dicimus, niſi in itinere neceſſitatis cauſa “. Et Concilium Rhemenſe anni 1583. „ Ebrietati libi„ dinis parenti, crapulæque, quæ mentis eſt exi„ tio, ne indulgeant, tabernas, niſi peregre pro„ fecti, non intrent “. 4. A minus honeſtis con„ viviis ſecularium abſtinere jubentur. Idem S. Carol. laud. Conc. ſtatuit: „ Non in comeſſatio„ nibus, & ebrietatibus, ſed ut ſobrie vivamus, „ prædicat Apoſtolus. Ideo Clerici minus honeſtis „ conviviis ne interſint. Quod ſi interdum ſole„ mnibus feſtis diebus, vel cum Sacrorum, aut „ Exequiarum cauſa, in unum congregentur, a„ liqui ſunt invitandi, ne plures ſex, & eos Cle„ ricos ad ſuam menſam adhibeant “. Concilium Aquenſe ſtatuit: „ A comeſſationibus, & minus „ honeſtis conviviis abſtineant omnino, atque ab „ iis etiam, quæ potius luxus, aut voluptatis ſint, „ quam propinquitatis, aut neceſſitudinis cauſa in„ ſtituta “. Ita etiam Nepotianum inſtruebat D. Hieronymus: „ Convivia tibi vitanda ſunt ſecula„ rium, maxime eorum, qui honoribus tument. „ Turpe eſt ante fores Sacerdotis Chriſti crucifi„ xi, & pauperis, & qui cibo quoque veſcebatur „ alieno, lictores conſulum, & milites excubare, „ Judicemque Provinciæ melius apud te prandere, „ quam in palatio. Quod ſi obtenderis facere te „ hæc, ut roges pro miſeris, & ſubjectis; Judex „ ſeculi plus deferet clerico continenti, quam di„ viti: & magis ſanctitatem tuam venerabitur, „ quam opes: aut ſi talis eſt, qui non audiat cle„ ricos ... niſi inter phialas, libenter carebo hu„ juſmodi beneficio .... Numquam petentes, ra„ ro accipiamus rogati. Facile contemnitur Cle„ ricus, qui vocatus ad prandium non recuſat “. Poſſe autem Epiſcopos Clericis tabernas ingredientibus ſuſpenſionem indicere, patet, cum hæc pœna ſtatuta ſit in Concil. Lond. an. 1175. can. 11. „ Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti edendi, & „ bibendi cauſa tabernas non ingrediantur, niſi „ peregrinationis neceſſitate compulſi. Si quis ve„ ro tale quid fecerit, aut ceſſet, aut depona„ tur “. Quod & ſtatuit ſuperius laudatum Rhemenſ. Concil. quo ſuum Decretum mox recitatum ſic concludit: „ Qui ſecus fecerint, ab Offi„ cio & Beneficio ſuſpendantur, & aliis pœnis ca„ nonicis afficiantur “.

REFLEXIO.

I. Fatendum quidem eſt, non omnes Eccleſiæ Miniſtros pietate, & honeſtate, ac morum probitate, ſui ſtatus ſanctitati, & perfectioni omnino reſpondere. Unde merito conquerebatur Origenes hom. 11. in Numeros: „ Putas ne, qui Sacerdo„ tio funguntur, agere omnia, quæ illo Ordine „ digna ſunt? Et unde eſt, quod ſæpe audimus „ blaſphemare homines, & dicere: Ecce qualis „ Epiſcopus, aut qualis Presbyter, qualis Diaco„ nus? “ At ſimul agnoſcendum, & lacrymis deflendum, tantam morum corruptionem in Eccleſia dilatari, & invadere, quia Miniſtros Chriſti populus Chriſtianus, contra Dei præceptum, non honorat, non audit, non obtemperat.

II. Et quidem ſummo proſequendos honore Miniſtros ſuos jubet Deus Eccleſ. cap. 7. indicens: *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, & Miniſtros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.* Quod & inculcat Apoſtolus 1. ad Theſſal. dicens: *Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum. Pacem habete cum eis.* Quinimmo & ipſe Chriſtus honorem & pravis eſſe exhibendum Miniſtris ratione officii, & dignitatis, ſuo nos edocuit exemplo: „ Nam (ſcribit D. Cyprianus epiſt. 65. ad Roga„ tianum) Dominus etiam noſter ipſe Jeſus Chri„ ſtus, Rex, & Judex, & Deus noſter uſque ad „ Paſſionis diem ſervavit honorem Pontificibus & „ Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, „ nec agnitionem Chriſti ſervaſſent. Nam cum „ Leproſum emundaſſet, dixit illi: *Vade, & mon„ ſtra te Sacerdoti, offer donum.* Humilitate ea, „ qua nos quoque eſſe humiles docuit, Sacerdo„ tem adhuc appellat, quem ſciebat eſſe ſacrile„ gum. Item ſub ictu paſſionis, cum alapam ſu„ ſcepiſſet, & ei diceretur, *ſic reſpondes Pontifici?* „ nihil contumelioſe locutus eſt in perſonam Pon„ tificis, ſed magis innocentiam ſuam tutus eſt, „ dicens: *Si male locutus ſum, exprobra de ma„ lo; ſi autem bene, quid me cædis?* Quæ omnia adeo ab eo facta ſunt humiliter, atque patienter, ut nos humilitatis, & patientiæ haberemus exemplum. A quo exemplo immane quantum recedunt illi, de quibus lamentatur D. Auguſtinus epiſt. 78. „ Ad quid aliud ſedent iſti, & quid a„ liud captant, niſi ut quiſquis Epiſcopus, aut „ Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ce„ ciderit, omnes tales credant, jactent, conten„ dant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen „ etiam ipſi, ſi uxor aliqua maritata invenitur a„ dultera, nec projiciunt uxores ſuas, nec accuſant „ matres ſuas. Cum autem de aliquibus, qui ſan-

„ ctum

„ ſtum nomen profitentur, aliquid criminis, vel „ falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus id credatur. „ Hos ergo de noſtris doloribus ſuavitatem ſuæ „ malæ linguæ captantes, facile eſt, ut illis canibus comparemus, ſi forte in malo intelligendi „ ſunt, qui lingebant vulnera pauperis illius, qui „ ante januam divitis jacebat, & quouſque veniret ad requiem ſinus Abrahæ, laborioſa omnia, „ & indigna tolerabat".

III. Non *audit* etiam Satanæ fraude deceptus, quippe qui Sacerdotes, & Verbi Dei Miniſtros non ea facere, & opere implere intuentur, quæ aliis ſuadent, prædicant, inculcant. Sed horum inſaniam redarguit laudatus Auguſtinus ſerm. 351. clamans: „ O miſeros homines, qui hos intuendo „ Chriſtum obliviſcuntur? Qui & tanto ante prædixit, ut legi Dei potius obtemperetur, quam „ imitandi videantur illi, qui ea quæ dicunt, non „ faciunt: & traditorem ſuum tolerans uſque in „ finem etiam ad evangelizandum cum ceteris miſit. Tam ſunt autem iſti abſurdi, & præpoſteri „ & miſeri, qui Præpoſitorum ſuorum malos mores imitari eligunt, quam per eos prædicata Domini præcepta ſervare; quam ſi quiſquam viator „ remanendum ſibi eſſe exiſtimet in itinere, cum „ viderit milliaria lapidea litteris plena viam docere, & non ambulare. Cur enim non potius, ſi pervenire deſiderat, tales comites intuetur, & conſequitur, qui & viam bene demonſtrant, & in ea perſeveranter, atque alacriter „ ambulant? Quod ſi iſti deſint, vel potius minus „ appareant, nam deeſſe non poſſunt, non enim „ ſic quærunt homines caritate ſtudioſa, quod „ prædicent ad imitationem, quomodo quærunt „ iniquitate ſuſpicioſa, quod murmurent ad deceptionem, partim non inveniendo bonos, dum „ ipſi mali ſunt, partim timendo invenire, dum „ mali eſſe ſemper volunt. Sed tamen concedamus, non apparere nunc homines dignos imitatione. Quiſquis hoc putas, mente Deum intuere, qui homo factus eſt, ut hominem vivere doceret . . . . Chriſtum animo attende, attende „ Apoſtolos, quorum noviſſimus eſt ille, qui dicit, *Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti*. Attende animo tot Martyrum millia. Ibi videbis „ non ſolum viros, ſed etiam fœminas, poſtremo „ pueros & puellas nec imprudentia decipi, nec „ iniquitate perverti, nec periculi timore frangi, „ nec ſeculi amore corrumpi. Ita te non invenientem quid excuſes, non ſolum Præceptorum inevitabilis rectitudo, ſed etiam exemplorum innumerabilis multitudo circumdabit.

IV. Præpoſitorum adhortationibus, monitionibus, præceptis *non obtemperant* fideles, non attendentes Chriſti dictum de ſuis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, Eccleſiarum Præſulibus, Paſtoribus, Miniſtris, *qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit*. Quamobrem pauci ſunt ex illis ovibus Chriſti, de quibus ille dixit: *Oves meæ vocem meam audiunt; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*. Moneantur itaque fideles frequenter *obedire Præpoſitis ſuis, & ſubjacere illis, ipſi enim pervigilant quaſi rationem reddituri pro animabus ſibi commiſſis, & ſi ſuperbierit quiſquam nolens obedire Sacerdotis imperio, qui pro tempore miniſtrat Domino Deo, ſciat, quod morte punietur, ut auferatur malum de Iſrael, & cunctus Populus audiens timeat, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia*. Horum intumeſcentem ſuperbiam contra Paſtorem pro eorum ſalute ſtudio, & contentione certantem diſerte deſcribit S. Auguſtinus ſer. 46. de Paſt. cap. 7. „ Et contumaces ſunt oves, quia „ quæruntur errantes, alienas ſe a nobis dicunt „ errore ſuo, & perditione ſua. Quid nos vultis? „ quid nos quæritis? Quaſi non ipſa cauſa ſit, quare eas velimus, & quare quæramus, quia errant, „ & pereunt. Si in errore ſum (inquit ovis) ſi in „ interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia „ in errore es, revocare volo: quia periiſti, invenire volo. Sic volo errare, ſic volo perire. „ Sic vis errare, ſic vis perire? Quanto melius „ ego nolo? Prorſus audeo dicere, importunus „ ſum. Audio enim dicentem Apoſtolum: *Prædica verbum, inſta opportune, importune*. Opportune „ utique volentibus, importune nolentibus. Tu „ vis errare, tu vis perire: ego nolo. Non vult „ poſtremo ille, qui non terret. Si voluero, vide „ quid dicat, quid increpet: *Quod errabat non revocaſtis; & quod periit, non inquiſiviſtis*. Revocabo errantem, requiram perditum; Velis nolis, id agam. Et ſi me inquirentem lanient vepres ſylvarum, per omnia anguſta me coarctabo. Revocabo errantem, requiram pereuntem. „ Si me pati non vis, noli errare, noli perire". Ut igitur perire volentium contumaciam frangant, non laboribus parcat Paſtorum ſtudium. Et ne hoc in ipſorum perditionem irritum cedat, Paſtorum monita fideles libenter audiant, ſtudioſe cuſtodiant, perfecto opere impleant: unde tandem & Paſtores, & oves occurramus omnes obviam Chriſto in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Chriſti.

TRA-

TRACTATUS DE SACRAMENTIS

PARS OCTAVA.

DE MAGNO MATRIMONII SACRAMENTO.

Magnum appellat D. Paulus Matrimonii Sacramentum ob ſignificationem unionis ſpiritualis Chriſti cum Eccleſia, quam Matrimonium conſervat, auget, & reparat, novos filios procreando, per Baptiſmum regenerandos. De hoc itaque Sacramento, in cujus tractatione plurimæ magnæque occurrunt difficultates, & plurima ſcitu neceſſaria, diſputare aggredimur, totam Tractationem in tres partiendo diſſertationes. 1. Erit de Sponſalibus, quæ licet ad Matrimonium celebrandum neceſſaria non ſint, frequenter tamen præmitti ſolent. Altera vero erit de ipſo Matrimonio, ejus indolem, effectus, onera, & munia, & cetera ad ipſum ſpectantia expendens. Tertia vero erit de impedimentis, quæ Matrimonii vel impediunt, vel omnino tollunt validitatem. In omnibus tutiſſimam ſequemur D. Thom. doctrinam, a qua nunquam receſſimus, & recedere Religioni ducimus.

DISSERTATIO I.

DE SPONSALIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Sponſalium definitio: de conſenſu ad ea celebranda requiſito.

DOCTRINA.

I. *Sponſalia unde nomen accipiunt.*
II. *Eorum definitio exponitur.*
III. *Promiſſio in ſponſalibus eſſe debet vera, & ſincera.*
IV. *Libera.*
V. *Mutua.*
VI. *A parentibus celebrari poſſunt ſponſalia pro filiis.*
VII. *Conſenſus contrahentium requiritur.*

I. A Spondendo nomen ſuum accipiunt ſponſalia, vel quia in ipſis maxime neceſſaria eſt ſpontanea promiſſio; vel quia olim a parentibus mutua ſponſione alter alteri filius, vel filia ad nuptias promittebatur; vel denique quia, ut inquit S. Thom. in ſuppl. q. 43. art. 1. ,, ante uſum tabularum Matrimonii cautiones dabant, quibus ,, ſpondebant ſe invicem conſentire in jure matri- ,, moniali, & fidejuſſores dabant". Hinc & ſponſi, & ſponſæ vocantur, qui hujuſce promiſſionis vel ſubjectum erant, vel objectum; ſicut ſponſalia quoque vocabantur munera, quæ Sponſi largiebantur Sponſæ; unde dictum fuit David Michol ſponſo Reg. 1. cap. 18. *Non habet Rex ſponſalia neceſſe*, ideſt non opus eſt, ut munera pro Sponſa ſibi promiſſa Regi offeras. Præmittuntur autem Matrimonio ſponſalia, ne, ut inquit S. Auguſt. lib. 8., *vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam.*

II. Sponſalia itaque ex S. Thom. definiuntur, *futuri Matrimonii mutua promiſſio inter idoneas perſonas exteriori aliquo ſigno manifeſtata.* Dicitur primo *promiſſio*, quod locum generis tenet, & commune eſt aliis contractibus: additur *mutua*, quia ſponſalia contractum conſtituunt oneroſum in reciproca ſitum obligatione: additur *inter perſonas idoneas*; qui enim Matrimonium contrahere nunquam poſſunt, nec valent ſponſalia celebrare; & præterea ætas a jure ſtatuta adſit, oportet: denique dicitur *aliquo exteriori ſigno manifeſtata*, quia, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. & ipſo naturali conſtat lumine ,, promiſſio, quæ ab homine ,, fit homini, non poteſt fieri niſi per verba, vel ,, quæcumque exteriora ſigna.

III. Promiſſio autem eſſe debet vera, & ſincera, cum animo vere promittendi; qui enim ficte promittit, nullo pacto vi talis promiſſionis adſtringitur: quod ſi animum habeat promittendi, at non ſe obligandi, vel implendi, adhuc tamen obſtringitur, cum obligatio, & onus implendi neceſſario promiſſionem ex animo factam conſequantur. Legantur quæ diximus in Tract. de Contract. diſſert. 1. cap. 3. n. 3.

IV. Libera etiam ſit, oportet, & a quacumque vi, violentia, metu immunis, & ab errore circa perſonam. Nam hæc omnia liberum impediunt conſenſum: immo ſponſalia, ſicut & Matrimonium, metu gravi extorta ipſo jure nulla declarantur, & invalida; & etiam ex metu levi inducta irritari poſſunt. Error vero circa perſonam,

cum ad ſubſtantiam pertineat contractus, illum invalidum reddit. Recolantur dicta l. I. cap. 4. & 5. Hanc libertatem tollit etiam inadvertentia, ſi tanta ſit, ut a peccato lethali excuſare valeat: quandoquidem locis mox laudatis oſtendimus, in contractibus talem requiri ad inducendam obligationem advertentiam, & deliberationem, quanta requiritur ad lethaliter peccandum. Legatur l. I. cap. 4. Confect. 4.

V. Mutua quoque eſſe debet promiſſio. Inficiantur quidam, aliqui melius diſtinguunt, ſcilicet mutuam quidem eſſe debere promiſſionem, ut ſponſalium contractum inducat; at repromiſſionem non requiri ad aliquam inducendam obligationem. Et primæ quidem partis ratio eſt manifeſta. Nam 1. ſponſalia in lege vocantur repromiſſio, quia de ſe cum ſint ad Matrimonium contrahendum ordinata, ſicut iſtud perfici non poteſt niſi mutuo conſenſu, ita nec ſponſalia. 2. Sponſalia inter contractus oneroſos enumerantur, qui reciprocam poſtulant & promiſſionem, & acceptionem. 3. Qui ſponſalia celebrat, ita ſe obligare intendit, ut & alia quoque pars obſtricta maneat; & ea hanc obligationem recuſante ſe liberum omnino arbitratur. At fieri tamen poteſt, ut quis non vi ſponſalium, ſed titulo gratuitæ promiſſionis obſtrictus maneat, quando nimirum puellæ promiſſionem facit Matrimonii, quod illa acceptat, ſed tempus poſtulat ad deliberandum: quod ſi illi a promittente concedatur, tunc ille profecto obſtrictus manet, donec conceſſum tempus decurrat; nec tamen ſponſalia celebrata ſunt. Oriri itaque poteſt aliqua obligatio in hujuſmodi promiſſione, licet non onus ſponſaliorum. Et revera ita docent Sanctus Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 18. & Ledeſma Dub. 8. de Matrimonio. Non conſentit Concina, qui putat hanc obligationem ex vi promiſſionis ſimplicis ſitam eſſe in mera verborum illuſione, cum ſermo non ſit de promiſſione generica & abſtracta, ſed de promiſſione ad valorem ſponſalium requiſita, quæ ſemper practice abſque repromiſſione conſiſtere non poſſe affirmat. Verum optime quidem docet, ſponſalia mutuam poſtulare promiſſionem, ut talis ſit contractus: ſed quid impedit, ne contractus de ſe oneroſus fiat gratuitus, & liberalis? Nonne hoc pendet a contrahentium voluntate, quæ tota eſt contractuum lex? Poteſt igitur alter ſe velle obligare non in abſtracto ad aliquid, ſed in concreto ad celebrandum cum alia Matrimonium, at non poſtulare reciprocam obligationem alterius, niſi poſt conceſſum ad maturius deliberandum congruum temporis ſpatium. Cui enim in hoc ſit injuria? Num primo promittenti? Minime. Sponte enim conſentit. Num alteri non repromittenti, & ſolum acceptanti promiſſum? Nequaquam. Nam ſicut poteſt promiſſionem ſtatim repellere, vel repromiſſionem exhibere; ita poteſt tempus ad deliberandum poſtulare. Officit, inquit, indoli & naturæ contractus, qui ſponſaliorum dicitur: & ideo ſponſalia non ſunt celebrata, nec publicæ honeſtatis inducunt impedimentum. Fateor, & mecum fatentur laudati Theologi. At per hoc gratuitæ promiſſionis non tollitur obligatio, quæ & quidem ſub gravi obligat; eſt enim de re gravi; & inducta durat, donec conceſſum ad deliberandum tempus decurrat: quo elapſo vel accedit repromiſſio, & tunc ſunt celebrata ſponſalia; vel recuſat repromiſſionem, & ceſſat in alio obligatio. Non eſt tamen cenſendum conceſſum tempus ad deliberandum, niſi perſpicuis verbis fuerit expreſſum.

VI. Sponſalia celebrari poſſunt a Parentibus pro filiis, & filiabus tam abſentibus, quam præſentibus. Non tamen valida ſunt, niſi ab ipſis filiis præſentibus, vel certioribus factis abſentibus rata habeantur. Ita ſtatuitur in jure canonico Cap. *Si infantes* unico §. *Porro* de Deſponſ. impub. in *6*. ubi dicitur: „ Ex ſponſalibus, quæ parentes pro „ filiis puberibus, vel impuberibus plerumque con„ trahunt, ipſi filii, ſi expreſſe conſenſerint, vel „ tacite, ut ſi præſentes fuerint, nec contradixe„ rint, obligantur .... Et eſt idem, ſi filii tem„ pore ſponſaliorum abſentes, & etiam ignoran„ tes, eadem ſponſalia poſt ſcientiam ratificave„ rint vel tacite, vel expreſſe ". Quod ſi reluctentur, nec conſentiant, nulla profecto oritur obligatio, tum jure naturæ, quod in omnibus contractibus contrahentium expoſtulat conſenſum, & voluntatem; tum jure poſitivo ita declarante l. I. „ Alias ex ſponſalibus contractis a parentibus pro „ filiis, ipſi filii non obligantur, niſi conſenſe„ rint ". Sponſalia tamen celebrare non conceditur nec ſocero pro privigno, nec fratri pro ſorore, nec tutori pro pupillo; cum jura hanc poteſtatem ſolis concedant parentibus pro filiis, quippe qui ſincere eos amare, & filiorum bonum ſincero affectu procurare ſoli ſupponuntur.

VII. Conſenſus autem in Sponſalia celebrantibus externus omnino eſſe debet, & idoneis verbis, vel ſignis expreſſus. Non enim alio modo internus conſenſus alteri notus eſſe poteſt. Quatuor autem modis fieri poſſe hanc manifeſtationem docet Sanct. Thom. hic q. 43. art. 1. ſcribens: „ 1. *Nu„ da promiſſione*, ut cum dicitur, accipiam te in „ meam, & e converſo. 2. *Datis arrhis ſponſali„ tiis*, ut pecunia, vel aliquid hujuſmodi. 3. *An„ nuli ſubarrhatione*. 4. *Interveniente juramento*". Et quidem verba non æquivoca eſſe debent, ſed quæ conſenſum in futurum Matrimonium vel ex ſe, vel ex circumſtantiis indicent. Hinc verba illa negantia, *non ducam aliam*, ſeu *nullam aliam ducam*, *quam te*, promiſſionem non exprimunt futuri Matrimonii, ſed ſolum animum, ſi Matrimonium contrahere velit, illud non celebrandi niſi cum illo, vel illa: proinde qui ſic ſpondet, non tenetur Matrimonium contrahere cum illa, nec poteſt cum alia ſine gravi culpa, cœlibem tamen vitam ducere non prohibetur, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii. Etiam ſine verbis, ſed aliis ſignis conſenſus exprimi poteſt; puta ſi Sponſo promittenti Matrimonium ſponſa capite annuat, ſi porrigenti dexteram, dexteram & ipſa porrigat, ſi offerenti munera ea acceptet in ſponſalium argumentum, & arrham.

CAPUT SECUNDUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Sponſalia gravem inducunt obligationem, licet occulta.*
II. *Sub levi obligatione non valent Sponſalia.*
III. *Quando ſponſalia ex metu inita nulla ſint.*

IV.

IV. *Ad quid teneatur, qui ficte Matrimonium pollicetur.*
V. *Et qui ſub ſpe Matrimonii Virginem deſloravit.*
VI. *Quodnam jus obtineant ſponſi cauſa factæ promiſſionis.*
VII. *Violatio ſponſalium, per fornicationem cum alia, eſt circumſtantia gravans peccatum.*
VIII. *Ad valorem ſponſalium non eſt neceſſaria Parochi præſentia.*

Conſectarium Primum.

I. SPonſalia de ſe ſub gravi ad promiſſionem implendam obligant, licet occulta ſint, & clandeſtine celebrata. Veritas hujus doctrinæ eſt de ſe manifeſta: conſtituunt enim contractum oneroſum, & quidem de re gravi, & magni momenti; unde fidem non ſervare lethale peccatum eſt. Ita docet D. Thom. hic quæſt. 43. artic. 1. ad 2. ſcribens: „ Ex tali promiſſione ſponſalium o„ bligatur unus alteri ad Matrimonium contra„ hendum; & peccat mortaliter non ſolvens pro„ miſſionem, niſi legitimum impedimentum inter„ veniat: & ſecundum hoc etiam Eccleſia cogit „ injungendo Pœnitentiam pro peccato “. Et revera Cap. *ex litteris* extr. de ſponſalibus ita jubet Pontifex: „ Mandamus, quatenus .... „ eum moneas, & ſi non acquieverit moni„ tis, Eccleſiaſticis cenſuris compellas, ut ipſam „ (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) in uxorem re„ cipiat, & maritali affectione pertractet “. Subdit tamen D. Thom. l. l. „ non expedire in foro „ contentioſo compellere, quia Matrimonia coa„ cta conſueverunt malos exitus habere: niſi for„ te juramentum intervenerit; quia tunc cogen„ dus eſt qui promiſit, ut quidam dicunt, quam„ vis aliis non videatur propter cauſam prædictam, „ præcipue ſi de uxoricidio timeretur. Quod etiam „ colligitur ex Decretis Alex. III. & Lucii III. „ ext. de ſponſalibus “.

Conſectarium Secundum.

II. Qui futurum Matrimonium pollicetur cum pacto ſolum ſe leviter obligandi, ſponſalia valida non celebrat. Veritas hujus doctrinæ ex iis conſtat, quæ late diximus Tract. de Contract. Diſſ. 1. cap. 3. num. 4. ubi oſtendimus, non eſſe in voluntate contrahentium naturam, indolem, & leges contractuum immutare, ſed illis ſtare debent, & ſervare; & ſolum illis conceſſum eſt, ut contractus celebrent quidem, ſi velint, vel abſtineant, ſi nolint: at efficere, ut contractus de re gravi, & per ſe obligante ſub lethali, ſolum venialiter obſtringat, nulli eſt conceſſum. Recolantur dicta loc. cit.

Conſectarium Tertium.

III. Sponſalia ex metu gravi celebrata ipſo jure irrita ſunt, non vero celebrata ex metu levi, multoque minus reverentiali. Diximus loc. cit. contractus etiam ex gravi metu extortos non eſſe quidem de ſe, & jure naturæ invalidos, cum metus non omnino tollat voluntarium; addidimus tamen eſſe irritandos, immo nonnullos eſſe ipſo jure irritos, cujuſmodi ſunt illi, in quibus ſumma requiritur in contrahente libertas, ut Matrimonium, Profeſſio Religioſa, & probabiliſſime etiam ſponſalia, quippe quæ ad Matrimonium ſunt ordinata, ut docent plurimi tum Canoniſtæ, tum Theologi, ex prioribus quidem Panormitanus, Covarruvias, Barboſa, Reiffenſtuel, ex poſterioribus vero Pontaſius, Laymanus, De Lugo, aliique: unde nec ex illis oritur impedimentum publicæ honeſtatis. Non ſunt autem pari pacto ipſo jure irrita ſponſalia ex levi metu extorta, etiam injuſte incuſſo; cum hujuſmodi contractibus nec faveant, nec obſiſtant humanæ leges: ſed tamen merito irritari poſſunt; & qui metum incuſſit, tenetur alterum in ſuam libertatem reſtituere, cum illi levem etiam metum inferendo injuriam intulerit. Nullo etiam modo irrita ſunt ſponſalia ex ſolo metu reverentiali orta, cum hujuſmodi metus liberalis, & honeſtus ſit; niſi forte huic timori adjunctæ ſint minæ vel apertæ, vel implicitæ ex conditione perſonæ metum incutientis. Legantur dicta loc. cit. cap. 3. Reg. 7. & ſeq. Qui vero ex ſubito vel iracundiæ, vel libidinis æſtu ſponſalia celebrat, ea adimplere tenetur, niſi tanta ſit ira, vel libido, ut neceſſariam tollat advertentiam: ſufficit enim, ut tanta ſit advertentia, quanta ad lethaliter peccandum requiritur, ut diximus Cap. præced. n. 4.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui ficte, & animo decipiendi Matrimonium promiſit, & graviter peccavit, & ad apponendum legitimum conſenſum tenetur, & ad omnia reparanda damna. Prima pars eſt de ſe manifeſta, cum dolus adhibitus ſit in re gravi, & proximo injurioſus. Quod vero teneatur legitimum apponere conſenſum, quando nullum ipſe deceptor patitur damnum, niſi amiſſionem libertatis ducendi aliam uxorem, puto omnino certum: nam cum teneretur verum apponere conſenſum, quo poſito jam libertatem amiſiſſet, & ſi poſſet reſilire, ex ſuo dolo & fraude lucrum reportaret; quod profecto ipſi juri, & æquitati naturali adverſatur; debet igitur rem in eo ſtatu ponere, quo ex juſtitiæ, & æquitatis lege ponenda erat, & legitimum præſtare conſenſum. Quod magis proculdubio tenendum eſt, ſi ſponſalia fuerint juramento confirmata: tunc enim duplex conſurgit vinculum & juſtitiæ, & Religionis; & juramentum abſque ulla injuria Creatoris impleri poteſt. Quod ſi aliquod deceptor ſubeat detrimentum, & quidem grave, ut odium parentum, vel ſi graves ſint orituræ diſcordiæ, & periculum ſit, ne poſtea celebrati Matrimonii pœnitens, uxorem deſpiciat, peſſimeque pertractet, & pars decepta nullum, vel minus damnum patiatur; putarem, poſſe vel dotem ſuppeditando, vel dotis incrementum, adhibitam fraudem, & injuriam compenſare pro arbitrio probi viri: & præterea teneretur, ſi qua eſſent oborta, deceptæ ſponſæ damna ſarcire, cum non videatur obſtringi ad alterius damnum cum ſuo majori damno reparatum, cum poſſit, quantum ſatis eſt, ſarcire.

Conſectarium Quintum.

V. Qui ſub ſpe Matrimonii virginem defloravit,

vit, licet ficte promiſerit, abſolute eam in Matrimonium ducere tenetur; nec ſatis eſt eam etiam opulenter dotare, & ſi qua ſint allata damna reſarcire. Ita diximus, & probavimus Tr. de Reſtit. Cap. 1. n. 10. Solum hic ſunt nonnullæ expendendæ exceptiones, quæ a Theologis apponuntur, ut liberent quidem ſeductorem ab onere celebrandi Matrimonium, non vero dotem conferendi. Et prima eſt, ſi vir ſit diſparis, & nobilioris conditionis: quam & admittere videtur D. Th. in IV. Sent. Diſt. 28. q. 1. a. 2. ad 4. dum dicit: „Non tenetur eam ducere in uxorem, ut quidam dicunt, „ſi ſponſus ſit multo melioris conditionis, aut aliquod ſignum evidens fraudis fuerit; quia præſumi probabiliter poteſt, quod ſponſa non fuerit „decepta, ſed decipi ſe finxerit". In quibus D. Th. verbis primo notandum, ipſum ſolum quorumdam doctrinam referre, quam etſi non rejiciat, non tamen adprobat. 2. Supponere diſparitatem conditionis fuiſſe ſponſæ deceptæ compertam; cum inde inferat, potuiſſe ex hac diſpari conditione fraudem vel cognoſcere, vel ſaltem timere. Quamobrem ſi vir ad decipiendam mulierem, ſuam longe diſparem conditionem celet, & ſe parem fingat ad Matrimonium celebrandum, tenetur: tunc enim duplex intervenit dolus & fraus, nimirum & in ficta promiſſione, & in ſimulata æquali conditione. Nec urgent rationes Sanchezii oppoſitum docentis, nimirum adhuc non teneri ad eam ducendam: quia, inquit, non tenetur ratione promiſſionis, quæ ficta fuit, & invalida; non ratione delibatæ virginitatis, & injuriæ illatæ, cum nemo plus teneatur reſtituere, quam importet illatum damnum. Num dicimus teneri ex duplici injuſtitia commiſſa, quæ reparari ad æqualitatem non poteſt, niſi id ponendo, quod promiſit: non promiſit autem dotem, ſed Matrimonium: ergo hoc ponere debet. Nec verum eſt plus dare ducendo, quam ſit damnum illatum: nam hoc amplius in pactum deduxit, nec niſi tanto promiſſo beneficio, quod volebat, obtinuit: debet igitur exhibere. Quod ſi exceſſum Sponſa cognoverit, adhuc puto non ſufficere dotem dare, & illatum damnum reſarcire, ſi ex Matrimonio deceptori non aliud obveniat detrimentum præter carentiam nobilioris Matrimonii: tunc enim dici prudenter non poteſt Mulierem voluiſſe decipi, cum credere poſſet illum amabilem ſociam, licet ignobiliorem, velle nobiliori præferre. At ſi præter hoc ſponſa advertere potuiſſet ex tali Matrimonio notabile detrimentum familiæ obventurum, puta privationem dignitatum, officiorum, ineptitudinem ad munia familiæ propria in bonum publicum obeunda, dedecus, & infamiam, & præſertim parentum injuſtam offenſam, & juſtam indignationem; profecto prudenter & ſuſpicari poterat, & tenebatur ſe decipi; proinde ſibi imputare debet, ſi Matrimonio privetur. Sed de hoc iterum Cap. 7. de ſolutione ſponſaliorum. Altera vero, quam opponunt, exceptio eſt, ſi ex verbis, vel aliis apertis conjecturis animum fallacem promittentis poterat cognoſcere. Quam exceptionem libens admitto, utpote & aperte traditam a D. Thom. loc. cit. & rationi conſonam: nam tunc probabiliſſima adeſt conjectura, illam revera non invitam fuiſſe deceptam, ſed voluiſſe decipi, quippe quæ fraudem facile poterat detegere. Tertiam vero addunt exceptionem, nimirum ſi virgo ſe virginem ſimulaverit, cum eſſet corrupta, & ita virum pariter deceperit. Et hanc quoque exceptionem libens admitto; cum fictio fictione compenſetur, & carentia virginitatis ſit legitima cauſa dirimendi ſponſalia, ut ſuo loco dicemus. Solum animadvertendum, frequenter quidem a decipiente hanc afferri cauſam, ſed calumnioſe, & ad declinandum Matrimonium; proinde conſtare debere de carentia jactata virginitatis. Non tamen eſt admittenda exceptio ab aliquibus appoſita, nimirum ſi fœminæ corruptæ ficte promittat, ut copulam extorqueat: quia, inquiunt, tunc Matrimonium eſt longe majus pretium, quam damnum illatum corruptæ. Nam falſa prorſus eſt hæc ratio: cum enim deceptor carentiam virginitatis noſſet, & tamen Matrimonium promiſerit; illud celebrando non plus dat, quam debeat, tum ex promiſſione, quæ, licet ficta, obligationem inducit, tum ex injuria illata. Quod certe verum eſſet, ut fatetur & ipſe Sanchezius, in Vidua bonæ famæ, quæ infamiam ex copula ſubiret, & Matrimonio inepta redderetur.

Conſectarium Sextum.

VI. Nullum ex legitimis ſponſalibus jus oritur in ſponſis, unde illis liceant tactus, oſcula & amplexus, vel nonniſi in illis venialia ſint peccata, quæ in aliis lethalia forent. Oppoſitam doctrinam, quam non ſolum falſam puto, & improbabilem, ſed laxam, & piarum aurium offenſivam, defendit, & docet Sanchez lib. 9. diſp. 46. n. 47. quam plures benigniores Caſuiſtæ ſequuntur hiſce ineptis ratiunculis: 1. quia ſicut Matrimonium cohoneſtat copulam; ita ſponſalia, quæ quoddam Matrimonii initium ſunt, cohoneſtare debent hujuſmodi tactus, qui inchoatio quædam ſunt copulæ. 2. Quia magis fovetur amor in ordine ad Matrimonium. 3. Quia cum inchoatum ſit Matrimonium per verba de futuro, data eſt in præſenti ex natura rei major facultas ad actiones, quæ ad copulam ordinantur. At hæc propudia mihi videntur, non argumenta. Nam in quo jure, in quo Codice invenitur conceſſum hoc jus ſponſis eas habendi inter ſe actiones, quæ initium ſunt copulæ, quæ ejuſdem copulæ inchoationem important? Immo nonne potius ex oppoſito, cum copula omnino interdicta ſit ſponſis de futuro, omni jure, & omni lege tum naturali, tum divina interdictæ habendæ etiam ſunt omnes actiones ad ipſam ordinatæ, vel ipſam inchoantes, cum non niſi in ordine ad illam licitæ eſſe poſſint? Præterea audiant Tertullianum harum actionum & periculum, & turpitudinem oſtendentem lib. *De Veland. Virg.* cap. 15. ſcribentem: „Quantum valet, bona mente conetur, neceſſe eſt, publicationem ſui „periclitetur, dum percutitur oculis incertis, „dum digitis demonſtratur, dum nimium amatur, „dum inter amplexus, & oſcula concaleſcit. Sic „frons duratur, ſic pudor teritur, ſic ſolvitur, „ſic diſcitur alteri jam placere deſiderare". Et S. Antoninus eas actiones „periculoſas appellat „p. 2. tit. 15. cap. 1. & ideo arcendum ab his „inter virum & mulierem, etiam religioſos, ... „*Bonum eſt* (inquit Apoſtolus) *mulierem non tangere*. Nam, ut dicitur Eccleſ. 3. *Qui tetigerit pi-* „*cem*,

„ *cem*, cui ſimilis eſt mulier, *inquinabitur ab ea*“. Quid, quod omnes ferme Epiſcopi vel in ſuis inſtructionibus, vel in ſuis Synodis omnem vetant inter ſponſos & frequentem converſationem, & ſolitarium alloquium, & mutuum commercium interdicunt? Harum Synodorum Decreta legi poſſuut apud Juveninum de Sacram. Matrimon. cap. 1. Præterea hi tactus, & oſcula, licet ob ſenſibilem delectationem habita, facile in carnalem degenerant, quam lethale peccatum eſſe patet ex damnata 40. propoſitione, aſſerente: *Probabilis eſt opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*. Ex qua damnatione ſequitur falſam eſſe & laxam Sanchezii doctrinam, eos tactus, & oſcula, etiam cum periculo pollutionis, permittentis, ſicut ipſe ſcribit: „ Si in eas ſponſi „ anguſtias inciderent, ut inurbani, & auſteri ha„ berentur, niſi ſe amplexarentur, neceſſitas illa „ excuſaret a periculo pollutionis prævifæ, & a „ culpa lethali“. Nullo modo igitur Confeſſarii has actiones ſponſis permittant; ſed, niſi ceſſent, & omnino abſtineant, indignos reputent abſolutione. Hoc enim ſolum privilegium conceditur ſponſo, ut ſi ſponſam ſeduxerit ad copulam, pœna ſtupri puniri non poſſit, ut declaravit S. Congregatio Concilii.

Conſectarium Septimum.

VII. Qui datam ſponſalium fidem violat cum alia fornicando, gravius peccat, & hanc circumſtantiam in confeſſione aperire tenetur. Non defuere Theologi, qui ſponſalium violationem adulterio adæquarunt, ut Palud. in 4. diſt. 27. q. 1. a. 3. n. 7. Et revera ita in jure civili ſtatuitur. At certum eſt ex jure canonico præfatum jus corrigente, verum non eſſe adulterium, a D. Th. & Theologis definitum *alieni thori violationem*, quæ profecto locum non habet in ſponſalibus; eſſe tamen circumſtantiam in confeſſione manifeſtandam, certum eſt, cum gravem contineat injuriam alteri irrogatam, & datæ fidei iniquam fractionem, quæ ſufficiens eſt cauſa dirimendi ſponſalia. Conſentit huic doctrinæ & Sanchezius, ſed ſolum quando fides a ſponſa violatur, non vero a ſponſo; quia in iſto injuria ſponſæ irrogata prudentum arbitrio levis reputatur. At non hominum judicia attendenda ſunt, ſed lex æterna Dei, quæ inter maſculum, & fœminam non diſcernit, ſed utrumque ad datam fidem obſervandam obſtringit: licet enim & adulterium in uxore turpius appareat, & gravius reputetur, quam in marito; hoc tamen non impedit, quin graviſſimum peccatum ſit, & quantum eſt de ſe æquale in utroque, licet pernicioſius eſſe poſſit ratione effectuum in muliere.

Conſectarium Octavum.

VIII. Ut valida ſint ſponſalia, & idonea ad inducendum publicæ honeſtatis impedimentum, neceſſe non eſt, ut fiant coram Parocho. Ita docent communiter Theologi, & declaravit etiam ſacra Congregatio Concilii, animadvertens ſponſalibus per verba de futuro contrahendis nullam formam præſcripſiſſe Concilium Tridentinum; ideoque eo prorſus modo contrahi poſſe, quo poterant ante Concilium, excepto tamen, quod per copulam ſponſalia prædicta non tranſibunt in Matrimonium. Cum igitur ante Tridentinum valerent ſponſalia etiam clandeſtina, & ſecreto celebrata, & modo valere dicendum eſt. Non deſunt tamen aliquæ Diœceſes præſertim in Galliis, ubi ſtatutum eſt, ſponſalia ad eccleſiaſticos effectus inducendos, ſcilicet impedimentum publicæ honeſtatis, idonea non eſſe, niſi fiant coram Parocho: quæ ſtatuta quam vim obtineant, expendant Galli Theologi. Hinc nimium rigidam puto, minimeque probabilem Natalis Alexandri doctrinam, aſſerentis illos graviter peccare, qui clandeſtina ſponſalia contrahunt, eo quia Ritualia omnia jubeant & ſponſalia celebrari in facie Eccleſiæ, & eorum ritum præſcribant: quod certe minime verum eſt, cum in Rituali Romano, quod merito univerſæ Eccleſiæ Occidentalis, & Latinæ Rituale eſt, & reputari debet, nulla prorſus habeatur de ſponſalibus Rubrica, nulluſque indictus ritus, vel cæremonia. Sponſalia vero per verba de præſenti celebrata ſine Parocho, & teſtibus nec Matrimonii vim habent, nec ſponſaliorum, ut pluries declaravit Sacra Congregatio, & videre eſt in Inſtitutione 46. Lambertiniana.

CAPUT TERTIUM.

De ſubjecto Sponſalium, & conditionibus quæ apponi ſolent, vel poſſunt.

DOCTRINA.

I. *Inepti ſunt ad ſponſalia ratione carentes.*
II. *Non vero qui aliquo ſenſu carent.*
III. *Impuberes valide celebrant ſponſalia.*
IV. *Sed ab eis etiam reſilire poſſunt.*
V. *Niſi juramento firmaverint.*
VI. *Licitum eſt ſponſalibus conditiones apponere.*
VII. *Et præſertim ſi parentes conſenſerint.*
VIII. *Valent ſponſalia inter impeditos, addita conditione diſpenſationis obtinendæ.*
IX. *Non valent ſponſalia Catholicæ cum hæretico, & viciſſim.*

I. AD ſponſalia valide contrahenda uſus requiritur rationis, quo contrahentes noſſe poſſint, quid agant. Cum enim ſponſalia ſint contractus, & quidem ſub gravi obſtringens, ea requiritur cognitio, uſuſque rationis, qui ad lethaliter peccandum requiritur, ut diximus cap. 1. n. 4. Hinc pueri ante ſeptennium ſponſalia celebrare non valent, quia, ut inquit S. Thom. hic qu. 43. art. 2. „ Primus hominis ſtatus eſt, cum quis „ neque ipſe intelligit per ſe, neque ab alio ca„ pere poteſt . . . . Et hunc ſtatum obtinet ho„ mo ante primum ſeptennium: & propter hoc il„ lo tempore nulli contractui aptus eſt; & ita nec „ ſponſalibus“. Pari pacto inepti ſunt ad ſponſalia contrahenda amentes, dementes, furioſi juxta ea, quæ diximus Tract. de Contract. cap. 5. n. 3. Quod ſi aliquo gaudeant lucido intervallo, licet fortaſſis valide poſſint contrahere, tamen, ut docet S.Th. in iv. ſent. diſt. 34. q. 1. art. 4. *Non eſt tu-*

tutum quod Matrimonium contrahant, *quia neſciunt prolem educare*. Quare ſi tutum non eſt illos Matrimonium contrahere, ſponſalia vel invalida dicenda ſunt, vel certe ea diſſolvendi æquiſſima cauſa ſubeſt, licet alteri ante fuerit comperta dementia: cum in ſponſalibus non minus voluntas contrahentium ſit attendenda, quam bonum ipſum Matrimonii, ad quod ſponſalia ordinantur.

II. Qui aliquo deſtituuntur ſenſu, non ſunt ad ſponſalia ineunda inepti. Nam cæcus adhuc poteſt optime noſſe, quid ſit Matrimonium, & quænam ſecum afferat officia, & onera; & ſimiliter qui mutus, multoque magis, qui ſolum ſurdus ſit; licet hæc impedimenta a nativitate ſortiti ſint. Solum difficultas eſſe poteſt, ſi quis pluribus deſtituatur ſenſibus, puta & ſurdus ſit, & ſimul mutus, ut contingit ſemper in ſurdis a nativitate: hos tamen contrahere poſſe & valide, & licite cenſeo, cum alioquin eſſe poſſint acuti, & perſpicacis ingenii, & multa etiam explicatu difficillima & ſignis manifeſtent, & ipſis ſignificata probe intelligant; poſſint propterea & de Myſteriis Fidei edoceri, & ad Sacramenta tum Pœnitentiæ, tum Euchariſtiæ admitti: non ſunt igitur a Matrimonio arcendi, ideo nec a ſponſalibus. At oppoſitum puto de illo, qui ſimul cæcus ſit, ſurdus, & mutus, cum vix concipi poſſit, quomodo edoceri poſſit de officio Matrimonii: quamvis enim fortaſſis naturæ inſtinctu illud noſſet, & ad illud, belluarum more, inſtinctu naturæ urgeatur; quid tamen in ſe importet juxta chriſtiani, & rationalis hominis officia, noſſe non valet. Immo & idem cenſeo de illo, qui cæcus a nativitate, ante tamen uſum rationis ſit ſurdus effectus, cum tunc pariter omnis aditus præcludatur notitiæ, & cognitioni ad Matrimonium humano, & chriſtiano modo celebrandum.

III. Impuberes ſponſalia valide contrahere poſſunt. Nam ante pubertatem naturam, & effectus ſponſalium cognoſcere ſufficienter valent. Hinc S. Thom. hic qu. 43. art. 2. docet, ſatis rationabiliter determinatum in jure ſeptennium ad ſponſalia ineunda, ita ſcribens: „ Secundus ſtatus hominis eſt, quo homo ab alio capere poteſt, „ ſed ipſe per ſe non ſufficit ad conſiderandum, & „ intelligendum .... Unde etiam tunc temporis „ pueri ad ſcholas ponuntur ... Et tunc incipit „ eſſe aptus ad aliqua promittenda in futurum, „ præcipue de his, ad quæ ratio naturalis inclinat „ magis, non autem ad obligandum ſe perpetuo „ vinculo; quia adhuc non firmam voluntatem habet. Et ideo tali tempore poſſunt contrahi ſponſalia “. Immo addit in reſp. ad 7. „ Quod „ in ſponſalibus, ſi appropinquent contrahentes ad „ tempus ſeptennii, contractus ſponſalium habet „ robur, quia ſecundum Philoſophum, quod parum deeſt, quaſi nihil deeſſe videtur. Hæc autem propinquitas a quibuſdam determinatur „ tempus ſex menſium. Sed melius eſt, quod determinetur ſecundum conditionem contrahentium; quia in quibuſdam magis acceleratur uſus „ rationis, quam in aliis “. Penſanda eſt igitur cognitio, ſeu malitia contrahentium, & inſpiciendum, num hæc ætatem ſuppleat, & præveniat; & ex hoc dijudicandum de valore ſponſalium: quod tamen judicium non a privato quovis pronuntiari debet, ſed vel a Parocho, immo ſi opus ſit, & ab Epiſcopo.

IV. Hæc tamen ſponſalia ab impuberibus contracta non ita firma ſunt, & rata, ut ab illis reſilire non poſſint. Nam obligant quidem uſque ad tempus pubertatis, quod in fœminis incipit duodecimo anno, in maribus vero quartodecimo; & tunc conceſſum eſt illis a promiſſione reſilire, ut habetur cap. *a nobis* 8. de *diſpenſ. impuberum*, ubi ſtatuitur, „ Qui ante nubiles annos (ideſt impuberes) contraxerint, uſque ad legitimam ætatem (pubertatis) expectare tenentur, & tunc „ erit confirmatum Matrimonium: aut ſi ſimul „ eſſe noluerint, ſeparentur, niſi carnalis commixtio ante intervenerit “. Hunc tamen diſſenſum manifeſtare debent, ſtatim ac ad pubertatem pervenerint; alioquin poſtea non licebit: ex eo enim, quod non contradixerint, cenſentur inita ſponſalia confirmaſſe. Statim autem dicitur contradixiſſe, qui intra triduum ab adepta pubertate contradixit. Nec neceſſe eſt, ut alter alterius expectet pubertatem; ſed ſatis eſt, ſi unus ad eam pervenerit: quare ſponſa diſſenſum ſuum poterit indicere, cum ad duodecimum pervenit annum, licet ſponſus nondum quartumdecimum attigerit: ſi enim poteſt reſilire altero pubertatem adepto, nihil impedit, ut etiam ante valeat reſilire. At ſi pubes impuberi Matrimonium ſpoponderit, non poterit reſilire, bene vero impubes, cum fuerit pubertatem aſſecutus; ut declaratur laud. cap. *a nobis* 7. ubi dicitur: „ Mulier, quæ poſtquam annos nubiles attigit, ei qui nondum ad annos aptos Matrimonii venerat, nupſit, cum in eum „ ſemel conſenſerit, amplius non poteſt diſſentire, „ niſi ipſe, cui nupſit, poſtquam ad legitimam ætatem pervenerit, in eam ſuum negaverit præſtare conſenſum.

V. Si ſponſalia impuberum fuerint juramento confirmata, ab eis etiam pubertatem aſſecutis, revocari non poſſunt. Adverſantur huic doctrinæ nonnulli Theologi, & juris canonici Doctores, quos inter Reiffenſtuel. At noſtra doctrina & tutior eſt, & probabilior ex iis, quæ diximus tum Tract. in II. Decal. præc. cap. *9*. tum de Contract. cap. 10. Reg. 8. quandoquidem ipſa ſponſalia de ſe valida ſunt, & ſolum infirma, quia conceſſione juris revocari poſſunt: at hæc infirmitas, juramento tollitur, & conceſſioni juris per juramentum renuntiant; quod juramentum profecto impleri poteſt ſine ulla Creatoris injuria. Et revera ita ſtatuit Cap. *ex litteris* 10. de ſponſalib. Pontifex Alex. III. jubens: „ Ut duo impubeſcentes, qui ſub juramento Matrimonium ſibi „ promiſerant, ad illud contrahendum Eccleſiæ „ cenſuris compellantur “: & merito, quia ſubdit: „ *Periculoſum eſt contra ſuum juramentum venire*. “ Ita docent communiter Theologi, ipſo fatente Reiffenſtuel, non ſolum ſeveriores, ſed benigniores, immo & ipſe benigniſſimus Sanchezius Diſp. *61*. n. 22.

VI. Illicitum non eſt ſponſalibus conditiones aliquas apponere. In Tract. de Contract. cap. 10. de conditionibus contractibus adjectis doctrinas, & regulas tradidimus, quæ ad hunc locum ſunt revocandæ. Juxta itaque ibi dicta conditiones adverſantes ſubſtantiæ Matrimonii nulla efficiunt ſponſalia. Quæ vero non adverſantur, licet inhoneſtæ ſint, & illicitæ, valorem non impediunt ſponſalium, ſed minime ſunt implendæ. Quæ denique lici-

liciiæ ſunt, & honeſtæ, apponi poſſunt, & ex earum eventu, vel defectu valor pendet Matrimonii. Doctrinam hanc tradit D. Thom. in IV. diſt. 27. q. 1. art. 1. ſcribens: „ Si fiat dicta promiſſio ſub conditione, diſtinguendum eſt: quia vel „ eſt conditio honeſta, ut cum dicitur, *accipiam* „ *te, ſi parentibus placeat;* & tunc ſtante condi- „ tione ſtat promiſſio, & non ſtante non ſtat: aut „ inhoneſta, & hoc dupliciter, quia aut eſt con- „ traria bonis Matrimonii, ut ſi dicat, *accipiam* „ *te, ſi venena ſterilitatis procures;* & tunc non „ contrahuntur ſponſalia; aut non eſt contraria „ bonis Matrimonii, ut ſi dicat, *accipio te, ſi* „ *furtis meis conſentias;* & tunc ſtat promiſſio, „ ſed tollenda eſt conditio ". Recolantur l. cit. dicta, ubi etiam oſtendimus, tunc conditiones turpes ſubſtantiæ Matrimonii non adverſantes non tollere abſolute conſenſum, quando ex circumſtantiis colligi poteſt, efficaciorem fuiſſe voluntatem celebrandi contractum ſponſaliorum, quam conſecutionem poſitæ conditionis: ſi enim magis volita fuerit conditio, quam contractus, profecto deficiente conditione deficeret contractus, quippe qui ſine contrahentis voluntate ſubſiſtere non poteſt. Quamobrem qui Matrimonium polliceretur puellæ ea expreſſa voluntate, & conditione, ſi copiam ſui corporis faciat, adeo ut prius volita ſit actio turpis; profecto ea deficiente nullus eſſe contractus, qui ſolum poſita conditione valeret. Nec dicas, hoc pacto & Matrimonium ſub conditione turpi, vel Matrimonii ſubſtantiæ adverſante fore nullum; quod tamen non admittit Eccleſia. Nam ideo Eccleſia has rejicit conditiones, & ratum habet Matrimonium, quia ſupponit primario volitum Matrimonium, & ſolum ſecundario conditiones turpes: at ſi oppoſitum ex malitia contrahentium contingeret, nullum quidem, ſpectato jure naturæ, eſſet Matrimonium; ſed, cum diſſolvi non poſſit, tenerentur contrahentes voluntatem mutare, & verum, ac abſolutum apponere conſenſum.

VII. Conditio adjecta ſponſalibus, ſi accedat parentum conſenſus, licita eſt, & honeſta, nec limitanda ad temporaneum aſſenſum, vel ad merum non diſſenſum. Nam cum hæc conditio maxime ſit conformis legi naturali, & divinæ præcipienti erga parentes reverentiam, & obedientiam, clare apparet nedum licitam, ſed & æquiſſimam, honeſtiſſimamque eſſe habendam. Quamobrem non licet filiis eam aliquo modo limitare, nimirum ſi parentes vel primo conſenſerint, licet poſtea diſſentiant; vel dummodo non diſſentiant: quod oſtendo his validiſſimis argumentis, etiam a clariſſimo viro Franzoja adductis. 1. Summus Pontifex Benedictus XIV. in ſua Encyclica ad Primates, & Patriarchas data die 3. Novemb. 1741. incipiente: *Satis nobis compertum eſt*, vetat illis, ne diſpenſationem denuntiationum concedant, quando eam petunt *filii-familias*, *quorum nuptiæ Patri juſte diſſentienti ſunt inviſæ: ab Epiſcopali enim* (ſubdit) *quod geritis munere nimium eſſet alienum, facilem præbere filio inobedientiæ occaſionem*. Tunc igitur conſenſum Patris requirit Pontifex, quando ſponſalium promiſſio eſt per Matrimonium implenda. Non igitur ſatis eſſe cenſet Pontifex, ſi antea conſenſerit, ſi tunc *juſte* diſſentiat; quia tunc revera Patri inobedientem maxime ſe filius oſtentat. Siquidem fieri poteſt, ut parentes prius conſenſum præſtiterint, quia de qualitatibus ſponſorum conſcii non fuerint, quibus deinde compertis æquiſſime præſtitum retractent conſenſum. Præterea ſi celebrata ſponſalia invitis, vel inſciis parentibus valida forent, denuntiationum diſpenſationem concedere deberent Epiſcopi, ne ſponſi a fide data ſolvenda impedirentur; at hoc vetat Pontifex: non ergo ea valida exiſtimat. 2. Alexand. II. apud Ivonem Carnotenſem par. 3. Decr. cap. 17. (refertur a Natali Alex. Tom. 3. pag. 70. prop. 3.) Juvenem, qui juramento ſe obſtrinxerat ad concubinam ſuam, eandemque conſanguineam, ducendam in uxorem, reum pronuntiat adulterii, inceſtus, & perjurii: probat vero reum eſſe perjurii, *quia quod obſervare legaliter non poterat ſine judicio parentum, vel judicum, temere jurare præſumpſit*. Si itaque nec jurata ſponſalia valida cenſet Pontifex ex defectu conſenſus Parentum, quanto minus valida erunt non jurata? Ubi & illud obſervandum, non diſſenſum afferri a Pontifice tanquam cauſam & perjurii, & nullitatis ſponſalium, ſed meram deficientiam conſenſus. 3. Concilium Tridentinum aperte pronuntiat, Eccleſiam Dei Matrimonia a filiis-familias ſine conſenſu parentum facta ex juſtiſſimis cauſis *ſemper deteſtatam eſſe, & prohibuiſſe*: quomodo igitur poteſt valere promiſſio faciendi id, quod Eccleſia & deteſtatur, & prohibet? Porro hujuſmodi ſunt ſponſalia, quæ celebrantur non ſolum cum diſſenſu, ſed ſine conſenſu parentum. Valida ergo eſſe nullo modo poſſunt. At inquies, illicita ſunt, non invalida. At minime, repono. Nullus ſiquidem contractus, nullum pactum, nulla obligatio valida eſſe poteſt, quæ impleri non valet ſine injuria Creatoris, & offenſa Dei; at hujuſmodi ſponſalia impleri per Matrimonium non valent ſine peccato, & offenſa Dei, quippe quæ & legi divinæ adverſantur de honoratione parentum, & legibus Eccleſiæ ea vetantis & deteſtantis: igitur non illicita ſolum ſunt habenda, ſed & invalida. Urgebis. Præfata Matrimonia, licet legi divinæ & eccleſiaſticæ contraria, tamen valida habentur, quidni igitur & ſponſalia? At diſcrimen eſt ſatis apertum, ut ſtatim oculos feriat. In Matrimonio agitur de facto, quod retractari nullo modo poteſt. At in ſponſalibus de promiſſione agitur, quæ infirmari poteſt, & eſt retractanda, cum impleri non valeat ſine culpa. Hinc patet, quantum a vero aberrent Theologi, qui peccati mortalis reos faciunt parentes impedientes, vel etiam diſſuadentes filiis, ne impleant id, ad quod ſub mortali obligantur, cum obligari minime poſſint ad id, quod juſtæ voluntati Patris, illique debito honori, & reverentiæ adverſatur: prius enim jure naturæ obſtringitur patri filius, quam ſponſæ ſibi aſſumptæ. Fatemur tamen diſſenſum patris eſſe debere in aquitate, & juſtitia fundatum; non enim ex mero ejus arbitrio vel diſſentire, vel aſſenſum negare poteſt, nullis occurrentibus æquiſſimis cauſis. At de hoc judicare ad filium non ſpectat, ſed Epiſcoporum, vel Parochorum judicio ſtandum eſt, utpote quibus vetitum eſt, ne ſine conſenſu parentum Matrimonio filios-familias jungant. Legantur hac de re Muſcetulæ Archiepiſcopi Roſſanenſis Diſſertatio, & quæ inferius dicemus cap. 7. n. 11. 12. & 13.

VIII. Valent ſponſalia inita inter impeditos a Ma-

Matrimonio celebrando, adjecta conditione, ſi Pontifex diſpenſationem conceſſerit. Horum ſponſaliorum valorem oppugnant quidem plures & Theologi, inter quos eſt Concina, & juris periti Doctores, putantes conditionem appoſitam eſſe inter impoſſibilia enumerandam: nam quod de jure fieri nequit, cenſetur impoſſibile. Nec obſtat, quod jus mutari poſſit, & id quod nunc impoſſibile eſt, poſtea poſſibile fieri. Non enim ſecundum futuri temporis jus, ſed ſecundum præſentis, æſtimari debet ſtipulatio; ut decernitur in jure Leg. 137. ff. de verb. oblig. Noſtra tamen doctrina probabilior eſt habenda: quandoquidem ſponſalia celebrata ſub conditione licita, & honeſta valida reputantur. Porro appoſita conditio honeſta eſt, & licita. Non igitur ſponſalia infirmare poteſt. Sic renuntiatio Beneficii alteri facta cum penſione, ſi Papa conceſſerit, valida eſt, licet ſine tali conditione ſimoniaca foret. Nec urget oppoſita ratio: quia tunc res pendens a voluntate Principis impoſſibilis reputatur, quando Princeps vel non ſolet, vel licite non valet diſpenſationem concedere, etiamſi fortaſſis difficillime diſpenſet; atque tunc adhuc impoſſibile dici non poteſt, quod de jure, & licite concedere valet. Præterea aliud eſt, aliquod de jure vetitum eſſe, proinde impoſſibile; aliud quod conditio appoſita ſit de jure vetita, proinde impoſſibilis: primum quidem habetur inter impeditos, puta conſanguineos, vel affines, qui nullo modo Matrimonium celebrare poſſunt, cum hoc ſit jure vetitum; & alterum minime habetur, cum nulli vetitum ſit hac conditione ſponſalia celebrare. Objicit tamen Concina ex Soto: Sponſalia hæc ſine conditione celebrata nulla ſunt: ergo & adjecta conditione, cum hæc in illis ſit implicite imbibita: porro eadem ratio eſt & implicitæ, & explicitæ conditionis. Reſp. diſpenſationem non requiri ad celebranda ſponſalia, ſed ad ipſum Matrimonium. Non igitur ſponſalia hæc ſecundum legem Eccleſiæ vetantis Matrimonia dirigi debent, ſed ſecundum legem Dei vetantis promiſſiones ex quocumque capite illicitas. Et ideo ſi promiſſio ſit abſoluta, jam eſt de re ex lege Eccleſiæ illicita, ac proinde nulla, & invalida: at ſi ſit conditionata, jam ſit de re licita & honeſta, & ſic valida eſt & firma; ut patet in exemplo renuntiantis Beneficium cum penſione, & in aliis ſexcentis, quæ adduci poſſunt. Et revera ſic ſentit D. Thom. in IV. diſt. 39. q. 1. a. 1. ad 3. ubi docet promiſſionem Matrimonii inter fidelem & infidelem eſſe validam & licitam, ſi apponatur conditio de converſione infidelis. En ejus verba: „Dicendum, „ quod eadem eſt habitudo præſentis ad præſens, „ & futuri ad futurum: unde ſicut quando Matri„monium in præſenti contrahitur, requiritur uni„tas cultus in utroque contrahentium; ita ad „ ſponſalia, quibus ſit ſponſio futuri Matrimonii, „ ſufficit conditio appoſita de futura unitate cul„tus". Valent igitur præfata ſponſalia, nec ab illis recedere poſſunt, donec impleatur conditio, id eſt petita diſpenſatio vel concedatur, vel denegetur, quam bona fide, & vel communibus expenſis, vel juxta hac de re habitas conventiones procurare tenentur. Obtenta autem diſpenſatione non puto renovandum conſenſum, ſed jam præſtitum ſufficere, quippe qui ex conditionato tranſit in abſolutum, ut docui de Contr. in com. cap. 11. conſ. 6.

IX. Non valent ſponſalia Catholicorum cum hæreticis, niſi ea ſiant conditione, ſi hæreticus ad Eccleſiam revertatur. Prima hujus doctrinæ pars eſt manifeſta: etſi enim hujuſmodi ſponſalia fortaſſis in externo foro invalida non habeantur; invalida tamen ſunt, & illicita in foro conſcientiæ, tum jure naturali, tum lege eccleſiaſtica: lege quidem naturali ob periculum ſubverſionis in catholico, vel prolis; Lege autem eccleſiaſtica in pluribus Conciliis lata, Chalcedonenſi generali can. 13. Eliberitano can. 6. Laodicenſi, & Agathenſi can. 67. quod refertur in jure can. Cap. *Non oportet* 28. quæſt. 1. Præterea ſponſalia ſunt de re omnino illicita, proinde de ſe invalida, cum nullus obſtringi poſſit ad peccandum. Et revera, ſi hæreſis ſuperveniens ſponſalibus, vel ea dirimit, vel dirimendi juſtam præbet anſam, multo magis invalida reddit, ſi ea præcedat. Si vero addatur conditio converſionis, & licita fiunt, & valida ſponſalia; cum ea impleta Matrimonium & licite, & valide celebrari poſſint.

CAPUT QUARTUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Valent impuberes etiam ſine cauſa a ſponſalibus reſilire.*
II. *Sponſalia cum impedimento perpetuo celebrata nulla ſunt.*
III. *Qui vovit Religionem, num teneatur diſpenſationem petere.*
IV. *Poſteriora ſponſalia etiam impleta conditione non fiunt abſoluta.*
V. *Qui fraude impedit, ne impleatur conditio, non liberatur a fide data.*
VI. *Sponſalia ea conditione inita, ſi pater conſenſerit, non fiunt abſoluta ex ſola parentis morte.*

Conſectarium Primum.

I. Impuberes, qui ſponſalia celebrarunt, cum ad pubertatem perveniunt, poſſunt ab eis etiam ſine cauſa reſilire. Non deſunt Theologi, qui putant, impuberes poſſe quidem recedere, at ſi aliqua adſit cauſa, & quidem a Judice Eccleſiaſtico expendenda: quia, inquiunt, juſtum non videtur, ut promiſſio de re magni momenti, & de parentum conſenſu facta, temere & gratis diſſolvatur. Verum non puto probabilem hanc opinionem, cum jam ſemper juſta adſit cauſa, ſcilicet imbecillitas ætatis, cui auxiliari voluit Eccleſia, ptis impuberibus concedendo, ut cum ad pubertatem pervenerint, poſſint vel ſponſalia pro ſua libertate confirmare, vel ab illis pro ſuo libito reſilire. Quapropter hæc ſponſalia ab impuberibus inita eam involvunt conditionem, ab ipſo jure illis conſtitutam, niſi puberes facti detrectent, & reſiliant.

Conſectarium ſecundum.

II. Sponſalia cum impedimento, etiam ſolum impediente, celebrata, ſi impedimentum perpetuum ſit, nulla ſunt, & invalida. Ratio eſt manifeſta: quia licet Matrimonium cum impedimento impediente celebratum validum ſit, eſt tamen de

ſe illicitum: non poteſt igitur eſſe licita promiſſio de re prohibita, & illicita, cum nemo ad peccandum ſe poſſit obligare. Hinc invalida ſunt ſponſalia celebrata cum obſtricto voto perpetuo caſtitatis; quia licet Matrimonium validum eſſet, foret tamen illicitum; & graviter peccaret, qui illud contraheret, nec poſſet debitum petere.

Conſectarium Tertium.

III. Qui voto Religionis obſtrictus ſponſalia celebrat ea conditione, ſi Papa a voto diſpenſaverit, nec diſpenſationem petere, nec ea uti tenetur. Continet hoc Conſectarium exceptionem doctrinæ, quam tradidimus cap. præced. num. 8. ubi diximus illos, qui ſub conditione diſpenſationis celebrarunt ſponſalia bona fide, teneri diſpenſationem procurare. Et ratio exceptionis eſt manifeſta: nam ſponſalia ſemper hanc conditionem involvunt, niſi meliorem ſtatum Religionis elegero; nec ulla ratione quis impediri debet, ne Religioſum eligat ſtatum; immo & ipſis Matrimonio junctis conceditur bimeſtre, intra quod Matrimonio non conſummato Religioſum ſtatum amplecti valent. Præterea iſte ſe liberum ſemper ſervare poteſt ad implendum votum ſuum. Pars tamen innocens, & libera, audita declaratione alterius nolentis diſpenſationem petere, ſed velle Religionem ingredi, a fide data liberatur.

Conſectarium Quartum.

IV. Quando quis cum duabus ſponſalia inivit conditionata, poſteriora ſponſalia, etiam impleta conditione, non tranſeunt in abſoluta. Ratio eſt, quia cum ſemper illicita ſint, & contra fidem priori ſponſæ datam, licet conditionatam, fieri non poſſunt licita, proinde nec valida. Tenetur itaque priorum ſponſaliorum conditionem attendere, quæ ſi impleatur, jam facta ſunt abſoluta; ſi vero non impleatur, tunc ſecunda ſponſalia celebrare poterit, ſed novo appoſito conſenſu.

Conſectarium Quintum.

V. Qui conditionata ſponſalia celebravit, ſi fraude, vel dolo impediat, ne impleatur conditio, ipſe quidem obſtrictus manet, altera vero pars libera. Et quidem fraudulenter impedientem obſtrictum manere patet, quia nullus ex dolo, & fraude lucrum reportare debet: innocentem vero a ſponſalibus liberari conſtat, quia hic ſua fraude oſtendit ſe velle a ſponſalibus reſilire, cui voluntati ſi & alterius accedat conſenſus, jam mutua voluntate dirimuntur ſponſalia.

Conſectarium Sextum.

VI. Sponſalia celebrata ea conditione, ſi parentes conſenſerint, hiſce mortuis ante præſtitum conſenſum, non tranſeunt in abſoluta. Repugnant huic doctrinæ nonnulli Theologi hac unica ducti ratione, quia nimirum conditio appoſita fuit in reverentiam Patris, qua ceſſante jam fiunt abſoluta, cum ceſſante cauſa, ceſſet effectus. At poſita doctrina mihi probabilior videtur. Nam ad valida ſponſalia abſolutus requiritur conſenſus vel in ſe, vel in impleta conditione. Porro hic non habetur abſolutus conſenſus nec in ſe, nec in conditione impleta. Deeſt igitur conſenſus legitimus ad valida conſtituenda ſponſalia. Nec obſtat conditionem appoſitam fuiſſe in reverentiam parentum. Nam ſemper verum eſt, ſponſalia fuiſſe non abſoluta, ſed conditionata; per mortem autem parentum tollitur quidem cauſa, quæ ad conditionem apponendam impulit; at non tollitur, ipſam conditionem fuiſſe vere appoſitam. Solum igitur præſtat mors patris, ut abſolute, ſi velint, poſſint contrahere, non vero quod abſolute contraxerint. Quod quidem attendendum eſt, non ſolum reſpectu habito ad mutuam contrahentium obligationem, quæ facile confirmari poteſt novo præſtito conſenſu, vel mutuo diſſenſu infirmari; ſed ratione habita impedimenti publicæ honeſtatis, quod reſultat quidem, ſi valida declarentur ipſa ſponſalia ob ſufficientem conſenſum, non oritur vero, ſi nulla ſint legitimo deficiente conſenſu.

CAPUT QUINTUM.

De Sponſalium obligatione, & impletione.

DOCTRINA.

I. *Quando implenda ſit Sponſalium promiſſio.*
II. *Num reluctans a judice cogi poſſit.*
III. *Num liceat addere ſponſalibus pœnam a reſiliente ſolvendam.*
IV. *Arrhæ in ſponſalibus apponi poſſunt.*
V. *Poſteriora ſponſalia licet juramento firmata invalida ſunt, & illicita.*
VI. *Etiam ſi ſint cum copula conjuncta.*
VII. *Argumenta contraria proponuntur.*
VIII. *Solvuntur.*
IX. *Quid, ſi res ad forum contentioſum deducatur?*
X. *Num prior ſponſa ex caritate juri ſuo cedere teneatur.*

I. DIximus c. 2. conſ. 1. ſponſalia gravem inducere obligationem celebrandi aliquando promiſſum Matrimonium: nunc inquirendum, quando urgeat hæc obligatio; & num ad impletionem ſponſi cogi poſſint vel pœna conventionali, vel ſententia judicis. Et quidem certum eſt, præfixo aliquo impletionis termino, ſponſorum neutrum ad illum præveniendum obſtringi; ſicut & quando eſt præfinitum tempus, non niſi ex juſta, & urgente cauſa promiſſionis licet impletionem differre. Quando vero nullum eſt præfinitum tempus, tenentur 1. ſtatim ac ab altera parte compellitur, & urgetur, ſi opportune poſſit matrimonium celebrare: nam non minor eſt obligatio celebrandi matrimonium in ſponſo, quam ingrediendi Religionem in eo, qui Religionis votum emiſit: hic autem tunc illud implere tenetur, quando opportune poteſt: & ſicut hic ſine mora ſollicitare debet impletionem, ne Deum ſervitio fraudet per id tempus, quo votum differt; ita & ſponſus promiſſionem implere debet, ne ſponſam ſua ſocietate pacta privet. Hoc tamen eſt adnotandum diſcrimen, quod in Religioſo ſtatu amplectendo, qui vovit, ſe ipſum urgere debet, ut impleat; in matrimonio autem alterius partis ſollicitationem poteſt expectare, & in dilatione ab ejus voluntate pendere.

II. Qui

II. Qui fidem in ſponſalibus datam implere recuſat, & peccat, & a judice etiam cogi poteſt, ſi ſponſalia ſint juramento confirmata. Et 1. quidem graviter peccare conſtat, cum, ut ſuperius oſtendimus, ſponſalia gravem inducant obligationem. Altera vero pars conſtat ex praxi, quæ in eccleſiaſticis viget Tribunalibus, & quæ adſtruitur a D. Thom. in IV. diſt. 27. q. 2. art. 2. ad 2., licet nec ipſe in ſponſalibus juratis eſſe coactionem adhibendam exiſtimet; quod certe verum eſt, quando ſcandala timentur, & peſſimus matrimonii exitus. Unde ſapienter docent Guttierez de juramento p. p. cap. 5. aliique juris Doctores, ſi Judex latam cenſuram in reum nihil prodeſſe videat, abſolutionem illi etiam non petenti dare poteſt; idque pluribus Rotæ Deciſionibus, a Barboſa ſuper cap. *Ex literis* de Sponſalibus n. 5. allatis, ſtatutum fuit. Sed audiatur D. Thom. „ Ex tali promiſſione (ſponſalium) obligatur unus alteri ad „ matrimonium contrahendum; & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat: & ſecundum hoc Eccleſia cogit injungendo pœnitentiam pro peccato. Tamen in foro contentioſo non compellitur, quia matrimonia coacta conſueverunt malos exitus habere: niſi forte juramentum intervenerit; quia tunc cogendus eſt, ut quidam dicunt, quamvis aliis non videatur, propter cauſam prædictam, præcipue ſi de uxoricidio timeatur “.

III. Non licet addere ſponſalibus pœnam ſolvendam a reſiliente. Hic loquimur de pœna, quæ conſiſtit in patrimonii diminutione, non vero quæ ſita ſit in beneficii privatione. Prior habetur, quando ſponſi paciſcuntur, ut ſi alteruter reſiliat, alteri reſiliens c. e. centum aureos ſolvat. Secunda, quando Pater, Avus, aut alius quiſpiam pollicetur centum daturum Titio, ſi Bertam ducat in uxorem, vel Bertæ, ſi Titio nubat. Hanc apponi poſſe non eſt ambigendum, cum ſit beneficium ſponte oblatum, quod alter pro ſua libertate conſequi poteſt, vel rejicere, & appoſitum videatur non ad cogendum, ſed ad alliciendum. Sermo eſt igitur de priori pœna, quam apponere vetitum eſt in utroque jure. In canonico, cap. *Gemma* de Sponſalibus indicitur a Greg. IX. „ Cum libera matrimonia eſſe debeant, & ideo talis ſtipulatio propter pœnæ interpoſitionem ſit merito improbanda; mandamus, eumdem virum, ut ab extorſione pœnæ deſiſtat, eccleſiaſtica cenſura compellas “. Et in Jure civili lege Titia 134. ff. de verborum obligatione ſtatuitur: „ Inhoneſtum viſum eſt vinculo pœnæ matrimonia adſtringi, ſive futura, ſive jam contracta “. Et merito, quia hujuſmodi pœna ſponſaliorum libertatem quammaxime minuit. Quapropter nec quando a conſanguineis apponitur, & ſuſpicio ſit, ne ſponſi ad matrimonium inducantur timore, ne conſanguinei pœnas ſolvant, invalide appoſita reputanda eſt. Nec obſtat, quod pœna non ſit ſolvenda, niſi ab injuſte reſiliente, in quo ſupponitur culpa, non vero a juſte recedente. Nam 1. leges abſolute, & indiſtincte hanc pœnæ appoſitionem vetant; unde diſtinctionem non admittunt. 2. Quia non ſemel quis habens juſtam reſiliendi cauſam, cum tamen eam in judicio difficile probare poſſit, cogitur metu ſolvendæ pœnæ ad matrimonium, a quo abhorret, celebrandum cum ſuæ libertatis læſione. 3. Quia, ut egregie animadvertunt Barboſa, & Gonzales, ad ſponſalium ſecuritatem contenti eſſe debent pœnis, & remediis in jure aſſignatis. Quod ſi ſolvatur, probabilius puto contra Sanchezium eſſe ab accipiente reſtituendam, cum nullus ſit titulus juſtæ detentionis; non voluntas ſolventis, qui minime donare intendit; non reſilientia a ſponſalibus, cum hanc impedire vetitum ſit pœnæ appoſitione, quam abſolute irritam jura declarant. Parum autem intereſt, an appoſita pœna magna ſit, vel modica, cum abſolute ejus appoſitio vetatur. Num autem graviter peccent, qui eam apponunt, ſcientes lege vetitam, affirmat Concina. At cum ſimul ſciant ab iiſdem legibus hanc appoſitionem irritam, & nullam fieri, non auderem lethalis peccati reum declarare, niſi illum, qui obfirmato animo ita apponeret, ut vellet etiam contra jus, & fas extorquere; præſertim cum non uſquequaque certum ſit vetitum eſſe a legibus apponere pœnam, ab injuſte reſilientibus ſolvendam. Quod ſi ſolvendæ pœnæ conditio juramento confirmetur, tunc puto ſolvendam ob reverentiam divini nominis. Si enim ſolvendæ ſunt uſuræ juratæ ob juramenti vinculum, licet ſint jure divino vetitæ; cur non & ſolvenda eadem de cauſa pœna ſolo jure humano vetita? Peti tamen poterit juramenti relaxatio, a legitimo Superiore concedenda.

IV. Arrhæ ſponſalibus apponi poſſunt amittendæ ab injuſte reſiliente. Arrhæ nomine hic intelligimus res illas, ſive mobiles, ſive immobiles, quæ dantur in ſignum, & pignus futuri matrimonii ſive ab ipſis ſponſis, vel invicem, vel ab altero, vel ab eorum parentibus. Hæ autem Arrhæ traditæ eſſe debent, non promiſſæ, & non in magna quantitate, ne pœnæ conventionalis locum tenere videantur. Porro Arrhas in ſponſalibus dare concedunt jura; & hæ celebrato matrimonio forent danti reſtituendæ: conſuetudo tamen ferme univerſalis eſt, ut accipienti relinquantur. Si vero ſponſalia diſſolvantur, & quidem ex juſta cauſa, reſiliens datas non amittit Arrhas, ſed illi ſunt reſtituendæ; ſicut & ipſe, ſi quas accepit, reſtituere tenetur: & merito, quia ubi culpa non eſt, nec damnum, aut pœna locum habet; ut in aliis contractibus, in quibus qui pignus dedit, ſi juſte a contractus impletione impediatur, pignus datum non amittit. Si vero quis reſiliat injuſte, & arrhas quidem acceperit, at minime dederit, duplum reſtituere debet, vel etiam triplum, & quadruplum, ſi ita convenerint: cavendum tamen, ne hæc tripli, vel quadrupli reſtitutio pœnæ conventionalis vicem obtineat. Quapropter puto quidem jure naturæ reſtituendas a reo inſonti acceptas arrhas, & tantundem de ſuo; at triplum, vel quadruplum non ſolvendum, niſi ex ſententia judicis, ut docent Sylveſter V. Arrha, & Palud. in IV. diſt. 27. q. 1. concl. 5. n. 15. minores vero non plus reſtituere tenentur, quam acceperint.

V. Qui cum duabus ſponſalia celebravit, graviter peccat, & prioribus obſtringitur ſponſalibus, licet poſteriora fuerint ſacramento confirmata. Peccare graviter nullus eſt qui ambigat, cum fidem datam turpiter infringat; nec interpoſitum juramentum vim priorum ſponſaliorum infringit, ſed auget culpam. Non infringit: quod enim uni jam promiſſum eſt, alteri dari non poteſt; & juramen-

tum non eſſe poteſt iniquitatis vinculum, ut obſtringat ad id præſtandum, quod ſine peccato fieri non poteſt. Auget culpam: quia divinum nomen profanat, eo abutitur ad iniquitatem patrandam, ut ſuo loco de jurejurando diximus, hic recolenda.

VI. Quod ſi poſterioribus ſponſalibus præter juramentum addatur & ſtuprum, & fide futuri matrimonii decepta ſponſa uſum corporis ſponſo conceſſerit, erunt ne hæc poſteriora ſponſalia prioribus anteferenda? Difficultas hæc eſt magni momenti, quæ Theologos, & Juris canonici Doctores in contrarias abripit opiniones. Sunt qui putant, poſteriora eſſe ſervanda, & fortius obligare, quam priora, proinde hiſce ſtandum eſſe. E contra alii oppoſitum plane cenſent, & minime tolli putant priorum ſponſaliorum vim, & efficaciam. Priori ſententiæ plures ſavent & Theologi, & Canoniſtæ, & quidem magni nominis, quibus & Concina adhæret. At alia quoque opinio magnos habet Patronos, quibus & ipſe accedo, & dico, jure naturæ inſpecto, priora ſponſalia minime tolli, ſed in ſuo robore manere, etiamſi poſteriora ſponſalia juramento, & ſtupro ſint confirmata, hiſce motus argumentis. Et primo quidem, etiam fatentibus Patronis oppoſitæ doctrinæ, conſiſtunt ſponſalia, ſi poſterior ſponſa illa noverit: tunc enim non decepta fuit, ſed decipi voluit, & fraudulenter innocentem priorem ſponſam ſuo jure inique ſpoliare conata eſt. Sed valent etiam, licet ſponſa illa ignoraverit: quandoquidem jus juſte, & legitime acquiſitum auferri non poteſt per injuriam alteri illatam, qualis eſt ſponſi cum altera fornicatio, & ipſius deceptio. 2. Res aliena furto ablata, ſi alteri, etiam bona fide ementi, & juſtum pretium perſolventi, vendatur, eſt ſemper domino ſuo reſtituenda, etiam cum ipſius emptoris damno: Porro qui alteri promittit, quod alteri eſt obligatum, jam fur eſt, & latro. Non valet igitur dominum ſuo jure ſpoliare. Et ſponſa deflorata cum quod alienum erat, licet bona fide, ſibi obtinere exiſtimaverit, legitime retinere non poteſt. 3. Sponſa ſpe matrimonii deflorata non habet jus ad matrimonium, niſi quando licite, & ſine injuria, & offenſa alterius celebrari poteſt: non enim iniquitas jus præbet alterum lædendi ne quidem in re levi; & præterea damnum, quod paſſa eſt, poteſt ab ipſo reo ad æqualitatem ſarciri alia via, quam per matrimonium: quod ſi ad omnimodam æqualitatem non poteſt compenſari, ſuæ imputet ſponſa culpæ, vel infortunio, quod dans operam rei illicitæ timere poterat, & præcavere. 4. In jure ſtatutum eſt, ut qui virginem vitiaverit ſub ſpe matrimonii, disjunctive vel uxorem habeat, vel dotem tribuat. Si itaque lex non obſtringit ad celebrandum matrimonium, etiam quando iniri poteſt ſine alterius injuria; quanto minus quando non niſi alterius jus violando celebrari poteſt? Et hanc doctrinam adprobat & Lambertinus ſua Inſtruct. *46.* n. *9.* Muſcetolæ auctoritate adducta, qui dub. 5. n. *291.* hunc eſſe affirmat communem Doctorum ſenſum, quorum plures allegat. 5. Adduci poteſt etiam auctoritas Innoc. III. cap. *Tuas dudum* tit. 4. lib. 4. Decret. ſtatuentis: „ In matrimoniis de „ cetero contrahendis illud te volumus obſervare, „ ut poſtquam inter legitimas perſonas conſenſus „ legitimus intervenerit de præſenti, qui ſufficit „ in talibus juxta Canonicas ſanctiones, & ſi ſolus defuerit, cetera etiam cum ipſo coitu cele„ brata fruſtrantur; ſi perſonæ junctæ legitime cum „ aliis poſtea de facto contrahant, quod prius de „ jure factum fuerit, non poterit irritari “. Fateor quidem Pontificem non de ſponſalibus loqui, ſed de matrimonio, at regulam ſtatuit, quæ & ſponſalibus convenit, nimirum *quando legitimus intervenit conſenſus, quod prius de jure factum eſt, non poſſe irritari.* Quare cum in prioribus ſponſalibus legitimus interveniat conſenſus, & de jure celebrata ſponſalia, ea irritari minime poterunt.

VII. Nec urgent Doctorum aliter ſentientium argumenta. Et 1. quidem dicunt; Copula ſub ſpe conjugii eſt anticipata traditio, & quidem talis, quæ ante Tridentinum Matrimonium conſtituebat; quod licet modo non præſtet, cum nulla ſint Matrimonia clandeſtina, ſaltem vim habet priora ſponſalia diſſolvendi. 2. Venditio traditioni conjuncta ſubſiſtit, & valet contra priorem venditionem ſine traditione: in noſtro autem caſu habetur ſimplex venditio in prioribus ſponſalibus; & in poſterioribus & venditio, & traditio rei habetur: hæc igitur aliis ſunt præferenda. 3. Fortius vinculum fortius etiam ligat: porro longe fortius eſt vinculum ſponſalium cum copula, quam ſine illa: ergo fortius obſtringit. 4. Quando lis eſt ex una parte de damno vitando, ex altera de lucro non perdendo, præferendus eſt a judice qui pro damno vitando litigat illi, qui ſolum de lucro non perdendo decertat. In noſtro caſu prior ſponſa certat pro non amittendo lucro promiſſo Matrimonii; poſterior pugnat pro non incurrendo damno amiſſionis famæ, honoris, & ſpei conjugii: ergo eſt præferenda. 5. Ita docent SS. Antoninus, & Raymundus. Prior ſiquidem p. p. tit. 1. cap. 18. de ſponſal. ſcribit: „ Solvuntur ſponſalia de jure ſecundum Raymun„ dum .... ſeptimo quando ſponſus, vel ſponſa con„ trahit cum altero per verba de præſenti, vel et„ iam per verba de futuro, & ſequitur carnalis „ copula; peccavit tamen talis mortaliter, quia „ fidem fregit “. *6.* Immo & S. Thom. idem confirmare videtur, ſcribens hic q. *46.* art. 2. „ Ni„ hil poteſt expreſſius ſignificare conſenſum, quam „ carnalis copula; & ideo ſecundum judicium Ec„ cleſiæ carnalis copula conſequens ſponſalia Ma„ trimonium facere judicatur “.

VIII. Verum hæc facile ſolvi poſſunt reſpondendo ad primum. Ante Tridentinum non copulæ fornicariæ vis attributa dirimendi priora ſponſalia, & Matrimonium conſtituendi; ſed copulæ affectu caſto, & maritali habitæ, quæ tunc haberi poterat in clandeſtinis Matrimoniis: at modo hic maritalis affectus locum non habet, nec copula niſi fornicaria habetur, quæ ſicut vim non habet Matrimonium conſtituendi, ita nec alterius jus acquiſitum minuendi. Ad 2. traditio rei venditæ præfertur ſimplici venditioni, quia illi jus aſſiſtit, & pro valida habet, ne incerta ſint rerum dominia, & firmi ſint contractus: at traditioni corporis per fornicariam copulam jus non aſſiſtit, nec firmitatem adjungit; immo reſiſtit, reprobat, & damnat; proinde majorem vim ſupra priora ſponſalia illi non tribuit, quod præſtat in Matrimonio, quod vim obtinet etiam contra priora ſponſalia, etiam ſtupro conjuncta: quia huic ſacramentali traditioni favet Eccleſia, licet ob injuriam alteri illatam da-

damnet, & reprobet tanquam ſacrilegam; at nullo modo favet traditioni per copulam fornicariam. Ad 3. poſteriora ſponſalia nec vinculi nomen merentur, cum juxta adverſantes Theologos, feorſum a copula, nullo pacto ligent; quomodo igitur ex adjuncta iniquitate virtutem obligandi nanciſcuntur, quam ex ſe & indole ſua habere non poſſunt? Ad 4. Tunc jura favent potius certanti de damno, quam pugnanti de non perdendo lucro, quando damnum ſine culpa, & innocenter incurritur: at quando ex culpa oritur, & cum detrimento innocentis, qui lucrum perdere debet, nullo modo illi favet, ſed a petitis repellit. Porro in noſtro caſu, ſponſa, quæ de damno conqueritur, illud ſua culpa ſubiit fornicando; nec tolli poteſt, niſi cum innocentis partis, jus ſuum de lucro non perdendo legitime tuentis, detrimento: non eſt igitur priori favendum, & poſteriori jus ſuum denegandum. Ad 5. & 6. Teſtimonia SS. Antonini, Raymundi, & Thomæ ad rem non faciunt, cum ipſi loquantur de copula non fornicaria, ſed maritali affectu habita, quæ tunc temporis, ut diximus, verum Matrimonium conſtituebat; quod certe ſponſalia dirimebat.

IX. Ita quidem jure naturali inſpecto, & in foro conſcientiæ judicandum; hoc tamen minime impedit, quin re ad forum contentioſum deducta, recto judicio poſteriora ſponſalia prioribus præferantur. Cum enim Matrimonium non tantum privatus, & peculiaris ſit duorum contractus, ſed & bonum Reipublicæ reſpiciat; ſi judex animadvertat exoritura ſcandala, inimicitias, odia inter familias ex ſolutione poſteriorum ſponſaliorum, nec reum amplius ducturum priorem ſponſam in uxorem, ſed potius ſine Matrimonio permanſurum, commonita & hortata parte innocente, ut ſponte jure ſuo cedat, vel æqua contenta ſit compenſatione, & illa pertinaciter obſiſtente, judicare poterit in favorem ſecundæ ſponſæ defloratæ; cum illud jus qualecumque prioris ſponſæ cedere debeat bono communi, & paci ac tranquillitati publicæ, cui proſpicere debet judex in contractibus, tam privatum, quam commune bonum reſpicientibus. Et hac unica fortaſſis de cauſa frequentius in foro exteriori ſententia in favorem ſecundæ ſponſæ fertur, ut affirmant Canoniſtæ. Confeſſarius itaque, ſi res ad forum contentioſum deducta ſit, abſtineat a ferenda ſententia, & ſolum a Pœnitente poſtulet animum promptum ad acquieſcendum ſententiæ a judice pronunciandæ.

X. Num autem innocens ſponſa juri ſuo cedere ex caritate, & chriſtiana prudentia teneatur, puto non ambigendum; cum contingere poſſit, ut jus ſuum rigide proſequendo lethaliter contra caritatem peccet; præſertim ſi vel nullum ſubeat detrimentum, vel qualecumque illud ſit, juſta compenſatione tollatur. Ex Caritate enim tenemur ſcandala, & peccata etiam levia, quantum poſſumus, impedire, & inimicitias ac odia, & ſimultates inter familias & cives averruncare, & etiam alterius damna cum noſtro longe minore avertere. Sed in hiſce peculiaribus caſibus circumſtantiæ ſunt expendendæ, & non juxta mundanas honoris, exiſtimationis, vel utilitatis leges, ſed juxta Chriſti præcepta, & legem ſanctiſſimam dilectionis proximi dijudicandum.

CAPUT SEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Sponſi non poſſunt ſe mutuo fallere.*
II. *Promiſſiones donationis faciendæ illicitæ in ſponſalibus non habentur.*
III. *Poſteriora ſponſalia non reviviſcunt, ſi priora diſſolvantur.*

Conſectarium Primum.

I. Sponſi non poſſunt ſe mutuo decipere defectus occultando, vel negando, qui ſponſalia impedirent. Porro hi defectus in triplicem claſſem dividi poſſunt: 1. qui manifeſtati ignominiam parti inferunt, ut amiſſio virginitatis: 2. qui ignominiam non afferunt, licet impedire poſſint ſponſalium celebrationem, ut paupertas, ignobilitas, provecta ætas: 3. qui pernicioſi ſunt, ut lepra, morbus Gallicus, vel occulta alia infirmitas. Et primo quidem, ſi de his omnibus interrogentur, veritatem fateri debent, nec poſſunt ſe mendacio, vel æquivocatione, vel reſtrictionibus mentalibus tegere. Hinc ſponſa de virginitate interrogata, ſi corrupta ſit, denegare non poterit, ſed ſponſalia ſtatim indignabunda recuſare, vel veritatem fateri. Non tenetur tamen ſponte manifeſtare, cum majus ſit ſui detrimentum, quam damnum ſponſi, eo plane pacto, quo diximus Tract. de Reſtitut. Diſſert. 2. Cap. 3. num. 11. adulteram non teneri crimen ſuum fateri ad evitandum mariti, & legitimorum filiorum detrimentum. Secundæ vero Claſſis defectus manifeſtandi, reddunt enim ſponſam notabiliter viliorem: & ſicut reus eſſet fraudis & injuſtitiæ, qui mercem notabiliter vitioſam offerret, & venderet emptori putanti eam tali vitio, & defectu carere; ita & ſponſa falleret ſponſum, exiſtimantem eam nobilem, divitem, juvenem, & ſibi parem, cum revera talis non ſit. Neque hic locum habet, ſicut in aliis mercibus, pretii diminutio; ſed ſilentium excuſare poteſt ſolum levitas diſparitatis. Tertiæ vero Claſſis defectus, cum pernicioſi ſint, vel probroſi, proculdubio ſunt manifeſtandi: ſi enim hi, ut inquit Concina, celari non poſſunt in venditione Aſini, vel Bovis, quanto minus in contractu tanti momenti, qualis eſt Matrimonium, præſertim cum præfati defectus vel generationi obeſſe poſſint, vel proli, & detecti ante Matrimonium juſtam præbeant dirimendorum ſponſalium cauſam, vel poſtea jurgiis, & diſcordiæ aditum aperiant? Hinc Innoc. III. Cap. quemadmodum 25. tit. 24. lib. 2. Decretal. dicit: „ Quod ſi poſt „ hujuſmodi juramentum, quo vir ſponſalia firma„ vit, mulier fieret non ſolum leproſa, ſed „ etiam paralytica, vel oculos, vel naſum a„ mitteret, vel quidpiam ei turpius eveniret, „ nunquid vir teneretur eam ducere in uxorem? „ Profecto ductam non poſſet dimittere. Sed „ nunquid non ductam admittere teneretur? Quam„ vis interdum contractum non dirimat, quod „ impedit contrahendum “. Sed quid, ſi (quod profecto turpiſſimum eſt) eveniret, ut ſcilicet ſponſa virginitatem prodigeret poſt ſponſalia, teneretur ne hunc defectum ſponſo manifeſtare? Mi-

Minime. At ſi ſponſus Matrimonium detrectaret, & vellet dirimere alia de cauſa, quamvis non omnino juſta, licite non poſſet cogere ad ſtandum ſponſalibus; hoc enim eſſet cogere ad emendam mercem, promiſſam quidem, ſed jam effectam deterioris conditionis: teneretur itaque acquieſcere, & ſponſalia mutuo conſenſu dirimere; ut docent Navarrus, aliique bene multi contra Dianam.

Conſectarium Secundum.

II. Promiſſiones donationis faciendæ, ſive a ſponſo apponantur ſive a ſponſa, nec pœnæ rationem habent, nec a jure interdicuntur. Et quidem rationem pœnæ non habent: quia vel celebratur Matrimonium, & ſic quod promiſſum eſt, ſolvitur; vel non celebratur, & donatio locum non habet, nullaque in neutro fit Matrimonii diminutio. Non prohibentur vero, ſi juſta ſubſit cauſa gratuitæ largitionis in ſponſo; puta quia femina nobilis, juvenis, valde pulchra, Maritus vero ignobilis, ſenex, deformis &c. Solum itaque prohibentur, quando a ſponſo progrediantur ſine juſta cauſa; tunc enim cenſentur a jure factæ ob turpem cauſam, & ob libidinem. At in promiſſione ſponſæ nunquam talis occurrit ſuſpicio; ſemper enim præſumitur, quod promiſſum eſt, dari titulo dotis, & ad onera Matrimonii ſuſtinenda.

Conſectarium Tertium.

III. Poſteriora ſponſalia non reviviſcunt, ſi forte priora fuerint diſſoluta, niſi forte forent juramento confirmata. Primam hujus noſtræ aſſertionis partem omnes admittunt Theologi: cum enim poſteriora ſponſalia nulla, invalida, & illicita fuerint, nec valere poſſunt ſub ratione ſimplicis promiſſionis; quia non gratuitam pollicitationem important, ſed oneroſam ſponſalium. Sed alteram partem plures rejiciunt Theologi eadem ratione, quia juramentum ea ſponſalia nec valida reddit, nec licita: nullo itaque modo per illa obſtringitur ſpondens. Verum id non puto adeo certum exploratumque, ut oppoſitam opinionem certe tutam reddat improbabilem. Nam, ut docuimus in Tract. de Contractibus Diſſ. 1. cap. 10. §. 2. Reg. 3. Contractus de ſe nulli, ſi juramento firmentur, & impleri poſſint ſine ſalutis æternæ diſpendio, & injuria Creatoris, ſervari debent. Sic juramenta de uſura ſolvenda, de pecunia latroni danda, licet in ſe nullius roboris, tamen ob reverentiam divini nominis ſunt ſervanda, vel petenda juramenti diſpenſatio. Cur itaque non idem dicendum de ſponſalibus, licet nullis, juratis tamen, quæ ſervari tuta conſcientia poſſunt? Nec obſtat fuiſſe tunc non ſolum valida, ſed illicita. Nam tota culpa ex priori promiſſione oriebatur, quam violare nefas erat: at hac ſublata nihil jam ſupereſt, quod ſponſalium impletionem impediat.

CAPUT SEPTIMUM.

De Sponſalium diſſolutione.

DOCTRINA.

I. *Cauſæ dirimendorum ſponſalium enumerantur.*

II. *Quando fornicatio ſit diremptionis Sponſalium cauſa.*

III. *Utriuſque conſenſu dirimuntur ſponſalia, etiam jurata.*

IV. *Quando abſentia, vel domicilii mutatio tollat ſponſalia.*

V. *Quando dilatio impletionis.*

VI. *Profeſſio Religioſa, & Sacrorum Ordinum ſuſceptio dirimit ſponſalia.*

VII. *Quomodo poſteriora ſponſalia priora tollant.*

VIII. *Morbus ſuperveniens, vel detectus ſponſalia infirmare poteſt.*

IX. *Affinitas ſuperveniens dirimit ſponſalia.*

X. *Infamia eſt juſta cauſa dirimendi ſponſalia.*

XI. *Invalida ſunt ſponſalia a filiis-familias cum impari, vel indigna celebrata inſciis, vel invitis parentibus.*

XII. *Etiamſi ſint ſtupro conjuncta.*

XIII. *Si ſint cum honeſta, & cum pari contracta valida eſſe poſſunt, ſed diſſentiente Patre diſſolvuntur.*

XIV. *Notabilis mutatio ſuperveniens ſponſalia dirimere valet.*

I. PLures ſunt dirimendorum ſponſaliorum cauſæ, aliæ quidem ſine ulla prorſus culpa, aliæ quæ culpam ſupponunt. Hæ omnes hiſce duobus verſiculis continentur.

Crimen, diſſenſus, fuga, tempus, & Ordo, ſecunda,
Morbus, & affinis, vox publica, cumque reclamant.

II. Criminis nomine intelligitur fornicatio alterius partis. Porro hæc ſponſalia præcedere poteſt, & ſubſequi. Et quidem ſi datam fidem ſubſequatur, ſponſalia ſtatim dirimit, ſive a ſponſo commiſſa ſit, ſive a ſponſa, ut docet D. Th. hic quæſt. 43. a. 3. ad 6. ſcribens: „ Quamvis nondum dederint ſibi mutuo poteſtatem corporis ſponſalia „ contrahentes; tamen ex hoc efficiuntur ſibi in- „ vicem ſuſpecti de ſua ſervanda fide in futurum: „ & ideo poteſt ſibi præcavere unus contra alium „ ſponſalia dirimendo “. Præterea ſponſa per admiſſam fornicationem deterior efficitur. Et licet talis non fiat ſponſus penes humanum judicium; adhuc tamen ſponſa illum rejicere valet. Si vero ſponſalia præceſſit fornicatio ſponſæ, & hæc erat ſponſo ignota, hic comperto ſponſæ vitio dirimere poterit ſponſalia; quia jam facta eſt deterior, virumque ignominia perfundit, & Bigamiæ defectui ſubjicit. At ſi hoc præſciebat, & adhuc ſponſalia celebravit, non poterit amplius ea de cauſa recedere: & hoc in ſenſu ſunt intelligendi canones, qui ſtatuere videntur, non poſſe ſponſum propter antecedentem fornicationem ſponſam dimittere, quia contra legem conjugii non peccavit.

III. Utriuſque conſenſu dirimuntur ſponſalia etiam juramento confirmata. Ita docet S. Thom. hic art. 3. ad 5. Decretalem afferens Cap. *Præterea his* de ſponſ. & Matr. ubi dicitur. *Ad inſtar eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt, poteſt in patientia tolerari, ſi mutuo ſe abſolvant, qui ſponſalia contraxerunt.* Et his qui dicunt, quod Eccleſia magis hoc ſuſtinet, ne pejus eveniat, quam hoc ſit de jure; reſpondet S. D. „ hoc non videri exemplo „ con-

„ convenire, quod Decretalis adducit, & non ſemper eſſe levitatis retractare, quæ prius firmata „ ſunt: quia *incertæ ſunt providentiæ noſtræ*, ut „ dicitur Sapient. 9. v. 24. " Quod vero juramentum huic diſſolutioni non obſtet, ex eo patet, quia juratoria promiſſio in mutuam utilitatem facta eſt: „ & tunc, inquit Sanctus Thomas 2. 2. „ quæſt. 89. artic. 9. ad 2. intelligitur jam ei ſolviſſe promiſſum, quod facit de eo ſecundum ejus utilitatem ". Qui vero hoc pacto ſponſalia diſſolvunt, auctoritate non indigent Epiſcopi, vel alterius Superioris, qui diſſolutionis cauſam cognoſcat; ut putat Natalis Alexander de Matrim. leg. cum hanc legem laudata Decretalis minime imponat. Num vero eam indicere poſſint Epiſcoporum Decreta, noſtri non eſt expendere.

IV. Qui poſt celebrata ſponſalia, etiam juramento firmata, vel domicilium mutat, vel in aliam regionem proficiſcitur, cenſetur ſponſalibus renunciare; proinde altera pars libera a promiſſione habenda. Ita ſtatuitur in jure canonico Cap. *de illis* Extra, de ſponſalibus, & Matrim. dicente Alex. III. „ De illis autem, qui præſtito juramento promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, „ & poſtea eis incognitis dimittunt terram, ſe ad „ alias partes transferentes, hoc tibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus ipſis „ (ſi non eſt amplius in facto proceſſum) ad alia „ ſe vota transferre, recepta tamen de perjurio „ pœnitentia, ſi per eos ſteterit, quominus fuerit „ Matrimonium confirmatum ". Idem docet & D. Thom. hic quæſt. 43. artic. 3. ad 2. dicens: „ Dubium illud determinatur ex hoc, quod alter „ non comparet tempore ſtatuto ad Matrimonium „ perficiendum. Unde ſi ex parte ejus non defuit, quin Matrimonium compleret, poteſt licite alteri nubere ſine peccato aliquo: ſi autem „ per eum ſtetit, quod Matrimonium non eſt completum, debet agere pœnitentiam de peccato „ fractæ promiſſionis, aut juramenti, ſi juramentum intervenerit, & contrahere poteſt cum alio, judicio Eccleſiæ ". In qua doctrina hæc ſunt notanda. 1. Ad ſponſalium diſſolutionem requiri, ut diſcedens, vel domicilium mutans alio inſcio, vel inconſulto diſcedat, vel mutet domicilium: nam ſi pars conſentiat, libera non manet; ſed pro reditu ſtatutum tempus expectare debet, & celebrato Matrimonio ſponſum ſequi. 2. Locum habere ſponſalium diſſolutionem, licet alter diſcedat animo revertendi, ſed poſt longum tempus, vel etiam ex utili, aut neceſſaria cauſa. Nam diuturnitas temporis abſentiæ alteram partem gravat, & periculo incontinentiæ exponit; & diſcedentis, vel mutantis domicilium utilitas vel etiam neceſſitas alteri parti nocere non debet, quæ grave incommodum ex tali diuturna abſentia, vel domicilii mutatione perſentit. 3. Leges Civiles ſtatuentes expectandum biennium, ſi abſens ſit in eadem Provincia, & triennium ſi extra Provinciam, a jure Canonico vel correctas fuiſſe, vel abrogatas. 4. Locum habere præfatam diſſolutionem, licet per alteram partem ſteterit, ne implerentur ſponſalia: quia tametſi, ut docent Pontifices, & S. Thom. peccaverit fidem datam non liberando; tamen per diſceſſum, vel Domicilii mutationem altera pars indicavit ſe ſponſalibus abrenuntiare. 5. Si brevis putatur mora, nec longa a loco diſtantia, tunc vel expectanda pars, vel illi præſtituendum tempus reditus, vel per judicem, vel per idoneos teſtes; quo elapſo libera erit a data promiſſione. 6. Diſcedentem, vel domicilium mutantem a data fide non liberari ſine alterius partis conſenſu, quem petere debet, & poſtulare, ut ſponſalia dirempta cenſeantur ex parte ſua, cum per ipſum ſteterit, ne Matrimonium celebraretur.

V. Dilatio, ſeu mora ad implenda ſponſalia non ſemper ea dirimendi ſufficiens præbet motivum. Nam ſi nullum ſit præfinitum tempus, non urget onus implendæ promiſſionis, niſi vel longum fluxerit tempus, vel altera pars interpellet, ut diximus Cap. 5. n. 1. Si vero aſſignatum fuerit tempus, & quidem ad finiendam obligationem eo inſtante, pars quæ ſponſalia implere recuſat, peccat, & aliam ab onere ſponſalium liberat; at ipſe liber minime manet, niſi & altera pars ſponte reſiliat. Dicitur autem deſignatum tempus ad finiendam obligationem, quando apponitur tanquam ultimus terminus implendæ obligationis; ut ſi dicas, promitto Matrimonium, dummodo ante Quadrageſimam celebretur; adveniente igitur Quadrageſima libera eſt pars, per quam non ſtetit, ne Matrimonium celebraretur; & altera adhuc obſtricta manet, ſi inducias pars innocens concedat. Si vero appoſitum non ſit ad finiendam, ſed ad urgendam obligationem, ut ſi dicas, promitto Matrimonium, ſed ſolum poſt annum celebrandum, elapſo anno non cenſentur ſtatim dirempta ſponſalia; ſed per aliquod adhuc tempus expectandum eſt, & pars ad implendum promiſſum interpellanda. Quod ſi vel multum differat, vel interpellationi non reſpondeat, vel ſine cauſa Matrimonium recuſet, & peccat, & juri ſuo ſe renuntiare oſtendit; proinde altera pars ſoluta manet, quæ alia poteſt ſponſalia inire, at non quæ recuſat, quæ obſtricta manet, quoadusque pars innocens vel reſiliat, vel de Matrimonio ſibi provideat.

VI. Profeſſio Religioſa, & Ordinum Sacrorum ſuſceptio dirimunt ſponſalia etiam jurata. Nam ſi Profeſſio Religioſa etiam Matrimonium ratum dirimit, multo magis ſponſalia; cum in utroque contractu ea ſit implicita conditio, niſi meliorem ſtatum juxta leges Eccleſiæ delegero. Solvuntur vero, etiam ſi juramento fuerint confirmata: quia licet tutius foret, ut declaravit Alex. III. jurata ſponſalia per Matrimonii celebrationem implere, & deinde Religionem ingredi; hoc tamen minime neceſſarium eſt: quia, ut explicat Gloſſa, *poteſt utrumque ſervare, ſi vult*; tamen *ſine peccato poteſt intrare Religionem, & non contrahere:* & jure, quia juramentum imbibitam conditionem, niſi meliorem ſtatum elegero, non excludit. Solvuntur etiam ſponſalia per ſolum ingreſſum in Religionem, non quidem abſolute, ſed ſolum ex parte remanentis in ſeculo, qui liber ſtatim evadit: tum quia ingrediens Religionem ſuo juri cedere manifeſte oſtendit; tum quia non levem inducit mutationem in ingrediente Religionem, & eam poſtea deſerente. At ſi pars altera expectare velit vel profeſſionem Religioſam, vel dimiſſionem habitus, ad ſeculum rediens ſponſalium obligationi obnoxius erit. Suſceptionem vero Ordinum Majorum ſponſalia dirimere pariter con-

conſtat, cum & continentiæ obſervantiam importet, & in meliori, ac perfectiori ſtatu ſuſcipientem conſtituat. Num autem peccet, qui inſcia, vel invita ſponſa Sacros ſuſcipit Ordines, ambigere videntur Theologi, & ipſe cenſeo nullo modo peccare, ſi bona fide, & Deo vocante Clericalem ſtatum amplectatur, Sacros Ordines ſuſcipiendo, cum proculdubio meliorem ſtatum deligat; peccare autem poteſt, ſi ex minus recto aliquo fine, vel motivo a data fide reſiliat.

VII. Secunda ſponſalia, etiam juramento firmata, priora dirimunt ex parte innocentis, non vero ex parte ſontis. Ratio eſt manifeſta: nam qui ſecunda celebrat ſponſalia, a prioribus ſe reſilire velle aperte oſtendit, & juri ſuo cedere: poteſt igitur pars innocua, ſua recuperata libertate, ſi velit, cum altero, vel altera Matrimonium celebrare. At cum ille injuriam parti irroget, & injuſtitiam committat, ipſe minime a data fide liberatur; & præter duplex quod perpetrat crimen, tandiu manet obſtrictus, donec vel datam fidem liberet, vel a parte inſonte libertate donetur. Recolantur dicta Cap. 5. num. 5. & ſeq. Hoc autem multo magis præſtat matrimonium ratum, etiam non conſummatum, licet priora ſponſalia vel jurata fuerint, vel cum ſtupro conjuncta; cum Matrimonium vinculum ſit plane indiſſolubile. Unde Gregorius IV. Cap. *Si inter virum* Extr. de ſponſal. & Matrimon. ſtatuit: „ Si inter ipſos acceſ„ſit tantummodo promiſſio de futuro, utroque „ dicente alteri, ego te recipiam in meam, & „ ego te in meum . . . . . . Si alius mulierem „ illam de præſenti deſponſaverit, etiam ſi inter „ ipſam & primum, juramentum intervenerit, ſi„cut diximus de futuro, hujuſmodi diſpenſationis „ intuitu ſecundum Matrimonium non poterit ſe„parari, ſed ei de violatione fidei Pœnitentia in„jungenda “.

VIII. Morbus ſuperveniens ſponſalibus, vel etiam poſt ea celebrata detectus, juſtam præbet reſiliendi cauſam. Ita S. Th. hic q. 43. art. 3. ad 3. docens: „ Si ante contractum Matrimonium a„liquam gravem infirmitatem incurrat alter eo„rum, inter quos ſunt contracta ſponſalia, quæ „ ipſum debilitet nimis (ut epilepſia, vel paraly„ſis) aut eum deformet (ut abſciſſo naſi, vel „ orbitas oculorum, aut aliquid hujuſmodi) aut „ quæ ſit contra bonum prolis (utpote lepra, quæ „ ſolet prolem inficere) poſſunt ſponſalia dirimi, „ ne ſibi invicem diſpliceant, & Matrimonium ſic „ contractum malum exitum ſortiatur: nec pro „ pœna punitur aliquis, ſed ex pœna damnum re„portat: quod non eſt inconveniens “. Multoque magis juſtam præbent dirimendorum ſponſalium cauſam defectus animi, vel ſupervenientes, vel detecti; puta ſi ſponſus ſit, vel detegatur aleator, ebrioſus, ferox, aſper, fur, leno, nothus, & ſimilia; qui profecto eſſet admodum uxori moleſtus. Similiter ſi ſponſa ſit, vel detegatur audax, procax, rixoſa, vino dedita, prodiga, imprudens, illegitima, vel etiam vidua, cum crederetur virgo &c. cum hi defectus pacem, & bonum familiæ quam maxime impediant, & uxorem marito contemptibilem reddant. Hi tamen defectus eſſe debent moraliter certi, non ex rumore, & mendaci fama impoſiti.

IX. Affinitas ſuperveniens ſponſalibus ipſa ſtatim dirimit: tunc enim ab Eccleſia vetitum e[ſt] Matrimonium celebrare. Num vero qui ſuo crim[i]ne in cauſa fuit diſſolutionis ſponſalium, teneat[ur] diſpenſationem petere, etiam ſolum ut datam f[i]dem ſervet, digladiantur Theologi. Sunt qui pu[]tant teneri: quia cum graviter jus alterius viola[]verit, illud, cum poſſit, ſarcire tenetur: at hi[c] poteſt petendo diſpenſationem: tenetur igitur. Præterea ex ſua iniquitate lucrum reportaret, fiere[t] enim liber, qui antea erat ligatus. Quod præ[ſ]ſertim verum putant, quando diſpenſatio a Sacr[a] Pœnitentiaria obtineri poteſt, quia occultum e[ſt] impedimentum, vel a Dataria, ſed non magni[s] expenſis. Alii vero non teneri affirmant, qui[a] jam Matrimonium effectum eſt impoſſibile, utpo[]te ab Eccleſia omnino vetitum. Et hanc put[o] veram, & probabiliorem ſententiam, quando ſo[]lum de data fide ſervanda agatur. Quandoquidem ex hoc ſolo capite, quia ſponſalia celebrata ſunt a ſuperveniente ex delicto affinitate minime diſ[]penſat Sacra Pœnitentiaria; ſed ad diſpenſandum poſtulat, ut ſine ſcandalo, & quidem gravi, ve[l] ſine infamia, vel magno familiarum diſſidio, a Matrimonio celebrando abſtinere ſponſi non poſſint: quod ſi hæc mala non timeantur, nunquam diſpenſationem largitur. Non enim juſtum cenſet ſacrum illud, ſapientiſſimumque Tribunal ob ſervandum indemne leviſſimum jus ſponſæ, vel ſponſi violandas eſſe leges ſanctiſſimas, & canones ſapientiſſimos Conciliorum, Pontificum, & Eccleſiæ. Quod ſi ſacrum Tribunal non putat licitum, & æquum diſpenſationem concedere, ut jus ſponſæ violatum ſarciatur; quis dicere audebit licere, immo teneri violatorem petere diſpenſationem? quod enim non licet Superiori concedere, nec licet petere. Quid, ſi crimen publicum ſit? quis, amabo, erit vir adeo effrons, & demens, qui ſponſam inceſtuoſam ſibi velit Matrimonio copulare, immo & adigere, ut diſpenſationem petat hoc ſolo nomine, ne datam ſibi fidem fallat? ſicut quænam ſponſa adeo ſtupida, ut inceſtuoſo ſponſo nubat, ne deluſa videatur? Præterea nullus juris canonici Magiſter inter cauſas concedendæ a Dataria diſpenſationis ob inceſtum recenſuit, *ut ſervetur data fides ſponſalium*. Hinc parum expertum ſe prodit Colletus, dum adeo fidenter pronunciat, a Sacra Pœnitentiaria diſpenſationem obtineri poſſe ſine ullo obulo, & ſolum unius litterulæ miſſione; vel a Dataria ob ſolam mulctam pecuniariam, cum ab impedimentis ex crimine provenientibus *ſine cauſa* nunquam diſpenſatio publica concedatur, quamvis non denegetur ab aliis impedimentis nullum crimen ſupponentibus. Si enim Colletus cenſet, a ſacris Canonibus, & legibus Eccleſiaſticis eſſe diſpenſandum, ne muliercula deludatur, vel ne homuncio careat ſponſa, non ita profecto cenſent ſapientiſſimi Patres, horum Tribunalium conſtituti judices, qui de legibus, & canonibus Eccleſiæ, præcipue Sacramenta reſpicientibus, non judicant juxta Caſuiſtarum placita, & opiniones, ſed juxta veritatem, æquitatem, & religionem. Non tenetur igitur reus inceſti diſpenſationem petere, quam certo non conſequetur: & ſi lucrum aliquod reportat, quia liber evadit, hoc per accidens eſt, & proveniens non ab ejus crimine, ſed a ſanctiſſimis Eccleſiæ legibus Matrimonia inter affines vetantibus. At ſi ex Matri-

trimonii diſſolutione ob occultum crimen ſcandala, infamia, diſſenſiones, rixæ orituræ timeantur, petenda erit a Sacra Pœnitentiaria diſpenſatio, quam libenter in ædificationem concedet. Si vero crimen ſit vulgatum, jam re ad forum contentioſum deducta a judicibus erit expectanda ſententia circa onus petendæ a Dataria diſpenſationis; & ſolum a Pœnitente poſtulare debet prudens Confeſſarius animi promptitudinem ad parendum, & ſtandum judicis ſententiæ.

X. Vera ſponſi, vel ſponſæ infamia juſtam præbet diſſolvendi ſponſalia cauſam. Nam hæc utrumque deteriorem efficit, & notabilem in eis inducit mutationem. Hinc ſi ſponſus ſponſam infamet, vel vere, vel falſo eam vel ſecum, vel cum aliis fornicatam manifeſtando, juſtam habet ſponſa cauſam reſiliendi a ſponſalibus, & ſponſus tenetur famam, & damna ſarcire. Similiter ſi ex fama conſtet, eos affines eſſe ob inceſtuoſam copulam, ſunt dirimenda ſponſalia, ut docet S. Thom. hic quæſt. 43. a. 3. ad 4. ſcribens: „ Si ſponſus „ cognovit conſanguineam ſponſæ, vel e contra, „ tunc dirimi ſponſalia debent: & ad hoc probandum ſola fama ſufficit propter ſcandalum vi„ tandum “. Et ita etiam definitum legitur ab Urbano III. Cap. *Super eo* 2. de Conſang. ſtatuente: „ Si manifeſtum eſt juvenem cognoviſſe pro„ pinquam puellæ (ſibi deſponſatæ) vel ſi non eſt „ manifeſtum, fama tamen loci hoc habet . . . . „ ab impeditione ejus debet abſolvi “. Idem ſentiendum, ſi ſponſus aliquod crimen committat, quod ſecum infamiam afferat, ſive juris, ſive facti; tunc enim indecorum eſt parti innocenti Matrimonium.

XI. Sponſalia a filiis-familias celebrata inſciis, multoque magis invitis parentibus, cum perſona impari, vel minus digna, nulla ſunt & invalida. Et primo quidem filios-familias graviter peccare hujuſmodi ſponſalia contrahendo late oſtendimus de IV. Decal. præc. cap. 2. n. 3. Nunc itaque probandum aſſumimus hæc ſponſalia plane nulla, irrita, & invalida eſſe, licet ſint juramento confirmata; quod evinco hoc invicto, & ineluctabili argumento. Nullum pactum, nulla conventio, contractus nullus etiam juratus, qui impleri non poteſt ſine peccato, nullo modo obligat. Porro Matrimonium celebrare cum imparibus, vel minus dignis, ſive a ſponſo, ſive a ſponſa, inſciis & invitis parentibus, eſt lethale peccatum, cum gravem illis irroget injuriam. Ergo nulla eſt, & prorſus invalida promiſſio de tali Matrimonio celebrando: nec juramentum poteſt eſſe vinculum iniquitatis, & obligare ad opus, quod ſine injuria Creatoris impleri non poteſt. Hac unica ratione freti non rigidiores, ſed benigniores Theologi hæc ſponſalia nulla omnino, ac irrita agnoſcunt. Ita ſcribit Laymanus lib. 5. Tr. 10. cap. 1. n. 14. „ Si „ ex Matrimonio, quod filius, vel filia contrahe„ re cogitat, ob diſparitatem ſponſorum timeatur „ familiæ dedecus; tunc parentes illud impedire „ poſſunt, ac debent . . . Idque locum habet non „ tantum, antequam ſponſalia celebrata ſint, ſed „ etiam poſtea; quia promiſſio non obligat, quæ „ verſatur circa rem illicitam, videlicet circa Ma„ trimonium cum peccato contrahendum “. Quamobrem locum habet juris regula, *in malis promiſſis fidem non expedit ſervari*. Gobat Exper. Theol. Tr. 10. caſ. 3. num. 105. „ Si Matrimonium fi„ lii, & filiæ eſſet ceſſurum in probrum parentum, „ ſponſalia non ſubſiſterent, utpote conjuncta cum „ injuria tertii “. Bonacina quæſt. 4. punct. 17. „ Neque obſtat vinculum ſponſaliorum jam cele„ bratorum, tum quia ſponſalia non obligant ad „ rem illicitam, tum quia ſponſus non tenetur „ ſponſalia perficere, quando ex eorum adimple„ tione grave imminet malum, ſeu ſcandalum “. Averſa de Matrim. quæſt. 8. ſect. 15. „ Si ob no„ tabile damnum, vel ſcandalum non erat ei li„ citum cum tali ſponſa conjugari, eique promit„ tere, poterit juſte ab illa promiſſione recedere, „ & poterit etiam a judice inhiberi, ne contra„ hat.... Non enim poteſt quiſquam promittere, „ & ſe obligare ad aliquid illicitum faciendum. „ Poterit igitur juſte, ac licite recedere, immo „ tenebitur “. Salmanticenſes tract. 9. c. 2. punct. 6. num. 85. fidem ſponſalium ſervandam dicunt, „ niſi forte ex tali Matrimonio magnum ſcanda„ lum ſequeretur, & jurgia, aut diſſenſiones inter „ parentes, aut conſanguineos, quia in tali caſu, „ etiam ſi ſub juramento Matrimonium eſſet pro„ miſſum, non obligari ad illud docent Auctores; „ & quod talis promiſſio eſſet rei injuſtæ, quæ „ abſque peccato non poſſet impleri: quapropter „ juramentum, quod non eſt vinculum iniquitatis, „ non poſſet talia ſponſalia confirmare “. Paria docent pene omnes Theologi paucis exceptis. Horum teſtimonia legi poſſunt in differt. Muſcetolæ de ſponſalibus, & Matrimonio invitis parentibus celebratis.

XII. Nulla ſunt ſponſalia cum impari, vel indigna parte contracta, licet ſtupro conjuncta, ſi ſine juſta offenſione, & indignatione parentum a filiis-familias celebrari non poſſit Matrimonium. Pro hac doctrina eadem urget, & fortior ratio: quia nimirum celebratio Matrimonii eſt cum lethali peccato conjuncta, ſcilicet cum gravi injuria, & offenſione parentum, & aliorum ſcandalo: quod autem ſine peccato fieri non poteſt, numquam quocumque poſito temporali alicujus damno præſtare licitum eſt. Sarcienda ſunt igitur illata damna omni meliori modo, quo fieri poteſt, ſed a Matrimonio abſtinendum. Et ſi non poſſunt ad æqualitatem, ſibi imputet ſponſa, quæ filium-familias ad ſponſalia admittendo, & ad copulam ſine parentum conſenſu, vel illis etiam invitis, hujuſmodi periculo ſe ſponte ſubjecit: tenetur enim noſſe, filios-familias non poſſe licite inſciis, vel invitis parentibus Matrimonium præſertim impar, & minus dignum celebrare. Ita docent & benigniores Theologi. Thomas Tamburinus in Decal. lib. 7. cap. 5. §. 3. n. 34. „ Si vera fuit promiſſio, mul„ to magis jurata, defloratorem obligari ad nu„ ptias celebrandas, niſi legitima accedat excuſa„ tio, certum eſt “. Et n. 39. „ Excuſabitur au„ tem, ſi ex tali Matrimonio probabiliter timeatur „ oriturum magnum ſcandalum, vel fore malum „ exitum per rixas, diſcordias &c. “ Sicut enim hæc diſſolvunt ſponſalia, ita & promiſſionem, de qua loquimur. Marchant. T. 2. tract. 7. tit. 1. quæſt. 2. §. 2. dub. 2. reſol. 2. „ Qui virginem „ defloravit, Matrimonium ei promittens, tene„ tur eam ducere. In caſu autem, quo ducere „ eam non poſſit, tenetur dotare. Caſus illi ſunt, „ magna perſonarum inæqualitas, grandes parentum „ ini-

„ inimicitiæ, gravia ſecutura odia“. Gobat tract. 10. caſ. 3. n. 106. „ At ſi timeantur graves rixæ „ inter parentes contrahentium, ſi diuturna horum „ offenſa, ſi denique ſcandalum, irrita ſunt ſponſalia: & extendit Sanchez etiam ad caſum, quo „ virgo eſſet deflorata ſpe Matrimonii; ſed ego „ doctrinam Sanchez approbo in caſu, quo *pietas*, „ *caritas*, *aut ſimilis virtus* clare prohibet nu„ ptias cum tali “. Sanchez l. 1. diſp. 14. n. 3. poſtquam oſtendit, ſponſalia non eſſe ſervanda, quando ratione ſcandali ſervari ſine lethali culpa non valent, citans pro hac ſententia Navarrum, Lopez, Capuam, & alios, ſubdit: Qui loquuntur, „ quamvis ſit ſecuta virginis defloratio ſpe Matri„ monii futuri, quod quidem veriſſimum eſt pro„ pter rationem prædictam, ſcilicet quia virtus „ juſtitiæ obligare nequit ad actum, quod ſine „ peccato impleri non poteſt “. Sayrus in Clavi Regia lib. 11. c. 2. n. 33. „ Si deflorans virginem „ promiſit ei Matrimonium vere, & ex animo, „ tenetur eam ducere. Sic Navar. Martinez, Le„ deſma, Salonius, & alii Doctores communiter. „ Hoc tamen limitant prædicti Doctores, ut non „ procedat, quando eſſet tanta diſparitas, ut non „ eſſet honeſtum illam ducere, & magna incom„ moda ex tali Matrimonio ſequerentur; tunc e„ nim docent, ſatis eſſe, & teneri ad dotandam „ puellam violatam... Hanc Doctorum limitatio„ nem conſideratis circumſtantiis in praxi obſer„ vandam eſſe cenſeo “. Agmen claudat Guttierez doctiſſimus Canonum Doctor l. 1. con. q. c. 37. n. 27. ubi adprobata doctrina Navarii, & Doctorum, quos citavimus, ſubdit: „ Neque Ordinarius „ ægre ferre debet, quod Matrimonium hujuſmo„ di inter valde diſpares impediri facile poſſit, & „ quod mulier abſque remedio manebit. Quando„ quidem jure optimo, & tuta conſcientia Pater „ abſque malitia aliqua id impedire poſſit, & huic „ ſe ſponte exponit periculo fœmina, quæ alteri „ nubere vult, inſcio patre viri. Quod ſi honorem, „ & pudicitiam ſuam indiſcrete profuderit, ſibi im„ putet, cum præfatus pater jure ſuo contradicere „ valeat “.

XIII. Tametſi contingere poſſit, valida eſſe ſponſalia inter pares inſciis parentibus contracta, horum tamen contradictio, & obſiſtentia juſta legitimam præbet ea diſſolvendi cauſam. Fieri ſiquidem poteſt, ut duo adoleſcentes conditione pares, mutuo amore allecti ſibi invicem Matrimonium ſpondeant, bona fide putantes, parentes non diſſenſuros, cum inter utramque familiam neceſſitudo intercedat, & amicitia: hi imprudenter quidem agunt inſciis, & inconſultis parentibus ſponſalia celebrando; tamen cum nulla ſit futuri diſſenſus ſuſpicio, valida erunt reputanda: quamobrem accedente conſenſu parentum confirmabuntur abſque nova promiſſione. At ſi re comperta parentes amborum, vel alterutrius juſta de cauſa diſſentiant, tunc licite diſſolvuntur ſponſalia. Ratio eſt de ſe comperta: ſiquidem in præfatis ſponſalibus implicita eſt conditio, ſi parentes conſenſerint; quo deficiente conſenſu, ceſſant ſponſalia. Quod ſi eam excluſerint conditionem, jam ſponſalia illicita ſunt, & promiſſionem continent de re plane illicita, ideſt de Matrimonio celebrando inſciis, invitiſque parentibus; quæ Matrimonia *Eccleſia ſemper deteſtata eſt, & prohibuit*, ut docet Tridentina Synodus. Id confirmant tum antiqui Canones, tum recentia Concilia. Urbanus I. relatus cap. *Si verum* cauſa 31. q. 2. de Matrimonio invito utroque parente, ſtatuit: *Canonum, & Legum auctoritas talia ſponſalia non approbat*. Et Cæleſt. II. ſeu ut alii malunt, Clemens III. Cap. *videtur*, qui Matrimonium accuſare poſſint, indicit: *Ideo maxime parentes recipiuntur... qui enim melius recipi debent, quam illi, quorum eſt intereſſe... ita ut ſi non interſint, & conſenſum non adhibuerint, nullum ſit Matrimonium?* Concilium Colonienſe an. 1636. part. 7. c. 43. ſtatuit, *Optandum, ut tollantur clandeſtina Matrimonia, quæ invitis parentibus, ac propinquis, veneris potius, quam Dei cauſa contrahuntur. Nam quanta ex his mala ſuboriantur, in aperto eſt. Interea vero, ſi non irrita, prohibita ſaltem ſunt, & pœnæ canonicæ, ideſt excommunicationi contrahentes, & qui eis ope, aut auxilio adfuerunt, ſubjaceant*. Moguntinum: *Volumus, liberos ſedulo admoneri, ut divini præcepti memores, velint in parentum eſſe poteſtate, nec illis inſciis, vel invitis inire Matrimonia præſumant*. Et S. Carolus in Concil. Mediol. Provinc. IV. ſtatuit: *Si filii-familias ſint, hos Parochus valide cobortetur, ne inſciis quidem, nedum invitis rem tanti momenti ineant*. Recolantur dicta c. 3. n. 7.

XIV. Notabilis mutatio ſuperveniens ſponſalibus juſtam præbere poteſt cauſam ea dirimendi. In Tract. de Contract. diſſ. 3. c. 1. n. 9. ex D. Th. oſtendimus, omnes promiſſiones hanc in ſe includere conditionem, ſi res immutatæ permaneant; nam ſubſequente notabili mutatione juſta emergit cauſa a promiſſione reſiliendi. In ſponſalibus autem ea cenſetur notabilis mutatio, quando talis emergit nova circumſtantia, quæ prius exiſtens a ſponſalibus, prudentum judicio, deterruiſſet. Ex his emergentibus circumſtantiis nonnullas expoſuimus; ut ſi ſponſa fornicetur, ſi morbus, affinitas, rixæ, diſcordiæ ſuperveniant. Tres itaque ſolum ſuperſunt expendendæ, nimirum ſuperveniens deformitas in ſponſo vel ſponſa, paupertas, vel etiam divitiarum copia. Et quidem amiſſionem pulchritudinis, & ſupervenientem turpitudinem cenſeo legitimam eſſe dirimendorum ſponſalium cauſam: nam ſi præceſſiſſet, profecto ea impediviſſet; & præterea Matrimonium cum deformi fœmina redditur valde oneroſum, & etiam periculo incontinentiæ expoſitum. Paupertas quoque ſponſo ſuperveniens ſponſæ legitimum præbet motivum reſiliendi, quia cum illo paupere noluiſſet contrahere; & onera Matrimonii difficilius poterunt ſuſtineri. At ſi ſponſæ ſuperveniat, dummodo promiſſa dos ſubſiſtat, non datur legitima in ſponſo cauſa reſiliendi; cum adhuc ſufficientia ſuppeditet ad onera Matrimonii ſuſtinenda. At ſi paupertas tanta ſit, ut vel promiſſam dotem, vel convenientem ſuppeditare non valeat, dirimuntur legitime ſponſalia, cum promiſſio Matrimonii, niſi expreſſe aliter decernatur, ſemper conditionem involvat, ut vel promiſſa, vel conveniens dos a ſponſa, vel a parentibus aſſignetur. Si vero æqualis paupertas utrique parti ſuperveniat, legitima dirimuntur ſponſalia; cum Matrimonium tunc fiat utrique inexpectato oneroſum. Ita tamen ut vel abſolute a Matrimonio abſtineant, vel cum ditiore ineant. Si enim æque pauperem alteruter in Matrimonium recipere velit, fidem parti datam ſervare debet. Divitiarum notabile incrementum in altero ex ſponſis, altero tamen in eodem ſtatu per-

permanente, probabilius non inducit legitimam cauſam reſiliendi a ſponſalibus, cum talem non afferat mutationem, quæ bono Matrimonii obſtet, ſed tam in ſponſo, quam in ſponſa conferat potius ad utriuſque commodum, & utilitatem: in ſponſo enim inſervit ad facilius onera Matrimonii ſuſtinenda; in ſponſa vero ad uberiora ſibi commoda procuranda, cum, conveniente aſſignata dote, cætera ſibi tanquam bona paraphernalia reſervare poſſit.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Impudicitia, oſcula, tactus &c. præbent juſtam dirimendi ſponſalia cauſam.*
II. *Licet ſponſo ſponſæ fornicationem judici detegere ad dirimenda ſponſalia.*
III. *Ordinum minorum ſuſceptio num dirimat ſponſalia.*
IV. *Quando votum Religionis, ſubſequens ſponſalia, ea licite dirimat.*
V. *Quando votum ſimplex caſtitatis ſubſequens.*
VI. *Si vota Religionis, & caſtitatis præcedunt ſponſalia, ea nulla, & illicita reddunt.*
VII. *Contradictio parentum juſtam non præbet cauſam diſpenſandi a trina denuntiatione.*
VIII. *Quando liceat filiis-familias ſine conſenſu parentum licite, & valide ſponſalia celebrare.*
IX. *Ad dirimenda ſponſalia non ſemper judicis ſententia requiritur.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. Sponſa, quæ impudicos tactus, oſcula, amplexus extranei admittit, licet ulterius non progrediatur, juſtam præbet ſponſo cauſam reſiliendi a ſponſalibus. Quandoquidem hoc pacto ſe minus pudicam, & honeſtam oſtendit, indigna proinde eſt, quæ a marito in thorum admittatur; præbetque fundamentum ſuſpicandi, ne in futurum matrimonialem fidem ab ea cuſtodiendam ſervet: & præterea hæc ſponſæ impudicitia in dedecus, & quidem non leve, ſponſi redundat. Immo ſi ſponſa reluctans, & invita vi ab alio opprimatur, jam talis effecta eſt, ut a ſponſo rejici poſſit, non quidem ob aliquam culpam, ſed ob mutabilem ſponſæ voluntatem, quæ ipſam ſponſo viliorem reddit. Oppoſitum tamen docet S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 1. dicens: „ Sponſa, ſi violenter ab alio cognita fuit, ſecundum Hoſtienſem non debet repelli a ſponſo ". Sponſa quoque licite rejicere poterit ſponſum, cum aliis mulieribus impudicas actiones ſaltem frequenter exercentem; quippe quæ credere merito poſſet, ſe a ſponſo non amari, & in maritum aſſumptum non futurum in data fide ſervanda fidelem, & diſſidiorum, ac rixarum cauſam præbiturum.

Conſectarium Secundum.

II. Licet ſponſo etiam occultam ſponſæ fornicationem legitimo judici detegere ad dirimenda ſponſalia: prius tamen tenetur eam monere, & hortari, ne diſſolutioni ſponſalium obſiſtat. Ita quidem poſtulant leges caritatis, & juſtitiæ. Si enim ſecreto poteſt ſponſam inducere ad ſponſalium diſſolutionem, infamia dehoneſtare non debet: ſi vero illa obſiſtat, & certum ſit patratum crimen, jus ſuum poterit penes judicem tueri; & tunc ſuæ adſcribat impudentiæ infamiam ſponſa pertinax, quæ alterum doloſe fallere conatur. Et idem dicendum de qualibet alia juſta cauſa dirimendi ſponſalia, cujus detectio in partis ſontis cederet vel infamationem, vel detrimentum.

Conſectarium Tertium.

III. Per ſuſceptionem Ordinum minorum non dirimuntur ſponſalia ex parte ſuſcipientis. Et quidem ſtatim dirimi reſpectu ſponſæ patet manifeſte, quia per eam Ordinum ſuſceptionem ſponſus oſtendit ſe velle recedere a ſponſalibus; proinde libera eſt ſponſa, quæ poteſt, ſi velit, alteri nubere: non diſſolvuntur vero ex parte ſponſi, quia abſolute minores Ordines Matrimonium non excludunt; proinde vel ad Majores aſcendere debet, vel ſemper adſtrictus manebit, donec a ſponſa liberetur. Num autem peccet Ordines ſuſcipiendo, dijudicandum ex fine: ſi enim ſponſus eo animo ordinationem ſuſcepit, ut ſponſam fallat, & a promiſſo ſe liberet; profecto peccat, & ſacra re abutitur: at ſi bona fide ſuſcipiat ad Clericalem ſtatum amplectendum, minime peccat; cum in ſponſalibus intelligatur conditio, niſi meliorem ſtatum elegero.

Conſectarium Quartum.

IV. Votum ingrediendi Religionem, vel Ordines Sacros ſuſcipiendi ſubſequens ſponſalia, ea dirimit, & licitum eſt, ſi ſolam afferat ſponſalium diſſolutionem. Dirimere ſponſalia certum eſt ex parte non voventis, quippe quæ per voventem ſuæ reſtituitur libertati. Dirimi etiam ex parte voventis patet, quia meliorem eligit ſtatum, cujus electio eſt ipſi libera ex conditione inſita ſponſalibus, niſi meliorem ſtatum elegero. Et revera ſicut ſponſalia dirimit religionis ingreſſus, & Ordinum majorum ſuſceptio, ita & illorum votum. Dixi tamen, ſi ſolam afferat ſponſalium diſſolutionem: ſi enim præter illam alia afferat ſponſæ nocumenta, puta quia deflorata alium maritum non inveniret, multoque magis ſi gravida, quia prolis legitimationi conſulendum eſſet, non valeret votum, quod ſine alterius damno, proinde nec ſine peccato poſſet impleri. Et ideo Epiſcopi ad Sacros Ordines non admittunt, niſi quos ſibi conſtat a quacumque matrimoniali promiſſione ſolutos. Non tamen irritum omnino foret hujuſmodi votum, cujus executio ſuſpenderetur quidem, at omnino non tolleretur: ſi enim ob conjugis mortem liber evaderet, tunc teneretur vel Religionem ingredi, niſi alia impedirent obſtacula, vel ſacros Ordines ſuſcipere.

Conſectarium Quintum.

V. Votum ſimplex caſtitatis, ſive præcedens, ſive ſequens ſponſalia, ea licite dirimit, niſi ſcanda-

dalum, & grave alterius partis detrimentum obſtet. Adverſantur ex parte huic doctrinæ plures Theologi, qui licet conſentiant, votum caſtitatis præcedens nulla reddere, & irrita ſubſequentia ſponſalia, cum matrimonium ſine gravi ſacrilegio a vovente celebrari non poſſit; diſſentiunt tamen, ſi ſubſequatur, reſpectu voventis, quem liberum non putant a fide ſponſalium data, his argumentis. 1. Diſſolutio ſponſalium non ſequitur nec ex conceſſione juris, nec ex natura voti: non ex primo, diſſolutio enim ſponſalium ſolum conceditur profeſſioni Religioſæ, non ſimplici voto caſtitatis; non ex ſecundo capite, cum quod alteri ex juſtitia debitum eſt, non valeat ex Religione Deo offerri. 2. Hoc pacto facillime ſponſalia eludi poſſent, & ſponſæ pertæſus poſſet a fide ſponſalium ſe liberare caſtitatem vovendo, a qua, obtenta diſpenſatione, poſſet alteri poſtea copulari. 3. Dirimendorum ſponſalium nova induci non debet regula ſine Eccleſiæ Decreto. Porro nullum eſt Decretum ſtatuens, votum ſimplex caſtitatis dirimere ſponſalia. Ita ſentiunt plures celebriores Theologi, Suarez, Habertus, & præſertim S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 2. & noviſſime Genettus. Verum a contraria S. Th. doctrina puto nullo pacto recedendum. Porro A. P. hic q. 53. a. 1. ad 1. non ſolum aperte docet, *propter votum ſimplex eſſe ſponſalia dirimenda*; ſed & probat, quia, inquit, eſt fortius vinculum, quam ſponſalia, cum per ſponſalia homo obligetur homini, per votum vero Deo obſtringatur: & ſolum ideo votum caſtitatis non dirimit matrimonium, quia licet de ſe fortius obliget, tamen ratione modi fortius hominem homini devincit; quia per illud vir actualiter traditur in poteſtatem uxoris, quod reſpectu Dei non præſtat votum ſimplex caſtitatis; at cum in modo ligandi æqualia inveniantur & ſponſalia & votum caſtitatis, iſtud illis prævalere dicendum eſt. Nec obſtant oppoſitæ rationes. Nam ad 1. dicimus, diſſolutionem ſponſalium ſequi ex natura voti, quod licet ſimplex ſit, de ſe tamen ſtatum conſtituit perfectius matrimonio; & quilibet hoc promittens ſemper jus ſibi reſervat, meliorem ſtatum eligendi: ſolemnitas autem voti vim quidem addit voto; ſed præcipuum eſt ipſa oblatio ſui corporis Deo facta, quæ & in voto ſimplici, ſin adeo ſolemniter, tamen reapſe invenitur. Ad 2. fatemur quidem lubentiſſime, votum emiſſum non animo inſerviendi Deo, ſed in alterius partis fraudem, illicitum eſſe, at adhuc validum; ita tamen ut petita, & obtenta diſpenſatione non alteri promittere poſſet, ſed prioribus ſponſalibus teneretur, quæ per fraudulentum votum dirempta non cenſerentur. Et ideo cap. *Veniens* Pontifex pœnitentia punivit mulierem, quæ in fraudem ſponſalium votum emiſerat caſtitatis, ne ſcilicet homini, quem auſterum eſſe falſo, vel incerto rumore didicerat, nuberet, ut obſervat Pontaſius caſ. 13. Ad 3. dicimus falſum, non alias eſſe regulas dirimendorum ſponſalium præter conſtitutas in jure, cum aliæ ſint in ipſo jure naturali, vel divino fundatæ. Ita ſponſalia dirimuntur ſuperveniente perpetua ſponſi amentia, non lege Eccleſiæ, ſed jure naturæ; & illicita ſunt eodem jure, etſi aliquando lucidis fruatur intervallis. Pari pacto illicita, & irrita ſunt ſponſalia, ſi alter ſponſus apoſtata a fide, vel hæreticus fiat. Pari igitur pacto divino jure irrita fiunt ſponſalia, quando ſponſus ſe Deo per votum caſtitatis conſecrat, & offert; licet hoc non ſit peculiari Eccleſiæ decreto conſtitutum.

Conſectarium Sextum.

VI. Quando vota caſtitatis, & religionis præcedunt ſponſalia, illa irrita reddunt, nulla, & illicita, quamvis ſint cum ſponſæ defloratione conjuncta. Adverſantur huic doctrinæ nonnulli Theologi, inter quos Sanchez, cui adhæret Colletus, qui cenſent in caſu deflorationis ſponſæ præfata vota ſuſpendi, & vel differri impletionem, ut in voto Religionis, vel minui quoad caſtitatem ſervandam non abſtinendo a redditione debiti, at bene a petitione. Nam inquiunt 1. promiſſiones non obligant rebus notabiliter mutatis: hic autem notabiliſſima habetur mutatio, nimirum juſtitiæ debitum, & proximi detrimentum. 2. Juſtitiæ obligatio fortior eſt obligatione Religionis: hinc qui eleemoſynam vovit, poteſt eam differre, ſi ex juſtitia teneatur illatum poſtea damnum reſarcire. 3. Votum eſt actus liberalitatis erga Deum, & promiſſio matrimonii eſt actus juſtitiæ ex contractu utrinque oneroſo. 4. Cenſendum eſt, Deum ad tempus remittere, quod modo illi reddi non poteſt ſine gravi proximi detrimento. Verum noſtra aſſertio probabilior eſt, & unice vera. Quandoquidem ſponſalia poſt præfata vota inita non obligant, nec ex ſe, quia irrita ſunt, nulla, & illicita: nec ratione adjunctæ deflorationis, quia ſcelus, & crimen additum contractui de ſe nullo, irrito, & illicito illi firmitatem, & valorem tribuere non valet: nec ratione damni non aliter reparabilis niſi per matrimonium, nam jure ſuo nemo privari poteſt propter alienum damnum: & ſi prior ſponſa non ſpoliatur ſuo jure ob ſequentia ſponſalia etiam cum defloratione conjuncta, ut oſtendimus cap. 5. n. *6.* cur Deus ob ſcelera in ipſum admiſſa ſuo jure ſpoliabitur? Additur, damnum ſarciendum eo modo meliori, quo fieri poteſt, ſalvo tamen divino jure obſervandi emiſſa vota. Quod ſi ad omnimodam æqualitatem ſarciri non poſſit, ſuæ imputet iniquitati ſponſa, quæ dando operam rei illicitæ ſe & perniciei expoſuit, & ſibi detrimentum aſcivit. Nec urgent Sanchezii argumenta. Nam ad 1. reſp. Mutationem illam ortam ex culpa, & iniquitate utriuſque ſponſi, proinde voluntariam & malitioſam, onus promiſſionis Deo factæ non imminuere. Ad 2. non ſatis perſpicio, cur Religio minus obliget, quam juſtitia; cum potius vota Religionis omnium arctiſſimum diſſolvant juſtitiæ vinculum in matrimonio rato; & multo minus quando onus Religionis præcedit, tunc enim per religionem ita eſt Deo obſtrictus homo, ut ex juſtitia alteri obnoxium ſe reddere non poſſit. Ideo ſolum potius debitum ſolvere debet homo ex juſtitia contractum, quam dare eleemoſynam ex voto promiſſam, tum ratione ſcandali, quia facile eſt credere, ipſum votum fingere, ne damnum reparet; tum quia creditor ſupponitur innocens, & licite ſibi jus acquiſiviſſe: quod non contingit in caſu noſtro, ubi per ſcelus admiſſum in Deum, jus aſſeritur acquiſitum contra ipſum Deum violandi vota illi nuncupata. Immo tantum abeſt, ut ſtuprum ſub fide matrimonii patratum jus conſtituat

ad

ad matrimonium, ut antiquiores Eccleſiæ canones illud illicitum dicant, & vetent ſtupratam nubere ſtupratori. Ita ſtatuit Can. 3. Concilii Aquiſgranenſis relatus ab Ivone par. 8. Decret. de legit. conjug. cap. 171. per hæc verba: *Placuit, ut qui fœminas ſeducunt, eas nullatenus habeant uxores.* Qui canon ſic refertur a Gratiano: *Placuit, ut hi qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut ſeducunt, eas nullatenus habeant uxores.* Et D. Greg. M. epiſt. 17. al. 31. ſub cap. de Dedicatione lib. 14. ad Felicem Meſſanæ Epiſcopum ſcribit: *Eam, quam aliquis aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugium ducere nulli chriſtiano licet, vel licebit.* Temperatum fateor ſequentibus ſeculis horum Canonum rigorem; ſed eo uſque, ut liceat vota Deo nuncupata infringere, ut fornicariæ mulieri voto adſtrictus jungatur, adduci, ut credam, minime poſſum. Ad 3. inepte liberalitas in homine fingitur erga Deum, quæ in eo ſolo ſita eſt, ut poſſit vovere, ſi velit, non vovere, ſi nolit; at emiſſo voto omnis evaneſcit liberalitas, & conſurgit ſtrictiſſimum Religionis debitum, quod fortius ligat, quam iniquus contractus crimine coinquinatus, magis quam confirmatus inter impudicos ſponſos. Ad 4. temere prorſus fingitur in Deo voluntas remittendi, quod ſibi debetur, ne impudica fœmina detrimentum ſentiat; cum potius exiſtimandum ſit, eum velle, ut de triplici patrato crimine ſacrilegii, ſtupri, & ſcandali, relicta nuptiali voluptate, perpetuam agat in Monaſterio pœnitentiam, qua ſua expiet ſcelera. Et revera ſic ſtatuunt Capitularia Gallica Epiſcoporum conſilio edita, ut affirmat Natalis Alex. de matrimon. regul. 1. ubi lib. 6. cap. 9. indicitur: „ Puella, quæ rapitur, ſi aut primo, aut poſtmodum tam nefario ſceleri lubens conſenſerit, nunquam poſtea nubat, & ſub tali cuſtodia ponatur, ut ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat “. Solum addo in gravi periculo ſcandalorum, rixarum, diſcordiarum, cædis inter conſanguineos, re Sedi Apoſtolicæ veraciter expoſita, in foro conſcientiæ, peti poſſe a voto vel Religionis, vel caſtitatis diſpenſationem; at eam ſibi uſurpare omnino non poſſe abſolute pronuncio.

Conſectarium Septimum.

VII. Contradictio parentum matrimonio filii-familias juſtam non præbet Epiſcopo cauſam diſpenſandi a trina denuntiatione a Tridentino indicta. Nam præfatarum denuntiationum finis fuit, ne matrimonia celebrarentur a filiis-familias inſciis, & invitis parentibus, ut ex ipſo Tridentini contextu patet. Nam poſtquam Patres dixerunt, *Hæc matrimonia Eccleſiam Dei ſemper eſſe deteſtatam, & prohibuiſſe*, conqueruntur, *prohibitiones illas propter hominum inobedientiam non prodeſſe*, ideo huic malo ſuccurri non poſſe, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur, quod conſtituunt in denuntiationum faciendarum præcepto. Violant igitur Tridentini mandatum Epiſcopi, dum a denuntiationibus diſpenſant filios-familias matrimonium celebrare volentes inſciis, & invitis parentibus, licet fortaſſis matrimonium & honeſtum ſit, & inter omnino pares; & gravius peccant, ſi matrimonium ſit & impar, & cum indigna. Et revera ita docent nobiliores Juris Canonici Doctores, & Theologi. Pax Jord. D. 1. lib. 3. tit. 7. n. 51. „ Si „ pater juſte, & rationabiliter impedire nitatur, „ puta ob notabilem morum, divitiarum, nobili„ tatis, ac ſimilium qualitatum differentiam, tunc „ dicitur juſte impedire, nec præſtabit legitimam „ cauſam ad denuntiationes omittendas “. Henriquez in Summa lib. 11. cap. 6. „ Voluntas con„ trahendi inſciis parentibus non eſt idonea cau„ ſa, ut Ordinarius diſpenſet, ne fiant denuntia„ tiones “. Cardinalis de Laurea tom. 3. in iv. Sent. diſp. 22. art. 16. nu. 407. docet: „ Non „ poſſe Epiſcopum a denuntiationibus diſpenſare, „ ſi parentes ex juſto motivo obſiſtant matrimo„ nio, quia indigne contrahitur, vel malum po„ tius, quam bonum ex matrimonio naſcetur, quia „ prudens judicium non dictat, ut quis impedia„ tur, ut ſuæ familiæ utilitati ſalubriter conſu„ lat “. Boſſius de Contract. Matrim. cap. 11. nu. 89. „ Certum videtur in omnibus caſibus, in qui„ bus filii peccant mortaliter, parentibus invitis, „ contrahendo aliquod matrimonium, Prælatum „ peccaturum graviter, ſi filiis faveret, vel oppo„ nendo ſe parentibus volentibus impedire, vel „ diſpenſando in denuntiationibus, ut facilius „ filii abſque parentum impedimento contrahere „ poſſint “. Quid, quod hoc idem docet, ſtatuit, jubet Bened. XIV. in ſua Encyclica ad Primates, & Patriarchas data, cujus ſenſa, & verba recitavimus cap. 3. n. 7. omnino legenda?

Conſectarium Octavum.

VIII. Si Parentes conſcii, & conſulti de matrimonio filii, vel filiæ injuſte obſiſtant, & impedire inique nitantur, graviter peccant; & licet filiis ſine illorum conſenſu honeſtum matrimonium celebrare. Non raro contingit, parentes ex avaritia, ne vel Patrimonium minuant, dotem dando filiabus, vel domeſticæ œconomiæ officiant, uxores filiorum admittendo, injuſte eorum honeſta matrimonia impedire, & emendicatis cauſis obſiſtere: quamobrem non infrequenter gravia oriuntur ſcandala, & innumerabilium libidinis criminum in filiis a matrimonio impeditis in cauſa ſunt. Porro certum eſt, hos avaros tenaceſque parentes patria abuti poteſtate, & filios gravare, eorum in electione ſtatus libertatem injuſte impediendo: proinde non unius, ſed plurimorum criminum reos fieri oſtendimus in IV. Decal. Præc. cap. 8. n. 8. In hoc itaque caſu licebit filiis par, & honeſtum matrimonium inire, cum ob patris injuſtitiam ſua libertate ſpoliari non poſſint. Hinc in Galliis, ubi filiorum-familias matrimonia inconſultis & inſciis parentibus nulla declarantur quoad effectus civiles, conceditur tamen filiis, qui trigeſimum annum attigerunt, & filiabus, quæ vigeſimum quintum, ut poſſint matrimonia celebrare, conſultis quidem, & conſciis parentibus, licet conſenſum non impetraverint, quin eorum matrimonia civili careant effectu.

Conſectarium Nonum.

IX. Ad dirimenda ſponſalia non ſemper judicis ſententia requiritur. Et quidem D. Thom. hic qu. 34. art. 3. docet, in duobus caſibus, ſcilicet cum quis ad Religionem confugit, & cum alter conjugum cum altero per verba de præſenti contrahit, ipſo jure ſponſalia dirimi; ſed in aliis caſi-

caſibus dirimi debere ſecundum judicium Eccleſiæ. Judicis vero certe ſententia requiritur, quando inter ſponſos de valore ſponſalium controverſia exoritur; cum nemo eſſe debeat judex in propria cauſa. Quod ſi mutuo conveniant de diſſolutione ſponſalium, ne jurgia, & lites naſcantur, vel alterutra pars ex criminis manifeſtatione (ut quando contingit ſponſalia diſſolvi ob fornicationem, vel inceſtum alterutrius ſponſi) infamiam ſubeat, prudentioris conſilii erit judicium declinare. Judex autem legitimus eſt ſolum ille, qui in exteriori foro Eccleſiæ jurisdictionem obtinet vel ordinariam, vel delegatam: cum enim ſponſalia ad Sacramentum matrimonii referantur, materiam reſpiciunt ſpiritualem ad Eccleſiæ forum pertinent. In aliquibus tamen Regnis, & Provinciis obtinet, ut ſponſalia, & matrimonium, cum civilem contractum involvant, etiam ad civile forum trahantur judicanda. Cum vero clamoſe ſit agitanda quæſtio, requiritur juriſdictio contentioſa in foro externo, qua cum non gaudent Parochi, judices de ſponſalium validitate, vel nullitate eſſe non poſſunt. Quod ſi juramento firmata ſint, & juſta de cauſa diſſolvantur, non eſt neceſſaria diſpenſatio juramenti, quod naturam contractus ſequitur, in quo implicita habetur conditio promiſſum ſervandi, niſi juſta occurrat reſiliendi cauſa.

REFLEXIO.

1. Tametſi ſponſalia optimo conſilio, & juſtis de cauſis inducta ſint, &, ut inquit S. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 3. „ inſtituta, ut jam pactæ „ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat „ maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus di„ latam “; & præterea ut tempus ſuppeditetur, & cauſa diligentioris faciendæ inquiſitionis in contraentium ſtatum, conditiones, mores; & quod præcipuum eſt in chriſtiana Religione, ut ſponſi ea, qua decet, pietate ad Matrimonii percipiendum Sacramentum ſe diſponant, & præparent: tamen puto optandum maxime eſſe, & votis omnibus expetendum, ut vel ſponſalia penitus tollerentur, vel ita ſtatim ea ſequeretur Matrimonium, ut facto perficeretur, quod D. Thom. dicit, ſcilicet *ſponſalia eſſe quoddam Sacramentale præcedens Matrimonium, ſicut exorciſmus Baptiſmi*; quæ ita conjunguntur, ut unus aliud ſtatim conſequatur: „ Non enim, ſubdit D. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. „ 18. eſt neceſſarium, quod ſponſalia præcedant, „ quia abſque promiſſione facta de futuro poteſt „ quis ſubito contrahere per verba de præſenti “. Quandoquidem ex nimia inter ſponſalia, & Matrimonium diſtantia Diaboli inſtinctu, & humana fragilitate ſæpiſſime plurima conſequuntur crimina, & non infrequenter publica ſcandala, adeo ut videantur ſponſæ jam matres effectæ ad Altare accedere, ut legitimæ fiant uxores.

2. Ut tanto malo conſulerent, non omiſere Epiſcopi in ſuis Synodis ſalubres conſtitutiones edere, quibus ſponſorum vel cohabitationem, vel familiarem, frequentemque converſationem, immo & unius ad alterius domum acceſſum interdicerent, & Matrimonii celebrationem urgerent, illiuſque nimiam arcerent moram, & dilationem. Sic itaque ſtatuit in ſuo Farfenſi Synodo Eminentiſſimus Franciſcus Cardinalis Barberinus anno 1628. „ Ad vitanda ſcandala & peccata, quæ „ in hac juriſdictione noſtra, poſt ſponſalia de fu„ turo perpetrantur, prohibemus omnibus contra„ hentibus ſponſalia de futuro, ne amplius ad do„ mum ſponſæ accedere audeant, quouſque per „ verba de præſenti in facie Eccleſiæ eam legiti„ me deſponſaverint ſub graviſſimis arbitrio noſtro „ pœnis “. Quod ſaluberrimum ſtatutum fuſius explicavit ejus in ea juriſdictione ſucceſſor alter Eminentiſſimus Cardinalis Carolus anno 1674. indicens: „ Ut radicitus invaleſcentis abuſus origi„ nem evellamus, diſtricte interdicimus, ne ſpon„ ſi, antequam Matrimonuim de præſenti ex ritu „ contraxerint, ullam ob cauſam, quantumvis ho„ neſtam, ſe invicem ultra tres vices inviſant, „ aut alloquantur: quibus quidem vicibus ad mo„ dicum tempus eos converſari permittimus, pa„ rentibus tamen, aut duobus eorum conſaguineis „ ſemper præſentibus, & habita prius licentia Pa„ rochi, cujus in hoc conſcientiam diſtricte one„ ramus. Verum ſi alterutrum ex his defecerit, „ aut ultra præſcriptas vices mutua conſuetudine, „ vel commercio uti quoquo modo præſumpſerint, „ pœna decem librarum ceræ albæ Parochiali Ec„ cleſiæ illico ſolvenda mulctabuntur; immo pro „ auctæ inobedientiæ culpa, gravioribus pœnis, „ atque etiam in ſubſidium, excommunicatione „ plectentur. Parochi autem, qui hujuſmodi con„ travenientes nobis denuntiare neglexerint, ſeve„ re pariter, atque ipſa a divinis ſuſpenſione pu„ nientur “. Efficacius conſuluit Epiſcopus Oſnaburgenſis Guillelmus de Wartemberg in ſua Synodo indicens: „ Grave peccatum eſt, frequens ta„ men in his regionibus, quod poſt contracta ſpon„ ſalia, ſponſi antequam legitime Matrimonium „ contraxerint, ſe carnaliter cognoſcant. Ad quod „ periculum incontinentiæ vitandum, moneant Pa„ rochi ſponſos, ut intra ſex ſeptimanas ad Ma„ trimonii celebrationem procedant, nec ante be„ nedictionem in templo ſuſcipiendam, ſub eodem „ tecto habitent, aut ſoli converſentur “. Utque magis a criminibus ſponſos detereat, S. Carolus in ſuo Provinciali Concilio II. ſic ſtatuit: „ Qui „ ſponſalia contraxerint, ſi una ante coierint, „ quam coram Parocho, & teſtibus Matrimonium „ inter eos celebratum ſit, abſolutionem Epiſcopo „ reſervatam eſſe volumus; gravemque illis pœni„ tentia imponi “. Quam juſtam ſeveritatem plures alii Epiſcopi imitati ſunt.

3. Verum fruſtra adlaborarunt ſtudioſiſſimi Præſules, niſi ſuam opem adjungant ſponſorum Parentes, & Confeſſarii. Illi quidem hæc ſponſalia impediendo, vel nonniſi inſtante Matrimonio concedentes; & interim ſumma diligentia præcaventes, ne ſolus ſponſus ad ſponſam, lupus ſcilicet ad oviculam accedat. Iſti vero abſolutionem infracte denegando ſponſis, qui ex falſa doctrina ea ſibi conceſſa cum ſponſa arbitrantur, quæ optime ſibi ſciunt cum aliis mulieribus interdicta. Sed S. Caroli doctrinam ſequentes in Inſtruct. de Sacramento Matrimonii, eos doceant, & moneant, „ peccata car„ nis, ſive opere conſummata, ſive per oſcula, & „ amplexus, tactuſque libidinoſos inchoata, gra„ tiæ ſacramentali, & benedictionibus, quas Deus „ in caſtos conjuges larga manu effundit, obicem „ ponere “.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE MATRIMONIO.

CAPUT PRIMUM.

De Matrimonio, ut naturali & Civili Contractu.

DOCTRINA.

I. *Varia Matrimonii nomina.*
II. *Quot modis ſpectari poſſit Matrimonium.*
III. *Definitio Matrimonii ut contractus.*
IV. *Cauſæ Matrimonium conſtituentes.*
V. *Triplex Matrimonii diviſio.*
VI. *Nullum in nova Lege præceptum Matrimonii.*

I. Conjunctionem viri cum fœmina in perpetuam vitæ ſocietatem pluribus nominibus deſignari conſueviſſe, optime animadvertit D. A. hic quæſt. 44. art. 2. ſcribens: ,, In Matrimonio eſt tria conſiderare. Primo eſſentiam ipſius, quæ eſt conjunctio: & ſecundum hoc ,, nominatur *Conjugium*. Secundo cauſam ejus, ,, quæ eſt deſponſatio: & ſecundum hoc vocatur ,, *nuptiæ* a nubo: quia in ipſa ſolemnitate deſponſationis, qua Matrimonium perficitur, capita ,, nubentium velantur. Tertio effectum, qui eſt ,, proles: & ſic dicitur *Matrimonium*, ut Auguſtinus dicit cont. Fauſt. lib. 19. cap. 26. *ex hoc* ,, *quod mulier non debeat ob aliud nubere, niſi ut* ,, *ſit mater*. Poteſt etiam Matrimonium dici quaſi ,, *Matris munium*, ideſt officium; quia fœminis ,, incumbit maxime educandæ prolis officium ,,. Et licet hoc etiam præſtare debeat pater, tamen ſubdit Angelicus in reſp. ad 1. ,, magis Matrimo- ,, nium dici a Matre, quam Patrimonium a Pa- ,, tre, quia circa prolem Mater magis eſt officio- ,, ſa, quam Pater ".

II. A nominibus Matrimonii ad ejus indolem ſcrutandam progredientes, ſub triplici ſpectari poſſe conſideratione, aſſerimus; nimirum quatenus eſt naturalis contractus, ſeu naturæ officium; quatenus contractus civilis juxta legum ſtatuta initus; & quatenus novæ legis Sacramenti eſt dignitatem a Chriſto conſecutum. Prout naturalis contractus eſt, in terreſtri Paradiſo initium habuit, a Deo inſtitutus inter Adamum & Evam adhuc originalis juſtitia præfulgentes, dum eis dixit: *Creſcite, & multiplicamini*: unde ad illum reſpiciens Chriſtus ait in Evangelio: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Prout vero civilis contractus, ab ipſo Domino in veteri Lege confirmatus fuit, aliqua addendo præcepta de alienigenis in Matrimonium non aſſumendis, de vidua fratris ſine filio decedentis a ſuperſtite fratre in uxorem ducenda, & alia. Quomodo autem illi Sacramenti addiderit dignitatem Chriſtus Dominus, mox dicemus.

III. Spectatum itaque Matrimonium, quatenus eſt naturalis, civiliſque contractus, definitur a S. Thom. hic art. 3. ex Sententiarum Magiſtro, *Viri mulieriſque conjunctio maritalis, inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens*. In qua definitione explicat, quomodo omnia comprehendantur, quæ ad Matrimonium pertinent. Nam primo inquit ,, continet eſſentiam ,, (communem) ſcilicet conjunctionem, ſecundo ,, explicat hujus conjunctionis non qualecumque, ,, ſed determinatum ſubjectum, dicendo *inter le-* ,, *gitimas perſonas*; tertio exponit differentiam con- ,, trahentium ad ſpeciem, in hoc quod dicitur, ,, maritalis: quia cum Matrimonium ſit conjun- ,, ctio in ordine ad aliquid unum, talis conjun- ,, ctio in ſpeciem trahitur per illud, ad quod or- ,, dinatur; & hoc eſt id, quod ad Maritum per- ,, tinet: & quia, ut inquit Apoſtolus 1. Corinth. ,, 11. *Vir non eſt propter mulierem, ſed mulier* ,, *propter virum*; ideo hæc differentia potius de- ,, bet ſumi a viro, quam a muliere. Denique ,, ponitur virtus, efficacitas hujus conjunctionis, ,, quia indiſſolubilis eſt, in hoc quod dicit, *indi-* ,, *viduam vitæ conſuetudinem retinens* ".

IV. Ad Matrimonium itaque conſtituendum, quatuor concurrunt cauſæ, *efficiens*, ſcilicet, *materialis*, *formalis*, & *finalis*, quæ in præfata definitione ſunt indicatæ. Efficiens itaque cauſa eſt, nec alia eſſe poteſt, quam mutuus contrahentium conſenſus, ut docet S. Thom. hic quæſt. 45. art. 1. oſtendens, in omnibus aliis contractibus non aliam eſſe illorum efficientem cauſam, quam conſenſum contrahentium, ,, ita, inquit, oportet, quod ,, hoc modo fiat matrimonialis conjunctio ". Quam doctrinam adoptavit & Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, docens: ,, cauſam efficien- ,, tem Matrimonii regulariter eſſe mutuum con- ,, ſenſum per verba de præſenti expreſſum ". Nemo tamen ſuſpicetur, dictum a Pontifice *regulariter* eſſe conſenſum, quaſi aliquando & ſine conſenſu eſſe poſſit Matrimonium; ſed *regulariter* eſſe conſenſum *per verba*, quæ communia ſigna ſunt conſenſus præſtiti; qui tamen aliquando & ſine verbis, ſed nutu, & ſignis exprimi poteſt. Cauſa vero materialis ſunt contrahentium corpora, de quorum uſu in ordine ad Matrimonium paciſcuntur contrahentes, & quem mutuo viciſſim transferunt. Formalis autem cauſa, quæ in re permanens conſtituit Matrimonium, in illo eſt collocanda tranſitorio conſenſu, quem efficientem cauſam diximus, qui cum prætexlabatur, permanens aliquid formaliter non valet conſtituere; ſed in nexu, & vinculo ex mutuo conſenſu profluente, quod perenne conſtituit Matrimonium. Cauſa vero finalis illa eſt, quam Tobiæ Angelus Raphael expoſuit, docens: *Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris*. Quam doctrinam & bene percepiſſe, & religioſe ſervaſſe oſtendit, dum Deum orans ajebat Tobias: *Tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio Sororem meam conjugem, ſed ſola poſte-*

poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſecula ſeculorum. Sed de hoc iterum.

V. Matrimonium trifariam dividunt Theologi, in *legitimum* videlicet, *ratum*, & *conſummatum*. Legitimum dicitur Matrimonium, quod juxta Leges Gentium contrahitur; cujuſmodi ſunt Matrimonia Infidelium, inter quos verum agnoſcit D. Thom. Matrimonium ex Lege naturæ permanens, & indiſſolubile. Ratum vero dicitur, quod ab Eccleſia adprobatur, & a fidelibus legitime coram ipſa celebratur. Utriuſque Matrimonii diſtinctionem exponit Innoc. III. relatus in jur.can. *Quarum* de Divortiis, dicens: „Etſi Matrimonium „verum inter Infideles exiſtat, non tamen eſt „ratum. Inter fideles autem *verum*, & *ratum* „*eſt*, quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt „admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum ef- „ficit conjugii Sacramentum, ut ipſum in con- „jugibus, illo durante, perduret". Conſummatum vero eſt illud, quod ſubſequitur carnalis copula conjugibus conceſſa, & qua fit, ut duo ſint in carne una, ut inquit Chriſtus, & *jam non ſint duo, ſed una caro*.

VI. De Matrimonio contrahendo nullum eſt in nova Lege præceptum. Nam Chriſtus Dominus quammaxime virginitatem commendavit; & Apoſtolus aperte docuit: *Qui Matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*. Dixi in nova Lege nullum extare præceptum: nam in ipſo generis humani exordio ad Matrimonium tenebantur homines ob genus humanum multiplicandum; tunc enim non ſolum ſuæ conſervationi ſtudere debebant, ſed & humani generis filiorum propagationi. Immo & fortaſſis Judaico populo præceptum datum fuit de Matrimonio celebrando, dum populus ille erat multiplicandus, & ne periret, imminebat periculum: at eo ſatis multiplicato virginitati locus datus eſt, eaque laudata; unde plures fuerunt cælibes, Joſue, Elias, Eliſæus, Jeremias; & promiſſum fuit in Iſaia Eunuchis (ideſt caſtitatem ſervantibus) *nomen melius a filiis, & a filiabus, nomen ſempiternum*, & Sapientiæ 3. laudatur mulier, quæ *neſcivit thorum in delicto, quæ habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum*. Hæc confirmat ſua auctoritate S. Auguſtinus lib. 1. de Nuptiis, & Concupiſcentia ſcribens cap. 13. „Hæc propagatio fi- „liorum, quæ in Sanctis Patribus propter generan- „dum, & conſervandum populum Dei, in quo „prophetiam Chriſti præcedere oportuit, officio- „ſiſſima fuit, nunc jam non habet illam neceſſita- „tem. Patet quippe jam ex omnibus gentibus „ſpiritualiter gignendorum, undecumque carnali- „ter nati fuerint, copia filiorum".

CAPUT SECUNDUM.

De Matrimonio, Eccleſiæ Sacramento.

DOCTRINA.

I. *Matrimonii definitio, quatenus Sacramentum.*
II. *Inter Sacramenta enumerandum oſtendit Scriptura.*
III. *Confirmat argumentum præſcriptionis.*
IV. *Et diſcuſſionis.*
V. *Et Concilia.*
VI. *Characteres, & notæ veri Sacramenti Matrimonio conveniunt.*
VII. *Materia, forma, & Miniſter inquiruntur.*
VIII. *Doctrina S. Thomæ exponitur.*
IX. *Ab objectis vindicatur.*
X. *Confirmatur ratione.*
XI. *Objecta proponuntur.*
XII. *Diſſolvuntur.*

I. Civilem, naturalemque Matrimonii contractum ad dignitatem Sacramenti, ut mox oſtendemus, evexit Chriſtus. Quamobrem hoc modo ſpectatum definitur: *Matrimonium eſt ſignum ſenſibile conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, a Chriſto inſtitutum, promiſſionem habens gratiæ perſonas legitime conjunctas ad individuam vitæ ſocietatem unientis*.

II. Eſſe vero Matrimonium in Eccleſia Catholica celebratum veri nominis Sacramentum, dubitare non ſinunt & Sacræ Scripturæ verba, & perpetua Patrum traditio, & Conciliorum aperta definitio. Et quidem Patres in verbis Apoſtoli Pauli ad Epheſios 5. ſcribentis de connubio: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico in Chriſto, & Eccleſia*, deſignatum agnoverunt novum, & verum Eccleſiæ Sacramentum: interpretati ſiquidem ſunt de ſigno, ſive ſymbolo ſignificante unionem Chriſti cum Eccleſia, & quidem non ſolum objective, ſed etiam practice, quatenus & ſignificat, & producit illam gratiam animorum conciliatricem, quæ repræſentat unionem Chriſti cum Eccleſia. Quamobrem nomen *myſterii*, *arcani*, ſive *Sacramenti* non eſt aptandum conjunctioni Chriſti cum Eccleſia, ut obtrudit Calvinus, ſed matrimoniali unioni viri cum muliere, ut indicat pronomen illud *hoc*, quod eſt ad conjugium referendum, de quo proxime locutus eſt Apoſtolus; hoc enim conjugium eſt ſymbolum, & ſignum practicum illius ſublimioris unionis Chriſti cum Eccleſia, & hoc gratiam confert. Audiatur Auctor Commentarii inter opera Ambroſii, ſcribens: „My- „ſterii Sacramentum grande in unitate viri, ac „fœminæ eſſe ſignificat". Et D. Hieronymus ſic ſcribit: „Matrimonium per allegoriam in Chri- „ſto interpretatur, & in Eccleſia, ut Adam Chri- „ſtum, & Eva præfiguraret Eccleſiam".

III. Confirmat eandem veritatem argumentum præſcriptionis. Nam ipſo fatente Calvino S. Gregorii ſæculo matrimonium inter Sacramenta adnumerabat Eccleſia; ſic enim ſcribit lib. 4. Inſtit. cap. 19. §. 34. „Matrimonium, quod ut a Deo „inſtitutum fatentur omnes, ita pro Sacramento „datum nemo uſque ad Gregorii tempora vide- „rat". Quærimus ergo, quis primum hoc Sacramentum invexit? Num ipſe Gregorius? At ejus ſæculo jam in Eccleſia obtinebat. Nec ullum invenimus de novitate in Eccleſiam inducta de Sacramentorum numero eo tempore auctо conqueſtum. Non eſt igitur initium hujus inſtitutionis invenire, quæ proinde ad Apoſtolorum tempora revocanda eſt, & ad Chriſti inſtitutionem, juxta auream Auguſtini regulam, non ſemel adductam in lib. 4. de Baptiſmo: „Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis „inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi aucto- „ritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur".

IV. Ac-

IV. Accedit argumentum diſcuſſionis, ex teſtimoniis Patrum omnium ſeculorum conſurgens. Et quidem Patres proferimus, qui Gregorii tempora præceſſere. S. Ignatius ævo Apoſtolorum florens epiſt. ad Polycarpum ſcribens, ait: „ Sponſi, „ & ſponſæ de ſententia Epiſcopi conjugium faciant, quo nuptiæ ſint ſecundum Dominum, & „ non ſecundum cupiditatem “. Sequitur Tertullianus, qui initio III. ſeculi floruit, ſcribens lib. 2. ad uxorem: „ Unde ſufficimus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & conſignat benedictio. Angeli renuntiant, Pater ratum habet “. Tertulliani igitur ævo mos erat in Eccleſia, ut matrimonium & ſacrificii tempore celebraretur, & benedictione donaretur, & Deus ratum haberet gratiam conferendo. S. Ambroſius IV. ſeculo docet lib. de Abraham cap. 7. „ Cognoſcimus velut Præſulem, cuſtodemque conjugii eſſe Deum, qui non patietur alienum thorum pollui; & ſi qui fecerit, peccare eum in Deum, „ cujus legem violat, gratiam ſolvit. Et ideo „ quia in Deum peccat, Sacramenti cæleſtis amittit conſortium „. S. Siricius Papa ſub finem ejuſdem ſeculi, ſacrilegam appellat matrimonii violationem, ſcribens: „ Benedictio, quam nupturæ „ Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violatur “. Quarto ſeculo S. Auguſtinus diſertiſſime, & ſæpiſſime matrimonium inter Eccleſiæ Sacramenta enumeravit lib. de Fide, & operib. cap. 7. „ In Civitate „ Dei noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt Eccleſia, nuptiarum non ſolum vinculum, verum „ etiam Sacramentum ita commendatur, ut non „ liceat viro uxorem ſuam alteri tradere “. Et de bono conjugali cap. 8. „ In noſtrorum nuptiis plus „ valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas „ uteri “. Et rurſum cap. 24. „ Bonum nuptiarum „ per omnes gentes, atque omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis: Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt etiam „ repudio diſcedentem alteri nubere, dum vir „ ejus vivit “. Eodem ſeculo S. Leo epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem ſcribit: „ Cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter „ ſexus conjunctionem haberet in ſe Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non eſt eam mulierem ad matrimonium non pertinere, in qua do„ cetur nuptiale non fuiſſe myſterium “. En igitur, quomodo ante Gregorii ſeculum jam inter Sacramenta adnumerabatur matrimonium; quod poſtea, ut tale habitum, inficiari non audet ipſe Calvinus: proinde a ſequentium ſeculorum Patrum teſtimoniis afferendis abſtinemus.

V. Accedunt Conciliorum definitiones. Lucius III. in Concilio Veronæ habito labente XII. ſeculo decrevit: *Univerſos, qui de Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti, vel de Baptiſmate, ſeu de peccatorum* Confeſſione, *Matrimonio, vel reliquis Eccleſiæ Sacramentis aliter ſentire, aut docere non metuunt, quam Romana Eccleſia prædicat, & obſervat, vinculo perpetui anathematis innodamus*. Idem confirmat & Concilium Lateranenſe relatum in Decr. de Simonia Cap. *Cum in Eccleſia* ſtatuens: „ Horribile eſt, quod pro ſepulturis, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu aliis „ Sacramentis aliquid requiratur “. A Conſtantienſi Concilio pariter inter ſeptem Sacramenta Eccleſiæ matrimonium recenſetur. In Florentino quoque Eugen. IV. in Inſtructione Armenorum ſeptem enumerans Sacramenta, in quibus docet gratiam conferri, ultimo loco matrimonium collocat. Poſtremo in Concilio Tridentino can. 1. fuit definitum: „ Si quis dixerit, Matri„ monium non eſſe vere, & proprie unum ex ſe„ ptem legis Evangelicæ Sacramentis, a Chriſto „ Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccle„ ſia inventum, neque gratiam conferre, anathe„ ma ſit “.

VI. Et revera omnes veri Sacramenti characteres, & notæ Matrimonio convenire teſtantur Patres. Inſtitutionem enim Chriſti agnoſcunt in præſentia ejus nuptiis Galilææ. Sic enim ſcribit S. Cyrillus Alexandrinus in Epiſtola ad Neſtorium in Epheſina Synodo lecta, & laudata: „ Nam hac ipſa de „ cauſa, quo noſtræ quoque ſubſtantiæ ortum ſua „ benedictione cumularet, ſimul cum Sanctis Apo„ ſtolis ad nuptias in Cana Galilææ vocatum, huc „ ſe contuliſſe ſuaque benedictione eoſdem diſpen„ ſatorie cohoneſtaſſe dicimus “. Et confirmat S. Epiphanius hær. 67. ſcribens: „ Quomodo non „ erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes „ Regnum Cælorum, cum vocatus ſit Salvator i„ pſe ad nuptias, ut nuptias benediceret “? Gratiam vero in Matrimonio conferri teſtantur omnes Patres, quorum teſtimonia num. præced. recitavimus, & confirmat Tridentinum in Prooemio de Sacram. Matrimonii docens: „ Gratiam, „ quæ naturalem illum amorem perficeret, & in„ diſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque „ ſanctificaret, ipſe Chriſtus, venerabilium Sa„ cramentorum inſtitutor, atque perfector, ſua „ paſſione promeruit .... Et paulo poſt: Cum „ Matrimonium in lege Evangelica veteribus con„ jugiis per Chriſtum gratia præſtet, merito in„ ter novæ legis Sacramenta enumeratur “. Si„ gnum vero ſenſibile in illa ſitum eſt mutua corporum traditione, quam ſuo aſſenſu ſibi invicem præſtant.

VII. Ita quidem unanimiter ſentiunt omnes Catholici. At quam maxime diſſentiunt Theologi in hujuſce Sacramenti aſſignandis forma, materia, & Miniſtro. In duas dividuntur claſſes. Alii ſiquidem contractum Matrimonii a Sacramento ſecernunt: illum exiſtere dicunt firmum, ratum, & inſolubilem, quoties accedit mutuus contrahentium conſenſus de præſenti, in Parochi, & teſtium præſentia exhibitus, nec ullum obſtet impedimentum; at hoc ad Sacramentum conſtituendum minime ſufficere autumant, ſed requiri Parochum, qui mutuo conſenſu intellecto benedictionem impertiatur ſponſis per verba illa ſacra, *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Santi*. Quamobrem materiam Sacramenti conſtituunt in conſenſu coatrahentium per nutus, vel verba manifeſtato; formam in præfatis Parochi, vel alterius de ejus licentia Sacerdotis verbis; & Miniſtrum afferunt ipſum eſſe Parochum, aut Sacerdotem: eapropter aliter contrahentes Matrimonium celebrant, at Sacramentum minime vel conficiunt, vel recipiunt. Alii e contra benedictionem, & verba Parochi ad ſolemnitatem quidem Sacramenti requiri cenſent, minime

vero ad eſſentiam, & ſubſtantiam: eapropter materiam dicunt corpora contrahentium, formam vero in verbis, queis internum conſenſum exprimunt, & mutuum ſibi in corpora tradunt jus in ordine ad Matrimonium, collocant: unde inferunt non alium eſſe quærendum hujus Sacramenti miniſtrum ab ipſis contrahentibus diſtinctum. Hanc quæſtionem pro utraque parte exponit ſapientiſſimus Pontifex Benedict. XIV. de Synodo cap. 12. & utramque doctrinam ſolidiſſimis argumentis confirmat; proinde neutram eſſe ab Epiſcopis in ſuis Synodis vel ſtatuendam, vel rejiciendam decernit.

VIII. Nos, qui a mente, & doctrina S. Thom. recedere religionis ducimus, & ne, ut inquit Innocent. VI. eam deferendo inveniamur de veritate ſuſpecti, dicimus D. Ang. nec verba a Sacerdote prolata eſſe formam hujus Sacramenti docuiſſe, nec ejus benedictionem, vel præſentiam requiri ad eſſentiam Sacramenti. Uno verbo D. Thom. numquam cognovit diſtinctionem contractus, & Sacramenti; ſed ubicumque reperit contractum rite, & pio affectu initum, ibi & ſacramentum admittit: quapropter ſollicitus fuit in iis expendendis, quæ ad verum requiruntur conſenſum, quo legitime & pie, ut chriſtianum decet, præſtito, & confectum certo ſupponit Sacramentum. 1. Itaque ſtatuit materiam hujus Sacramenti eſſe ipſorum contrahentium actus; ſic enim ſcribit hic q. 42. art. 1. ad. 2. „ Sacramentum Matrimonii perficitur, per actum ipſius, qui Sacramento illo utitur ſicut pœnitentia. Et ideo ſicut Pœnitentia non habet aliam materiam niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi; ita eſt de Matrimonio “. 2. Formam conſtituit in verbis contrahentium, conſenſum interiorem exterius ſignificantibus. Hinc ſubdit ad 1. „ Verba, quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt *forma* hujus Sacramenti “. (non meri contractus). 3. Ad eſſentiam Sacramenti duo tantum neceſſaria, & eſſentialia adſtruit, conſenſum contrahentium, & verba de præſenti illum ſignificantia, quibus poſitis docet haberi non ſolum contractum, ſed & Sacramentum Matrimonii. Sic itaque dicit quæſt. 45. a. 5. „ Conſenſus expreſſus per verba de præſenti, inter perſonas legitimas ad contrahendum, Matrimonium facit: quia hæc duo ſunt de eſſentia *Sacramenti*: (non meri contractus civilis) alia autem omnia ſunt de ſolemnitate Sacramenti: quia ad hoc adhibentur, ut convenientius fiat. Unde ſi omittantur, verum eſt Matrimonium “. 4. Benedictionem Sacerdotis nec ad eſſentiam Sacramenti requiri docet, nec ejus partem agnoſcit; ſed ſolum *Sacramentale* appellat. En ejus verba, quorum partem mox recitavimus, & hic repetimus: „ Verba, quibus conſenſus Matrimonialis exprimitur, ſunt forma hujus Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam *Sacramentale* “. Et luculentius laud. q. 45. a. 5. 2. loco ſibi objicit: „ Sacramentum Pœnitentiæ non perficitur, niſi mediantibus Eccleſiæ Miniſtris: ergo nec Matrimonium perfici poteſt in occulto abſque Sacerdotali benedictione “. Cui objectioni juxta recentium Theologorum mentem reſpondere debuiſſet, perfici quidem ſine Sacerdotali benedictione Matrimonium, quatenus contractus eſt civilis; at quatenus Sacramentum, omnino non perfici. At non ita reſpondit Angelicus, ſed objectionem ſolvit ſuæ inſiſtendo doctrinæ, ſubdens: „ Actus noſter in Pœnitentia, quamvis ſit de eſſentia Sacramenti, non tamen eſt ſufficiens ad inducendum proximum effectum Sacramenti; & ideo oportet, quod ad perfectionem Sacramenti interveniat actus Sacerdotis. Sed in Matrimonio actus noſtri ſunt cauſa ſufficiens ad inducendum proximum effectum, qui eſt obligatio; quia quicumque eſt ſui juris, poteſt ſe alteri obligare. Et ideo Sacerdotis benedictio, non requiritur in Matrimonio, quaſi de eſſentia Sacramenti “. In qua poſtrema doctrina & illud §. loco notandum, quod mox diximus, ſcilicet Sanct. Thom. non diſtinguere in fidelibus contractum Matrimonii a Sacramento Matrimonii: ſed ubi invenit obligationem, ibi reperiri docet Sacramentum: & ſicut, inquit, ſoli actus noſtri ſine actu Sacerdotis ſufficiunt ad inducendam obligationem; ita & ſufficiunt ad conficiendum Sacramentum.

IX. Hæc mihi adeo luculenta ſunt, & ſolis radiis conſcripta videntur, ut ea offuſcare velle, non hominis veritatem quærentis ſit, ſed dolentis, ſibi tantum Doctorem, quem ut Magiſtrum venerari, & ſequi gloriatur, ſuæ doctrinæ non favere. Hinc Melchior Canus, poſtquam ſincere confeſſus eſt, Sanct. Thom. *communem ſecutum eſſe Theologorum ſui temporis opinionem*; ſubdit tamen, *a veritate, rationeque coactum ab ea opinione receſſiſſe*. At unde detegit hanc coactionem in S. D. quæ ipſum veritatem in injuſtitia detinentem, tandem invitum promere compulit? Quia inquit in IV. Diſt. 1. q. 1. art. 3. cum docuiſſet, verba in omni Sacramento neceſſaria eſſe, quinto id argumento impugnavit in hunc modum: „ Pœnitentia, & Matrimonium ſunt Sacramenta: ſed de integritate eorum non ſunt aliqua verba &c. “ Cui argumento ille reſpondit: „ Quod Matrimonium, ſecundum quod eſt officium, & Pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus, non habent aliquam formam verborum; ſed ſecundum quod utrumque eſt Sacramentum in diſpenſatione Miniſtrorum Eccleſiæ, habet aliqua verba “. At hæc nimis levia ſunt, ut doctrinam Sanct. Thom. incertam efficiant. Nam 1. Cur Canus locum citat ex Sententiariis, ubi de neceſſitate verborum in Sacramentis agit, quaſi non alibi de eodem argumento tractaverit, cum ex profeſſo eandem verſet quæſtionem in ſua Summa Theologica, poſtremo & elaboratiſſimo opere, quæſt. 60. art. 6. ubi inquirit, *utrum in ſignificatione Sacramentorum requirantur verba*; & art. 7. ubi quærit, *utrum requirantur determinata verba*; & nullibi illud argumentum ſibi opponit, profecto vel quia nullius eſſe ponderis vidit, vel ad rem non pertinere putavit? 2. Nonne Sanct. Thom. docuit, formam Sacramenti, non ſolius contractus, vel Matrimonii, conſiſtere in verbis conſenſum exprimentibus? 3. Nonne Sanct. Thom. docuit verba Sacerdotis benedicentis non pertinere ad eſſentiam Sacramenti? Quid ergo ſibi voluit, cum dixit, Matrimonium, & Pœnitentiam, cum conſiſtant in diſpenſatione Miniſtrorum Eccleſiæ, habere aliqua verba, niſi utrumque Sacramentum a Miniſtris Eccleſiæ eſſe dandum, & accipiendum, & hoc modo datum, & acceptum ſua habere verba, at non uno, & eodem modo appli-

applicata? Nam, ut ipſe docuit, in Pœnitentia verba Sacerdotis ſunt de eſſentia Sacramenti, quia actus pœnitentis non ſufficiunt: in Sacramento Matrimonii, ſubdit, tantum ad ejus ſolemnitatem adhibenda, quia actus contrahentium ad eſſentiam Sacramenti ſufficiunt. Nec fortius eſt argumentum, quod urget ex lib. adv. Gentes, ubi Sanct. Thom. dicit: „ Ea, quæ per Miniſtros Eccleſiæ „ diſpenſantur, Sacramenta dicuntur. Matrimo„ nium igitur, ſecundum quod conſiſtit in conjun„ ctione maris & fœminæ, intendentium prolem „ ad cultum Dei generare, & educare, eſt Eccle„ ſiæ Sacramentum. Unde & quædam benedictio „ per Miniſtros Eccleſiæ adhibetur ". Nam quis unquam negavit ea (& præſertim Matrimonium) quæ per Miniſtros Eccleſiæ diſpenſantur, non eſſe Sacramenta? At num ſint aliqui ritus, qui etſi a Miniſtris non diſpenſati, tamen adhuc ſint Sacramenta, ibi non negat D. Th. Immo affirmare videtur in ſequentibus verbis, quibus docet Matrimonium eſſe Sacramentum *ex eo ſolum, quod conſiſtit in conjunctione maris, & fœminæ intendentium prolem ad cultum Dei*. Cui Sacramento quid addat Eccleſia, ſtatim indicat, nimirum *benedictionem per Miniſtros Eccleſiæ*, quæ non conficit Sacramentum, ſed ſuperadditur Sacramento. Dum autem dicit S. D. ſolos illos eſſe Miniſtros Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habent miniſterium ſupra Corpus Chriſti verum, quod ſolius eſt Sacerdotis, loquitur de Miniſtris vel neceſſitatis, vel ſolemnitatis. In ceteris Sacramentis Sacerdotes ſunt (excepto Baptiſmo in extrema neceſſitate ſumpto) Miniſtri neceſſitatis; in Matrimonio vero, ſicut & in Baptiſmo jam ob neceſſitatem adminiſtrato, ſunt Miniſtri ſolemnitatis. Gratis vero omnino affirmat Sylvius, quod ſi S. Thom. ſummam abſolviſſet, a ſententia receſſiſſet. At quo argumento plane non video: quia Sanct. Thom. numquam, ut fatetur Cano, a communi Theologorum ſententia receſſit; & opinio conſtituens Sacerdotem Miniſtrum Sacramenti Matrimonii, & ejus verba formam, adeo recens eſt, ut Dominicus Bannez ſincere confeſſus ſit, *Cani ſententiam novam eſſe; quod enim uno tempore occultatur, poſtea per diligentiam, & ſtudium adinveniens antiquum, multoties innoteſcit*. Cum itaque Sacramentum Matrimonii ſemper in Eccleſia fuerit celebratum; ſolummodo recentium diligentia, & ſtudio detectum eſt, ejus Miniſtrum eſſe Sacerdotem, ejus formam eſſe verba, *ego vos conjungo* &c. Immo nec hoc poſtremum certo conſtat, cum Tridentinum Concilium nec præfata verba neceſſaria cognoverit, ſed alia quoque adhiberi poſſe declaravit, & quidem tot modis varia, quot ſunt cujuſcumque provinciæ ritus: quod quantum abhorreat a formis Sacramentalibus, nemo niſi hoſpes in Theologia ignorat.

X. Nec A. P. doctrina vel caret Patronis, vel validis deſtituitur argumentis. Eam ſiquidem tenent omnes antiquiores Scholaſtici, & Juris canonici periti, quorum longum ſyllabum recenſent Vaſqueſius diſput. 3. de Sacram. Matrim. dub. 3. & Sanchez diſp. 6. n. 1. adeo ut ipſe Tournelius, qui oppoſitam ſuſtinet, fateri tamen debuerit; *ſi ex auctoritate, & numero Scholaſticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubie oppoſita ſententia*. Eam etiam ampleꝭtuntur recentiores Theologi, & juris periti, Bellarminus, Theophilus Raynaudus, Fraſſen, Cardinales de Laurea, & Gotti, Genettus, Gonettus, Simonettus, Boucat, Merbeſius, Auctor Theologiæ ad uſum Seminarii Petrocorenſis, Clericatus, Pontaſius, Van-Eſpenius, aliique bene multi, qui profecto non levioribus momentis, & futilibus ratiunculis ſe moveri patiuntur, ſed firmioribus innixi argumentis eam propugnarunt. Quæ hujuſmodi ſunt. 1. Concilium Tridentinum declaravit, Matrimonia clandeſtina ſine Parocho, & teſtibus celebrata, ſed ſolo libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera fuiſſe Matrimonia, proinde & Sacramenta. Sciebant enim Patres, a ſacris canonibus ea tantum rata, & vera dici Matrimonia, quæ non meri ſunt contractus civiles, ſed etiam chriſtianæ Religionis Sacramenta; ut declarat Innoc. III. ſtatuens Cap. *Quarum* de divortiis: „ Etſi „ Matrimonium verum inter infideles exiſtat; in„ ter fideles autem verum, & ratum exiſtit: quia „ Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, „ numquam omittitur, ſed ratum efficit conjugii „ Sacramentum ". 2. Teſte Martene de antiq. Eccl. ritibus, inaudita fuere apud Majores noſtros illa verba Parochi, *ego vos conjungo*, in quibus aliqui ex recentioribus Scholaſticis formam hujus Sacramenti conſtituunt. Et Simonettus dicit olim adhibita fuiſſe hæc verba, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Et modo Tridentinum verba benedictionis permittit ritibus Eccleſiarum: quod profecto minime præſtaret, ſi in eis Sacramenti formam contineri arbitraretur; cum nullam in formis Sacramentorum poteſtatem habeat Eccleſia, & alioquin ſummopere caveat, ne mutentur, ſed accurate ab omnibus intactæ retineantur. 3. Etiam poſt Tridentinum non ſemel celebrantur Matrimonia clandeſtina valida, iis videlicet in locis, ubi ejus diſciplina non obtinet; ſicut & aliquando contingit bona fide Matrimonia nulla celebrari ob impedimentum dirimens: quo poſtea ſublato, indicitur quidem conjugatis, ut conſenſum renovent; non vero ut iterum a Parocho benedictionem accipiant: quod tamen in utroque caſu jubere, vel ſaltem hortari deberet Eccleſia, ne fideles conjugati perpetuo hoc Sacramento privarentur. Cenſet igitur in utroque caſu Matrimonium eſſe ſimul & contractum, & Sacramentum. 4. Eugenius in Inſtructione pro Armenis illos docuit, cauſam efficientem Matrimonii eſſe mutuum conſenſum per verba de præſenti regulariter expreſſum: porro cauſa efficiens, & Miniſter in Sacramentis unum, & idem ſunt. Nec dicendum, Eugenium loqui de Matrimonii contractu civili, ſed de Sacramento, inter quæ illud connumeraverat, & de quo edocebat Armenos.

XI. Nec urgent argumenta adverſariorum, nimirum 1. Verba a Tridentino præſcripta, proferenda a Sacerdote, veritatem continere: porro vera non eſſent, ſi Miniſter ea proferens vere non conjungeret. 2. Adverſus Lutheranos, & Calviniſtas non alio modo probamus veritatem Sacramenti Matrimonii, niſi Patrum teſtimoniis, qui nuptias ideo Sacramentales appellant, quia Sacerdotali benedictione conſecrantur. 3. Sacramenta ſunt res omnino ſacræ, ad divinum cultum ordinatæ: porro ſublata Sacerdotali benedictione, quid ſupereſt in Matrimonio, niſi profanus, & civilis

S 4 con-

contractus? 4. In ceteris Sacramentis Miniſtri ſunt Sacerdotes; quomodo in ſolo Matrimonio excluduntur, & laici Miniſtri conſtituuntur? 5. Vix intelligi poteſt, quomodo contrahentes ſint Miniſtri hujus Sacramenti. Nam aut quilibet contrahens ſibi, vel unus alteri Sacramentum miniſtrat. Non primum; quia nemo ſibi adminiſtrare Sacramentum poteſt in actione poſitum: non ſecundum; quia duo efficerent Sacramentum, cum neuter ſine altero poſſet Sacramentum perficere: & tunc quæritur, an prius vir mulieri, an mulier viro Sacramentum conferat?

XII. Verum hæc argumenta ſufficienter diluuntur. Reſpondeo itaque ad 1. Verba Sacerdotis vera eſſe, quia tanquam Miniſter ſolemnitatis in facie Eccleſiæ eos conjungit. Hanc reſponſionem vidit Concina; & quam infirma ſit, neminem non videre affirmat. At hujus reſponſionis imbecillitatem profecto non vidit D. Thom. qui eam prorſus adhibuit, dum docuit benedictionem eſſe ſolum *Sacramentale quoddam*, *& ſolum ad ſolemnitatem requiri*. Verba dedimus n. 7. Ad 2. Concilium Tridentinum adverſus Lutheranos, & Calviniſtas definivit, Matrimonium eſſe veri nomini Sacramentum, quin tamen difinierit Sacerdotem eſſe ejus Miniſtrum: cenſuit igitur veritatem Sacramenti Matrimonii a benedictione Miniſtri non pendere, & ea etiam omiſſa haberi poſſe verum Sacramentum. Sanctorum vero Patrum teſtimonia ſolum probant, in Eccleſia Matrimonium ſemper habitum verum Sacramentum; & ideo præcepiſſe, ut ſponſi in Eccleſia benedictione donarentur, qua uberiorem nanciſcerentur gratiam. Ad 3. Reſp. In Matrimonio Chriſtianorum non merum, & profanum contractum ſecluſa benedictione reperiri, ſed pium affectum erga Deum. Nam, ut egregie docet Catechiſmus Colonienſis, „ Verbum hujus „ Sacramonti, quo accedente ad elementum fit „ Sacramentum, id nimirium eſt, quo ambo mas, „ & fœmina (cum pietatis reſpectu, quæ in Deum „ eſt, ſibi mutuo fidem conjugalem dant, ac„ cipiuntque) non quovis modo, ſed in Dei no„ mine conjunguntur, & copulantur. Eſt autem „ tali verbum Chriſti verbis, uti validiſſima, & „ firmiſſima baſi ſubnixum, cum inquit, *Quod* „ *Deus conjunxit, homo non ſeparet*.... Et „ in hoc Sacramento tale verbum eſſe putamus, „ cui fides in Deum accedit, nempe quod acce„ dens ad elementum facit Sacramentum, non „ quia pronuntiatur, ſed quia creditur... Proin„ de neceſſe eſt ad Sacramenti rationem, ut alter „ alteri religioſe, ac in Domino jungatur, non „ tanquam auſpicaturi rem humanam, ſed ma„ gis divinam, quam non ipſi ſuis viribus, ſed „ in ipſis ſit operaturus, & effecturus Deus". En pietatis ſenſa, quæ in conjugatis ſupponens Eccleſia, illis benedicens, ſua precatione, & miniſterio confirmat. Ad 4. facile intelligitur, quare in hoc Sacramento admittantur Sacerdotes ſolum, ut Miniſtri ſolemnitatis, ſed neceſſarii non habeantur, ut Miniſtri Sacramenti, ſi attendatur Chriſtum non novum ritum in Sacramentum conſtituiſſe, & efformaſſe, ſed communem apud omnes nationes modum celebrandi Matrimonii, ſeu ipſum Matrimonium de præſenti celebratum ad Sacramenti perfectionem, & ſanctitatem extuliſſe. Sicut igitur in ipſo humano contractu efficientes contractum ſunt cauſæ, miniſtri, effectores ipſius contractus; ita & effecti ſunt Sacramenti in Evangelica Lege, ſi non more nationum, quæ ignorarunt Deum, & Chriſtum, merum officium naturæ celebrare intendant, ſed, ut mox diximus, cum pietate, fide, & religione alter alteri in Domino jungatur. Sicut itaque in Matrimonii civili contractu Tabelliones, Teſtes, immo & Judices adhibentur, non ad neceſſitatem, ſed ad ſolemnitatem contractus, quæ ſine culpa omitti non poteſt, ita Sacerdotes, & Teſtes in Eccleſia adhibentur, tanquam ex præcepto ipſius neceſſarii, non ad Sacramenti celebrationem, ſed ad ejus ſolemnitatem, & benedictionem. Et ex hoc patet ſolutio ad 5. & poſtremum argumentum. Sicut enim in civili contractu mutuam illam poteſtatem in propria corpora & tradunt, & accipiunt, & efficiunt, & conferunt, quin dicatur unum ſibi adminiſtrare contractum, aut duos eſſe Miniſtros, aut multiplicari Matrimonia, nec quæritur, an prior vir perficiat contractum, an mulier, ſed hæc omnia in unum coaleſcunt contractum: ita omnino in unum coadunantur Sacramentum. Unde, ut vidimus, D. Thom. rationem contractus a ratione Sacramenti non ſejungit, & poſito contractu rite celebrato, Sacramentum celebratum agnoſcit. Iterum audiatur in iv. diſt. 27. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 1. „ In omnibus Sa„ cramentis eſt aliqua ſpiritualis operatio, me„ diante naturali operatione, quæ eam ſignificat. „ Sicut per ablutionem corporalem in Baptiſmo fit „ ablutio interior ſpiritualis. Unde cum in Matri„ monio ſit quædam ſpiritualis conjunctio, in quan„ tum Matrimonium eſt Sacramentum, & aliqua „ materialis, ſecundum quod eſt officium natu„ ræ, & civilis vitæ, oportet, quod mediante ma„ teriali fiat ſpirituale virtute divina. Unde cum „ conjunctiones materialium contractuum fiant per „ mutuum conſenſum, oportet, quod hoc modo „ fiat Matrimonialis conjunctio".

CAPUT TERTUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Nec in Lege naturæ, nec in Lege ſcripta Matrimonium fuit Sacramentum.*

II. *Matrimonium aliquando eſt in præcepto.*

III. *Quo fine, & intentione ſit celebrandum Matrimonium.*

IV. *Ad eſſentiam Matrimonii non pertinet carnalis copula.*

V. *Matrimonium cum præcedente conditione excludente copulam nullum eſt.*

VI. *Peccant, qui Sacerdotalem benedictionem non accipiunt.*

VII. *Secundæ, & ulteriores nuptiæ ſunt Sacramentum.*

Conſectarium Primum.

I. NEC in Lege naturæ, nec in Lege ſcripta Matrimonium veram habuit Sacramenti perfectionem. Licet enim Matrimonium ſemper fuerit ſignum rei ſacræ, ſignificavit enim futuram aliquando inter Chriſtum, & Eccleſiam con-

junctionem; hanc tamen ſolum ſpeculative, & abſtracte repræſentabat, ſicut Agnus Paſchalis Chriſti immolationem, non tamen practice eam continebat, nec gratiam in anima operabatur; proinde veram rationem, & dignitatem non obtinebat Sacramenti. Hoc quidem inficiati ſunt nonnulli Theologi, Albertus Pighius, Petrus Soto, Catharinus, Maldonatus, & noviſſime Launojus. Sed ipſis communiter adverſantur Theologi cum S. Th. docente in IV. Diſtinct. 26. qu. 2. art. 2. „ Matrimonium inſtitutum fuiſſe in officium naturæ in ſtatu innocentiæ; deinde illi in ſtatu naturæ corruptæ additum fuiſſe, ut eſſet in remedium; & tandem in Lege nova a Chriſto inſtitutum fuiſſe in Sacramentum ". Concilia Florentinum, & Tridentinum ſeptem recenſent novæ Legis Sacramenta, inter quæ Matrimonium enumerant: & Tridentinum aperte definivit can. 1. ſeſſ. 24. Matrimonium eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem *Legis Evangelicæ* Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutum; & anathemate ferit negantes *omnia Sacramenta novæ legis* fuiſſe a J. C. D. N. inſtituta. Et revera ante Chriſti adventum nulli ritus, nulla Sacramenta gratiam conferebant ex opere operato, ut oſtendimus Diſſ. 1. de Sacram. cap. 1. & ſeq.

Conſectarium Secundum.

II. Licet nullum ſit de Matrimonio celebrando præceptum, contingere tamen poteſt, ut quis a Matrimonio ſine peccato abſtinere non poſſit. Hoc patet manifeſte ex ipſa Apoſtoli doctrina 1. ad Corinth. 7. de illis, quibus continentiæ conſilium capere datum non eſt: nimirum, *quod ſi ſe non continent, nubant; melius eſt enim nubere, quam uri.* Et rurſum, *bonum eſt homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.* Hinc & S. Auguſt. c. 17. de bono conjugali ſcribit: „ Homines, qui ſe non continent, tanquam aſcendunt in nuptias gradu honeſtatis ". Similiter contingere poteſt in Regibus, & Principibus, eorumque vel filiis, vel filiabus, ut ad Matrimonium celebrandum obſtringantur, ſi id poſtulet Religionis ſtudium, & publicæ pacis neceſſitas, & præſertim ſi ex Matrimonii omiſſione, aut Religioni, aut Reipublicæ periculum grave immineat. His addit D. Thom. tertium caſum, nimirum quando Filius non niſi ex dote per Matrimonium accepta Patrem egentem poteſt ſuſtentare. Sic enim ſcribit Quodl. 10. art. 19. in corp. „ Caſus propoſitus non videtur de facili poſſibilis: vix enim contingere poteſt, quod aliquis parentes ſuſtentare non poſſit abſque Matrimonii contractu, ſaltem manibus operando, vel mendicando. Si tamen hoc contingeret, eſſet idem judicium de virginitate ſervanda in illo articulo, & de aliis prefectionis operibus, ſicut eſt introitus in Religionem . . . . Si enim videt ſe poſſe in ſeculo converſari abſque peccato . . . & ſine ejus obſequio parentes nullo modo vivere poſſe, ſic eis tenetur ſervire; & alia opera perfectionis prætermittere, & peccaret eos dimittens ".

Conſectarium Tertium.

III. Non leviter peccant qui ob humanos affectus & fines ſolum, vel principaliter Matrimonium celebrant, contemptis vel non inſpectis finibus, ob quos Deus connubium inſtituit, & Chriſtus ſuo Sanguine ſanctificavit. Ita edocuit Tobiam Raphael Archangelus: *Oſtendam tibi* (inquit) *qui ſunt, quibus prævalere poteſt Dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem Dæmonium ſuper eos.* Confirmat Concil. Colon. 1536. celebratum cap. 12. docens: „ Monendi ſunt, qui Matrimonium contrahere affectant, ne alius affectus ipſos huc rapiat, ut ſit honorabile conjugium, ac cubile impollutum. Nam ſi neque ob prolem ſuſcipiendam, neque ob fornicationem vitandam, ſed potius divitiarum, aut opum nanciſcendarum, aut alterius rei gratia Matrimonium contrahatur, perperam, & graviter in Sacramentum peccatur „.

Conſectarium Quartum.

IV. Ad eſſentiam Matrimonii non pertinet carnalis copula. Ita paſſim docent Patres. S. Ambroſius lib. de Inſt. Virg. cap. 6. ſcribit: „ Non defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique, cum jungitur puella, conjugium eſt; non cum virili admixtione cognoſcitur ". Et revera inter Adamum, & Evam verum extitit conjugium in Paradiſo terreſtri, Deo ipſo jungente; nec tamen ulla tunc habita corporum commixtio, quæ ſolum poſt peccatum, & ejectionem a Paradiſo locum obtinuit. Idem docet & S. Thom. in IV. ad Annibal. diſtinct. 26. art. 3. ſcribens: „ Duplex eſt rei perfectio, ſcilicet prima, quæ pertinet ad eſſe rei, prout forma dicitur perfectio rei prima; & ſecunda, quæ pertinent ad operationem, prout operatio dicitur actus ſecundus; ut patet in 2. de Anima. Primo ergo modo carnalis copula non eſt de Matrimonii integritate, quia ſine hac Matrimonium habet eſſe perfectum ex ſua materia & forma: ſed ſecundo modo eſt de perfectione ipſius; nam carnalis copula eſt quidam Matrimonii uſus ". Hinc apparet, quomodo verum fuerit Matrimonium Deiparæ cum S. Joſepho, licet nullus interceſſerit uſus Matrimonii, vel voluntas utendi; ut optime docet S. Auguſtinus lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 11. n. 12. „ Quibus (ſcribit) placuerit ex conſenſu ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum abſtinere, abſit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; immo firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ carius, concordiuſque ſervanda ſunt, non voluptariis nexibus corporum, ſed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Conjux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus . . . Omne itaque nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides,

ſa-

„ ſacramentum, prolem cognovimus, ipſum Dominum Jeſum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium". Paria habet S. Thom. 3. p. qu. 24. ar. 2.

Conſectarium Quintum.

V. Matrimonium initum ſub præcedenti conditione illud non conſummandi, nullum eſt. Ita docet Sanct. Thom. hic q. 48. art. 1. in reſp. ad 3. ſcribens: „ Si mulier dicat viro, conſentio in te ſub conditione, quod non cognoſcas me, non eſt conſenſus Matrimonii: quia eſt ibi aliquid contra ſubſtantiam dicti contractus: quia illa conditio explicita non ſolum actui, ſed etiam poteſtati contrariatur copulæ carnalis; & ideo eſt contraria Matrimonio". Nam, ut docuit in corpore articuli: „ quod opponitur ſubſtantiæ Matrimonii, non eſt *non uti*, ſed *non poſſe uti*. Primum non tollit validitatem Matrimonii; alterum autem omnino tollit". Legatur Bened. XIV. de Synodo lib. 13. cap. 22. n. 10. & ſeq. Nec hoc officit valori Matrimonii B. Virginis cum S. Joſeph.; quia, ut docet Sanct. Thom. in IV. diſt. 30. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 2. ad 2. & 3. „ Beata Virgo, antequam contraheret cum Joſeph, fuit certificata divinitus, quod Joſeph in ſimili propoſito erat: & ideo non ſe commiſit periculo nubens. Nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit, quia illud propoſitum non fuit conditionaliter in conſenſu appoſitum: talis enim conditio cum ſit contra Matrimonii bonum (ſcilicet prolem procreandam) Matrimonium tolleret. Hinc dicendum, quod copula carnalis cecidit implicite ſub conſenſu Virginis, ſicut actus implicite continetur in potentia; potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur Virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipſius, niſi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in propoſito B. V. ſed erat jam certificata, quod actus nunquam ſequi deberet". Immo nec voto virginitatis, quod a Virgine emiſſum pro certo habet D. A. nihil obfuiſſe Matrimonium, „ quia, inquit, votum B. V. non fuit ſolemne, ſed ſimplex in corde expreſſum, nec abſolutum, ſed ſub conditione, ut in littera patet: & ideo potuit ſine peccato ex ſpeciali Spiritus S. conſilio, cujus diſpoſitio in illius votum conditionaliter cadebat, in Matrimonium conſentire".

Conſectarium Sextum.

VI. Quamvis ad Matrimonii Sacramentum non requiratur Sacerdotalis benedictio; qui tamen ſine illa celebrat Matrimonium, gratiam non recipit Sacramenti: immo contingere poſſe puto, ut nec Sacramentum conficiat, ſed merum contractum. Primæ partis ratio eſt manifeſta: nam præſentia Parochi pertinet ad valorem Matrimonii, quatenus contractus eſt, modo poſt Tridentinum, ut ſuo loco dicemus, & omnibus compertum eſt: at requiritur ejus benedictio de præcepto Eccleſiæ, ut patet ex tot teſtimoniis Sanctorum Patrum, quæ attulimus cap. præced. n. 3. ex quibus certo ſaltem conſtat, nuptialem benedictionem, ſiri ad eſſentiam Sacramenti, ſaltem de præcepto eſſe adhibendam. Loquor autem de illa benedictione, quæ a Tridentino ſtatuitur, & per illa verba perficitur, *conjungo vos* &c. nam de benedictione ſolemni in Eccleſia cum Miſſa pro ſponſo, & ſponſa ſuo loco dicemus. Qui itaque hanc benedictionem omittit, graviter peccat, Eccleſiæ præceptum in re gravi violando; proinde ſacrilegium committit, quod gratiæ conſecutionem impedit. Quod certe contingit in illis, qui inopinato, vel accito, vel adito Parocho paratis jam duobus teſtibus coram eo invito, & reluctante mutuum conſenſum in conjugium exprimunt, & ſtatim ſe ſubducunt; quippe qui & aliud crimen graviſſimi ſcandali crimini addunt. Et de iſtis dico non Sacramentum celebrare, ſed ſolum civilem contractum; quandoquidem ad Sacramentum vel miniſtrandum, vel recipiendum intentio requiritur faciendi, quod facit Eccleſia. At iſti de hoc nec quidem cogitant; ſed unice ad carnalem copulam reſpiciunt, quam ſtatim tanquam conjuges ſibi licitam putant, & cui confeſtim, vel data quam proxime opportunitate, impudentiſſime vacant. Profecto hi ſunt, de quibus ajebat Angelus ad Tobiam, *qui Deum a ſua mente excludunt, & libidini ſolum attendunt*, in quibus proinde non Deus, non Sacramentum, non gratia, ſed ſolus *Diabulus* habet poteſtatem. Quomodo enim in iſtis eſſe poteſt illud verbum Sacramentale, cui fides in Deum accedit, & per quod unus alteri religioſe, ac in Domino jungitur, non tanquam auſpicaturi rem humanam, ſed divinam, quam non ipſi ſuis viribus, ſed in ipſis ſit operaturus Deus?" Peccant igitur graviſſime & gratiam Sacramenti non recipiunt: immo merito dubitatur, num & Sacramentum conficiant; quod tamen eorum iniquitatem non excuſat, ſed auget: tenentur enim tanquam chriſtiani Matrimonium, non ut infideles, celebrare, ſed juxta Chriſti, & Eccleſiæ inſtitutionem, proinde illud profanant, ſive conficiant, ſive non conficiant; conficiendo, quia ſacrilegium committunt; non conficiendo, quia ſacrilege omittunt. Nec credi poteſt intentionem conficiendi Sacramentum ſaltem implicite contineri in præſentia Sacerdotis, & Parochi, quam requirunt. Nam illum non tanquam Miniſtrum Eccleſiæ, & Dei Sacerdotem reſpiciunt, ſed tanquam tertiam perſonam omnino ad valorem contractus requiſitam. Quamobrem nec ejus conſenſum, nec ejus approbationem, nec benedictionem expectant, & ſatis illis eſt, quod verba audierit; licet ille hujuſmodi ſponſis nonniſi objurgationibus, minis, & reprehenſionibus reſpondeat, & fuſte a ſe repellat. Si has doctrinas certe, & unice veras & docerent Parochi, & tenerent Confeſſarii, non tot celebrarentur clandeſtina Matrimonia, quæ & ab ipſa laica poteſtate reprobantur, & ſevere puniuntur.

Conſectarium Septimum.

VII. Secundæ, & ulteriores nuptiæ ſunt Sacramenta, licet ſolemnis aliquando illarum benedictio non detur. Ita omnes communiter Theologi D. Thom. ſequentes, qui in IV. ſent. diſt. 42. q. 3. a. 2. in corp. docet: „ Ubicumque inveniuntur illa, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, illud eſt verum Sacramentum. Unde cum in ſecun-

„ cundis nuptiis inveniantur omnia, quæ ſunt de „ eſſentia Sacramenti, quia debita materia, quam „ facit perſonarum legitimitas, & debita forma, „ ſcilicet expreſſio conſenſus interioris per verba, „ conſtat, quod ſecundum Matrimonium eſt Sacra- „ mentum, ſicut primum . . . . Sed quia habet a- „ liquid de defectu Sacramenti, quia non habet „ plenam ſignificationem, cum non ſit una unius, „ ſicut eſt in Matrimonio Chriſti, & Eccleſiæ, ra- „ tione hujus defectus benedictio in ſecundis nu- „ ptiis ſubtrahitur. Sed hoc eſt intelligendum, „ quando ſecundæ nuptiæ ſunt ſecundæ ex parte „ viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulie- „ ris tantum. Si enim virgo contrahat cum illo, „ qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiæ „ benedicuntur. Salvatur enim aliquo modo ſi- „ gnificatio etiam in ordine ad primas nuptias: „ quia Chriſtus etſi unam Eccleſiam Sponſam ha- „ bet, habet tamen plures perſonas deſponſatas in „ una Eccleſia “.

CAPUT QUARTUM.

De Subjecto Sacramenti Matrimonii.

DOCTRINA.

I. *Quinam generaliter a Matrimonio repellantur.*
II. *Matrimonium ante pubertatem celebratum nullum eſt.*
III. *Matrimonia inter abſentes per Procuratorem celebrata licita, & valida.*
IV. *Cum hæreticis valida, ſed illicita.*
V. *Sicut & celebrata invitis parentibus.*
VI. *Quando amentes contrahere non poſſint.*

I. OMnes illi a Matrimonio repelluntur, qui ad ſponſalia vel licite, vel valide celebranda minime idonei reputantur. Non tamen omnes, quibus conceſſum eſt ſponſalia inire, & conceſſum Matrimonium: proinde de his hic ſpecialiter agendum eſt.

II. Et primo Matrimonium nec valide, nec licite celebrant, qui pubertatem nondum ſunt aſſecuti. Hinc contrahere non poſſunt mares ante annum quartumdecimum; nec fœminæ ante duodecimum. Et quidem invalide contrahi ab impuberibus Matrimonium oſtendit D. Thom. in IV. diſt. 36. q. 1. art. 5. ſcribens: „ Matrimonium, cum „ fiat per modum contractus cujuſdam, ordinatio- „ ni legis poſitivæ ſubjacet, ſicut & alii contra- „ ctus. Unde ſecundum jura determinatum eſt, „ quod ante illud tempus diſcretionis, quo uter- „ que poſſit de Matrimonio ſufficienter deliberare, „ & debitum ſibi invicem reddere, Matrimonia „ non contrahantur; &, ſi non ita facta fuerint, „ dirimuntur “. Hoc autem tempus, ut in pluribus, advenit maſculis in quarto decimo anno, in fœminis autem duodecimo anno. Hujus autem in ætate diſparitatis rationem reddit S. D. ſubdens: „ In tempore contractus Matrimonii non ſo- „ lum requiritur diſpoſitio ex parte uſus rationis, „ ſed etiam ex parte corporis, ut ſit tempus ge- „ nerationi aptum: & quia puella in duodecimo „ anno ad hoc venit, ut poſſit eſſe actu genera- „ tioni apta, puer autem in fine ſecundi ſepten- „ nii; ſimul autem uſum diſcretionis accipiunt: i- „ deo in ſponſalibus determinatur unum tempus u- „ trique, non autem in Matrimonio “. Animadvertit tamen D. A. quoad validitatem aliquando malitiam ſupplere poſſe ætatem, eamque prævenire. Quare ſubdit: „ Quia tamen præcepta juris poſiti- „ vi ſequuntur id, quod eſt in pluribus, ſi ali- „ quis ad perfectionem debitam ante tempus præ- „ dictum perveniat, ita quod vigor naturæ, & ra- „ tionis defectum ætatis ſuppleat, Matrimonium „ non diſſolvitur: & ideo ſi contrahentes ante an- „ nos pubertatis carnaliter ante tempus prædictum fuerint copulati, nihilominus Matrimonium ſtat indiſſolubile, ut declaravit Pontifex Cap. *de illis* 9. de diſpen. impuber. „ Si ita fuerint ætati proxi- „ mi, quod potuerint copula carnali conjungi, mi- „ noris ætatis intuitu ſeparari non debent, ſi unus „ in alterum viſus fuerit conſenſiſſe, cum in eis „ ætatem ſuppleviſſe malitia videatur “. Quoad licitum vero, manifeſte conſtat eſſe legibus Eccleſiæ vetitum, Matrimonium ante præfatam ætatem attentare, ut conſtat Cap. 11. de Diſpenſ. impub. ubi ſtatuitur: „ Diſtrictius inhibe- „ mus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad „ ætatem legibus, vel canonibus determinatam non „ pervenerit, conjungantur; niſi forte aliqua ur- „ gentiſſima neceſſitate interveniente, utpote pro „ bono pacis, talis conjunctio toleretur “. In qua Decretali certum eſt ſermonem eſſe de Matrimonio, non de ſponſalibus, cum non de promiſſione ſermo ſit, ſed de conjunctione, & de conjunctione quidem, non per copulam carnalem, quæ in Matrimonio nullo nunquam concedi poteſt, quacumque urgentiſſima ratione; ſed de conjunctione per celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ, quam ſub gravi interdicit Pontifex, & ſolum tolerandam dicit ob urgentiſſimam neceſſitatem, dilata tamen conſummatione Matrimonii ad tempus a jure conſtitutum.

III. Inter abſentes validum celebrari poteſt Matrimonium, non tamen per epiſtolam, ſed per Procuratorem: ſed, num ſit Sacramentum, ambigitur. Et quidem validum eſſe conſtat ex jure canonico in Cap. *Finali* de Procuratore in 6. ubi & conditiones enumerantur in Procuratore requiſitæ. Et docet S. Thom. in IV. Diſt. 29. ſcribens: „ „ Poteſt aliquis alterum procuratorem conſtitue- „ re ad conſentiendum .... & ex quo conſenſus „ per internuntium factus eſt, Matrimonium te- „ net, ac ſi ipſe feciſſet “. Nec quis ſuſpicetur olim quidem id fuiſſe conceſſum, quando ante Tridentini Decretum valida erant Matrimonia ſine Parocho, & teſtibus celebrata; modo vero non licere, cum ſtatutum ſit, ut contrahentes coram Parocho conſenſum ſuum aperiant, quod profecto per Procuratorem non ſervari videtur. Nam & modo ea valida reputari ab Eccleſia, oſtendit Bened. XIV. de Synodo lib. 13. cap. 23. num. 9. ex praxi hodierna, quæ ab Eccleſia minime reprobatur: nam non infrequenter, præſertim inter Principes, per Procuratorem Matrimonia celebrantur. Et merito: ſi enim ceteri contractus tali pacto valent iniri; cur non & Matrimonium, cui nihil deeſt ad validum contractum, cum utriuſque partis adſit conſenſus, & hic juxta Eccleſiæ ſtatuta coram Parocho, & teſtibus præſtetur? Num vero ſit Sacramentum merito ambigitur: nam cum ad Sacramentum recipientis requi-

quirantur diſpoſitiones, hæ deeſſe poſſunt, dum celebratur Matrimonium: proinde merito Thelogi, & laudatus Pontifex conſulunt, ut qui per Procuratorem conjuncti ſunt, iterum coram Parocho, & teſtibus ſuum præſtent conſenſum, non quidem ob neceſſitatem, ſed ad majorem utilitatem, & cautelam. Magis vero dubitatur, num validum ſit Matrimonium per Epiſtolas celebratum: & probabilius videtur non valere, nec ratione contractus: tum quia plane inuſitatus eſt modus iſte celebrandi Matrimonium in Eccleſia per litteras; tum quia utriuſque partis difficilius ſociatur conſenſus, quam per Procuratorem; hic enim & alterius conſenſum accipere poteſt, & ſuum pro alio præſtare; quod epiſtola efficere non valet. Nec dicas poſſe in una eademque epiſtola & proprium exhibere ſponſum conſenſum, & ſponſæ conſenſum acceptare. Nam adhuc hæc acceptatio, prævia cum ſit ipſi ſponſæ conſenſui, non ſimul adeſt cum alterius conſenſu; proinde aleæ plenum eſſet hoc Matrimonium, & probablius Sacramenti careret dignitate.

IV. Matrimonium inter Catholicos, & hæreticos validum eſt, ſed illicitum, ſi tamen cetera non deſint requiſita. Et quidem validum eſſe nullus dubitat, cum nullo jure invalidum declaretur; & cultus diſparitas, quæ impedimentum dirimens eſt, ut ſuo loco dicemus, ſolum habetur inter Baptiſmate carentes. Ita S. Th. in IV. Diſt. 30. q. 1. art. 1. ad 5. „ fidelis cum hæretica baptizata Matrimonium contrahit, verum eſt Matrimonium, quamvis peccet contrahendo, ſi ſciat eam hæreticam, ſicut peccaret, ſi cum excommunicato contraheret; non tamen propter hoc Matrimonium dirimeretur “. At illicitum eſſe plura oſtendunt. Et 1. quidem pluribus Eccleſiæ canonibus interdicta ſunt hujuſmodi Matrimonia. Canone 14. Conc. Chalced. ſic ſtatuitur: „ Neque copulari debet nuptura hæretico, aut Judæo, vel Pagano, niſi forte promittat ad orthodoxam fidem ſe per orthodoxæ perſonæ copulam transferre “. Et Laodicenum „ Non oportet cum hæreticis univerſis nuptiarum fœdera celebrare, aut eis filios dare, aut filias, ſed magis accipere: ſi tamen chriſtianos ſe fieri promittant “. 2. Illicitum, quia Catholicus periculo ſe exponit peccandi, nimirum quod ab hæretico ſeducatur, & irriſionibus avertatur a Sacramentali confeſſione, a jejuniis, a Sanctorum cultu, & filios pariat hæreſi, non Chriſto. 3. Quia Matrimonium celebrando, quod eſt unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, in divinis cum hæretico communicat: nam vel cum hæretico conficit, ſi vera eſt D. Thom. ſententia, ipſos contrahentes eſſe hujus Sacramenti Miniſtros; vel ſaltem cum illo recipit, quando in locis, ubi vigent Concili Tridentini Decreta, coram Parocho & teſtibus celebrat. Legatur Bened. XIV. de Syn. lib. *6.* cap. 5. n. 2. & ſeq.

V. Matrimonia celebrata a Filiis Familias inſciis, & invitis parentibus valida ſunt, ſed illicita. Et quidem eorum valorem confirmavit Tridentina Synodus, dum eos damnat, qui falſo affirmant, Matrimonia a filiis familias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe. Nam ut docet S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. „ Tenetur homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus ſunt agenda, in quibus tamen ſecundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, ſed ſolum Deo; quia omnes homines natura ſunt pares; puta in his quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem. Unde non tenentur nec ſervi dominis, nec filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel de Virginitate ſervanda, aut aliquo alio hujuſmodi “. Illicita autem eſſe hujuſmodi Matrimonia luculenter oſtendimus Diſſert. præced. de ſponſ. cap. 3. & 7. ubi omni argumentorum genere oſtendimus, ſponſalia inſciis, vel invitis parentibus illicita eſſe: quod profecto multo magis erit de Matrimonio dicendum; cum quod damnabile eſt, & parentibus odioſum, reverentiæ, & honori illis debito contrarium, maxime ſit ipſum Matrimonium, quod aliquando celebrandum promittitur; ſi enim ſponſaliorum promiſſio nunquam foret implenda, vel minus conquererentur parentes, vel omnino non conquererentur. Accedit, quod inquit Tridentina Synodus, nimirum hujuſmodi Matrimonia Dei Eccleſiam juſtiſſimis de cauſis *ſemper eſſe deteſtatam, & prohibuiſſe*: quæ verba clare indicant, hujuſmodi Matrimonia tanquam illicita, & ſacrilega ab Eccleſia habita fuiſſe. Recolantur dicta loco laud. nec non Tract. de IV. Decalog. Præc. Cap. 2. n. 3. Num vero contingere poſſit in aliquo caſu, ut Matrimonia filiorum familias, celebrata inſciis parentibus, nedum valida, ſed & licita ſint, diximus laud. Diſſert. de ſponſalibus cap. 8. conſect. 8.

VI. Amentes, qui perpetua laborant inſania, nullo modo Matrimonium contrahere poſſunt; ſi vero lucidis gaudeant intervallis, valide Matrimonium contrahunt at illicite. Primæ partis ratio eſt manifeſta: quia legitimum ad Matrimonium conſenſum adhibere non valent, ſine quo Matrimonium non poteſt conſiſtere. Alteram vero partem docet S. Thom. in IV. Diſt. 34. quæſt. un. ubi dicit non eſſe tutum hos contrahere, cum prolem educare non poſſint. Cui aſſentitur & D. Bonaventura, qui aſſerit, hunc non debere contrahere propter periculum. Immo Sotus, & Ledeſma aliam addunt rationem: quia, inquiunt, injuria aliqua Sacramento irrogatur; proinde hujuſmodi Matrimonia Paſtores impedire, quantum poſſunt, debent. Nec obſtat, quod educationi prolis ſatis conſultum videatur per alios ſanguine, vel affinitate conjunctos: tum quia educatio prolis ad ipſos pertinet parentes; tum quia ab aliis minime ea, qua opus eſt, attentione, & vigilantia præſtatur, præſertim quando parentes invigilare educationi ab alio præſtitæ non valent.

CAPUT QUINTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Conditiones Procuratoris, ut valide pro alio Matrimonium celebret.*

II. *Conſenſus Mandantis præſens tempore celebrati per Procuratorem Matrimonii ſufficit ad valorem illius.*

III. *Num aliquando licitum eſſe poſſit Matrimonium inter Catholicos, & Hæreticos?*

Con-

Conſectarium Primum.

I. PLures requirunt in Procuratore conditiones, ut Matrimonium alterius nomine valide contrahat. Et 1. ut ſpeciale habeat mandatum; ſicut ſtatuitur cap. *Finali* de Procur. in *6.* quamobrem qui etiam generale obtineret mandatum ad omnia alterius negotia peragenda, niſi tamen expreſſa Matrimonii mentio fiat, valide non contraheret. 2. Non ſufficit, ut ſit datum ſpeciale etiam de Matrimonio contrahendo mandatum; ſed oportet, ut ſit de determinata perſona in Matrimonium aſſumenda. Nam Leg. 34. ff. de ritu nupt. ſtatuitur. „ Generali mandato quærendi mariti filiæ-familias non fieri nuptias rationis eſt “. Et merito: nam in Matrimonio non conſenſus vagus, & indeterminatus ſufficit, ſed requiritur determinatus, & ſpecialis; cum nihil ſit volitum, quin præcognitum. Quod ſi mandatum litteris datum, ſit quidem generale, & oretenus datum ſpeciale circa determinatam perſonam, puto ſufficere ad validum Matrimonium; cum legitimus habeatur conſenſus, qui æqualiter & per verba exprimitur, & per ſcripturam, Nihilominus cordati Procuratoris eſſet, & illud in ſcriptis poſtulare. 3. Ut per ſe ipſum Procurator Matrimonium celebret; nec alium poteſt ſubſtituere, ut declaravit Bonif. VIII. ſic ſtatuens: „ In hoc caſu „ (Matrimonii) propter magnum, quod ex facto tam arduo poteſt periculum imminere, non „ poterit deputare alium, niſi hoc eidem ſpecialiter ſit commiſſum “. 4. Ne ſit a domino revocatum mandatum. Nam quocumque modo facta revocatione, licet Procuratori ignota, nullum eſt ſubſequens Matrimonium, cum neceſſarius deſit conſenſus. 5. Ne fines mandati excedat. Quare ſi in mandatis ſit, ut dotem exigat, vel abſolutæ, vel determinatæ quantitatis: nullum eſſet Matrimonium, ſi vel ſponſam acciperet ſine dote, vel minore conſtituta. Quod ſi conditio appoſita ſit turpis, licet non contra ſubſtantiam Matrimonii, quamvis Procurator eam non exigat, puto valere Matrimonium; quia, ut mox dicemus, per ipſum contrahentem adjecta Matrimonium non impediret, & ceu non appoſita haberetur. Quare idem valere dicendum & de Procuratore, qui eam non apponendo, quod juris eſt, exequitur. Si conditio vero ſit de contrahendo Matrimonio juxta Tridentina ſtatuta, valet Matrimonium, licet omittantur denuntiationes ex licentia Epiſcopi, vel etiam non obtenta diſpenſatione: nam quoties in commiſſione forma juris communis exprimitur, ſolum obligat eo modo, quo juri communi ineſt, nec novam inducit obligationem. 6. Licet abſolute Procurator inſtitui poſſit per ſola verba; nihilominus communiter leges decernunt, ut per publicam ſcripturam conſtituatur; quod certe in tam gravi negotio omittendum non eſt. 7. Si qui per Procuratorem contrahunt, privatæ perſonæ ſint, non Reges, & Principes, Parocho oſtendere debent mandati tabulas, nec niſi eis inſpectis, & ponderatis Matrimonium celebrare poſſunt. Nam cum ex Concilio Tridentino contrahentium conſenſus explorare, & recipere debeat, & non niſi eo intellecto in Matrimonio ſociare, niſi mandati tabulis inſpectis, hujuſmodi conſenſum nec explorare, nec recognoſcere, nec recipere poteſt, proinde nec Matrimonium celebrare: quod & de teſtibus, qui Matrimonio aſſiſtunt, intelligendum eſt; cum de re ſibi incomperta ſine crimine publice, & in faciem Eccleſiæ teſtari minime poſſint. Aliter tamen ſentiendum de Regibus, & Principibus quorum Matrimonia per Procuratorem celebranda, jam publica, & indubitata fama innoteſcunt.

Conſectarium Secundum.

II. Qui Procuratori ad Matrimonium celebrandum conſenſum fictum præbuit, ſi poſtea voluntate mutata verum apponat conſenſum, qui adſit tempore celebrati per Procuratorem Matrimonii, hoc validum probabilius puto: nam Procuratoris verba ſignum ſunt interni conſenſus in Mandante tunc exiſtentis: & licet in mandato non appareat, niſi conſenſus præteritus, hic tamen ſemper ſupponitur perſeverans uſque ad tempus celebrati Matrimonii: alioquin, niſi hæc perſeverantia ſupponeretur, nihil valeret datum Procuratori mandatum. Quando igitur celebratur Matrimonium, & verus adeſt mandantis conſenſus, & illius exterius ſignum habetur per Procuratorem, nihil deeſt ad validum Matrimonium.

Conſectarium Tertium.

III. Matrimonium Catholici, vel Catholicæ cum hæretico vel hæretica non ita illicitum eſt, ut in aliquo caſu licitum fieri non poſſit, accedente Pontificis diſpenſatione. Duplici ex capite diximus hujuſmodi Matrimonia illicita; 1. ex Eccleſiæ interdicto: & hoc impedimentum auferri poteſt ex diſpenſatione Pontificis, illam ob maximum Eccleſiæ bonum concedentis; ut revera conceſſere Summi Pontifices Clemens VIII. & Urbanus VIII. 2. Ob periculum ſeductionis: at hoc avertere non eſt difficile, ſi, ut optime animadvertit Lambertinus de Syn. lib. 9. cap. 3. n. 6. eæ apponantur conditiones, ſine quibus diſpenſatio minime conceditur, quæ & periculum ſubverſionis avertant, & opportune caveant, ut ſancta Religio in liberis, ſive maribus ſive fœminis ex Matrimonio ſuſcipiendis ſervetur: & præterea onus imponitur perſonæ Catholicæ curandi, ut hæreticam partem ad orthodoxam Religionem amplectendam perducat. His igitur poſitis, jam totum illud tollitur, quod hocce Matrimonium inficiendo illicitum reddebat: fiet ergo licitum. Nec obſtat partem catholicam occaſionem præbere, vel cooperari parti hæreticæ ad profanationem Sacramenti. Nam hæc profanatio tota pendet ex malitia partis hæreticæ, quæ, ſi vellet, poſſet legitime celebrare Matrimonium ad gremium revertendo Eccleſiæ Catholicæ. Et revera ex hoc capite minime damnatas legimus plures ſanctas mulieres, quæ viris nedum hæreticis, ſed infidelibus nupſerunt, ut conſtat de S. Cæcilia cum Valeriano idolatra, de S. Anaſtaſia cum Publio, & S. Monica D. Auguſtini matre cum Patricio Ethnico, quas tamen de profanato Sacramento nunquam Epiſcopi, vel Pontifices, quibus hujuſmo-

juſmodi Matrimonia comperta erant, accuſarunt. Hinc non immerito Baſilius Pontius temeritatis redarguit aſſerentes, Matrimonium inter Catholicos, & Hæreticos nunquam fieri poſſe licitum, etiam accedente Pontificia diſpenſatione, & graviſſimis urgentibus cauſis, bonum commune vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ reſpicientibus. Legatur laud. Lambertinus loc. cit. Qui & cum Baſilio Pontio rectius judicat, hujuſmodi Matrimoniis Sacerdotalem benedictionem impertiendam non eſſe, nec Miſſam in præſentia hæretici celebrari debere, nec Matrimonium ipſum intra Eccleſiæ ambitum contrahi; quia nihil horum ad eorum validitatem intervenire neceſſe eſt; lib. 3. cap. 5. n. 5. Legatur etiam ejus Bulla *Magnæ nobis*. In Bull. T. 2. n. 51.

CAPUT SEXTUM.

De Conſenſu ad Matrimonium requiſito.

DOCTRINA.

I. *Generales conſenſus in Matrimonio conditiones enumerantur.*
II. *Conſenſus debet eſſe verus.*
III. *Quem apponere tenentur, qui ficte contraxere.*
IV. *Num ab hoc onere aliquando liberari poſſint.*
V. *Et quando.*
VI. *Interior conſenſus eſt exterius manifeſtandus verbis, aut ſignis.*
VII. *Metus aliquando tollit valorem Matrimonii.*
VIII. *Quando id præſtet.*
IX. *Quando non tollat.*
X. *Metus levis, vel reverentialis valorem non tollit Matrimonii.*

I. EX his, quæ diximus tum in Tr. de Contract. Diſſert. 1. Capp. 3. & 4. tum Diſſert. præced. de Sponſalibus Cap. 3. conſtat 1. conſenſum ad Matrimonium ita requiri, ut ſine ipſo nonniſi de abſoluta Dei omnipotentia fieri poſſit Matrimonium. 2. Conſenſum eſſe debere internum, & quidem verum, ſincerum, & ex animo, ac voluntate. 3. Externum quoque, & manifeſtum alteri ſive per verba, ſive per ſigna idonea, & apta ad internum conſenſum aperiendum. 4. Non eſſe debere coactum, ſeu vi & metu extortum. 5. Poſſe aliquibus conditionibus circumſcribi. Solum itaque aliqua hic erunt addenda, quæ præfatas doctrinas matrimonio adoptent.

II. In matrimonio interior conſenſus eſſe debet verus, & ex animo, quo deficiente nullum eſt matrimonium. Ita Sanct. Thom. in IV. Sent. diſt. 27. q. 1. art. 2. quæſtincula 4. docet: „ Sicut ſe „ habet ablutio exterior ad Baptiſmum; ita ſe ha„ bet expreſſio verborum ad hoc Sacramentum. „ Unde ſicut ſi aliquis ablutionem exteriorem re„ ciperet, non intendens accipere Sacramentum, „ ſed ludum & dolum facere, non eſſet baptiza„ tus; ita expreſſio verborum ſine interiori conſen„ ſu matrimonium non facit “. Hinc infert ad 1. „ Defectum conſenſus patrocinari in foro conſcien„ tiæ, ut non adſtringatur vinculo matrimonii; „ quamvis non in foro Eccleſiæ, in quo judica„ tur ſecundum allegata. At dolo in hoc ficto „ contractu adhibito non patrocinari nec in foro in„ terno, nec in foro Eccleſiæ, quia in utroque „ punitur “.

III. Qui ficte hoc pacto matrimonium celebravit, tenetur & de dolo pœnitere, & verum conſenſum apponere, tum ad reſarciendam injuriam alteri parti illatam, quæ non alio modo ad æqualitatem ſarciri poteſt, niſi legitimum apponendo conſenſum; tum ad vitandum perpetuum concubinatum, quod locum matrimonii obtineret; tum quia hujuſmodi ſimulatores audiri non debent, dum deficientiam conſenſus ad matrimonium diſrumpendum allegant: alioquin nunquam certa, & firma eſſent in Republica, & Eccleſia, etiam ſolemniter celebrata matrimonia, non ſine magna familiarum perturbatione, & chriſtiani populi ſcandalo.

IV. Num autem contingere poſſit, ut doloſus contrahens non teneatur conſenſum apponere, & matrimonium confirmare, ſed alia via illatam injuriam, & damna compenſare poſſit, diſputant Theologi. Et quidem certum eſt ex S. Thom. illum, qui ficte cum una contraxit, & deinde vere, & ſincere cum alia matrimonium celebravit, non teneri ad priorem accedere, ſed in matrimonio cum poſteriore perſeverare; quia primum nullum fuit: alterum vero omnino validum. Quapropter ſi ab Eccleſia, quæ de exterioribus judicat, cogeretur ad priorem reverti: parere non deberet. Audiatur D. Thom. hic q. 45. art. 4. ad 2. „ Si deſit „ conſenſus mentalis ex parte unius, ex neutra „ parte eſt matrimonium; quia matrimonium con„ ſiſtit in mutua conjunctione . . . . . Et ad 3. „ Quod ſi Eccleſia compellit eum ad ſtandum cum „ prima uxore; quia ſecundum ea judicat, quæ „ foris apparent; nec decipitur in juſtitia, ſive „ jure, quamvis decipiatur in facto: ille debet „ potius excommunicationem ſuſtinere, quam ad „ primam uxorem accedat; vel debet in alias re„ giones remotius fugere “.

V. Si vero talia apparuerint ficti conſenſus prævia argumenta, ex quibus ſuſpicari poterat mulier de fraude, & dolo, puta quia maxima eſt inter eos diſparitas, vel magnæ erant ſecuturæ inimicitiæ; tunc dicunt nonnulli Theologi dirimi poſſe matrimonium, ſeu non teneri ad verum apponendum conſenſum; quippe quia mulier non decepta fuit, ſed decipi voluit. Verum 1. hæc & expendimus in præced. diſput. de Sponſalibus, & inibi datæ doctrinæ præſenti ſunt argumento aptandæ. 2. Dicimus dolos, & fraudes difficilius locum habere in matrimonio, quam in ſponſalibus; cum hæc clandeſtina eſſe poſſint, illa vero valida non ſint, niſi in faciem Eccleſiæ celebrentur. Hinc Sanct. Thom. dolos, & fraudes admittit in matrimoniis clandeſtinis, ſuo ævo toleratis, in quibus ſi ſponſalibus jungebatur copula, celebratum habebatur matrimonium: „ quia, inquit, nihil poteſt „ expreſſius ſignificare conſenſum, quam carnalis „ copula; ideo ſecundum judicium Eccleſiæ, car„ nalis copula conſequens ſponſalia, matrimonium „ facere judicatur, niſi aliqua ſigna expreſſa doli, „ vel fraudis appareant “. 3. Orta lite, & contentione de valore matrimonii, res jam eſt ad exterius forum deducta; eapropter expectanda Judicis ſententia: & tunc ſatis eſſe debebit Confeſſario, exigere a Pœnitente animum paratum ad acquieſcendum ſententiæ, & ad litem ſine dolo, fraude, cavillationibus tractandam. 4. Si vero inter-

interrogetur, num expediat bono, & quieti Pœnitentis deceptoris litem movere, vel potius acquieſcere, & verum conſenſum apponere; regulam ſervare debebit, quam dedimus præced. Diſſert. cap. 2. conſ. 5. nimirum, ſi nullum aliud obveniat ipſi damnum, niſi pari carere matrimonio, & cum inferioris conditionis muliere conſociari, tenetur deceptor matrimonium ratum habere; cum longe majus ſit damnum, & gravior injuria illata Eccleſiæ, & Sacramento, quam detrimentum, quod ipſe ſubit. Si vero non de ſolo ſuo agatur damno, ſed de alieno etiam, ſive familiæ, cui dedecus infert, ſive Reipublicæ, cui inutilis efficitur, vel magnæ prævideantur orituræ ex matrimonii confirmatione lites, contentiones, ſcandala; poterit litem ſuſtinere, & judicis expectare ſententiam, cui acquieſcere poterit, & tenebitur.

VI. Interiori conſenſioni eſt exterior addendus conſenſus, quidem per verba de præſenti. Nam inquit D. Thom. hic q. 45. art. 2. „ Conjunctio „ matrimonialis fit ad modum obligationis in con„ tractibus materialibus. Et quia materiales con„ tractus non poſſunt fieri, niſi ſibi invicem volun„ tatem ſuam verbis promant, qui contrahunt; „ ideo etiam oportet, quod conſenſus matrimonium „ faciens verbis exprimatur, ut expreſſio verborum „ ſe habeat ad matrimonium, ſicut ablutio exte„ rior ad Baptiſmum “. Hinc qui loqui poſſunt, verbis ſuum conſenſum manifeſtare debent, licet ſufficere poſſint nutus, & ſigna, immo ſufficiat aliquando ipſum verecundæ puellæ ſilentium, ut docet idem A. P. in reſp. ad 3. ſcribens: „ Eos, „ qui conjunguntur, ſic oportet conſentire, ut in„ vicem ſe ſpontanee recipiant; quod judicatur „ fieri, ſi in deſponſatione non contradicant. Un„ de verba parentum computantur in caſu illo, „ ac ſi eſſent puellæ. Sunt enim ſufficiens ſignum, „ quod ſunt ejus, ex quo non contradicit “. Quam doctrinam adoptavit & Catechiſmus Tridentini Concilii dicens. „ Verborum loco tum nutus, „ & ſigna, quæ internum conſenſum aperiunt, ſa„ tis ad matrimonium eſſe poſſunt; tum etiam i„ pſa taciturnitas, cum puella propter verecun„ diam non reſpondet, ſed pro ea parentes lo„ quuntur “. Conſenſus vero per verba manifeſtatus ſit, oportet, ut inquiunt, *de præſenti*: quia, inquit Sanct. Thom. art. 3. „ Cauſæ ſacramenta„ les ſignificando efficiunt; unde hoc efficiunt, „ quod ſignificant. Quia ergo cum aliquis con„ ſenſum ſuum per verba de futuro exprimit, non „ ſignificat ſe facere matrimonium, ſed promittit „ ſe facturum; ideo talis expreſſio conſenſus non „ facit matrimonium “. Et ad 2. „ Etiam in „ aliis contractibus, qui verbis futuris utitur, non „ transfert poteſtatem rei ſuæ in alterum; ut ſi „ dicat *dabo tibi*: ſed ſolum quando verbis præ„ ſentibus utitur “.

VII. Validitatem conſenſus aufert coactio, ideſt vis illa, quæ non abſolutam neceſſitatem inducit, cum hæc in actibus voluntatis locum habere non poſſit; „ ſed quæ, inquit S. D. facit neceſſitatem „ conditionatam, ſicut cum quis projicit merces „ in mare, ne periclitetur: quare in matrimonio „ non alia eſt coactio, niſi quæ ex metu proce„ dit “. Metus itaque cadens in conſtantem virum, ſicut ceteros omnes contractus, ita & matrimonium nullum efficit, juxta ea quæ diximus in Tract. de Contr. diſſ. 1. cap. 4. ubi plures dedimus regulas matrimonio aptandas: quibus addenda etiam dicta præced. diſp. de Sponſalibus ex metu celebratis.

VIII. Hinc metus injuſte incuſſus ad extorquendum conſenſum, nullum efficit matrimonium, licet juramento firmatum. Ita enim ſtatuit Alexand. III. Cap. *Cum locum* de Sponſalibus: „ Cum „ locum non habet conſenſus, ubi metus, vel „ coactio intercedit, neceſſe eſt, ut ubi aſſenſus „ cujuſdam requiritur, coactionis materia repel„ latur. Matrimonium vero ſolo conſenſu con„ trahitur; & ubi de illo quæritur, plena debet ſe„ curitate gaudere, cujus eſt animus indagandus, „ ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit “. Duplici itaque de cauſa eſſe poteſt nullum matrimonium ex metu contractum, vel jure naturæ, ſi in metuente revera deſit conſenſus, quippe qui conſenſum quidem verbis exprimit, at animo, & mente non præſtat; vel jure poſitivo, quia licet & verbis, & animo conſentiat, hujuſmodi tamen matrimonium irritum, & nullum Eccleſiæ legibus declaratur. Ex primo capite nullitatem deſumit Pontifex; ex ſecundo vero capite deſumit Sanct. Thom. advertens, hanc Eccleſiæ irritationem auferre matrimonio perpetuitatem, ſine qua verum conſiſtere matrimonium non valet. Sic itaque ſcribit hic qu. 47. a. 3. „ Vinculum matrimonii „ eſt perpetuum. Unde illud, quod perpetuitati „ repugnat, matrimonium tollit. Metus autem, „ qui cadit in conſtantem virum, perpertuitatem „ contractus tollit; quia poteſt repeti reſtitutio „ in integrum. Et ideo hæc coactio metus, quæ „ cadit in conſtantem virum, tollit matrimo„ nium, & non alia .... Unde Eccleſia præſu„ mit eum conſenſiſſe, ſed judicat conſenſum ex„ tortum non eſſe ſufficientem ad faciendum ma„ trimonium “.

IX. Quod ſi metus etiam gravis ſit juſte incuſſus ab habente legitimam poteſtatem, malum, quod minatur inferendum, matrimonio valorem non adimit. Veritas hujus doctrinæ patet ex regula 5. Tract. 7. de Contract. diſſ. 1. cap. 4. quia nimirum matrimonium ex tali metu celebratum habet ſufficiens voluntarium: libere enim elegit matrimonium, tanquam minus malum, ut majus, quod timet, evitet; & nulla intervenit injuria metuentis, cum qui malum minatur, & juſte minetur, & juſte inferre poſſit. Hinc valet matrimonium celebratum ex metu carceris, vel exilii, vel etiam mortis a judice eam comminante ſtupratori, niſi virginem, quam defloravit, in uxorem ducat; & ab eo, qui morti juſte damnatus, meretrici matrimonio jungitur, ut mortem evitet; vel qui a parentibus puellæ, cum qua concumbens eſt inventus, ad eam ducendam cogitur metu injecto criminalis accuſationis: non vero, ſi cogatur metu mortis, vel gravioris mali, quod inferre non poſſunt, & ſimilia.

X. Nec levis metus, nec reverentialis matrimonio eripit valorem. Ratio primæ partis eſt; quia levis metus facile repelli poteſt, & qui tali concutitur metu, ſibi ſuæ cauſa eſt perturbationis. Præterea jus ſive civilem, ſive eccleſiaſticum hiſce matrimoniis non reſiſtit, ſed in ſuo naturali valore relinquit: & licet aliqua adſit injuria illata metum paſſo, ob quam diximus laud. Tract. de Con-

Contr. cap. 4. reg. 8. teneri incutientem levem metum damna reparare; non tamen debet matrimonium reſcindere, cum validum ſit, & ratum, proinde indiſſolubile. Metus quoque reverentialis, ut diximus regula 4. non irritat matrimonium, cum ſit bonus, & effectus virtutis obſervantiæ, & pietatis in uno, & nulla ſit in altero violentia, vel injuria. Excipiendum tamen, ut ibi diximus, ſi minæ adjungerentur, iræ graves, moleſtæ vexationes a parentibus, a tutoribus: tunc enim & peccarent graviter ita agentes, & matrimonium tali modo extortum nullitati exponerent; cum metus reverentialis tranſiret in violentum, & cadentem in conſtantem virum.

CAPUT SETPIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Conſenſus utriuſque partis ſatis eſt, ut ſit moraliter præſens.*

II. *Qui conſenſum ficte præbet, graviſſime peccat.*

III. *Filii nati ex matrimonio in facie Eccleſiæ celebrato licet nullo, legitimi reputantur.*

IV. *Qui conſenſum ficte appoſuit, ſi conſentiat, validum reddit matrimonium.*

V. *Quando metus etiam juſte incuſſus nullum reddat matrimonium.*

VI. *Graviter peccant, qui metu ad matrimonium cogunt.*

Conſectarium Primum.

I. AD Matrimonii valorem neceſſe non eſt, ut utriuſque contrahentis conſenſus ſimul actu, & phyſice exiſtant, dum uno actu conſentiente, in altero pariter conſenſus virtualiter perſeveret. Ratio eſt, quia hæc phyſica, & actualis utriuſque partis conſenſus conjunctio in nullo alio contractu ut neceſſaria, & eſſentialis habetur. Præterea ſuperius diximus, valere matrimonium per Procuratorem celebratum, in quo Mandantis aſſenſus actu non adeſt, cum ille fortaſſis vel dormiat, vel de matrimonio non cogitet, quando illud ejus nomine a Procuratore celebratur. Sicut, ut mox dicemus, validum evadit matrimonium nullum ex defectu conſenſus, ſi qui illum non præſtitit, poſtea pœnitens conſentiat

Conſectarium Secundum.

II. Qui ficte conſenſum præbet in matrimonio, graviſſime peccat, & reus eſt ſacrilegii: illique aſſerenti non eſt credendum, niſi valida exhibeat argumenta. Graviter profecto 1. contra Religionem peccant, quia Sacramenti ſanctitatem violant; cum matrimonium libere, & volentes nullum reddant; 2. contra juſtitiam, cum alterum in re maximi momenti fallant, & decipiant; & communiter, niſi legitimo appoſito conſenſu, damnum refarcire non poſſunt, juxta dicta cap. præced. n. 2. Nullam autem eſſe aſſerenti fidem præſtandam [teſtatur Innoc. III. cap. *Per duos* ſtatuens: „ Nimis indignum eſt juxta legitimas ſanctiones, ut „ quod ſua quiſque voce dilucide proteſtatus eſt, „ in eumdem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare “. Et revera, quænam fides adhibenda eſt illi, qui ſe mendacem profitetur; Dum enim affirmat conſenſum non præſtitiſſe, cum interrogatus in facie Eccleſiæ, & coram teſtibus proteſtatus eſt ſe conſentire; ſimul affirmat, ſe mendacem ſacrilegum tunc fuiſſe, & mendacio Sacramentum profanaſſe: præſumendum eſt igitur & modo mentiri, cum affirmat non conſenſiſſe. Præterea, ſi ita aſſerenti credendum eſſet, maxima orietur in Eccleſia, & Republica perturbatio, nulla ſecuritas in matrimoniis, nulla firmitas in connubiis. Sed quid, inquit Concina, ſi perſona optimis moribus inſtructa, a perjurio prorſus aliena, cum juramento in articulo mortis aſſerreet, ſibi defuiſſe conſenſum? At amabo, quomodo bene morata perſona, quæ per plures, & fortaſſis bene multos annos in concubinatu vixit, & centies fortaſſis Sacramenta profanavit, & uſque ad mortem in ſuo peccato perſeveravit? Hic mihi videtur mortalium ſceleſtiſſimus. Sed quid agendum? Vel moritur, & totum negotium abſolutum eſt. Vel convaleſcit, & vivit; & tunc aſſenſum ſuum adjungat, & matrimonium inſtauret. Quid, ſi mulier ſana, ſed a matrimonio abhorrens, carentiam conſenſus pandat, ut Religionem ingredi poſſit? Puto hoc non illi ullo pacto concedendum, ſed denegatis Sacramentis cogendam aſſenſum præbere, præſertim ſi conſummatum fuerit matrimonium, & proles ſuſcepta: deinde cum viro tractandum de ingreſſu in Religionem, nulla habita ratione nullitatis matrimonii.

Conſectarium Tertium.

III. Proles ex matrimonio ficte celebrato, vel cum impedimento dirimente ignorato vel ab utraque, vel ab alterutra tantum parte, legitima eſt habenda. Ita docet S. Thom. in iv. diſt. 41. qu. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. ad 2. „ Ignorantia excuſat illicitum coitum, niſi ſit affectata. Unde illi, „ qui conveniunt bona fide in facie Eccleſiæ, quamvis ſit impedimentum, dum tamen ignorant, „ non peccant; nec filii ſunt illegitimi “. Et merito: nam æquitas poſtulat, ut proles, ſub umbra matrimonii concepta, proinde ſine crimine, benigne ſit excipienda.

Conſectarium Quartum.

IV. Qui ex metu gravi incuſſo vel non conſenſit Matrimonio, vel invitus conſenſit, ſi poſtea libere conſentiat, convaleſcit Matrimonium, dummodo in altera parte conſenſus virtualiter perſeveret. Ita docet S. Thom. hic qu. 47. art. 4. ad 3. ſcribens: „ Ex conſenſu libero illius, qui primo coactus eſt, non fit Matrimonium, niſi in„ quantum conſenſus præcedens in altero adhuc „ manet in ſuo vigore: unde ſi diſſentiret, non fie„ ret Matrimonium “. Et ratio eſt manifeſta: nam cum ad Matrimonium requiratur utriuſque contrahentis conſenſus liber, non enim Matrimonium claudicare poteſt; neceſſe eſt, ut ſimul, ſin phyſice & actu, ſaltem virtualiter conſentiant. Donec itaque perſeverat in uno conſenſus metu coactus, nullum eſt Matrimonium. Quod ſi hic liberum apponat conſenſum, altera parte diſſentiente; nullum adhuc erit Matrimonium. At ſi, dum alter in præſtito libero conſenſu perſeverat, al-

alter primo coactus ſuum adjungat, Matrimonium jam convaleſcit; cum nihil deſit amplius ad valorem contractus. Id patet etiam in profeſſione Religioſa, quam ſi quis emittat gravi metu coactus, nulla quidem eſt; at ſi poſtea ſponte Profeſſioni conſentiat, abſque novo Profeſſionis ritu convaleſcit. Nec poſt Tridentinum neceſſaria eſt conſenſus renovatio coram Parocho, & teſtibus, quando cum celebratum fuit, nullus reclamavit, nulla incuſſi metus mentio facta eſt: at requiritur, ſi ſcientibus Parocho, & teſtibus vis, & metus incuſſus fuiſſet; tunc enim de ejus validitate teſtari minime poſſent, proinde renovandus conſenſus in facie Eccleſiæ. Et revera ita declaratum fuit a S. Pio V. & Congregatione Concilii Tridentini. Hoc autem locum ſemper non habet, quando Matrimonium nullum eſt, non ex defectu conſenſus, ſed ex aliquo impedimento dirimente; ut ſuo loco dicemus.

Conſectarium Quintum.

V. Qui malum aliquod comminatur, quod certe inferre poteſt, ſed comminatione ſua abutitur ad inducendum metum, patientem ad Matrimonium celebrandum injuſte agit, & Matrimonium ex tali metu celebratum nullum eſt. Rem exemplo illuſtro. Ob furtum, aliamque injuriam ſibi illatam comminatur Petrus Paulo reo criminalem accuſationem apud judicem, niſi ancillam ſuam ducat uxorem. In hoc caſu dicimus Petrum inique agere, quia licet juſte poſſit Paulum apud Judicem criminaliter accuſare ad obtinendam vel furti, vel injuriæ illatæ reparationem; nullum tamen jus habet abutendi tali comminatione, ut ad Matrimonium inducat. Metus eſt igitur injuſte incuſſus, qui proinde nullum reddit Matrimonium.

Conſectarium Sextum.

VI. Qui metu gravi incuſſo ad Matrimonium cogunt, graviſſime peccant; eos vero lethaliter peccare, qui ex tali metu contrahunt, non eſt ſatis probabile. Prima pars eſt de ſe manifeſta. Nam gravem irrogando alteri injuriam, juſtitiam violant; & præterea cum ad Sacramentum nullum conficiendum impellant, ipſum profanant, & ſacrilegii rei efficiuntur. Quamobrem ſanctiſſime ſanxit Tridentina Synodus ſeſſ. 24. cap. 9. „Cum maxime nefarium ſit Matrimonii libertatem violare . . . . præcipit Sancta Synodus temporalibus „Dominis, & Magiſtratibus, cujuſcumque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne „quovis modo directe, vel indirecte ſubditos ſuos, „vel quoſcumque alios cogant, quo minus libere Matrimonium contrahant". Altera vero pars tanquam certa habetur a Colleto hoc producto argumento. Nam, inquit, vel metum patiens conſenſum internum, & verum præſtat; vel verbo quidem ſe conſentire profitetur, dum interim interius diſſentit. Si hoc ſecundum, peccat (quod ego lubens admitto), cum in facie Eccleſiæ, & coram Sacerdote mentiatur, aliud in ore habens, aliud in mente. Si vero conſentit, adhuc peccat, inquit Colletus, quia ſciens, & volens materiam illegitimam ſubjicit formæ; proinde a ſacrilegio immunis non eſt: ſicut qui baptizare coactus aquam roſaceam adhiberet. Verum hæc ratio ſplendida magis mihi, quam ſolida videtur. Nam illud nec Sacramentum eſt, nec contractus. Qui itaque ex metu Matrimonium celebrat, nec contractum celebrat; deficiente autem contractu nec habetur Sacramentum. Quamobrem cum verba, & actus ex metu celebrantis Matrimonium non valeant ad efficiendum contractum; jam nec formam conſtituunt, nec materiam Sacramenti: quandoquidem Chriſtus non peculiarem inſtituit vel materiam, vel formam pro Sacramento Matrimonii; ſed materiam, & formam idoneam legitimam pro contractu Matrimonii elevavit ad gratiam producendam. Nulla igitur habetur profanatio Sacramenti, cum nullus habeatur contractus. Inire vero contractum nullum ex metu mortis non puto gravioris criminis materiam præbere. Præterea contractum nullum eſſe, proinde nec Sacramentum, non ille qui metum patitur, in cauſa eſt, quippe qui de ſe totum id ponit, quod ad valorem requiritur contractus; ſed ex culpa metum incutientis, qui valorem adimit contractui, & ex lege Eccleſiæ hujuſmodi Matrimonia irritantis proficiſcitur. Nec eſt par ratio de Baptiſmo, & aliis Sacramentis, in quibus nonniſi ſola ratio invenitur vel Sacramenti, vel ſacrilegii: proinde ſi debita adhibeatur materia, & forma, quæ determinatæ ſunt, & ad hoc conſtitutæ, fit Sacramentum; ſi vero etiam ex metu gravi mutentur, ſacrilegium committitur, quod profecto nunquam licitum poteſt evadere. Nec urgeat Colletus, hinc ſequi, neque celebrantes Matrimonium ſine conſenſu, vel cum aliquo impedimento dirimente ipſis cognito, ſacrilegium evadere; cum ſciant ſe nullum inire contractum, quod rationem Sacramenti obtinere non poteſt. Nam iſti, cum teneantur verum contractum celebrare, & idoneum ad Sacramentum, jam graviter peccant, dum ex malitia ſua & fictum celebrant contractum, &, nè verum Sacramentum ſit, impediunt.

CAPUT OCTAVUM.

De Matrimonio conditionato.

DOCTRINA.

I. *Regulæ de conditionibus Matrimonii, alibi traditæ, indicantur.*
II. *Variæ conditionum ſpecies, & regulæ aſſignantur.*
III. *Regula* I. IV. *Regula* II.
V. *Regula* III. VI. *Regula* IV.
VII. *Regula* V. VIII. *Regula* VI.
IX. *Regula* VII.

I. IN Tract. de Contract. diſſ. 1. cap. 10. & conditionum ſpecies enumeravimus, quæ contractibus apponi poſſunt; & regulas tradidimus, ex quibus facile dignoſcere quiſque valeat, quænam contractus vitient, & quænam vitientur; & præſertim totam de Matrimonii conditionibus doctrinam duplici regula complexi ſumus: quibus bene perſpectis, & aptatis omnes difficultates, & caſus ſolvi poſſunt. Solum igitur majoris claritatis gratia pauca hic addimus.

II. Et primo quidem notandum in præſenti Eccle-

cleſiæ diſciplina locum non obtinere Matrimonia conditionata: cum enim celebrari debeant in facie Eccleſiæ, & coram Parocho, & teſtibus, non admittuntur conditiones; alioquin nec Matrimonium eſſet, quia quandiu conditio pendet, Matrimonium non habetur, proinde nec Sacramentum: præmitti tamen poſſunt circa ipſum conſenſum; ut ſi quis puellæ dicat, conſentiam in Matrimonio tecum, ſi virgo ſis. Porro hæ conditiones, ut l. l. dicimus 1. aliæ ſunt generales & communes, ac neceſſariæ omnibus contrahentibus; puta ſi volueris, ſi conſenſum coram Parocho dederis, ſi non alteri deſponſata es. 2. Aliæ ſunt de præterito, aliæ de præſenti, aliæ de futuro, vel neceſſario, ut ſi cras ſol orietur; vel contingente, ut ſi Pater dotem dederit. 3. Rurſum aliæ conditiones ſunt honeſtæ; puta ſi parentes conſenſerint: aliæ turpes, & hæ bifariam dividuntur, quia Matrimonii ſcopo, & fini adverſæ; ut ſi prolis generationem impedias, vel abortus procuraveris. Poſſunt tamen eſſe conditiones in ſe honeſtæ, & tamen ſubſtantiæ Matrimonii adverſæ; ut ſi quis dicat, deſponſabo te, ſi tamen non conſummato Matrimonio Religionem ingrediaris: vel turpes, quia bonis moribus adverſæ, licet Matrimonii ſubſtantiam non violent; ut contraho tecum, ſi furta mea cuſtodieris, ſi meum hoſtem veneno interficies, & ſimilia. His præmiſſis ſequentes ſtatuuntur Regulæ.

Regula Prima.

III. Conditiones abſolutæ, vel neceſſariæ Matrimonium non ſuſpendunt, ſed abſolutum conſtituunt. Ratio eſt, quia ſive apponantur, ſive non apponantur, ſine illis non ſtat Matrimonium, ſive hæ conditiones ſint neceſſariæ ex Lege naturæ, ſive ex lege poſitiva; ut ſi quis dicat, duco te in uxorem, ſi conſentias, vel ſi non ſit aliquod impedimentum.

Regula Secunda.

IV. Conditiones de præterito, vel de præſente, ſive honeſtæ ſint, ſive turpes, non ſuſpendunt Matrimonium. Quia, ut inquit S. Thom. hic q. 47. art. 5. *Stat Matrimonium ſtante conditione, & ea non ſtante non ſtat.* Ut ſi pars dicat, duco te in uxorem, ſi non es fornicata, vel ſi centum pro dote promittas; valet Matrimonium juxta ſtatum conditionis, quæ ſi adſit, Matrimonium conſtituit, ſi deficiat, non conſtituit.

Regula Tertia.

V. Conditiones de futuro neceſſario non ſuſpendunt Matrimonium, niſi pro termino obligationis ponantur. Ratio eſt, quia inquit S. Thom. l. l. talia futura neceſſaria jam ſunt præſentia in cauſis ſuis; ut ſi quis dicat, ducam te, ſi cras Sol orietur, vel ſi tali tempore Sol, vel Luna eclipſim patientur. Dixi tamen, niſi per modum termini apponantur, ut ſi quis dicat, ducam te, ſi frater meus moriatur; quia licet mors ſit neceſſaria, tamen non apponitur tanquam conditio, ſed ut terminus celebrandi Matrimonii.

Regula Quarta.

VI. Conditiones de futuro contingente honeſtæ, & licitæ cujuſmodi ſunt, ſi parentes conſenſerint, ſi dotem dederis, Matrimonium ſuſpendunt, donec impleantur. Hæc enim eſt generalis natura conditionis, ut contractus valorem ſuſpendat uſque ad impletam conditionem. Valet tamen Matrimonium, quatenus contrahentes reſilire non poſſunt, ſed conditionis eventum expectare tenentur, quin tamen interim Matrimonio uti poſſint, quod nondum celebratum eſt. Quod ſi ante impletionem conditionis liberis gignendis dent operam, jam abſolutum evadit Matrimonium; cenſentur enim conditioni abrenuntiaſſe.

Regula Quinta.

VII. Conditiones ſubſtantiæ Matrimonii adverſæ, ſive turpes ſint, ſive honeſtæ, Matrimonium nullum efficiunt. Ita enim in jure ſtatutum eſt a Gregorio IX. declarante: „ Si conditiones contra ſubſtantiam conjugii inferantur, puta ſi alter dicat, contraho tecum, ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque ſit favorabilis, caret effectu “. Illæ autem dicuntur conditiones ſubſtantiæ Matrimonii repugnantes, quæ tria Matrimonii bona impediunt, prolem ſcilicet, fidem, & Sacramentum: proli opponitur conditio de generatione prolis vitanda, vel impedienda; fidei conditio de adulterio committendo; Sacramento conditio, quæ Matrimonio tollat perpetuitatem. Dixi, licet ſit honeſta, ut ſi celebretur cum pacto prævio virginitatis ſervandæ, ut oſtendimus cap. 3. confect. 5.

Regula Sexta.

VIII. Conditiones turpes, ſed non adverſæ ſubſtantiæ Matrimonii, ſi de futuro ſint, habentur tanquam non adjectæ, nec Matrimonium ſuſpendunt, ſed abſolutum efficiunt. Hanc Regulam explicavimus loc. laud. de Contract. & confirmavimus ex ſtatuto laudati Gregor. IX. ſubdentis: „ Aliæ conditiones appoſitæ in Matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi “. Quare validum eſt Matrimonium initum cum conditione alicujus ſceleris perpetrandi; puta ſi expilata domo mecum fugies, ſi fratri venenum propinaveris, & ſimilia. Ratio autem hujus ſtatuti eſt, quia Eccleſia Matrimonio favere volens impedit, ne vinculum ſit iniquitatis, & cauſa multorum ſcelerum. Quomodo autem hujuſmodi conſenſus, licet conditionatus, pro abſoluto ab Eccleſia reputetur, explicavimus loc. laud. Dixi hujuſmodi conditiones *de futuro* Matrimonium non ſuſpendere: nam ſi de præſenti ſint, vel de præterito, affirmant nonnulli ſuſpenſionem inducere, cum non ſint de ſceleribus committendis, ſed de commiſſis; proinde non ad peccandum inducunt, ſed peccatum ſupponunt. Alii vero putant & ipſas in ſtatuto Gregorii IX. comprehendi, proinde haben-

bendas pro non adjectis. Sed priorem opinionem cenſeo probabiliorem, cum illa conditio præcedens Matrimonium futurum, impediat abſolutum conſenſum; dum e contra conditiones turpes ponendæ poſt Matrimonium, ſupponuntur minus efficacius volitæ, quam ipſum Matrimonium; proinde conſenſum Matrimonii prævalere voluntati conditiones apponendi. Quod ſi conditiones turpes, ſive ſubſtantiæ Matrimonii repugnantes, ſive non repugnantes, ſicut & impoſſibiles, ita ſint appoſitæ, & efficaciter Matrimonium volitum non ſit, niſi iis appoſitis, vel impletis, nullum efficiunt Matrimonium, quod ſine conſenſu partium ſubſiſtere non valet.

Regula Septima.

IX. Conditiones vanæ, ſuperfluæ, impertinentes, appoſitæ Matrimonio, illud ſuſpendunt; ut ſi quis contrahat dicens, accipio te in uxorem, ſi pluat, ſi mecum bibas, vel ſaltes. Ratio duplex eſt; 1. quia hujuſmodi conditiones vere ipſum conſenſum ſuſpendunt, ſicut ceteræ omnes. 2. Quia a nullo jure reprobantur; & jus quidem divinum, & naturale ſolum dictat, in re tam ſeria, & ſacra non eſſe haſce ineptias admiſcendas, nec ſine aliqua culpa apponi; at earum naturam non immutat.

CAPUT NONUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Peccant, qui Matrimonium conditionatum in facie Eccleſiæ celebrant.*
II. *Matrimonium ſub conditione celebratum eſt novo conſenſu firmandum impleta conditione.*
III. *Quando valeat Matrimonium ſub conditione aſſenſus parentum.*
IV. *Quando conditiones de re impoſſibili nullum reddant Matrimonium.*
V. *Quando conditio contra perpetuitatem Matrimonii illud vitiet.*

Conſectarium Primum.

I. QUi in facie Eccleſiæ, & coram Parocho, ac teſtibus Matrimonium conditionatum de futuro contingente celebrant, graviter peccant, ſicut & ipſe Parochus, ſi eis benedicat, & adprobet. Ratio eſt 1., quia hujuſmodi Matrimonia ab Eccleſia non admittuntur. 2. Quia Sacramenta ut ſuo loco oſtendimus, nunquam ſunt, niſi graviſſima urgente cauſa, & quidem in Sacramentis ſummæ neceſſitatis, ſub conditione celebranda. 3. Quia Sacramentum nullitatis periculo exponitur, ſi enim conditio non eveniat, nullum eſt Sacramentum, quia nullus contractus. 4. Quia Matrimonia hujuſmodi litibus, & contentionibus ſubeſſe poſſunt, non ſine ſcandalo, & perturbatione Eccleſiæ. Parochus vero, & Teſtes ideo peccant, quia huic illicito operi cooperantur. Non diffiteor, rarum aliquem poſſe caſum contingere, ut ad vitandum ſcandalum, jurgia, & diſcordias inter conſanguineos, & familias poſſint duo conjuges Matrimonium de præſenti in facie Eccleſiæ celebrare ſub conditione obtinendæ diſpenſationis. Verum ſingularis caſus generalem doctrinam limitare quidem poteſt, at ejus veritatem infirmare omnino non poteſt.

Conſectarium Secundum.

II. Matrimonium ſub conditione de futuro contingente celebratum, impleta conditione, eſt novo conſenſu firmandum, præſertim ſi alterutra pars revocaverit aſſenſum. Prima pars conſtat ex his, quæ diximus de Contract. Diſſ. 1. cap. 11. conſect. 6. ubi poſitam doctrinam & D. Thom. auctoritate, & rationum pondere evicimus, inibi legenda, nec inutiliter repetenda. Secunda vero pars eſt magis manifeſta: quia licet, qui ante eventum conditionis a data fide reſilit, graviter contra juſtitiam peccet; tamen ſemper verum eſt, non amplius Matrimonio conſentire. Porro ſine conſenſu Matrimonium conſiſtere non poſſe nemo eſt, qui ambigat. Debet igitur impleta conditione novus aſſenſus præberi, ut Matrimonium ſuum ſortiatur valorem.

Conſectarium Tertium.

III. Matrimonium de præſenti celebratum ſub conditione, ſi Pater conſentiat, validum eſt ſemel habito conſenſu Patris, licet ille poſtea diſſentiat: ſi vero non conſentiat, nec diſſentiat, ejus valor ex circumſtantiis eſt dijudicandus. Ratio primæ partis eſt, quia ſemel præſtito a Patre conſenſu, nihil jam ad valorem contractus deeſt: non conſenſus utriuſque partis, qui jam præſtitus eſt, & adhuc perſeverare cenſetur; non poſitæ conditionis eventus, quæ impleta eſt: proinde validum eſt Matrimonium, quod poſterior parentis diſſenſus invalidum amplius efficere non poteſt, cum neceſſario perpetuitatem, & conſtantiam ſecum afferat. Si vero primo diſſentiat, & poſtea conſentiat, validum eſſe poterit Matrimonium, ſi contrahentes in propoſito contrahendi perſeverent: eſt tamen novus adhibendus conſenſus contrahentium. Altera vero pars ſic declaratur. Si conſtet, Patrem tacere, nec diſſentire, quia ipſi Matrimonium diſplicet, profecto nullum eſt Matrimonium, cum ſilentium, & taciturnitas ſit clarum ejus diſplicentiæ argumentum. Si vero taceat, non quia ipſi abſolute diſpliceat Matrimonium, ſed ex aliqua circumſtantia, puta quia initum prævie ad ſuum conſenſum, quem bona fide præſtandum a Patre ſine difficultate contrahentes arbitrabantur, validum erit habendum. Quod ſi dubia ſit mens Patris, eſt ejus conſenſus explorandus. Si vero, priuſquam voluntatem Patris vel cognoſcant, vel explorent, Matrimonium jam celebratum in facie Eccleſiæ conſumment, de ejus validitate non eſt amplius ambigendum: quia licet peccaverint contra reverentiam Patri debitam; illi tamen conditioni abrenunciaſſe cenſendum eſt, & abſolute contraxiſſe: nam hic agimus de Matrimonio, non de ſponſalibus.

Conſectarium Quartum.

IV. Matrimonium celebratum ſub conditione impoſſibili cognita, ſive de præterito, ſive de præſenti, ſive de futuro, validum eſt, & conditio

pro non adjecta habetur; ſi vero ejus impoſſibilitas ignoretur, aſſenſum ſuſpendit. Conditiones impoſſibiles ſunt, ſi cælum tetigeris, ſi montes aureos dederis, ſi futura prædixeris, & ſimilia, vel ſi Pater meus (jam mortuus) conſenſerit. Conveniunt Theologi præfatas conditiones de futuro, Matrimonio appoſitas, ejus valori non officere, ſed pro non adjectis habendas. Sic enim in jure canonico ſuperius laudato Gregorii IX. Decreto ſtatuitur in favorem Matrimonii: ſupponitur enim illas non adjectas ex animo, & ſerio, ſed vel ex errore, vel ex joco; & minime fidelem velle irritum, & nullum conficere Matrimonium. Ex quo ſequitur, quod ſi conſtaret ſerio, & ex animo adjectas, profecto cum tollant aſſenſum, nullum quoque efficiunt Matrimonium. At plures alii cenſent, Gregorium tantum de conditionibus de futuro, non vero de præſenti, vel de præterito fuiſſe locutum: quia inquiunt, tunc conditiones non ſunt, quæ ſuſpendunt conſenſum, ſed exiſtentes, quæ illum vel declarant, vel tollunt. Verum puto probabilius, quod docent plures Theologi, nimirum omnes conditiones impoſſibiles cognitas, habendas eſſe ceu non adjectas; cum tota ratio eas rejiciendi ſit eorum impoſſibilitas cognita, quæ æque reperitur in conditionibus tam de præterito, & de præſenti, quam de futuro: & quando quis ſerio, & ex animo Matrimonium contrahit, & has apponit conditiones, non ex animo, & vere eas apponere cenſendum eſt; alioquin aperte Matrimonium recuſaret, ſed ex levitate, errore, joco &c. At ſi conditio impoſſibilis putetur poſſibilis; tunc non eſt habenda ceu non adjecta, quia ſerio, & ex animo poſita eſt, & ad inſtar aliarum conditionum poſſibilium, & indicat conſenſus ſuſpenſionem uſque ad conditionis impletionem. Hinc ſi vir dicat mulieri, contraho tecum, ſi Pater meus conſenſerit, quem jam fato functum probe noſcit, cum ſit de conditione cognita impoſſibili, valet Matrimonium, & conditio ceu non adjecta habetur. Si vero putet Patrem adhuc vivere, quem poſtea mortuum reſcit, nullum eſt Matrimonium, niſi novus accedat conſenſus.

Conſectarium Quintum.

V. Conditio appoſita Matrimonio, de eo in aliquo caſu dirimendo quoad vinculum, illud nullum reddit; non vero, ſi ſolum ſit error in mente contrahentium, poſſe in aliquo caſu dirimi. Hanc doctrinam illuſtrat Benedict. XIV. de Synodo lib. 13. cap. 22. num. 1. & ſeq. Hæretici, & Græci ſchiſmatici putant Matrimonium diſſolvi etiam quoad vinculum propter adulterium; ideoque partem innocentem poſſe libere cum alia Matrimonium celebrare. Hunc autem errorem perpetuitati Matrimonii non officere luculenter oſtenditur: quia contrahentes etiam cum hoc errore voluntatem abſolutam habent contrahendi Matrimonium validum juxta legem Chriſti; nec privatus error anteponi debet, nec præjudicium afferre poteſt generali voluntati, ex qua contractus Matrimonii validitas, & perpetuitas pendet: & conſequenter nullum eſt Matrimonium, quod, repudiata uxore ob adulterium, cum alia celebratur. At ſi huic errori exterius in celebratione Matrimonii adjungatur conditio de ejus diſſolutione ob adulterium, ut contingit apud aliquos hæreticos in Tranſilvania, quia ita ſibi mutuo fidem dant, *donec uterque in ſua honeſtate, & puritate permanſerit*; tunc egregie docet, nullum eſſe Matrimonium, quia conditio appoſita ſubſtantiæ Matrimonii, ideſt ejus perpetuitati, adverſatur, quam in aliquo caſu excludunt aperte: proinde, ſi ad fidem convertantur, vel iterum jungi Matrimonio debent, vel poſſunt aliud Matrimonium inire. Hinc etiam tanquam irrita, & nulla habita ſunt a Gregor. IX. Matrimonia in Slavoniæ partibus ex conſuetudine celebrata, qua vir mulierem ſub ea conditione ſibi in uxorem jungebat, ſi ſibi placuerit, perpetuo retinendam; alioquin reddendam parentibus ſine mutilatione, vel fractione membrorum.

CAPUT DECIMUM.

De bonis, & effectibus Matrimonii tum contractus, tum Sacramenti.

D o c t r i n a.

I. *De ſtatu Matrimonii in ſua prima conditione.*
II. *Et poſt peccatum primi parentis.*
III. *Bona Matrimonii enumerantur.*
IV. *Unitas Matrimonii explicatur, & evincitur.*
V. *Biviratus jure naturæ omnino adverſatur.*
VI. *Doctrina Eccleſiæ circa Polygamiam ſimultaneam.*
VII. *Quo in ſenſu legi naturæ adverſatur.*
VIII. *Quomodo licita fuerit in Veteri Teſtamento.*
IX. *In novo Teſtamento omnino illicita.*
X. *Polygamia ſucceſſiva illicita non eſt.*
XI. *Secundæ, & ulteriores nuptiæ ſunt Sacramentum.*
XII. *Quare male audiant in Eccleſia.*
XIII. *Matrimonium conſummatum omnino indiſſolubile lege naturæ.*
XIV. *Lege Evangelica.*
XV. *Et Eccleſiaſtica.*
XVI. *Matrimonium ratum non eſt omnino indiſſolubile.*
XVII. *Matrimonii actus in ſe honeſtus, & ſanctiſſimus.*
XVIII. *Et etiam meritorius.*
XIX. *In Sacramento Matrimonii confertur gratia ſanctificans.*
XX. *Et etiam peculiaris, & propria.*
XXI. *Cujus beneficia enumerantur, & exponuntur.*

I. MAtrimonium in Paradiſo a Deo inſtitutum in protoparentibus adhuc originali juſtitia donatis, adeo ſanctum, & immaculatum erat, ut nulla egeret excuſatione. Scribit enim Sanctus Auguſtinus lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 3. „ Conjunctionis maſculi, & fœminæ benedictio nec „ poſt peccatum hominis, pœnamque defecit: „ quamquam enim jam emiſſi de Paradiſo conveniſſe, & genuiſſe commemorentur; tamen non „ video, quid prohibere potuerit, ut eſſent etiam in Paradiſo honorabiles nuptiæ, & thorus „ immaculatus, hoc Deo præſtante fideliter, caſteque viventibus, eique obedienter, ſanctеque „ ſervientibus, ut ſine ullo inquieto ardore libi- „ dinis,

„ dinis, nullo labore ac dolore pariendi fœtus ex „ eorum ſemine gigneretur “.

II. At poſt peccatum licet Apoſtolus honorabiles vocaverit nuptias, & thorum immaculatum ad Heb. 1. 3. appellet, tamen non in eodem ſenſu; quippe quia conceſſum dicit in ſtatu infirmitatis *ſecundum indulgentiam* 1. Corinth. 7. cum non poſſit actus Matrimonii ſine aliquo ſenſu libidinis fieri; ſed quatenus honeſte, congrue, decenter, & legitimo fine fieri poteſt. Indiget igitur modo in corruptæ naturæ ſtatu excuſatione. Nam inquit D. Thom. hic quæſt. 49. art. 1. „ Nullus ſapiens „ debet aliquam jacturam ſuſtinere, niſi pro ali„ qua recompenſatione alicujus æqualis, vel me„ lioris boni ...... In conjunctione autem viri, „ & mulieris rationis jactura accidit: tum quia „ propter vehementiam delectationis abſorbetur „ ratio ...... tum etiam propter tribulationem „ carnis, quam oportet tales ſuſtinere ex ſol„ licitudine temporalium .... Et ideo talis con„ junctionis electio non poteſt eſſe ordinata, niſi „ per recompenſationem aliquorum, ex quibus „ dicta conjunctio honeſtetur: & hæc ſunt bona, „ quæ Matrimonium *excuſent*, & honeſtum red„ dunt “.

III. Bona autem, quæ Matrimonium excuſant, tria ſunt, quæ ſequenti articulo enumerat ex D. Auguſtino de Gen. ad lit. lib. 9. cap. 7. dicente: „ Nuptiale bonum tripartitum eſt, ſcilicet fides, „ proles, & Sacramentum “. Fidem duo deſignare animadvertit Angelicus, nimirum 1. quod homo ad ſuam accedat, & non ad aliam; 2. quod ſibi invicem debitum reddant. Scribit ſiquidem ad 3. „ In promiſſione Matrimonii continetur, ut „ neuter ad alienum thorum accedat; ita etiam „ quod ſibi invicem debitum reddant: & hoc et„ iam eſt principalius, cum ſequatur ex mutua po„ teſtate invicem data: & ideo utrumque ad fi„ dem pertinet “. Hinc prima conſequitur Matrimonii proprietas, ſcilicet *Unitas*, per quam unus tantum uni jungatur. *Prolis* autem nomine ſignificari docet Angel. intentionem debiti finis, unde alia oritur Matrimonii proprietas, *honeſtas* ſcilicet & *ſanctitas*, per quam bonus efficitur uſus Matrimonii. Nomine vero *Sacramenti* „ non ſo„ lum, inquit S. Thom. ad 7. intelligitur inſepa„ rabilitas, ſed etiam omnia, quæ ad ſignificatio„ nem ipſius pertinent “. Unde tertia oritur proprietas Matrimonii, ut contractus, ſcilicet indiſſolubilitas, cui adverſatur repudium, & quatenus Sacramentum, etiam dona gratiæ tum habitualis, tum actualis, quæ in illo conferuntur.

IV. De his igitur in hoc capite, quod ob ejus amplitudinem in tres partiemur paragraphos: in quorum primo Unitatem Matrimonii explicabimus: in 2. ejus Indiſſolubilitatem; in 3. Honeſtatem oſtendemus, ac dona gratiæ collatæ enumerabimus.

§. I.

De Unitate Matrimonii, cui adverſatur Polygamia.

Matrimonii unitatem a Deo inſtitutam ipſe Chriſtus in Evangelio nos docet, cum Phariſæis reſpondit: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos? ..... & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Quæ verba expendens D. Jo. Chryſoſtomus Hom. 63. in Matth. ſcribit: „ Chriſtus non „ ſolum ab opificio, verum etiam ab ipſo præce„ pto ſententiam corroborat. Non enim dixit, „ quia virum, & mulierem unum ſolummodo fe„ cit, verum etiam quod juſſit, ut unus uni con„ jungatur. Nam ſi voluiſſet alteram etiam con„ duci uxorem, uno viro creato multas formaſſet „ mulieres. Hinc vero & creationis, & ſanctionis „ modo unam uni perpetuo conjungi, & nunquam „ reſcindi oportere perdocuit “.

V. Hujus vero Unitati tria adverſantur, Biviratus ſcilicet, quo una uxor plures habeat Maritos; Polygamia ſimultanea, qua unus Maritus plures ſimul ſibi jungit uxores; & Polygamia ſucceſſiva, qua una vel rejecta, vel defuncta uxore, altera ſuperinducitur. Et quidem Biviratum ita legi Matrimonii repugnantem agnovere ſolo lumine naturali Gentes omnes, ut licitum admiſerint nunquam, ſed uxorum communionem a Platone non ſine tanti nominis infamia conceſſam deteſtatæ ſint. Quare optime ſcribit D. Thom. hic q. 65. a. 1. ad 8. „ Unam uxorem habere plures viros eſt con„ tra prima præcepta legis naturæ; eo quod per „ hoc quantum ad aliquid totaliter tollitur, & „ quantum ad aliquid impediatur bonum prolis, „ quod eſt principalis Matrimonii finis. In bono „ enim prolis intelligitur non ſolum procreatio, „ ſed etiam educatio. Ipſa enim procreatio pro„ lis, etſi non totaliter tollatur, quia contingit „ poſt imprægnationem primam, iterum mulierem „ imprægnari, tamen multum impeditur: quia vix „ poteſt accidere, quin corruptio accidat, quan„ tum ad utrumque fœtum, vel quantum ad al„ terum. Sed educatio totaliter tollitur: quia ex „ hoc quod una mulier plures haberet maritos, „ ſequeretur incertitudo prolis reſpectu patris, cu„ jus cura neceſſaria eſt in educando. Et ideo „ nulla lege, vel conſuetudine eſt permiſſum unam „ mulierem habere plures viros “.

VI. Polygamiam vero ſimultaneam noſtri temporis heterodoxi vel ita deteſtati ſunt, ut nunquam licitam putaverint, proinde antiquos Patriarchas, ceteroquin ſanctiſſimos, juris naturalis violati, & adulterii reos pronuntiare veriti non ſint, ut Calvinus; vel ex adverſo ita licitam exiſtimaverunt, ut & in Evangelica lege eam concedere non horruerint, ut Lutherus, & Aſſeclæ nonnulli. At inter duos hoſce extremos errores ſola Catholicæ Eccleſiæ doctrina vera conſiſtit, quæ docet, Polygamiam eſſe quidem juri naturæ adverſam, ita tamen ut divina accedente diſpenſatione licita aliquando eſſe potuerit; modo tamen in Lege Evangelica, ſublata omni diſpenſatione, illicitam omnino evaſiſſe.

VII. Et quidem legi naturali ſaltem ex parte adverſari Polygamiam ſimultaneam, licet pauci Theologi inficientur, communiter tamen docent ceteri, duce D. Thom. qui hanc veritatem luculenter evincit laud. q. 64. art. 1. ſcribens: „ Ma„ trimonium habet pro fine principali prolis pro„ creationem, & educationem: unde & aliis ani„ malibus eſt communis. Et ſic bonum Matrimo„ nii aſſignatur proles. Sed pro fine ſecundario „ habet in hominibus ſolis, communicationem „ ope-

„ operum, quæ ſunt neceſſaria in vita. Et ſecun„ dum hoc fidem ſibi invicem debent, quæ eſt u„ num de bonis Matrimonii. Habet ulterius alium „ finem, ſcilicet ſignificationem Chriſti, & Ec„ cleſiæ: & ſic bonum Matrimonii dicitur Sacra„ mentum. Unde primus finis reſpondet Matri„ monio hominis, inquantum eſt animal; ſecun„ dus, inquantum eſt homo; tertius, inquantum „ eſt fidelis. Pluralitas ergo uxorum neque tota„ liter tollit, neque aliqualiter impedit Matrimo„ nii primum finem; cum unus vir ſufficiat plu„ ribus uxoribus fœcundandis, & educandis filiis „ ex eis natis. Sed ſecundum finem etſi non to„ taliter tollit, tamen multum impedit; eo quod „ non facile poteſt eſſe pax in familia, ubi uni „ viro plures uxores junguntur; cum non poſſit „ unus vir ſufficere ad ſatisfaciendum pluribus u„ xoribus ad votum; & etiam quia communicatio „ plurium in uno officio cauſat litem; ſicut figu„ li corrixantur adinvicem; & ſimiliter plures u„ xores unius viri. Tertium autem finem totali„ ter tollit; eo quod ſicut Chriſtus eſt unus, ita „ & Eccleſia una. Et ideo patet, quod plurali„ tas uxorum quodammodo eſt contra legem na„ turæ, & quodammodo non “.

VIII. Ex qua doctrina egregie, & more ſuo angelico oſtendit D. Thom. art. 2. quomodo in veteri lege conceſſum fuerit Judæis plures ſimul habere uxores, ita ſcribens: „ Pluralitas uxorum „ eſſe dicitur contra legem naturæ, non quantum „ ad prima præcepta ejus, ſed quantum ad ſecun„ da, quæ quaſi concluſiones a primis præceptis „ derivantur. Sed quia actus humanos variari o„ portet ſecundum diverſas conditiones perſona„ rum, & temporum, & aliarum circumſtantia„ rum, ideo concluſiones prædictæ a primis legis „ naturæ præceptis non procedunt, ut ſemper ef„ ficaciam habeant, ſed in majori parte . . . . . „ Lex autem de unitate uxoris non eſt humanitus, „ ſed divinitus inſtituta; nec unquam verbo, vel „ litteris tradita, ſed cordi impreſſa, ſicut & alia, „ quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent. „ Et ideo in hoc a ſolo Deo diſpenſatio fieri po„ tuit per inſpirationem internam: quæ quidem „ principaliter Patribus ſanctis facta eſt; & per „ eorum exemplum ad alios derivata eſt eo tem„ pore, quo oportebat prædictum naturæ præce„ ptum prætermitti, ut major eſſet multiplicatio „ prolis ad cultum Dei educandæ. Semper enim „ principalior finis magis obſervandus eſt, quam „ ſecundarius. Unde cum bonum prolis ſit prin„ cipalis Matrimonii finis, ubi prolis multipli„ catio neceſſaria erat, debuit negligi ad tem„ pus impedimentum, quod poſſet in ſecunda„ riis finibus evenire: ad quod renovandum præ„ ceptum prohibens pluralitatem uxorum ordi„ natur “.

IX. In Lege Evangelica ſublata eſt omnino Polygamiæ ſimultaneæ conceſſio. Hanc Catholicam veritatem definivit Tridentina Synodus ſeſſ. 24. can. 2. dicens: „ Si quis dixerit, Chriſtianis „ plures ſimul habere uxores licere, & hoc nul„ la Lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit “. Quibus verbis declarat, nedum illicitam eſſe Polygamiam ſimultaneam, ſed & matrimonium cum altera, prima adhuc vivente uxore, celebratum, irritum eſſe, & invalidum. Et merito: nam diſerte Chriſtus Matrimonium ad primam revocavit inſtitutionem, per quam unum uni perpetuo conjungendum ſtatuit, dum dixit: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos? . . . . . & erunt duo in carne una.* Et deinde ſubjungit: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Et objicientibus Phariſæis, *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Reſpondit, *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic.* Confirmat Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. ſcribens: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; & ſimiliter vir corporis ſui poteſtatem non habet, ſed mulier.* Injuria igitur fit uxori, cum vir corpus ſuum, cujus dominium in Matrimonii contractu in uxorem tranſtulit, alteri tradit. „ Si enim, „ inquit Innoc. III. cap. *Gaudeamus* de divortiis, „ uxore dimiſſa duci alia de jure non poteſt, for„ tius & ipſa retenta: per quod evidenter appa„ ret, pluralitatem in utroque ſexu, cum non ad „ imparia judicetur circa matrimonium, repro„ bandam “. Sed in re certa, & explorata non eſt diutius immorandum.

X. Polygamia ſucceſſiva illicita non eſt. Doctrina hæc catholica diſerte traditur ab Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. dicente: *Non nuptis, & viduis bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere, quam uri . . . Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt; cui vult nubat, tantum in Domino.* Quæ verba expendens D. Hieronymus epiſt. ad Geruntiam ſcribit: „ Quid igitur damna„ mus ſecunda matrimonia? Minime; ſed prima „ laudamus. Abjicimus de Eccleſia bigamos? „ Abſit. Sed monogamos ad continentiam provo„ camus ... Aliud eſt, quod vult Apoſtolus, a„ liud, quod cogitur velle ... Duæ ſunt Apoſtoli „ voluntates, una qua præcipit, altera qua indul„ get . . . Vult nos permanere poſt nuptias, ſicut „ ſe ipſum. Sin autem nos viderit nolle, quod „ ipſe vult, incontinentiæ noſtræ tribuit indulgen„ tiam “. Immo tanquam calumniam a ſe depellit in ſua Apologia adverſ. Jovin. cap. 7. criminationem de reprobatis ſecundis nuptiis, clamans: „ Ego nunc libera voce proclamo, non damnari „ in Eccleſia Bigamiam, immo nec trigamiam; „ & ita licere quinto, & ſexto, & ultra, quomo„ do & ſecundo marito nubere “. Quid, quod Septimius ipſe, qui Montaniſta effectus ſecundas damnavit nuptias, adhuc in Eccleſiæ caſtris militans catholicam docuit doctrinam? Nam lib. 2. ad uxorem cap. 1. ſcribit: „ Dicebat Apoſtolus de „ viduis quidem, & innuptis, ut ita permaneant: „ ſuadet, cum dicit, *Cupio omnes meo exemplo* „ *perſeverare*. De nubendo vero in Domino, cum „ dicit *tantum in Domino*, jam non ſuadet, ſed „ exerte jubet “.

XI. Eſſe autem ſecundas nuptias verum Sacramentum, dubitare non ſinit Tridentinum Concilium, quod matrimonium verum inter Sacramenta enumeravit: in ſecundis autem nuptiis ſicut verum matrimonium, ita & verum Sacramentum inveniri nemo inficiabitur. Legantur quæ diximus cap. 3. conſect. 7.

XII. Fatemur tamen in antiqua Eccleſia ſecundas

das nuptias male audiviſſe, & apud Orientales pœnitentia mulctatas, non quia illicitæ haberentur, vel invalidæ; ſed propter cauſam ad iteratas nuptias moventem, libidinem ſcilicet, quam impellere ut plurimum viduos, & viduas ad nuptias arbitrabantur. Immo & in præſenti Eccleſiæ diſciplina ſecundæ nuptiæ non omnino probantur ſicut primæ. Quamobrem Bigami irregulares habentur, & minus idonei ad ſacra obeunda miniſteria, & etiam Sacerdotali benedictione non ſemper donantur, ut diximus ex D. Th. cap. 3. conſ. 7.

§. II.

De Indiſſolubilitate Matrimonii.

XIII. Matrimonium conſummatum indiſſolubile eſt lege naturæ, Evangelii, & Eccleſiæ. Diximus ſuperius matrimonium aliud dici *legitimum*, cujuſmodi eſt etiam apud infideles; aliud *ratum*, quod a ſolis fidelibus contrahitur; aliud denique *conſummatum*, quod videlicet carnali copula perficitur. Porro matrimonium conſummatum indiſſolubile eſſe lege naturæ evincit D. Thom. hic quæſt. 67. art. 1. ratione deſumpta ex fine matrimonii, ſobolis ſcilicet procreatione, & educatione, ſcribens: „ Matrimonium ex intentione naturæ ordi„ natur ad educationem prolis, non ſolum ad a„ liquod tempus, ſed per totam vitam prolis: unde „ de lege naturæ eſt, quod parentes filiis theſau„ rizent, & filii parentum hæredes ſint. Et ideo „ cum proles ſit commune bonum viri, & uxoris, „ oportet eorum ſocietatem perpetuo permanere „ indiviſam, ſecundum legis naturæ dictamen; „ & ſic inſeparabilitas Matrimonii eſt de lege na„ turæ “. Nec obſtat apud Gentes, & etiam apud Hebræos permiſſum repudium. Nam reſpondet D. Thom. ad 1. „ Quod ſola lex Chriſti ad „ perfectum humanum genus adduxit, reducens „ illud in ſtatum novitatis naturæ. Unde & in le„ ge Moyſi, & in legibus humanis non potuit to„ tum auferri quod contra legem naturæ (etiam „ ſecundario) erat. Hoc enim ſoli legi ſpiritus „ vitæ reſervatum eſt “. Per quam ſcilicet ablatum eſt, quidquid legibus naturæ ſive primario, ſive ſecundario adverſatur.

XIV. In Evangelica autem lege hanc indiſſolubilitatem matrimonii confirmant verba Chriſti Domini dicentis Matth. 9. *Jam non ſunt duo, ſed una caro: & quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et D. Paulus Rom. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Quæ verba expendens D. Auguſtinus de Adult. conjug. ſic ſcribit: „ Hæc verba „ Apoſtoli, toties repetita, toties inculcata, vera „ ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt. Nullius „ viri poſterioris mulier eſſe incipit, niſi prioris „ eſſe deſiverit. Eſſe autem deſinit uxor prioris, „ ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur “.

XV. Hanc legem perpetuo etiam confirmavit Eccleſia, dum in pluribus Conciliis, & præſertim in Tridentino declaravit, per adulterium vinculum matrimonii non ſolvi, ut in conſectariis oſtendemus.

XVI. Matrimonium ratum non eſt adeo indiſſolubile, ſicut conſummatum; ſed diſſolvitur per ſolemnem in Religione profeſſionem. Veritatem hujus doctrinæ confirmavit Tridentina Synodus ſeſſ. 24. can. 6. definiens: „ Si quis dixerit, ma„ trimonium ratum, & non conſummatum per ſo„ lemnem Religionis profeſſionem alterius conju„ gum non dirimi, anathema ſit “. Nec deeſt ratio, quæ oſtendit, hujuſmodi diſſolutionem non adverſari legi divinæ jubenti, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Nam duplex in matrimonio eſt conjunctio: alia ſpiritualis, quæ ſola animarum conſenſione perficitur; alia carnalis, quæ corporum commixtione completur. Hanc Chriſtus indicavit, cum præfata verba præmiſit, *jam non ſunt duo, ſed una caro*: & hæc in Eccleſia ſola morte dirimitur. Alia vero ſpiritualis ſpirituali etiam morte dirimitur: civilem autem mortem in profeſſione Religioſa & ipſæ civiles leges agnoſcunt, quæ conditum ante eam teſtamentum legitimum habent, & ratum. Immo hæ ulterius progreſſæ, & ipſum Matrimonium conſummatum profeſſione Religioſa ſolutum declarabant, ut conſtat ex Novella 23. Juſtin. cap. 40. quam tamen rejecit, & emendavit Eccleſia, ut videre eſt lib. 9. epiſt. 39. & 44. S. Gregor. Hanc autem affert rationem D. Thom. hic quæſt. 61. artic. 2. cui & aliam addit in reſp. ad 2. „ Quia „ nimirum ante copulam carnalem non eſt omni„ no translatum corpus unius ſub poteſtate alte„ rius, ſed ſub conditione, niſi interea alter con„ jugum ad frugem melioris vitæ convolet “. Sed luculentius eam confirmat perpetua, quæ ſemper viguit in Eccleſia praxis, & doctrina, hujuſmodi diſſolutionem adprobans, & concedens tanquam plurium Sanctorum exemplis confirmatam in Eccleſiaſticis hiſtoriis recitatis, Sanctæ Theclæ ex SS. Epiphanio, & Ambroſio, Sacræ Virginis Gregoriæ ex Sancto Gregorio lib. 2. Dialogorum cap. 13. Sancti Leobardi ex Gregorio Turonenſi, S. Macarii Eremitæ ex Vitis Patrum, Sanctæ Edildridæ ex Ven. Beda, & aliorum, qui relictis ſponſis ad Religionem convolarunt. Accedunt antiquorum Pontificum ſtatuta, & Decreta. Alex. III. in Concil. Later. III. celebrato duodecimo labente ſeculo ſtatuit: „ Poſt conſenſum illum legitimum „ de præſenti datum, licitum eſt alteri, altero et„ iam repudiante, Monaſterium eligere, ſicut qui„ dam ſancti de nuptiis vocati fuere, dummodo in„ ter eos carnis commixtio non intervenerit. Et „ alteri remanenti, ſi commonitus ſervare nolue„ rit continentiam, licitum eſſe videtur, ut ad „ ſecunda vota tranſire poſſit. Quia cum non „ fuiſſent una caro effecti, poteſt unus ad Domi„ num tranſire, & alter in ſeculo remanere “. Quod & repetit Innocent. III. Cap. *ex parte* de converſ. Conjug. dicens: „ Nos nolumus a Præ„ deceſſorum noſtrorum veſtigiis declinare, qui „ reſpondere conſulti, antequam Matrimonium ſit „ per carnalem copulam conſummatum, licere al„ teri conjugi ad Religionem tranſire, ita quod „ reliquus ex tunc legitime poterit alteri copula„ ri “. Nec in hac diſſolutione ulli ſit injuria; non proli, cum nulla præceſſerit congreſſio; non ſponſo, vel ſponſæ, quæ integra manet, honeſta, & pudica; unde ab alio honeſte poteſt aſſumi.

§. III.

De honeſtate, & ſanctitate Matrimonii.

XVII. Matrimonii actum in ſe honeſtum, & ſanctum eſſe ſoli antiquiores hæretici, Saturninus, Marcio, Manichæi, Encratitæ negarunt, quos indigitavit Apoſtolus, dum dixit, *futuros*, *qui prohiberent nubere*. Non enim niſi honeſtum, & licitum eſſe poteſt, quod Apoſtolus jubet, dum dicit: *Uxori vir debitum reddat*, *ſimiliter autem & uxor viro*. Et ſimiliter cum dicit 1. ad Timoth. *Volo juniores nubere*, *& procreare filios*. Quod igitur ſub præceptum cadit, honeſtum licitumque ſit, oportet; non enim de re mala dari poteſt præceptum. Quamobrem ſic prædictos hæreticos refellit D. Thom. hic quæſt. 41. artic. 3. „ Cum natura „ corporalis a Deo ſit bona inſtituta, impoſſibi„ le eſt dicere, quod ea quæ pertinent ad conſer„ vationem naturæ corporalis, & ad quæ natu„ ra inclinat, ſint univerſaliter mala. Et id„ eo cum inclinatio ſit naturæ ad prolis procrea„ tionem, per quam natura ſpeciei conſervatur, „ impoſſibile eſt dicere, quod actus, quo procrea„ tur proles, ſit univerſaliter illicitus, ut in eo „ medium virtutis inveniri non poſſit: niſi pona„ tur ſecundum quorumdam inſaniam, quod res „ corruptibiles creatæ ſunt a malo Deo. Et ideo „ eſt peſſima hæreſis “.

XVIII. Nec ſolum honeſtus, & licitus eſt Matrimonii uſus, ſed & meritorius. Ita docet D. Th. hic art. 4. ſcribens: „ Cum nullus actus ex deli„ berata voluntate procedens ſit indifferens, actus „ matrimonialis ſemper eſt peccatum, vel meri„ torius in eo qui gratiam habet. Si enim ad a„ ctum matrimonialem virtus inducat, vel juſtitiæ, „ ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad „ cultum Dei procreetur, eſt meritorius, &c.

XIX. In Matrimonio confertur gratia ſanctificans, non quidem prima, quæ animam emundat, ſed quæ ſuo incremento ornat. Prima hujus doctrinæ pars eſt de ſe manifeſta, cum Matrimonium non ſit Sacramentum mortuorum ad amiſſam gratiam recuperandam ordinatum, cujuſmodi ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia. Altera vero conſtat; nam Matrimonium in ſuſcipiente gratiam ſupponit, non producit. Et revera Matrimonii Sacramentum, juxta Apoſtolum Paulum, imaginem exhibet unionis Chriſti cum Eccleſia: at puriſſimam hanc immaginem anima nonniſi in ſtatu ſanctitatis, & juſtitiæ exhibere poteſt: qui itaque lethali peccato inquinati ad hoc Sacramentum accedunt, illud profanant, & ſacrilegii coinquinantur peccato. Cum vero in omni Sacramento hæc tria reperiri debeant, res quæ ſignificatur, Sacramentum, quod ſignificat; & res & Sacramentum, quæ & ſignificant, & ſignificantur; Sacramenti locum obtinent in Matrimonio exteriores actus, mutuum conſenſum, & indiſſolubilem conjunctionem ſignificantes, quæ unionem denotant Chriſti cum Eccleſia. Res vero eſt gratia in illa conjunctione donata, & quę per unionem illam ſignificatur. Res denique, & Sacramentum ſimul conſtituuntur in illa obligatione, ſeu vinculo, & fœdere nuptiali, quod ex actibus illis conſurgit, quodque nullo divortio tolli poteſt.

XX. Præter gratiam ſanctificantem, propriam etiam confert Matrimonii Sacramentum, quæ, ut docet S. Thom. in IV. ſent. diſt. 26. q. 2. art. 3. in auxiliis gratiæ ad munia Matrimonii recte, ſancteque obeunda conſiſtit, ſic enim ſcribit: „ Ma„ trimonium, inquantum in fide Chriſti contrahi„ tur, habet, ut conferat gratiam adjuvantem ad „ illa operanda, quæ in Matrimonio requirun„ tur .... quia ubicumque datur divinitus aliqua „ facultas, dantur etiam auxilia, quibus homo „ convenienter uti poſſit facultate illa .... Unde „ cum in Matrimonio detur homini ex divina in„ ſtitutione facultas utendi ſua uxore ad procrea„ tionem prolis, datur etiam gratia, ſine qua id „ convenienter facere non poſſet “.

XXI. Hujus autem gratiæ peculiaris, & propriæ hujus Sacramenti hæc ſunt munera, & beneficia. 1. Cum ſit in concupiſcentiæ remedium inſtitutum, eam cohibet, atque refrænat. Unde ſcribit S. Auguſtinus lib. *de bono conjugali* cap. 5. „ Ad hoc „ nuptiæ ſunt, ut illa concupiſcentia redacta ad „ legitimum vinculum, non deformis, & diſſoluta „ fluitaret, habens de ſe ipſa irrefrænabilem car„ nis infirmitatem “. 2. Præſtat, ut chriſtiani conjuges quærant prolem, non tantum quæ terrenæ familiæ incrementum præſtet, & perſeverantiam, ſed quæ renata Baptiſmi lavacro Chriſti, & Eccleſiæ populum augeat. Unde ſubdit Auguſt. lib. 1. *de Nupt. & concup.* cap. 17. „ In nuptiis diligatur „ proles, non ut naſcatur tantum, verum etiam „ ut renaſcatur; naſcitur enim ad pœnam, niſi re„ naſcatur ad vitam “. 3. Præſtat, ut Chriſtiani conjuges datam ſibi mutuo fidem inviolatam conſervent, non quidem, ut inquit Auguſtinus loco laud. „ Qualem habent inter ſe etiam infideles „ zelantes carnem. Quis enim vir, quamlibet im„ pius, vult adulteram uxorem? aut quæ mulier, „ quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc „ in connubio bonum naturale eſt quidem, tamen „ carnale. Sed membrum Chriſti conjugis adulte„ rium conjugi debet timere, non ſibi, & a Chri„ ſto ſperare fidei præmium quam exhibet conju„ gi “. 4. Præſtat, ut filios, & filias enutrire, educare, inſtruere poſſint, ut inquit Apoſtolus, *in diſciplina*, *& correctione Domini*. 5. Denique, ut onera, incommoda, &, ut vocat Apoſtolus, *tribulationes carnis* fortiter, & utiliter chriſtiani conjuges valeant ſuſtinere. Et heu quot incommoda, & tribulationes, ut inquit S. Auguſtinus, „ in ſuſpicionibus zeli conjugalis, in procreandis „ filiis, atque enutriendis, in timoribus & mœro„ ribus orbitatis! Quotus enim quiſque, cum ſe „ connubii vinculis alligaverit, non iſtis trahatur, „ atque agitetur affectibus “?

CAPUT UNDECIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Concubinæ in Veteri Teſtamento veræ erant uxores.*

II. *Polygamia in Veteri Teſtamento omnibus conceſſa fuit.*

III. *Matrimonium adulterio minime ſolvitur quoad vinculum.*

IV. *Nec ratum voto ſimplicis caſtitatis, vel Ordinum majorum ſuſceptione.*

V.

V. *Bimeſtre conjugibus conceſſum ad Religionem ingrediendam.*
VI. *Num diſpenſatione Pontificis diſſolvatur Matrimonium ratum.*
VII. *Converſio ad fidem catholicam aliquando Matrimonium diſſolvit.*
VIII. *Interpellatio eſt præmittenda ad Matrimonii diſſolutionem.*
IX. *Quando diſſolvatur Matrimonium Neophyti cum infideli.*
X. *Quam uxorem retinere poſſit infidelis converſus, qui plures habuit.*
XI. *Non ſemper primam retinere cogitur.*
XII. *Licet & hæc ad fidem convertatur.*
XIII. *Per religioſam profeſſionem, invita altera parte emiſſam, non ſolvitur Matrimonium.*
XIV. *Nec per Sacrorum Ordinum ſuſceptionem.*
XV. *Licitus non eſt uſus Matrimonii ſolius voluptatis cauſa.*
XVI. *Nec cauſa vitandæ fornicationis.*
XVII. *Nec ſanitatis gratia.*

§. I.

Conſectarium Primum.

I. Concubinæ in Veteri Teſtamento in thorum aſſumptæ veræ erant uxores, non ad tempus, ſed in perpetuum. Id patet manifeſte, quia illæ eædem, quæ concubinæ dicuntur, & uxoris nomine donantur. Unde de Agar Abrahami concubina dicitur Gen. 16. v. 3. *Tulit* (Sara) *Agar Ægyptiam ancillam ſuam..... & dedit eam viro ſuo uxorem*. Cethura quoque altera Abrahæ concubina uxor vocatur Gen. 25. v. 1. ubi dicitur: *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram*. Et Judicum 19. de Levita dicitur: *Accepit ſibi uxorem concubinam de Bethleem Juda*. Diſcrimen itaque uxorem inter & concubinam in eo ſitum erat, quod uxores ſolemniori quodam ritu in Matrimonium aſſumebantur, & matres-familias nuncupabantur, ex quibus orti filii hæreditatem paternam conſequebantur; Concubinæ vero conjuges erant, ſed inferioris ordinis, quæ ex conjugio conditionem non mutabant, nec priorum fruebantur privilegiis, eorumque filii cum uxorum filiis hæreditatem non partiebantur, ſed a parente muneribus donabantur. Hinc Gen. 25. dicitur: *Abrahamum omnia, quæ poſſederat, Iſaaco in hæreditatem dediſſe; concubinarum vero filiis munera eſſe largitum, & eos a filio ſejunxiſſe*. Nec urget dimiſſam fuiſſe ab Abrahamo Agar. Nam eam dimiſit a ſe quidem thoro ſejunctam ex Divino mandato, non vero a vinculo Matrimonii libello repudii ſolutam.

Conſectarium ſecundum.

II. Polygamia non ſolis Patriarchis, & primoribus ex Judæis, ſed omnibus permiſſa fuit. Ita docet S. Thom. hic q. 45. art. 2. ſcribens: „ In „ hoc (Polygamia) a ſolo Deo diſpenſatio fieri „ potuit per inſpirationem internam, quæ quidem „ principaliter Patribus ſanctis facta eſt, & per „ eorum exemplum ad alios derivata “. Et revera nunquam legitur, Prophetas, Dei honorem zelantes, Judæos de pluritate uxorum reprehendiſſe. Num vero & Gentilibus conceſſa fuerit hæc diſpenſatio polygamiæ, diſputant Theologi, nonnulli putantes hanc diſpenſationem & ad illos extenſam exemplo populi Judæorum; & quia Eſther non refugit nubere Aſſuero Principi infideli, & Polygamo. Alii negant, quia, inquiunt, ſi licita fuiſſet Gentilibus Polygamia, & modo illis eſſet conceſſa, cum lex chriſtiana in infidelium conjugiis nihil mutaverit. At hæc ratio mihi admodum infirma videtur, cum Chriſtus jam ipſum Matrimonium ad primam ſuæ inſtitutionis legem revocaverit, per quam unus uni jungi tantum licet. Tulit igitur de medio & in omnibus Gentibus polygamiæ uſum & conſuetudinem. Addunt, polygamiam nulli conceſſam, ut inquit S. Thom. niſi per divinam inſpirationem. At quis dicat Deum Gentiles ſua revelatione dignatum eſſe? Denique addunt, licitam evaſiſſe Gentilibus Polygamiam ex univerſali uſu & more. Unde ajebat D. Auguſtinus lib. 22. cont. Fauſtum cap. 47. „ Quando mos erat, peccatum non erat; nunc „ propterea crimen eſt, quia mos non eſt “. Verum cum hæc quæſtio ad mores non conducat, ſat eſt noſſe, modo Gentiles ad fidem converſos nonniſi unam habere poſſe uxorem, & quidem primam, quam ſibi quiſque Matrimonio copulavit, ut inferius dicemus.

§. II.

Conſectarium Tertium.

III. Matrimonium inter fideles celebratum adulterio minime ſolvitur. Diſſolvi putant Greci, quibus adhærent nonnulli inter catholicos Theologi, qui Tridentinum canonem ad diſciplinam pertinere arbitrantur, non ad doctrinam, & dogmata. Verum doctrina poſita & omnino certa eſt, & ad Catholicum dogma proxime accedit. Ait enim Chriſtus Lucæ 16. v. 8. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & aliam ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur;* & iterum Marci cap. 10. dicitur: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*. In quibus Evangelii verbis nulla exceptio, nulla eſt appoſita limitatio, ſed abſolute adulterii reus pronunciatur, qui dimiſſa uxore, aliam ſibi conjungit, & qui dimiſſam ab alio uxorem ſibi Matrimonium jungit. At inquiunt Græci, & heterodoxi, qui adulterio dirimi Matrimonium arbitrantur, in Evangelio Matth. 19. aperte exceptio habetur: dicit ſiquidem Chriſtus: „ Quicumque dimiſerit uxorem „ ſuam *niſi ob fornicationem*, & aliam duxerit, „ mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœcha„ tur “. Fornicatio eſt igitur juſta cauſa uxorem dimittendi, qua dimiſſa, alia induci poteſt. At a vero aberrant: nam illa exceptio *nib oſi fornicationem* ad primum pertinet dictum, nimirum *non licere dimittere uxorem niſi ob fornicationem*, non vero ad alterum, in quo adulterium committi dicitur, & ab eo, qui dimiſſa uxore ob fornicationem aliam ducit, & ab eo, qui ab alio dimiſſam ob fornicationem ſibi in uxorem aſſumit. Et præterea ſi qua foret in verbis S. Matthæi ambiguitas, hæc tollitur omnino ab aliis clarioribus teſtimoniis

niis S. Matth. & Marci, in quibus nulla ambiguitas, nulla limitatio, exceptio nulla. Accedit teſtimonium D. Pauli, qui aperte adulteram pronunciat abſque ulla exceptione uxorem, quæ vivente marito alteri jungitur. Ita enim docet ad Rom. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Audiatur D. Auguſt. lib. 2. de Adulter. Conjug. c. 5. ubi laudata Apoſtol. verba expendens ſic ſcribit: ,, Licet dimittatur uxor ob cauſam fornica- ,, tionis, non carebit illo vinculo, etiamſi num- ,, quam reconcilietur viro; carebit autem, ſi mor- ,, tuus fuerit vir ejus... Remanet itaque, ut ſi ,, ſecundum Apoſtolum ſapere volumus, non dica- ,, mus virum adulterum pro mortuo deputandum, ,, & ideo licere uxori ejus alteri nubere. Quamvis ,, enim ſit mors adulterium, non corporis, ſed ,, quod pejus eſt, animæ; non tamen de iſta mor- ,, te loquebatur Apoſtolus, cum dicebat, *quod ſi* ,, *mortuus fuerit vir ejus, cui vult, nubat:* ſed ,, de illa ſola, qua de corpore exitur. Quoniam ,, ſi per conjugis adulterium conjugale ſolvitur ,, vinculum, ſequitur illa perverſitas, quam ca- ,, vendam eſſe monſtravi, ut & mulier per impu- ,, dicitiam ſolvatur hoc vinculo: quæ ſi ſolvitur, ,, libera erit a lege viri; & ideo quod inſipientiſ- ,, ſime dicitur, non erit adultera, ſi fuerit cum a- ,, lio viro, quia per adulterium liberata eſt a prio- ,, re viro. Quod ſi ita eſt a veritate devium, ut ,, nullus id, non dico chriſtianus, ſed humanus ,, ſenſus admittat; profecto *mulier alligata eſt,* ,, *quamdiu vir ejus vivit:* quod ut apertius di- ,, cam, quamdiu vir ejus in corpore eſt ".

Chriſti doctrinam pari ſenſu intellexere antiquiores Græci Patres. S. Juſtinus M. apolog. 2. abſolute pronunciat tanquam unum ex chriſtianæ doctrinæ capitibus: ,, Qui repudiatam a viro alteri ,, nupſerit, adulterium committit ". Clemens Alex. lib. 2. Strom. ſcribit: ,, Chriſtus legem aper- ,, te conſtituit: Non dimittes uxorem, præterquam ,, propter fornicationem ". Adulterium autem exiſtimat conjungi Matrimonio vivo altero ex ſeparatis ſubdens: ,, Qui autem dimiſſam accipit uxo- ,, rem, mœchatur eam, hoc eſt cogit mœchari. ,, Non ſolum autem qui dimiſit, eſt ejus cauſa, ,, ſed etiam qui eam ſuſcipit, præbens mulieri ,, peccandi occaſionem. Si enim non ſuſcipiat eam, ,, revertatur ad virum ". S. Baſilius lib. de Virg. docet ,, Mulierem, quæ vivente viro alteri nubit, ,, mœchari... Non audis, quod etiam qui dimiſ- ,, ſam duxerit, mœchatur. Etſi enim pro culpa ,, dimiſſa eſt, attamen vivit vir ipſius ". Idem ſentit & Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui perverſam uxorem peſtem appellat, *quam nulla liceat ratione fugare.* Nec officit S. Baſilium in epiſt. ad Amphilochium, appellare conſuetudinem ſuo tempore vigentem, ut vir ab uxore relictus ob fornicationem alteri mulieri copuletur, *venia dignam.* Hoc enim dicit ſpectatis civilibus legibus id permittentibus, at non inſpecta Chriſti lege: ſic enim ſcribit: ,, Qui relictus eſt, dignus eſt venia, & ,, quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur. Sed ,, ſi vir, qui ab uxore diſceſſit, acceſſit ad aliam, ,, eſt & ipſe adulter; & quoniam fecit eam adul- ,, terari, & quia ei cohabitat, eſt adultera; eo ,, quod alienum virum ad ſe traduxit ". Denique idem confirmat S. Jo. Chryſoſt. Hom. 17. in Matth. dum mulierem ob adulterium dimiſſam, ſemper dimittentis viri uxorem agnoſcit: ſcribit ſiquidem: ,, Ille (qui uxorem fornicariam dimittit) ,, etſi alteram non duxerit, hoc ipſo ſe conſtituit ,, criminis reum, quia adulteram fecit ex conju- ,, ge. Hic vero excipiendo alienam, adulter effe- ,, ctus eſt. Neque enim mihi referas, quia illam ,, alter ejecit: nam expulſa quoque uxor, ejus eſ- ,, ſe, qui eam expulit, perſeverat ". Latinorum Patrum teſtimonia obvia ſunt in polemicis Theologis legenda.

Eamdem veritatem definiere Summi Pontifices Innoc. I. epiſt. 3. ad Exuperium Toloſanum, & III. tit. 19. de divortiis Cap. *Gaudeamus.* Nec non Concilia Eliberitanum anni 305. can. 9. Arelatenſe anni 314. can. 10. Milevitanum anni 416. cui S. Auguſtinus interfuit can. 17. Forojulienſe ſeculi VIII. cap. 10. Florentinum in Decreto pro Inſtruct. Armenorum, & denique Tridentinum definiens ſeſſ. 24. can. 7. ,, Si quis dixerit, Eccle- ,, ſiam errare, cum docuit, & docet juxta evan- ,, gelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter a- ,, dulterium alterius conjugum Matrimonii vincu- ,, lum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam ,, innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, ,, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud Matri- ,, monium contrahere, mœcharique eum, qui di- ,, miſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ di- ,, miſſo adultero, alii nupſerit; anathema ſit ". In quo Decreto licet directe non dicatur anathema in aſſerentes, adulterio diſſolvi Matrimonium, ſed ſolum in affirmantes, Eccleſiam errare, dum docet adulterio Matrimonium non diſſolvi, tamen in eandem recidit ſententiam: nam ſi non errat Eccleſia in ſua doctrina, errant profecto qui contrariæ adhærent doctrinæ. Hinc merito tum in fidei profeſſione pro Græcis Orientalibus ſtabilita, tum in Inſtructione Clementis VIII. pro Italo-græcis, quam confirmavit Benedictus XIV. in ſua Conſtitut. *Etſi Paſtoralis* §. 8. ſolemniter aſſertum fuit catholicum dogma adverſus errorem Græcorum de indiſſolubilitate Matrimonii, quoad vinculum. Quamobrem S. Congregatio decrevit, Græcum qui ſchiſmate abjurato, in quo ob adulterium conjugis eam dimiſerat, impetraveritque etiam a Judice poteſtatem alteram ducendi uxorem, non poſſe novum Matrimonium celebrare, cum primum minime fuerit, quoad vinculum, diſſolutum.

Conſectarium Quartum.

IV. Matrimonium ratum, & non conſummatum non ſolvitur voto caſtitatis emiſſo, vel ſuſceptione ſacrorum Ordinum, vel vitæ eremiticæ aſſumptione. Patet veritas hujus doctrinæ tum ex dictis c. præced. §. 2. nu. 16. ubi oſtendimus hocce privilegium ex perpetua Eccleſiæ praxi nonniſi concedi profeſſioni ſolemni in Religione ab Eccleſia adprobata, quippe quæ ſpiritualis, & civilis mortis præfert imaginem: quod profecto non præſtat nec caſtitatis ſimplex votum, quod ſtatum permanens & ſtabile non conſtituit; nec Ordinum ſacrorum ſuſceptio, cum hæc temporalium bonorum admi-

ni-

niſtrationem, uſum, dominium non impediat, immo abſolute, & de ſe matrimonii ſtatui non repugnet, ſed ſolum ſtatutis, & decretis Eccleſiæ. Vita pariter eremitica, cum talis non ſit, quæ ſtabilitatem conſtituat, & ſpem omnem auferat regreſſus ad ſecularem vitam, cum tota ex ſuſcipientis pendeat voluntate, matrimonium ratum non valet dirimere.

Conſectarium Quintum.

V. Conjugibus, celebrato coram Parocho, & teſtibus matrimonio, duorum menſium conceduntur induciæ ad deliberandum de Religionis ingreſſu. Ita ſtatuitur in Jure can. cap. 7. de Converſ. conjug. ubi Pontifex ſic jubet: „ Mandamus, quatenus ſi prædictus vir eam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem tranſire voluerit, recepta ab ea ſufficienti cautione, quod vel ad Religionem tranſire, vel ad virum ſuum redire intra duorum menſium ſpatium debeat, ipſam abſolvas ". Poteſt itaque a matrimonii conſummatione abſtinere conjux, licet alteruter debitum petat, per hoc bimeſtre, ſi de Religioſo ſtatu amplectendo animum habeat. At ſi revera de Religione ingredienda non cogitet, nulla ſubeſt ratio debitum denegandi, cum hæc ſola videatur cauſa a Pontifice aſſignata, ut quod ſtatim ex juſtitia præſtari deberet, poſſit aliquantulum differri. Putat tamen Sanchezius poſſe abſolute hoc privilegio uti, quia etſi tunc non cogitet, poteſt tamen fieri, ut Deo inſpirante animum mutet. Verum in his, non quod fieri poſſit, ſed quod probabile eſt, ſolum inſpectandum videtur: non enim poſſibilia, ſed probabilia regulam conſtituunt humanarum actionum. Libenter tamen crederem poſſe hoc privilegio uti uxorem, quæ Matrimonium nullum ob aliquod occultum impedimentum celebrare ob ſcandalum vitandum coacta eſt, ut interim poſſit a ſacra Pœnitentiaria diſpenſationem obtinere. Si enim, ut meliorem eligat ſtatum, poteſt a debito reddendo abſtinere; multo mihi videtur æquius abſtinere poſſe ad vitandam culpam. Hoc autem bimeſtre ſpatium nec reſtringi poteſt, nec dilatari, cum ſit tempus a jure determinatum; niſi forte jam pro ingreſſu, omnibus conſtitutis, ſcilicet obfirmatus ſit animus Religionem ingrediendi, delectum Monaſterium, ſecuta in eo acceptatio, aliquot ſint dies adhuc expectandi, donec uxor vel a levi morbo convaleſcat, vel opportunus ſit Monaſterii ingreſſus, & ſimilia. Non dirimitur tamen Matrimonium, niſi celebrata ſolemni profeſſione; licet hæc ultra annum differatur ob deficientiam ætatis ad profeſſionem deſignatæ, pro qua eſt a Tridentino conſtitutus annus decimus ſextus expletus. Quod ſi vir per vim, vel metum intra bimeſtre copulam extorqueat, tunc redditur Matrimonium indiſſolubile: quia ita conjuges effecti ſunt una caro, & cum ex parte copulam extorquentis fuerit libere conſummatum, jam effectum eſt indiſſolubile; proinde & ex altera parte, cum Matrimonium claudicare non poſſit, & ex una parte diſſolubile, ex alia eſſe indiſſolubile. Nec puto tanti faciendam injuriam illatam, ut invito marito adhuc poſſit uxor Religionem ingredi, cum tunc enormiter maritum gravet, qui uxorem amittit, & aliam ſibi non valet copulare. At hæc adeo rara ſunt, & inſueta, ut diutius in eorum examine verſari otio ſit abuti, & patientia Lectoris.

Conſectarium Sextum.

VI. Num Pontifices Summi valeant in matrimonio rato diſpenſare, ad ipſos pertinet definire. Cum in re tam momentoſa, cujuſmodi eſt Matrimonii rati diſſolutio, Pontifices nonniſi rebus bene ex omni parte expenſis, & auditis tum Canoniſtarum, tum Theologorum votis deliberent, ambigendum non eſt, illos prudentiſſime & ſapientiſſime ſe gerere, quamcumque eligant opinionem; nec niſi audacis eſſet Theologi, & impudentis, vel nimii rigoris damnare, ſi denegent diſſolutionem, vel nimiæ indulgentiæ, ſi impertiantur. Cum itaque nonnulli Pontifices diſſolutionem conceſſerint Matrimonii rati, illos de ſuæ poteſtatis abuſu damnare inſtar ſacrilegii haberem. Illis itaque eſt hujus controverſiæ definitio relinquenda, cum præſertim quidquid vel in ſuæ poteſtatis favorem, vel contra adduci poteſt, jam in omnibus pene ſive Theologi, ſive Canonici juris Doctoribus, vel hiſtorice, vel definitive pro alterutra parte copioſe traditum ſit; quos qui volet, adire poterit. Inter fabellas tamen eſt amandanda quorumdam narratio de tredecim Matrimonii rati diſſolutionibus uno die a Gregorio XII. conceſſis. Sicut nec timendum, ne Pontifices ſua abutantur poteſtate, & laxorum Caſuiſtarum ſectantes doctrinas, levioribus de cauſis Matrimonii rati concedant diſſolutionem; cujuſmodi ſunt, quæ a Sanchezio adducuntur, ſcilicet diſparitas conditionis inter contrahentes cæco ductos affectu ad Matrimonium, gravis timor ſcandali, lepra ſuperveniens, ſterilitas, ut vir fieri poſſit Epiſcopus, & etiam mutuus conjugum in diſſolutionem conſenſus.

Conſectarium Septimum.

VII. Converſio ad fidem catholicam aliquando Matrimonium etiam conſummatum diſſolvit. Huic doctrinæ adverſatur quidam Theologus Gallus, qui diſputationem typis vulgavit, qua conatur oſtendere D. Paulum in ſua 1. ad Corinth. cap. 7. v. 12. & 13. minime docuiſſe, licere parti infideli ad fidem converſæ novum Matrimonium inire, vivente altera parte, licet hæc nec converti velit, nec cum viro vivere ſine injuria Creatoris; proinde doctrinam & diſciplinam, quæ a pluribus ſeculis in Eccleſia obtinuit, ut hujuſmodi Matrimonia diſſoluta cenſeantur, adverſari doctrinæ Chriſti, & Apoſtoli de Matrimonio conſummato in quocumque ſtatu quoad vinculum indiſſolubile. Verba autem Apoſtoli, *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam: & ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum.... Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror: in pacem autem vocavit nos Deus*, interpretatur non de infidelibus Matrimonio junctis, ſed de illis, qui ſimul cohabitabant in concubinatu, quorum inter Paganos pene infinitum arbitratur numerum: & de his dicit, poſſe facta ſeparatione ad aliud Matrimonium convolare,

re, niſi pars infidelis converſi velit vel ſine injuria Creatoris converſari, ſed vero prius celebrato Matrimonio. Fatetur quidem aliter ſentire D. Auguſtinum de Serm. Dom. lib. 1. cap. 16. qui Apoſtolum locutum dicit de vere conjugatis in infidelitate, ſcribit enim: „ Dicebat ſuperius ex Domini „ perſona iis, qui ſunt in conjugio, nunc vero ex „ ſua perſona cæteris dicit, ergo fortaſſe iis, qui „ non ſunt in conjugio? Sed non hoc ſequitur, ita „ enim ſubjungit, *Si quis frater habet uxorem in-* „ *fidelem*, *& hæc conſentit habitare cum illo*, *non* „ *dimittat illam*. Ergo etiam nunc iis dicit, qui „ ſunt in conjugio. Quid ſibi ergo vult, quod ait „ *ceteris?* Niſi quia ſuperius iis loquebatur, qui „ copulati erant, ut pariter in fide Chriſti eſſent; „ cæteris vero nunc dicit, ideſt iis, qui ſic copu- „ lati ſunt, ut non ambo fideles ſint “. Putat autem S. Doctorem hallucinatum eſſe, quia in vulgata legebat, ſi quis frater habet *uxorem*, cum ex græco legendum eſſet, ſi quis frater habet *mulierem*, hanc enim interpretationem putat adhibendam verbo græco *gynæca*.

At melius puto Diſſertatorem, licet virum doctiſſimum, diſertiſſimum, & acutiſſimum, a veritate aberrare, & male vulgatæ interpretationem reprehendere, in qua loco *mulieris* legitur *uxor*, hiſce permotus argumentis. 1. Tridentina Synodus vulgatam editionem tot ſeculorum uſu in Eccleſia probatam pro authentica eſſe habendam mandat, & præcipit, videlicet (quod minimum eſt) nihil in ipſa contineri, quod veritatibus fidei, & ſanctitati morum adverſetur. Porro ſi præfata verſio verbi græci *gynæca*, quod in noſtra vulgata vertitur *uxor*, erronea eſſet, & ejus loco ponendum *mulier*, errorem contineret ſanctitati Matrimonii, ejuſque indiſſolubilitati adverſantem: nam anſam præberet diſſolvendi Matrimonium contra Chriſti præceptum, & inducendi in Eccleſiam tot adulteria, quot fuere celebrata Matrimonia ab infidelibus ad fidem converſis. 2. Eadem Tridentina Synodus vetat, ne quis ſacram Scripturam interpretari audeat contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum; aut etiam contra unanimen conſenſum Patrum. Atqui Eccleſia ſemper verba Apoſtoli intellexit de uxore, & viro, qui ad fidem converſi, niſi vel convertantur, vel ſimul cohabitare velint ſine injuria Creatoris, poſſint ad aliud Matrimonium tranſire. Ergo aliter verba illa interpretari, eſt adverſum ſenſui & doctrinæ, quam ſemper tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia; quæ profecto turpiter erraſſet tot adulteria ſub fuco Matrimonii adprobando. Id patet manifeſte ex S. Auguſtino, qui licet in lib. de Adult. Conjug. totus ſit in exquirenda cauſa, cur Matrimonium de ſe inſolubile, tamen ſolum in hoc unico caſu, ceteris omnibus cauſis, quantumvis magnis & urgentibus excluſis, diſſolvi poſſit, ingenue fatetur, ſe aſſignare non poſſe, & rem eſſe obſcuriſſimam; tamen pro certo habet, hujuſmodi infidelium Matrimonia in Eccleſia legitima haberi, nec hanc doctrinam ipſe primum invexit, ſed in Eccleſia confirmatam invenit, & in verbis Apoſtoli fundatam. Erraſſet igitur Eccleſia a primis uſque ſeculis & in intelligentia verborum Apoſtoli, & quod pejus eſt, in admittenda diſſolutione Matrimonii inſolubilis, & adulteria ejus loco ſubſtituendo, & adprobando; quod nemo religioſus, cordatus & pius adfirmare audebit. Diſſertatoris argumenta diſcutienda non ſuſcipio: neque enim ejus Diſſertationem impugnare contendo, ſed doctrinam Eccleſiæ jam diu obtinentem ſolum tueri, quam tradidere Summi Pontifices. Innocentius III. Cap. *Quanto* de Divort. ſic ſtatuit: „ Si „ alter infidelium conjugum ad fidem catholicam „ convertatur, alter vero nullo modo, vel ſine „ blaſphemia divini nominis... ei cohabitare vo- „ luerit, qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, „ vota tranſibit: & in hoc caſu intelligimus, quod „ ait Apoſtolus: *Si infidelis diſcedit*, *diſcedat:* „ *Frater enim*, *vel ſoror non eſt ſervituti ſubjectus* „ *in hujuſmodi* “. Et Bened. XIV. l. 6. c. 4. n. 3. ſcribit: „ Certum eſt infidelium conjugium ex „ privilegio in fidei favorem a Chriſto Domino „ conceſſo, & per Apoſtolum 1. ad Corinth. 7. „ promulgato, diſſolvi, cum conjugum alter chri- „ ſtianam fidem amplectitur, remanente altero in „ ſua infidelitate obdurato, & nolente cohabitare „ cum converſo, vel cohabitare quidem volente, „ ſed non ſine contumelia Creatoris “.

Conſectarium Octavum.

VIII. Antequam fidelis converſus Matrimonium diſſolvat, partem interpellare debet, num velit converti, vel ſimul habitare ſine injuria Creatoris. Hæc doctrina ab ipſo Apoſtolo deſumpta eſt, qui jubet fideli, ſive viro, ſive uxori, ne diſcedant ab invicem, ſi conſentiant habitare ſine injuria Creatoris. Ita docet S. Th. in IV. Diſt. 39. art. 5. ſcribens: „ Quando alter conjugum ad fidem conver- „ titur, altero in infidelitate remanente, diſtin- „ guendum eſt. Quia ſi infidelis vult cohabitare „ ſine contumelia Creatoris, vel ſine hoc quod ad „ infidelitatem inducat, poteſt fidelis libere diſce- „ dere; ſed diſcedens non poteſt alteri nubere. Si „ autem infidelis non velit cohabitare ſine contu- „ melia Creatoris... tunc vir fidelis diſcedens pot- „ eſt alteri per Matrimonium copulari “. Et ita etiam definivit Sacra Congregatio Cardinalium relata a Benedicto XIV. de Syn. l. 13. Cap. 21. n. 1. qui etiam ibidem obſervat; cohabitationem fidelis cum viro infideli ſemper periculum afferre, ne neophytus ad vomitum redeat, vel ne alio modo in peccatum trahatur; proinde hujuſmodi cohabitationem a Concilio Toletano præſertim cum Judæis vetitam. Concludit tamen cum Cabaſſutio, hanc dubii reſolutionem & ad Epiſcopum ſpectare, & pendere a caſuum circumſtantiis, & moribus regionum. Immo addit, conceſſum fuiſſe aliquando a Sede Apoſtolica, ad quam unice ſpectat in hoc diſpenſare, ut infidelis converſus, etiam omiſſa interpellatione, valeat Matrimonium celebrare; quemadmodum conceſſum fuit a Gregorio XIII. locorum Ordinariis, Parochis, & Presbyteris in Angola, Æthiopia, & Braſilea degentibus, & ipſemet conceſſit Apoſtolico Nuncio Venetiis commoranti, ut urgentibus cauſis ab ipſo expendendis, poſſit ab interpellationis onere relevare conjuges converſos exiſtentes in loco pio Catechumenorum ejuſdem Civitatis Venetiarum.

Con-

Conſectarium Nonum.

IX. Non diſſolvitur Matrimonium infidelis ad fidem converſi cum infideli in infidelitate permanente, niſi quando fidelis Matrimonium cum alia contrahit. Inficiantur plures Theologi, & Canoniſtæ, putantes tunc diſſolvi Matrimonium, quando interpellata parte infideli, hæc vel recuſat, vel intra præſtitutum tempus non reſpondet. Verum noſtra doctrina & probabilior eſt, & unice vera, quam docet S. Thomas in IV. Diſt. 39. q. 1. art. 5. ad 2. ſcribens: „ Crimen uxoris nolentis cohabitare ſine contumelia Creatoris abſolvit virum a ſervitute, qua tenebatur uxori, ut non poſſet, ea vivente, aliam ducere, ſed nondum ſolvit Matrimonium; quia ſi blaſphema illa converteretur, antequam ille aliud Matrimonium contraheret, redderetur ei vir ſuus; ſed ſolvitur per Matrimonium ſequens, ad quod pervenire nón poſſet vir fidelis non ſolutus a ſervitute uxoris per culpam ejus “. Ita etiam ante docuerat Sanctus Raymundus lib. 4. dicens: „ Solvitur Matrimonium quoad ſervitutem, ſed non quoad ſubſtantiam, niſi tunc demum dum contrahit cum alia Matrimonium “. Hinc ſi Neophytus reliquerit in infidelitate uxorem, quæ, poſt ejus converſionem interpellata, non ſolum renuerit vel converti, vel cum converſo cohabitare, ſed alteri infideli nupſerit, ſi forte contingat, illam poſt plures annos ſimul cum ſecundo marito ad fidem converti, vivente priore viro cœlibe, ad iſtum reverti debet, poſteriore relicto, cum reſpectu utriuſque nullo pacto diſſolutum ſit Matrimonium: non reſpectu mulieris, dum erat in infidelitate, quæ alteri vivente primo Marito, nubere non poterat; non reſpectu Mariti ad fidem converſi, qui alteram non duxerat uxorem, & qui jam cum ſua legitima uxore cohabitare poteſt, & convivere: tenentur itaque ambo copulari. Ita laudatus Pontifex loc. cit. & etiam ipſo ſuadente ſic deciſum fuit in Sacra Congregatione in una Florentina anni 1726. dum ipſe ejuſdem Congregationis foret a Secretis, prout etiam deciſum narrat in aliis Congregationibus annorum 1679. & 1680. Legatur ejus diſcurſus inter Deciſiones Concilii typis impreſſus, Tom. 2. Decif. 542. pag. 130. Edit. Remondin.

Conſectarium Decimum.

X. Qui in infidelitate plures habuit uxores, ſolum cum prima legitimum iniit Matrimonium; eapropter cum ipſa fidem amplectente, vel habitare volente cum converſo ſine offenſa Creatoris, ceteris omnino rejectis, commorari, & cohabitare tenetur. Ita S. Thom. in IV. Diſt. 39. artic. 3. ad 4. ſcribens: Habere plures uxores eſt contra „ legem naturæ, cui etiam infideles ſunt adſtricti. Et ideo non eſt verum Matrimonium infidelis, niſi cum illa, cum qua primo contraxit. Unde ſi ipſe cum omnibus ſuis uxoribus convertatur, poteſt cum prima cohabitare, & alias abjicere “. Quod & ad repudium extendit ſubdens ad 5. „ Repudium uxoris eſt contra legem naturæ: unde non licet infideli uxorem repudiare: & ideo ſi convertatur, poſtquam una repudiata alteram duxit, idem judicium eſt de hoc, & de illo, qui plures uxores habebat, quia tenetur primam, quam repudiaverat, accipere, ſi converti voluerit, & aliam abjicere “.

Conſectarium Undecimum.

XI. Qui in infidelitate plures habuit uxores, & converſus cum prima cohabitare nequit, quippe quæ interpellata, in infidelitate pertinax perſiſtit, & cum illo habitare recuſat, poterit unam ex illis, quam maluerit, in uxorem accipere, vel omnibus rejectis cum alia copulari. Ita docet S. Thom. loc. l. ſubdens: „ Si prima converti noluerit, & aliqua illarum convertatur, idem jus habet contrahendi cum illa de novo, quod cum alia haberet “. Ratio autem hujus doctrinæ eſt de ſe manifeſta: nam cum Matrimonium cum prima jam ex ejus in infidelitate pertinacia factum ſit ſolubile, poteſt cum alia contrahere, nec determinate cum aliqua ex aliis uxoribus, cum nullum fuerit & invalidum cum omnibus; poterit igitur vel quam maluerit, eligere, vel etiam omnibus rejectis aliam ſibi Matrimonio copulare.

Conſectarium Duodecimum.

XII. Matrimonium Neophyti celebratum poſt converſionem ſtabile perſeverat, licet conjux, quam in infidelitate habebat, ad finem poſtea convertatur. Ita S. Thom. l. l. ad 1. ſcribens: „ Matrimonium infidelium imperfectum eſt, ſed Matrimonium fidelium perfectum eſt, & ita eſt firmius; ſemper autem firmius vinculum ſolvit minus firmum, ſi ſit ei contrarium: & ideo Matrimonium, quod poſt in fide Chriſti contrahitur, ſolvit Matrimonium, quod prius in infidelitate contractum erat “. Et rurſus art. 3. ad 4. docet: „ Si poſt converſionem viri ſit aliqua probabilis ſpes de converſione uxoris, non debet votum continentiæ vir emittere, nec ad aliud Matrimonium tranſire .... Si autem non ſit ſpes de converſione, poteſt ad Sacros Ordines, vel ad Religionem (vel ad aliud Matrimonium) accedere prius requiſita uxore, quod convertatur; & tunc ſi poſtquam vir Sacros Ordines (vel aliam uxorem) accepit, uxor convertatur, non eſt ei rurſus reddendus; ſed debet ſibi imputare in pœnam tardæ converſionis, quod viro ſuo privatur “.

Sed quid, ſi Neophytus, uxore infideli ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ non interpellata, ſecundas contrahat nuptias, poſt quas prior uxor compareat, & ſe paratam oſtendat ad fidem amplectendam, immo oſtendat ſe tunc temporis, quando maritus aliam duxit uxorem, jam ipſam fidelem effectam fuiſſe, & Baptiſmate tinctam, redire ne debet ad priorem uxorem, vel cum ſecunda in Matrimonio perſeverare? Hanc difficultatem ſapientiſſime more ſuo verſat Benedictus XIV. de Syn. lib. 13. cap. 21. num. 3. & ſeq. Et 1. animadvertit, binos Summos Pontifices, S. Pium V. & Greg. XIII. conceſſiſſe pro Miſſionibus Sinarum, Tunkini, Angolæ, Æthiopiæ, & Braſiliæ infidelibus converſis ad fidem, *ut eorum quilibet, etiam ſuperſtite conjuge infideli, & ejus conſenſu minime requiſito,* reſ-

reſponſo non expectato, *Matrimonium cum quovis fideli*, *alias tamen rite contrahere*, *& in eis poſtea carnali copula conſummatis*, *quoad vixerint*, *remanere licite valeant*. 2. Addit eoſdem Pontifices declaraſſe: „ Ea Matrimonia, etiamſi poſtea in„ notuerit, conjuges priores infideles ſuam volun„ tatem, juſte impeditos, declarare non potuiſſe, „ & ad Fidem etiam tempore tranſacti Matrimonii „ converſos fuiſſe, nihilominus reſcindi nunquam „ debere, ſed valida, & firma eſſe “. 3. Sapientiſſime animadvertit, laudatos Pontifices non Matrimonium conſummatum diſſolviſſe, ſed „ nihil „ aliud egiſſe, quam canonicarum legum rigorem „ temperare in eo, quod pertinet ad judicia„ lem interpellationem, quæ infideli conjugi „ facienda eſſet, utrum velit ad Fidem conver„ ti, illius mentis declarationem expectando per „ congruum tempus, ab ipſa lege, aut a Superio„ re Eccleſiaſtico conſtitutum “. 4. Denique admonet laudatas Sancti Pii V. & Gregorii XIII. Conſtitutiones, utpote certas quaſdam regiones dumtaxat complectentes, extendi non poſſe ad alias, quantumvis rationis, & circumſtantiarum paritas, aut identitas id ſuadere videatur; ſed extra regiones illas, ſi caſus occurrerit, eſſe ab Ordinariis, vel Miſſionariis recurrendum ad Summum Pontificem, & eam facultatem ab ipſo petendam, & ab urbe expectandam. Legatur non ſolum locus citatus de Synod. ſed ejus diſcurſus ſuperius Confeſſ. 8. cit. ubi plurima reperientur ſumma ſapientia, & eruditione, ac ratiocinatione pertractata.

Conſectarium Decimumtertium.

XIII. Per Religioſam Profeſſionem, emiſſam invita altera parte, non ſolvitur Matrimonium, ſed ea conſentiente ſolvitur quoad uſum. Ita in jure ſtatuitur cap. de Converſ. Conjug., ubi Pontifex de viro profeſſo uxore contradicente, ac ad ipſius inſtantiam revocato reſpondet. „ Quod vo„ tum non tenuit, unde ratione voti ad Matrimo„ nium tenetur redire; ulterius vero non poterit „ uxorem accipere: promiſit enim ſe non exigere „ debitum, quod in ejus eſt poteſtate; & ideo „ quoad hoc votum tenuit “. Et idem ſtatutum de muliere, quæ virum obiiſſe exiſtimans, profeſſionem emiſerat, a qua poſtea a viro revocata fuit. Dicit enim Pontifex Cap. *Placet*: „ Li„ cet votum ejus uſquequaque non tenuerit, ea„ tenus tamen fuit obligatorium, quatenus ſe po„ terat obligare; promiſit enim intrando in Mo„ naſterium, ſe non exacturam carnis debitum, „ quod erat in poteſtate ipſius. Redire vero ad „ ſeculum non erat in ejus poteſtate, ſed in po„ teſtate mariti; & ideo quantum ad ipſam te„ nuit votum. Conſultius itaque dicimus, & con„ gruentius ad ſalutem, ut ad Monaſterium re„ deat. Si vero ad hoc induci non poterit, ipſam „ invitam credimus non cogendam “. Ex quibus Decretis conſtat 1. Profeſſionem nullam eſſe, proinde mulierem defuncto viro non eſſe cogendam ad Monaſterium reverti. 2. Valere tamen quoad votum caſtitatis ex parte ipſius, quæ reddere quidem debitum poteſt, at non exigere; & poſt viri obitum cum alio Matrimonium celebrare licite non valet: immo nec valide, quia licet votum illud caſtitatis non fuerit ſolemne; cum tamen fuerit in certa Religione approbata, eſt ſufficiens ad irritandum ſubſequens Matrimonium, ut docet Sanchez lib. 7. diſq. 34. n. 5. Si vero alterutra pars religioſe conſentiat, tunc valida eſt profeſſio, & ſervandum quod ſtatuitur in jure, nimirum, inquit Pontifex: „ Si ita uxor ſenex eſt, & ſterilis, „ quod ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſeculo, diſſi„ mulare poteris, ut ea in ſeculo remanente, & „ caſtitatem promittente ad Religionem tranſeat „ vir “. Prius tamen ſtatuerat, ut ſi juvenis uxor adhuc eſſet, & ipſam ingredi Religionem debere. His tamen etiam minime ſervatis, ideſt vel non emiſſo voto a ſene, vel non ingreſſo Religionem juvene, non per hoc infirmatur profeſſio Religioſa, ſed adhuc conſiſtit. Solum nonnulli cenſent, quando uxor juvenis non eſt Religionem ingreſſa, vel non emiſit votum caſtitatis, & urgeat periculum incontinentiæ, poſſe virum revocare, concedentibus pluribus Theologis. At probabilius puto non poſſe, cum ſuæ incontinentiæ queat periculo conſulere Religionem intrando; & peccaverit non parendo legis ſtatuto de ingreſſu in Religionem, ex qua inobedientia lucrum reportare non debet.

Conſectarium Decimumquartum.

XIV. Matrimonium non ſolvit ſuſceptio Ordinum Majorum, invita uxore, valida tamen eſt ordinatio. Ita S. Thom. in IV. Diſt. 37. quæſt. 1. art. 2. docent: „ Matrimonium non impedit Or„ dinis Sacri ſuſceptionem, quia ſi Matrimonio „ junctus ad Sacros Ordines accedat, etiam recla„ mante uxore, nihilominus characterem Ordinis „ ſuſcipit, ſed executione Ordinis caret ..... quod „ vinculum Ordinis ſolvit Matrimonii vinculum ra„ tione petitionis debiti, ex qua parte habet re„ pugnantiam ad Matrimonium ex parte ejus, „ qui Ordinem ſuſcepit: quia non poteſt pete„ re debitum, nec uxor tenetur ei reddere. „ Sed tamen non ſolvit ex parte alterius, quia „ ipſe uxori tenetur debitum reddere, ſi non „ poſſit eam inducere ad continentiam. Si au„ tem volente uxore Ordinem Sacrum acciperet, „ recepit ordinem, & executionem. Sed uxor, „ de cujus conſenſu vir Ordinem Sacrum ſuſcepe„ rit, tenetur continentiam perpetuam vovere; „ non tamen tenetur Religionem intrare, ſi ſibi „ non timeat de periculo caſtitatis “.

Tunc vero conſummatum dicitur Matrimonium, quando facta eſt commixtio ſeminis intra vas mulieris. Quamobrem non ſufficit vaſis penetratio ſine ſeminis effuſione, cum non fiat illa commixtio, quæ unam efficit carnem: non tamen requiritur etiam fœminei ſeminis concurſus, & effuſio, cum etiam ſine ipſa ea ſufficiens habeatur ſanguinum commixtio, quæ præſtat, ut ſint duo in carne una.

§. III.

Conſectarium Decimumquintum.

XV. Sanctitati, & honeſtati Matrimonii adverſatur ejus uſus ſolius voluptatis capiendæ cauſa. Veritatem hujus doctrinæ oſtendit Innocent. XI. da-

damnatione propoſitionis nonæ aſſerentis : *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni prorſus caret culpa, ac veniali defectu.* Et revera ita docent Patres, & Theologi. D. Hieronymus in cap. 5. Epiſtolæ ad Epheſios ſcribit : „ Liberorum in Matrimonio opera conceſſa ſunt, voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxorem damnatæ ſunt “. Unde & adulteros vocat, qui ſunt in ſuas uxores *amatores ardentiores*. Et S. Auguſtinus de Bon. Conjug. cap. 6. ſcribit : „ Conjugalis concubitus generandi cauſa non habet culpam ; concupiſcentiæ vero ſatiandæ tamen cum conjuge, venialem “. Conſentit & D. Thom. in IV. diſt. 31. q. 2. ſcribens: „ Si delectatio quæratur ultra honeſtatem Matrimonii, ut ſcilicet quia aliquis in conjuge non attendat, quod conjux eſt, ſed ſolum quod mulier eſt, idem paratus facere cum ea, ac ſi non eſſet conjux, eſt peccatum mortale ; & talis dicitur ardentior amator uxoris, quia ſcilicet ardor ille extra bona Matrimonii effertur. Si vero quæratur delectatio intra limites Matrimonii, ut ſcilicet talis delectatio in alia non quæratur, quam in conjuge, ſic eſt veniale peccatum “. Ratio ipſa naturalis hanc veritatem manifeſtat : nam tunc habetur perverſio ordinis, dum quæritur actus propter delectationem, cum delectatio ſit propter ſuum actum, non vero actus propter delectationem illi adhærentem.

Conſectarium Decimumſextum.

XVI. Nec cauſa fornicationis vitandæ honeſtum, & licitum reddit uſum Matrimonii. Ita docet S. Thom. in IV. Diſt. 31. q. 2. a. 2. ad 2. ſcribens: „ Si aliquis per actum Matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non eſt aliquod peccatum ; quia hoc eſt quidem redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet ; ſed ſi intendat vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua ſuperfluitas, & ſecundum hoc eſt peccatum veniale ; nec ad hoc eſt Matrimonium inſtitutum, niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus “. Hanc doctrinam didicit D. A. a SS. PP. Gregorio Magno, Anſelmo, & præſertim Auguſtino ſcribente Enchiridii cap. 78. „ Putari poſſet, non eſſe peccatum miſceri conjugi non filiorum procreandorum cauſa, quod bonum eſt nuptiale, ſed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, ſive adulterii, ſive cujuſvis alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe eſt etiam dicere, quo poteſt, tentante Satana, libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Poſſet ergo, ut dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet, *hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium*. Quis autem jam eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apoſtolica auctoritas fateatur “? Non itaque audiendus La-Croixius, qui hiſce Patribus turbam magnam opponit Probabiliſtarum aliter ſentientium ; cum illorum nec mille chiliades unius Auguſtini adæquent auctoritatem, ſapientiam, doctrinam.

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Nec ſanitatis gratia licitus eſt Matrimonii uſus. Ita docet & probat S. Thom. l. l. ad 4. ſcribens: „ Quamvis intendere ſanitatis conſervationem non ſit per ſe malum ; tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt de ſe ad hoc ordinatum : ſicut qui ex Sacramento Baptiſmi tantum ſalutem corporalem quæreret. Et ſimiliter eſt in propoſito de actu matrimoniali “.

CAPUT DUODECIMUM.

De Repudio, & Divortio.

D o c t r i n a.

I. *Unitati Matrimonii opponitur Repudium.*
II. *Doctrina S. Thomæ de Repudio Hebræorum.*
III. *Num ex diſpenſatione licitum poſſit eſſe Repudium.*
IV. *Num Judæis licitum fuerit.*
V. *Num illis fuerit licitum aliam ducere uxorem.*
VI. *Divortium licitum eſſe poteſt.*
VII. *Et quidem mutuo conſenſu.*
VIII. *Aliquando etiam altero invito.*
IX. *Nec ſemper ob adulterium.*
X. *Vir uxorem adulteram aliquando expellere tenetur.*
XI. *Nec ſolum adulterium eſt divortii cauſa.*
XII. *Apoſtaſia a Fide eſt divortii cauſa.*
XIII. *Scandalum juſta divortii cauſa.*
XIV. *Non vero alia crimina.*
XV. *Sævitia cauſam juſtam præbet divortii.*
XVI. *Diſcrimen inter divortium ob fornicationem, & ob aliam cauſam.*

I. UNitati, & indiſſolubilitati Matrimonii olim adverſabatur Repudium, & nunc etiam aliquo modo officit Divortium. Differunt autem quammaxime Repudium, & Divortium : illud enim matrimonialis vinculi diſſolutionem ſecum affert ; poſterius vero ſolam thori, & cohabitationis inducit ſeparationem. In nova Lege locum non obtinet Repudium : nam Chriſtus omnino illud ſuſtulit vetando, ne vir dimittat uxorem, & ea dimiſſa aliam ducat ; & adulterum appellando, qui uxorem ab alio dimiſſam ſibi in uxorem aſſumit. Quam Chriſti legem, atque doctrinam promulgavit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. dicens : *Præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere : quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Num vero in veteri Lege conceſſum fuerit Judæis repudii libellum dare, quod vinculum legitime ſolveret Matrimonii, quo dato poſſent uterque conjuges aliud licitum, validumque conjugium inire, diſputant Theologi, Scripturæ Interpretes, & juris canonici Doctores. Nonnulli permiſſum quidem dicunt libellum repudii Judæis, ſed ad majora vitanda mala, & ob eorum cordis duritiam, quin tamen eis licitum foret uxorem dimittere, & aliam ducere. Alii vero conceſſum quidem fatentur libellum repudii ad cordis duritiam, conceſſum tamen ; proinde ſaltem juſtis urgentibus cauſis licite potuiſſe Judæos uxores dato libello repudii dimittere, & aliam ducere.

II. In hac quæſtione, quæ ad mores nihil attinet, ſed ſolum ad eruditionem, ſat eſſe arbitror breviter S. Thom. doctrinam exponere, qui in Suppl.

Suppl. q. 67. quatuor articulis eam verſat; & licet potius problematice, quam definitive rem pertractet, quid tamen ipſe probabiliter ſentiat, ſatis indicat.

III. Poſtquam itaque art. 1. indiſſolubilitatem Matrimonii a lege naturæ proficiſci oſtendit, in 2. art. quærit, num per diſpenſationem licere poſſit uxorem dimittere: & data diſtinctione præceptorum legis naturæ, cujus alia primaria ſunt, alia ſecundaria, cenſet indiſſolubilitatem Matrimonii potius ad ſecundaria præcepta pertinere, proinde locum dare diſpenſationi. Sic itaque ſcribit: „ Inſeparabilitas Matrimonii non ordinatur ad „ prolis bonum (quod eſt principalis Matrimonii „ finis) niſi quantum ad hoc, quod per parentes „ filiis provideri debet in totam vitam per debi- „ tam præparationem eorum, quæ ſunt neceſſaria „ in vita. Hujuſmodi autem præparatio non eſt de „ prima intentione naturæ, ſecundum quam om- „ nia ſunt communia. Et ideo non videtur eſſe „ contra primam intentionem naturæ dimiſſio uxo- „ ris; & per conſequens nec contra prima præce- „ pta, ſed contra ſecunda legis naturæ. Unde ſub „ diſpenſatione videtur poſſe cadere “.

IV. Inquirit in ſeq. art. 3. num ſub lege Moyſis licitum fuerit uxorem dimittere, & productis argumentis utriuſque partis, nimirum negantis licitum repudium, & affirmantis, ipſe in affirmantem potius inclinare videtur ſcribens in reſp. ad 4. „ Quamvis duritia cordis non excuſaret a pecca- „ to; tamen permiſſio ex duritie facta excuſabat. „ Quædam enim prohibentur ſanis, quæ non pro- „ hibentur infirmis corporalibus: nec tamen infir- „ mi peccant permiſſione ſibi facta utentes “. Quod & confirmat in reſp. ad 5. dicens: „ Bonum „ aliquod intermittitur ad vitandum majus ma- „ lum. Et tunc ſi auctoritate ejus, qui diſpen- „ ſare poteſt, hoc fiat, reatum talis boni inter- „ miſſio non habet, ſed honeſtatem etiam non „ acquirit. Et ſic indiviſibilitas matrimonii in „ lege Moyſis intermittebatur propter majus ma- „ lum vitandum, ſcilicet uxoricidium. Et ideo „ Chryſoſtomus dicit, quod *a peccato abſtulit cul- „ pam* “.

V. In quarto articulo inquirit, num liceret uxori repudiatæ alium virum ducere: & juxta diverſam de licito, vel illicito repudio ſententiam, dicit definiendam quæſtionem: proinde poſita conceſſione repudii, licitum dicendum uxori repudiatæ alii viro nubere, juxta vero negantes licitum repudium, non licebat illi alium ſibi virum adjungere. In quam autem S. D. propendeat ſententiam, non ſinit conjectare, cum utriuſque partis argumenta diſſolvat. Nihilominus in ſequenti articulo, ubi inquirit, num liceret viro repudiatam a ſe uxorem iterum accipere, ſcribit: „ In lege „ de libello repudii duo erant *permiſſa*, ſcilicet „ dimittere uxorem, & *uxorem dimiſſam alteri „ jungi*: & duo præcepta, ſcilicet ſcriptura libelli „ repudii, & quod iterum maritus repudians eam „ accipere non poſſet “. Conſentit itaque, & permiſſum uxori alteri nubere, & vetitum marito repudiatam iterum ſibi aſſumere. Hæc eſt S. Thom. doctrina de libello repudii.

VI. Divortium vero Matrimonio obſiſtit, non quod ejus vinculum diſſolvat, ſed quia uſum tollit Matrimonii, vel cohabitationem conjugum, vel utrumque: & hoc poſtremum vere, & proprie divortium dicitur. Licitum eſſe divortium aliquibus de cauſis dubitare non ſinit Tridentinum Concilium ſeſſ. 24. can. 8. definiens: „ Si quis dixe- „ rit, Eccleſiam errare, cum multas ob cauſas „ ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu „ quoad cohabitationem, ad certum, incertumve „ tempus fieri poſſe decernit; anathema ſit “. Et innuere videtur Apoſtolus, dum ex divino præcepto jubet, *Mulierem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Si enim divortium abſolute illicitum reputaſſet, profecto optionem non dediſſet aut manendi innuptam, aut revertendi ad maritum, ſed abſolute reconciliationem imperaſſet. Immo Chriſtus Dominus ob fornicationem uxorem dimittere conceſſit, dum dicit Matth. 5. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari*. Rationem autem reddit D. Th. hic q. 62. art. 1. ſcribens: „ Dominus dimittere „ uxorem conceſſit propter fornicationem in pœ- „ nam illius, qui fidem fregit, & in favorem il- „ lius, qui fidem ſervavit “.

VII. Et certe licitum eſt divortium thori ex mutuo conſenſu; poſſunt enim ſimul caſte vivere, ut de pluribus conjugatis in Eccleſiaſtica hiſtoria legitur; multoque magis poſſunt ab uſu Matrimonii per aliquod tempus ceſſare mutuo conſenſu, ſive ut vacent orationi, quemadmodum docet Apoſtolus, ſive ut ad Sacramenta ſuſcipienda ſanctius ſe præparent; ſive pœnitentiæ cauſa, ut in Quadrageſima, juxta illud Joel. 2. *Canite tuba in Sion, ſanctificate jejunium .... egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo*. Sed de hoc iterum, cum ſermo erit de Officiis Conjugum. Nullo tamen modo permittendum, multoque minus ſuadendum conjugibus, ut perpetuam mutuo conſenſu continentiam voveant, dum ſimul cohabitant, niſi ea ætate ſint, vel virtute ornati, ut nullum ſit timendum incontinentiæ periculum: ſed ſi vovere volunt, vel alteruter Monaſterium ingrediatur, vel de conſenſu Epiſcopi habitatione ſejungantur; cum hujuſmodi vota infelicem ſortiantur exitum. Sicut nec permittendum, ut alteruter voveat caſtitatem, altero non vovente, vel alteruter voto ſpondeat, ſe nunquam petiturum debitum, cum hæc vota oneroſum reddant Matrimonium: ſi tamen imprudenter emiſſa ſint, altero conſentiente obſtringunt; ſed, ut docet S. Antoninus, „ conſultius eſſet petere diſpenſationem, vel com- „ mutationem voti, quam concedere poſſunt Epi- „ ſcopi, & Regulares ex eorum privilegiis “. Qui autem non vovit caſtitatem, ab altero tamen qui ex ejus conſenſu vovit, quotieſcunque ſibi libuerit, poterit debitum petere.

VIII. Divortium vero thori ſolius, altero invito, licitum eſt etiam privata auctoritate ob fornicationem, at thori ſimul, & cohabitationis, non niſi ex auctoritate Eccleſiæ. Utramque hujus doctrinæ partem confirmat Sanctus Thom. in ſuppl. q. 62. art. 3. ſcribens: „ Vir poteſt uxorem di- „ mittere dupliciter. Uno modo quantum ad tho- „ rum tantum: & ſic poteſt eam dimittere, quam „ cito ſibi conſtat de fornicatione uxoris, proprio ar- „ bitrio; nec tenetur reddere debitum exigenti, niſi „ per Eccleſiam compellatur: & taliter reddens nul- „ lum ſibi præjudicium facit. Alio modo quantum

„ ad

„ ad thorum, & cohabitationem: & hoc modo „ non poteſt dimitti niſi judicio Eccleſiæ: alias ſi „ dimiſſa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, „ niſi poſſet ei vir incontinenti fornicationem probare. Hæc autem dimiſſio divortium dicitur. „ Et ideo concedendum eſt, quod divortium non „ poteſt celebrari niſi judicio Eccleſiæ". In hoc tamen divortii jure æquales pronunciat tum virum, tum uxorem, licet gravius peccet fornicando uxor, quam vir, ſcribens art. 4. „ In cauſa „ divortii vir, & uxor ad paria judicantur, ut idem ſit licitum, & illicitum uni, quod alteri: „ non tamen pariter judicantur ad illa: quia cauſa divortii eſt major in uno, quam in altero, „ cum tamen in utroque ſit ſufficiens cauſa ad divortium .... ſicut etiam eſt de duobus, qui damnantur ad ejuſdem mortis pœnam, quamvis alter altero gravius peccaverit".

IX. Non ſemper tamen licet viro uxorem fornicantem dimittere ſive a thoro, ſive a cohabitatione. Ita docet Ang. Præc. I. qu. art. 1. „ Excipiuntur tamen ſeptem caſus, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor a culpa immunis eſt, vel utrique „ æqualiter culpabiles ſunt. Primus eſt, ſi ipſe „ vir ſimiliter fornicatus fuerit. Secundus, ſi ipſe uxorem proſtituerit. Tertius, ſi uxor virum ſuum probabiliter mortuum credens, propter longam ejus abſentiam, alteri nupſerit. „ Quartus, ſi latenter cognita eſt ab aliquo ſub „ ſpecie viri lectum ſubintrante. Quintus, ſi fuerit vi oppreſſa. Sextus, ſi reconciliaverit eam „ ſibi poſt adulterium, carnaliter eam cognoſcens. „ Septimus, ſi Matrimonio in infidelitate utriuſque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupſerit: tunc enim ſi uterque convertatur, tenetur eam vir recipere". Omnes has exceptiones D. Thom. ex pluribus juris Canonici ſtatutis deprompſit. Primum ſcilicet Extra de *Divortiis* Cap. *Significaſti*, & *ex litteris tuis* Alex. III. Secundum Extra, Cap. *Diſcretionem* Innoc. III. Tertium Extra, de Secundis Nuptiis Cap. *Dominus ac Redemptor* Lucæ 3. & Cap. *Per bellicam*, & Cap. *Cum in captivitatem* Innoc. III. Cauſa 34. quæſt. 1. Quartum Cauſa 24. quæſt. 2. *In lectum* Concil. Tribur. Quintum Cauſa 32. quæſt. 5. Cap. *puto*; ſextum eadem cauſa qu. 1. de *Benedicto* Pelagii Pontificis. Ultimum denique Extra, de *Divortiis* Cap. *Gaudeamus* Innoc. III. prope finem.

X. Aliquando tenetur Maritus fornicariam uxorem thoro, & cohabitatione depellere, aliquando poteſt retinere. Poſitæ doctrinæ utramque partem docet, & confirmat D. Thom. præceptum eam dimittendi admittens, quando mulier in crimine pertinacem ſe oſtendit, ſcribens I. I. art. 2. „ Si non „ pœniteat, tenetur (dimittere) ne peccato ejus „ conſentire videatur". Quam doctrinam hauſerat ex S. Hieronymo in Cap. 12. Matth. ſcribente: „ Sola fornicatio eſt, quæ uxoris vincit affectum; immo cum illa unam carnem in aliam „ diviſerit, & ſe fornicatione ſeparaverit a Marito, non debet teneri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente Scriptura, *Qui adulteram* „ *tenet, ſtultus & impius eſt*". Et confirmatur Extra, de divortiis in Cap. *Si vir*, ubi ſtatuitur: „ Si vir ſciat uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non „ egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, & vixerit cum illa, reus erit, & ejus „ particeps peccati". Poſſe vero retinere, quando de patrato delicto dolorem oſtendat, & pœnitentiam, docet A. P. ſcribens: „ Dimiſſio uxoris fornicantis introducta eſt ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam. Pœna autem „ corrigens non requiritur, ubi emendatio jam „ præceſſit. Et ideo ſi mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere". Auguſtinum ſecutus eſt D. Thom. ſcribentem lib. de adulter. conjug. cap. 6. „ Quis non intelligat debere Maritum ignoſcere, quod amborum Dominum videt ignoſcere; nec jam ſe debere adulteram dicere, cujus pœnitentia crimen divina „ credit miſeratione deletum?".

XI. Non ſola fornicatio legitima eſt dimittendæ uxoris cauſa, ſed omnis ejus illicitus concubitus. Ita docet D. Thom. hic art. 1. in reſp. ad 4. ſcribens: „ Etiam propter vitium contra naturam poteſt procedi ad divortium. Sed tamen non fit ita „ mentio de ipſo: tum quia eſt paſſio innominabilis: tum quia rarius accidit: tum quia non „ ita cauſat incertitudinem prolis". Dum autem D. Thom. dicit paſſionem innominabilem eſſe cauſam divortii, excludit mollitiem, quæ proprium nomen habet. Nec obſtat, & cum maſculis concubitum proprio nomine *ſodomiam* vocari; cum hoc nomen non ſit ipſius peccati proprium, ſed ex committentibus deſumptum. Unde propter mollitiem non licet divortium facere.

XII. Apoſtaſia etiam, & hæreſis alterius conjugis juſta eſt divortii cauſa. Ita S. Thom. I. *I.* ad 3. docet; „ Quia infidelitas, quæ dicitur ſpiritualis fornicatio, etiam eſt contra bonum Matrimonii, quod eſt prolis educatio ad cultum Dei, „ etiam ipſa facit divortium: ſed tamen aliter, „ quam corporalis fornicatio: quia propter unum „ actum fornicationis carnalis poteſt procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, ſed propter conſuetudinem, quæ pertinaciam oſtendit, in qua infidelitas perficitur". Magiſtrum ſuum Auguſtinum ſecutus eſt D. Tho. docentem lib. 1. de Serm. Domini in Mont. cap. 16. „ Idololatria, quam ſequuntur infideles, & „ quælibet noxia ſuperſtitio fornicatio eſt: Dominus autem permiſit cauſa fornicationis uxorem „ dimitti ..... Si aliquem cogat uxor ſacrificare „ idolis, qui talem dimittit, cauſa fornicationis „ dimittit, non tantum illius, ſed & ſuæ; illius, „ quia fornicatur; ſuæ, ne fornicetur". Hæc regula ſtatuitur quoque in jure can. Cap. *de illa* Urbani III. & Cap. *Quanto* Innoc. III. reſponſione Extr. de Divortiis.

XIII. Juſta eſt divortii cauſa ſcandalum, quo alter alterum ad peccandum inducit. Ita docet D. Antoninus ſcribens III. P. tit. 1. cap. 21. §. 7. „ Quando unus conjugum trahit alterum ad crimen, ita quod licet non cogatur peccare, tamen propter periculum ſuæ fragilitatis, ne conjugalis ſocietas ipſum pertrahat ad peccatum, „ tenetur ad illud, *Si oculus tuus ſcandalizat te*, „ *erue eum*, & *projice abs te* &c. Si enim cum periculo corporis non tenetur manere; multo minus cum periculo animæ: & ſicut non tenetur „ propter periculum infidelitatis cohabitare cum „ infideli; ita nec propter periculum aliorum „ cri-

„ criminum, licet ad nullum poſſit cogi. Et licet iſtud ſit gravius, quam alia, tamen minimum periculum peccati mortalis præponderat „ maximo periculo corporis; licet in hoc ſit diſſimile, quod invito aufertur vita corporis, non „ animæ “. Idem colligi poteſt ex ſtatuto Alex. III. Extra de Divort. Cap. *quæſivit* inter cauſas divortii enumerantis: *Si unus conjugum alterum ad infidelitatis maleficium traxerit, ſeu fidei illius religionem corrumpere velit;* corrumpitur enim Religio non ſola infidelitate, ſed etiam quovis crimine. Idem docet & D. Th. in IV. Diſt. 39. qu. un. art. 6. ad 4. ubi objectioni ſibi propoſitæ ex illo Evangelii textu, *Si oculus tuus ſcandalizat* &c. reſpondens ſcribit: „ Quando mulier præſtat magnam occaſionem viro ſuo, ut vir probabiliter ſibi de periculo timeat, tunc vir poteſt ſe ſubtrahere ab ejus converſatione “.

XIV. Alia crimina, licet enormia, præter expoſita juſtam non præbent divortii occaſionem. Ita ſtatuitur in jure Cap. *Quæſivit* num. præced. citato, ubi ab Alex. III. indicitur: *Mulier pro furto, vel alio crimine viri ſui, ab eo ſeparari non debet.* Et confirmat D. Th. l. l. in corp. ſcribens: „ Propter alia peccata non poteſt ſolvi Matrimonium etiam quantum ad actum, niſi forte ad tempus vir ſe velit ſubtrahere a confortio uxoris ad ejus caſtigationem, ſubtrahendo præſentiæ ſuæ ſolatium “.

XV. Sævitia quoque, ad quam referuntur odium implacabile, furor demens, jurgia gravia & continua, divortio juſtam præbent cauſam. Ita in jure ſtatuitur Cap. *Litteras* de reſtitutione ſpoliatorum ex Innoc. III. reſponſione dicentis: „ Si tanta ſit viri ſævitia, ut mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri, non ſolum non „ debet illi reſtitui, ſed ab eo potius amoveri “. Oportet tamen quod malum, quod timetur a viri, vel mulieris ſævitia, grave admodum ſit, nec alia poſſit via vitari, niſi divortio. Si enim malum quod a Marito infertur, vel timetur, non grave ſit, non præbet cauſam divortii. Hinc de ſævitia non videtur accuſandus vir, qui procacem fœminam alapa, vel pugno, vel fuſte data occaſione caſtigat.

XVI. Notandum diſcrimen inter divortium ob fornicationem, & alias cauſas in eo ſitum, quod divortium ex ſententia judicis ob fornicationem indictum perpetuum eſt; ſecus vero ob alias cauſas, quæ nonniſi temporaneum divortium inducunt, ſcilicet donec reus emendationem exhibeat. Hinc habito divortio ob fornicationem, vir poteſt quidem uxorem pœnitentem, & emendatam recipere; at, ut recipiat, cogi non poteſt, ſed adultera eſt in perpetua pœnitentia retinenda. Ita ſtatuit Gregor. XI. Cap. *Gaudeamus* Extra de Converſ. Conjugatorum, reſpondens: „ Mulieres, quæ relicto „ maritali thoro lapſu carnis ceciderunt, ſi mariti earum a te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ converſas noluerint accipere „ propter Deum, in clauſtris cum Religioſis mulieribus ſtudeas collocare, ut perpetuam Pœnitentiam ibi agant.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Sola adulterandi voluntas non eſt juſta divortii cauſa.*
II. *Quid liceat innocenti facto ob fornicationem divortio.*
III. *Adulter occultus conjugem adulteram accuſare non poteſt.*
IV. *Poſt divortium vir adulter non tenetur uxorem adulteram recipere.*
V. *Uxor poſt divortium revocata a viro reverti tenetur.*
VI. *Raro tenetur uxor ab adultero marito recedere.*

Conſectarium Primum.

I. Adulterandi voluntas, ſicut & alieni oſcula, tactus, amplexus admiſſa divortio legitimam cauſam non præbent, at ſufficit naturalis copula, licet non conſummata. Et quidem voluntatem adulterii committendi non eſſe ſufficientem divortii cauſam, manifeſte conſtat, quia licet pravum deſiderium culpam adæquet, & voluntas apud Deum pro ipſo opere habeatur; tamen verum eſt, nec per eam fidem Matrimonii violari, nec carnem conjugis dividi, nec thorum pollutione contaminari. Quod & dicendum, proportione ſervata, de oſculis, tactibus, amplexibus, quæ licet ad diviſionem carnis, & fidei fractionem tendant; revera tamen nec carnem dividunt, nec fidem maritalem integre frangunt. At puto naturalem copulam ſufficere, licet non conſummatam: tum quia innocenti conjugi nunquam conſtare poteſt imperfectam fuiſſe copulam; & præſumptio ſemper eſt, adulterium fuiſſe commiſſum: tum quia turpis actio illa vere carnem dividit, & uxoris turpitudinem revelat, ac alienum thorum polluit. Peccata tamen cum ipſa conjuge a Marito admiſſa, turpiſſima licet & infanda, divortio cauſam præbere non valent; cum carnis non afferant diviſionem: poteſt tamen, & tenetur uxor a marito recedere, ſive ne peccet, ſive ut ille a peccato reſipiſcat, ut ſuo loco dicemus.

Conſectarium Secundum.

II. Facto ob fornicationem divortio judicis ſententia, licet parti innocenti votum emittere caſtitatis, Sacros Ordines ſuſcipere, Religionem etiam ingredi, ſonte etiam reluctante. Ratio eſt manifeſta: nam cum diſſolutum ſit, quoad uſum, Matrimonium, reus jus amiſit ad illum, & pars innocens poteſt juſte denegare: libera igitur eſt, & poteſt, ſi alia non obſtent, ſtatum Matrimonialem in caſtum, & Religioſum mutare. Immo ſi non ex ſententia judicis, ſed privata, & certa notitia compertum ſit viro, vel uxori adulterium compartis, poteſt innocens votum ſimplex caſtitatis emittere. Verum non habita cohabitationis diviſione non conſulerem, nec ſinerem innocenti hoc votum emittere: tum quia eſſet perpetuum reconciliationis impedimentum; tum ob periculum incontinentiæ in utroque. Quoad ſuſceptionem vero Ordinum, & ingreſſum in Religionem Prælatis in-

incumbit in peculiaribus caſibus expendere, utrum quod abſolute licitum eſt, ſit etiam expediens: hic enim locum habet illud Apoſtoli monitum, *multa licent, quæ non expediunt*.

Conſectarium Tertium.

III. Maritus, qui occulte adulter eſt, uxorem de adulterio accuſare non poteſt; innocens tamen etiam pœnitentem repellere poteſt. Utramque hujus doctrinæ partem confirmat S. Th. hic art. *6.* ad 5. ſcribens: „ Si adulterium viri ſit occultum, „ per hoc non aufertur jus excipiendi contra ac- „ cuſationem viri uxori adulteræ, quamvis deſit „ ſibi probatio. Et ideo peccat vir divortium pe- „ tens: & ſi poſt ſententiam de divortio uxor pe- „ tat debitum, aut reconciliationem, vir tenetur „ ad utrumque “: S. D. ſecutus eſt & D. Antonin. III. P. tit. 1. cap. 21. §. *6.* ſcribens: „ Si „ vir eſt adulteratus occulte, uxor manifeſte, non „ poteſt vir ſine peccato uxorem dimittere; quia „ uxori non deficit excipiendi jus, ſed probatio. „ Si vero vir egiſſet pœnitentiam, & uxor nollet „ agere, ſed perſeveraret in adulterio, poſſet ſine „ peccato accuſare, & dimittere “. Alteram vero partem confirmat quoque D. Thom. ſcribens ad 2. „ Pœnitentia uxoris debet inducere virum, ut „ uxorem fornicantem non accuſet, aut dimittat; „ ſed tamen non poteſt ad hoc cogi: nec poteſt „ per pœnitentiam eum uxor ab accuſatione re- „ pellere: quia ceſſante culpa & quantum ad a- „ ctum, & quantum ad maculam, adhuc manet „ aliquid de reatu; & ceſſante reatu quoad Deum „ adhuc manet reatus quoad pœnam humano ju- „ dicio inferendam; quia homo non videt cor ſic- „ ut Deus “. Quod ſi vir uxori pœnitenti ſemel ignovit, & maritali affectu eam complexus eſt, non poteſt amplius accuſare, niſi iterum fidem violet, & thorum polluat.

Conſectarium Quartum.

IV. Maritus, qui poſt divortium Eccleſiæ ſententia indictum in adulterium labitur, non poteſt cogi ad recipiendam uxorem, nec uxor jus adipiſcitur ad reconciliationem. Ita S. Th. ad 4. ſcribens: „ Propter adulterium, quod vir prius inno- „ cens poſt divortium committit, ſecundum rigo- „ rem juris non debet cogi ad recipiendam uxo- „ rem adulteram: prius tamen ſecundum æquita- „ tem juris judex ex officio ſuo debet eum mone- „ re, ut caveat periculo animæ ejus, & ſcandalo „ aliorum; quamvis uxor non poſſit reconciliatio- „ nem petere “. Dixi poſt divortium ex Judicis ſententia indictum. Si enim vir prius innocens privata, & licita poteſtate a thoro uxorem adulteram repulerit, & poſtea ipſe ſit in adulterium lapſus, cum jam facta ſit criminum compenſatio, & uxori reconciliari debet, & in thoro eam reſtituere. Nec obſtat, virum ſemel tantum deliquiſſe, uxorem vero pluries. Nam in jure ad divortium attenditur fidei fractio, & carnis diviſio, quæ in utroque reperiuntur, licet diverſo modo: quod verum eſt, licet vir, & uxor diſpari modo carnem dividant, & fidem frangant, ſcilicet alter fornicatione, altera ſodomia.

Conſectarium Quintum.

V. Uxor per divortium abjecta, ſi a viro revocetur, ad ipſum reverti tenetur. Ita Sanct. Thom. in reſp. ad 3. ſcribens: „ Illud, quod inducitur „ in favorem alicujus, non facit ei præjudicium. „ Unde cum divortium ſit inductum in favorem vi- „ ri, non aufert ei jus petendi debitum, vel re- „ vocandi uxorem. Unde uxor tenetur ei reddere, „ & ad eum redire, ſi fuerit revocata; niſi de li- „ centia ejus votum continentiæ emiſerit “.

Conſectarium Sextum.

VI. Raro uxor tenetur ſub gravi virum adulterum etiam pertinacem a ſe repellere. Nam 1. non præſumitur uxorem crimini viri aſſentiri, quia raro admodum illud valet impedire. 2. Ex adulterio viri non ea ſequuntur abſurda, & incommoda, quæ uxoris conſequuntur fornicationem, ſcilicet prolis incertitudo, & familiæ dedecus, ac legitimorum hæredum detrimentum. 3. Quia raro ex uxoris ſeparatione vir corrigitur, immo in pejora facilius labitur. 4. Denique, quia non infrequenter uxor ſine marito, unde vivat, & honeſte, non obtinet. Quod ſi in aliquo caſu ex receſſu uxoris ſequeretur mariti emendatio, & legitimæ prolis deſiderium, vel poſſet Maritum a concubina revocare, proculdubio prudenter, & pie a marito recederet, & in conſcientia teneretur.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De mutuis Conjugum officiis.

D o c t r i n a.

I. *Conjugum officia enumerantur.*
II. *Conjuges non tenentur debitum petere, ſed petitum reddere.*
III. *Sive expreſſe, ſive tacite petatur.*
IV. *Præceptum reddendi debitum non ſemper obligat.*
V. *Aliquando alteruter ex conjugibus ſub gravi tenetur negare debitum illicite, vel injuſte petenti.*
VI. *Certus de nullitate ſui Matrimonii ob aliquod impedimentum dirimens nec petere, nec reddere licite poteſt.*
VII. *Dubitans de validitate reddere licite poteſt, at petere licite omnino non poteſt.*
VIII. *Quid agere debeat Confeſſarius cum Pœnitente, dubitante de valore ſui Matrimonii.*

I. PLura ſunt officia, quæ ex matrimoniali conjunctione reſultant: 1. enim Conjuges ſe invicem diligere debent, jubente Apoſtolo ad Epheſ. 22. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiam:* quæ dilectio, cum unionem Chriſti cum Eccleſia repræſentet, profecto reciproca eſſe debet; ſicut enim Chriſtus Eccleſiam dilexit, ita & Eccleſia Chriſto dilectionem, quam poteſt majorem, rependere debet. Cum itaque mariti uxores diligere debeant, proculdubio & pari caritatis ardore uxores reſpondere tenentur, ut jubet Apo-

ſtolus ad Tit. 2. *uxores viros ſuos ament*. 2. Uxor Marito reverentiam debet, ſubjectionem, & obedientiam, dicente Apoſtolo ad Coloſſ. 1. *Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet in Domino*; quod & confirmat Apoſtolorum Princeps Ep. 1. cap. 3. *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis*. 3. Maritus uxori alimenta, & alia vitæ neceſſaria ſuppeditare debet. 4. Uxor, & vir ſimul cohabitare tenentur. 5. Filios communi cura, & ſollicitudine educare. Porro de his officiis abunde diximus in IV. Decalogi præcepto capp. 10. & 11. Solum ad hunc locum expendendum reſervavimus illud juſtitiæ munus, quod in reddendo maritali debito ſitum eſt.

II. Et quidem conjuges non adſtringi ad debitum petendum, ſed ad reddendum petenti, certum omnino & apertum eſt: nam conſtat quemlibet proprio, quo fruitur, jure uti quidem pro libito poſſe, at cogi, & adſtringi omnino non poſſe. Pariter alterum certum eſt, tum ex præcepto Apoſtoli 1. ad Corinth. 7. 3. conjugibus mandantis, *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro*: & com. 5. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus*: tum ex ipſa matrimonialis contractus natura, quæ ordinatur ad filiorum procreationem, & ad vitandam in altero fornicationem; ut monet idem Apoſtolus v. 2. *propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum*. In hoc autem jure æquales eſſe conjuges docet, & oſtendit D. Thom. hic quæſt. 64. art. 3. ſcribens: „ Vir, & uxor non ſunt æ„ quales in Matrimonio, neque quantum ad a„ ctum conjugalem, in quo id quod nobilius eſt „ viro debetur: neque quantum ad diſpenſatio„ nem domus, in qua uxor regitur, & vir regit... „ Sed ſicut tenetur vir uxori in actu conjugali, & „ diſpenſatione domus ad id: quod viri eſt, ita „ uxor viro ad id, quod uxoris eſt. Et ſecundum „ hoc dicitur, quod ſunt æquales in petendo, & „ reddendo debitum“.

III. Hoc autem mutuum debitum reddere ſibi invicem debent, quando alteruter vel expreſſe, vel etiam tacite petit. Ita docet D. Thom. artic. 2. ſcribens: „ Petere debitum contingit dupliciter. „ Uno modo expreſſe; quando verbis invicem pe„ tunt. Alio modo interpretative; quando ſcili„ cet vir percipit per aliqua ſigna, quod uxor vel„ let ſibi debitum reddi, ſed propter verecundiam „ tacet: & ita etiamſi non expreſſe petat verbis „ debitum; tamen vir tenetur reddere, quando a„ liqua ſigna in uxore apparent voluntatis petendi „ debitum“. Loquitur autem præſertim de viro reſpectu uxoris, quia ut ſcribit art. 3. ad 2. „ Vir, „ qui nobiliorem partem habet in actu conjugali, „ naturaliter habet, quod non ita erubeſcat pete„ re debitum, ſicut uxor. Et inde eſt, quod uxor „ non tenetur reddere debitum non petenti viro, „ ſicut vir uxori“. Quod quidem ut plurimum verum eſt. At ſi uxor perſentiat virum vel erubeſcere in petitione debiti, vel ad pollutionem pronum, debet ſe illi offerre ad divinam offenſam vitandam, ut docet idem A. P. art. 2. in reſp. ad 1. dicens: „ Tempus determinatum „ (reddendi debitum) non eſt ſolum quando pe„ titur, ſed quando timetur ex aliquibus ſignis pe„ riculum (ad quod vitandum ordinetur debiti „ redditio) niſi tunc reddatur.

IV. Præceptum reddendi debitum non ſemper obligat. Nam 1. non obſtringit, quando qui petit, jus non habet ad petendum: ideo conjux viro adultero petenti poteſt debitum denegare. 2. Illicite petenti, licet jus habeat; puta ſi petat in loco publico, aut ſacro, vel cum periculo foetus. 3. Si non poſſit reddere ſine valetudinis detrimento, ut docet D. Thom. hic art. 1. in corp. ſcribens: „ Hic eſt ordo naturalis, ut prius aliquod „ in ſe ipſo perficiatur, & poſtmodum alteri de „ perfectione ſua communicet; & hic eſt etiam „ ordo caritatis, quæ naturam perficit. Et ideo „ cum uxor in viro poteſtatem non habeat, niſi „ quantum ad generativam virtutem, non autem „ quantum ad ea quæ ſunt de conſervatione indi„ vidui ordinata, vir tenetur uxori debitum red„ dere in his, quæ ad generationem prolis ſpe„ ctant, ſalva tamen prius incolumitate perſo„ næ“. Idem dicendum de uxore, quæ non tenetur marito obſequi cum gravi detrimento ſuæ valetudinis; ut ſi vir ſit gallico morbo infectus. 4. Ipſa frequens, & immoderata tam in marito, quam in conjuge petitio a debito reddendo liberat. Et quidem de viro ſic docet D. Thom. hic art. 1. ad 3. „ Si vir reddatur impotens ad debi„ tum ſolvendum ex cauſa ex Matrimonio ſequu„ ta, puta cum prius debitum reddidit, & eſt im„ potens ad debitum ſolvendum ulterius, mulier „ non habet jus petendi, & in petendo ulterius, „ ſe magis meretricem, quam conjugem exhibet“. Quæ ratio valet etiam pro viro immoderate uxorem vexante, quippe qui oſtendit ſe fœmina non ut uxore uti, ſed ut meretrice abuti: &, ut inquit S. Thom. in IV. diſt. 31. q. 2. art. 3. ad 1. „ Tunc voluptates meretricias vir in uxore quæ„ rit, quando nihil aliud in ea intendit, quam „ quod in meretrice obtineret“.

V. Aliquando alteruter ex conjugibus ſub gravi tenetur negare debitum illicite, vel injuſte petenti. Injuſte quidem petit, quando alteruter, ut mox diximus, jus non habet ad petendum: & tunc aliquando reddens non peccat; ut ſi uxor adultero viro petenti debitum reddat, quia poteſt illi parcere, & amiſſum jus reſtituere. At ſi jus amiſerit tali modo, ut altera pars remittere, & reſtituere non poſſit, tenetur ſub gravi debitum denegare; ut contingit, ſi vir voto ſit caſtitatis ligatus, vel ex inceſtu effectus ſit affinis ſuæ uxoris, cum tunc cooperaretur alieno peccato. Obſiſtit huic doctrinæ Concina, qui putat reddentem debitum viro, vel uxori petenti, & alligato voto caſtitatis, non ſolum non peccare, ſed teneri reddere: nam, inquit, per votum caſtitatis non amittit jus acquiſitum in Matrimonio legitimo; ſed ſolum impeditur, ne licite petit. At meo videri vir piiſſimus & fallitur, & fallit. Nam vel votum caſtitatis præceſſit Matrimonium, vel illud eſt ſubſecutum. Si præceſſit, minime ex legitimo Matrimonio vir conſecutus eſt jus petendi debitum, cum non fuerit voto ſolutus; nec Matrimonium votum imminuit ex parte ipſius, ſed ſolum ex parte alterius conjugis, qui jure per Matrimonium acquiſito ex aliena culpa ſpoliari non debet. Si vero eſt ſubſecutum Matrimonium, & quidem conſentiente altero conjuge, profecto ſe jure ſuo privavit; illo proinde uti amplius non poteſt petendo, licet poſſit reddere. Si vero altero diſſen-

tiente votum emiſerit, ſunt qui putant cum S. Th. ut inferius videbimus, poſſe adhuc petere, ſed quia nullum putant votum, utpote parti oneroſum, quæ cogetur ſemper petere: at qui illud validum putant, cum jam ſe jure ſuo ſpoliaverit, reddere quidem poſſe concedunt, at petere omnino non poſſe. At ſit, ut lubet Concinæ, & concedamus conjugem non carere jure petendi debitum, ſed ſolum ab illius uſu impediri, quippe quod illum licite habere non poſſit: peccat igitur, dum petit; & alia pars, quæ huic annuit petitioni, ejus peccato cooperatur. Nec urget, quod opponit Concina, ſolventem uſuras non peccare; licet peccet, qui uſuras petit. Nam diſcrimen latum eſt. Ille etenim, qui ſub uſuris mutuum dedit, poterat & ſine uſura dare; eapropter & lucrum uſurarum totum ex malitia profluit petentis, non ex dantis voluntate; proinde qui uſuras ſolvit, actioni cooperatur, non ejus pravitati. At hic cum ipſa petitio ita ſit mala, ut peccatum vitare non poſſit, niſi abſtinendo a petitione; qui redit, nedum actioni, ſed & peccato alterius cooperatur, juxta ea quæ diximus Tract. de Virt. Theolog. Diſſ. 3. capp. 20. & 21. Conſect. 7. & 8. Quod de conjuge voto obſtricto dicimus, eſt aptandum & conjugi, qui ob inceſtuoſam copulam cum conſanguinea uxoris factus eſt illi affinis, privatus proinde jure petendi debitum. Non tamen verum eſt de illo, qui pravo fine, & perverſo debitum peteret: nam tunc tota malitia concubitus ex petentis mala profluit voluntate, cum ex recto fine petere poſſit; unde conjux debitum reddens non peccat, actioni cooperatur, pravæ autem intentioni non cooperatur.

VI. Qui certus eſt de Matrimonii ſui nullitate ob aliquod impedimentum dirimens, nec petere, nec reddere debitum licite poteſt. Veritas hujus doctrinæ eſt de ſe manifeſta: nam tunc non Matrimonium eſt, ſed Concubinatus; ex Matrimonio enim, quocumque ex capite nullo, matrimonialis conjunctio non exurgit, nec mutuum jus in uſum corporis. Abſtinere igitur debent a matrimoniali conſortio, donec per diſpenſationem tollatur impedimentum; nec excommunicatione compulſus alteruter obedire debet, ſed excommunicationis pœnam humiliter ſuſtinere. Ita in jure can. ſtatuitur, ubi Pontifex cap. *Inquiſitioni* de ſent. excom. jubet: „ Si alter conjugum pro certo ſciat impedimentum conjugii, per quod ſine peccato mortali non valet carnalem commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit .... debet potius ſententiam excommunicationis humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale “.

VII. Qui dubitat de validitate Matrimonii, reddere quidem debitum licite poteſt, at petere licite omnino non poteſt. Ita ſtatuit laud. Pontifex l. c. animadvertens, duplex poſſe ſuboriri dubium de validitate Matrimonii, nimirum, ut inquit Pontifex ex *credulitate levi*, & *temeraria*; Et tunc docet, „ ad Paſtoris ſui conſilium, conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa; licite poſſe non ſolum reddere, ſed etiam exigere debitum conjugale. At ſi conſcientia pulſet animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidente & manifeſta, debitum quidem reddere, ſed poſtulare non debet. Et rationem reddit, nimirum ne in alterutro contra legem conjugii, vel contra conſcientiam committat offenſam “. Ita docet & S. Thom. in IV. diſt. 28. ſcribens: „ Si oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua cauſa, quæ etiam certitudinem facere poſſit, non debet nec reddere, nec exigere debitum. Si autem alia cauſa facit probabilem dubitationem, debet reddere, ſed non exigere. Si autem ſit levis ſuſpicio, poteſt utrumque licite facere, quia debet illam cauſam potius abjicere, quam ſecundum hoc conſcientiam formare “.

VIII. Pœnitentem dubitantem, vel interrogantem de validitate ſui Matrimonii inſtruere, & docere debet Confeſſarius, licet prævideat, ipſum in Matrimonio invalido perſeveraturum. Non dubitantem vero, nec ullo modo ſuſpicantem de ejus valore poterit Confeſſarius in bona fide relinquere, quando prævidet Pœnitentem non poſſe a Matrimonio abſtinere abſque ſcandalo, perturbatione familiæ, aliiſque gravioribus urgentibus periculis. Hujus doctrinæ veritatem oſtendimus in Tract. 2. de Act. hum. diſſ. 2. cap. 5. reg. 6. & 7. Omnia itaque ibi dicta huc vocanda.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Conjugi licet alterum conjugem a petitione debiti removere.*
II. *Peccant aliquando conjuges liberis operam dantes.*
III. *Quando peccet, qui ſe ineptum reddit ad reddendum debitum.*
IV. *Num liceat conjugatis votum caſtitatis emittere.*
V. *Ad quid teneatur, qui de conſenſu alterius continentiam vovit.*
VI. *Quomodo peccet, & ad quid teneatur, qui voto obſtrictus Matrimonium celebrat.*
VII. *Quando liceat debitum denegare.*
VIII. *Repetiti abortus num ſint cauſa legitima negandi debitum.*
IX. *Non ſemper inceſtum committens privatur jure petendi debitum.*
X. *Non licet in loco publico, vel ſacro reddere debitum.*
XI. *Num liceat prægnationis, menſtrui, vel puerperii tempore.*
XII. *Num quando dubitant de valore Matrimonii.*

Conſectarium Primum.

I. Conjugi licet alterum conjugem a debiti exactione removere: at, ſi obſiſtat, reddere tenetur. Ita S. Thom. hic q. 64. art. 1. ad 4. ſcribens: „ Non debet vir uxorem avertere, ne petat debitum, niſi propter aliquam rationabilem cauſam; & tunc etiam non debet cum magna inſtantia averti propter pericula imminentia “. Conceditur itaque conjugibus, ut alter alterum juſta de cauſa roget amicabiliter, ut ab exactione debiti deſiſtat, ſive quia aliquo laborat incommodo, ſive quia mane ad Communionem accedere cupit, vel aliis ſpiritualibus officiis vacare. At ſi alter renuat, illi obſequi debet, & tunc

vel a ſuſceptione Euchariſtiæ ob reverentiam abſtinere, vel etiam cum humilitate de licentia Confeſſarii accedere, ut docet S. Thom. in IV. ad Anibal. 32. q. 1. a. 1. ad 1. ſcribens: „ Ille, qui „ præceptum implens debitum ſolvit, redditur ineptus ad divina officia exequenda, non quod ille „ actus ſit peccatum, ſed ratione carnalitatis illius „ actus; & ſic ſecundum quod dicit D. Hieronymus, *qui uxori debitum reddit, non poteſt carnes Agni edere*, loquitur tantum de Miniſtris Eccleſiæ, non autem de aliis, qui ſunt ſuo judicio „ relinquendi; quia poſſunt ex devotione dimittere, & ſumere Corpus Chriſti abſque peccato “.

Conſectarium Secundum.

II. Quamvis conceſſum ſit conjugibus omni tempore liberis operam dare; aliquando tamen non ſine culpa veniali copulantur. Ita docet S. Thom. hic art. 7. in corp. ſcribens: „ Cum mulier habeat poteſtatem in corpore viri, quantum ad „ actum generationis ſpectat, & e converſo, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque „ tempore, & quacumque hora, ſalva debita honeſtate, quæ in talibus exigitur: quia non oportet, quod ſtatim in publico reddat debitum “. Veniali autem culpa non carere opus conjugii, ſi temporibus ſacris petatur, vel quando ſunt ſuſcipienda Sacramenta, docet idem A. P. ſcribens art. 5. „ Actus matrimonialis, quamvis „ culpa careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit „ ineptum ad ſpiritualia. Et ideo in diebus, in „ quibus ſpiritualibus præcipue eſt vacandum, non „ licet petere debitum “. Nec urgente concupiſcentia: quia ſubdit in reſp. ad 1. „ Tempore illo „ poſſunt alia adhiberi ad reprimendam concupiſcentiam, ſicut oratio & multa hujuſmodi “. Non eſſe autem lethale peccatum docet, & probat art. 6. ſcribens: „ Debitum petere in feſtivo non eſt „ circumſtantia trahens in aliam ſpeciem peccati: „ unde non poteſt in infinitum aggravare. Et ideo „ non peccat mortaliter uxor, vel vir, ſi in die „ feſto petat debitum: ſed tamen gravius eſt peccatum, ſi ſola delectationis cauſa petatur, quam „ ſi propter timorem, quo quis ſibi timet de lubrico carnis, debitum petat “. Et ad 1. reſpondet, illam mulierem, quæ, cum nocte cognita fuiſſet a viro, mane ad proceſſionem veniens a Diabolo arrepta fuit, ut narrat S. Greg. Dialog. 1. cap. 10. „ non fuiſſe punitam propter hoc, quod debitum „ reddidit, ſed quia poſtmodum ſe temere ad divina ingeſſit contra conſcientiam “. Et ad 2. docet, opus conjugale exercere in diebus feſtis non ſequi eſſe peccatum mortale, eo quod Deus præcepit Judæis legem accepturis, ne ad uxorem accederent: „ quia, inquit, auctoritate illa non „ poteſt probari, quod ſit peccatum mortale, ſed „ quod ſit incongruum. Multa enim ad munditiam carnis pertinentia exigebantur de neceſſitate præcepti in veteri lege, quæ carnalibus dabantur, quæ in nova lege non exiguntur, quæ eſt „ lex ſpiritus “.

Conſectarium Tertium.

III. Qui ſe ineptum reddit ad actum conjugalem per opera illicita, peccat, & in cauſa eſt, ſi alter peccet. Ita docet S. Th. hic q. 64. art. 1. ad 3. „ Si aliquis reddatur impotens ad debitum „ ſolvendum ex cauſa licita (puta quia labore, „ & fatigatione victum ſibi, & familiæ procurare „ debet) non tenetur, nec poteſt mulier exigere: ſi vero ex cauſa illicita, tunc peccat; & „ peccatum uxoris, ſi propter hoc in fornicationem labatur, aliquo modo ſibi imputatur: & ideo „ debet, quantum poteſt, dare operam, ut uxor „ contineat “. Hinc ex duplici capite peccant graviter conjuges, 1. ſi pollutionibus, aut cum aliis concubitu ſe ineptos reddant erga propriam conjugem: & hæc circumſtantia eſt in Confeſſione aperienda. 2. Si immoderatis jejuniis, aut aliis afflictationibus vires frangat, & debilitet: ab his enim, licet bonis operibus, debet abſtinere, ut debitum reddat; ſicut eleemoſynis parcere debet, qui ære alieno gravatur. Non vero peccat, ſi ob Eccleſiæ jejuniorum obſervantiam debilitetur: nam tunc ex licita cauſa redditur impotens; unde excuſatur a redditione debiti, ut docet S. Th.

Conſectarium Quartum.

IV. Non licet uxoribus votum caſtitatis emittere Marito inſcio, aut repugnante, & emiſſum votum probabilius nullum eſt, & invalidum. Ita docet S. Th. hic art. 4. ſcribens: „ Vovere voluntatis eſt . . . unde de illis tantum bonis poteſt „ eſſe votum, quæ noſtræ ſubjacent voluntati; qualia non ſunt ea, in quibus unus alteri tenetur. „ Et ideo in talibus non poteſt aliquis votum emittere ſine conſenſu ejus, cui tenetur. Unde cum „ conjuges ſibi invicem teneantur in redditione „ debiti, per quam continentia impeditur, non „ poteſt unus abſque conſenſu alterius continentiam vovere; & ſi voverit, peccat; & non debet ſervare votum, ſed agere pœnitentiam de „ voto male facto “. Nullum præterea & invalidum declarat præfatum votum in reſp. ad 3. ſubdens: „ Quidam dicunt, quod unus abſque conſenſu alterius poteſt vovere, quod non petet debitum, non autem quod non reddet: quia in primo uterque eſt ſui juris, ſed non in ſecundo. „ Sed quia ſi alter nunquam peteret debitum, ex „ hoc alteri Matrimonium nimis oneroſum redderetur, dum oporteret unum ſemper confuſionem „ debiti petendi ſubire, ideo alii probabilius dicunt, quod neutrum poteſt unus ſine conſenſu „ alterius vovere “. Hanc doctrinam prius tradiderat S. Fulgentius epiſt. 1. de Conjugali debito ſcribens: „ Eſt plane aliquod diſcrimen inter votum „ virginis, aut viduæ, & inter votum eorum, qui „ tenentur vinculo conjugali. Nec enim tanta eſt „ licentia vovendi viro, ſive mulieri poteſtatem „ ſui corporis non habenti, quanta eſt viduæ cuilibet, aut virgini: Conjugato enim vel corporis continentiæ vovendæ facultas plena non ſuppetit, cujus corpus non in ſua, ſed in conjugis „ poteſtate conſiſtit . . . Non itaque ſinitur abſque „ conjugis voluntate continentiam aſſumere, cujus corpus non eſt in propria poteſtate; hoc „ enim

„ enim quiſque recta, & firma devotione promittit, quod ſui tantum juris eſſe cognoverit. Tale „ eſt enim, ut velit quiſque corporis ſui, quod eſt „ in poteſtate conjugis, continentiam profiteri, „ quale ſi quis de alterius ſubſtantia aut eleemoſynam facere, aut ſacrificium conetur offerre “. Et confirmat Auguſtinus epiſtola ad Ediciam ſcribens: „ Nam vovenda non ſunt talia a conjugatis, niſi & conſenſu, & voluntate communi: & „ ſi præpropere factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſolvenda promiſſio “.

Conſectarium Quintum.

V. Conjux, quæ de conſenſu viri caſtitatis votum emiſit, aliquando reddere quidem poteſt debitum, at nunquam petere, & aliquando nec reddere poteſt. Dupliciter ſiquidem poteſt conjux alteri conjugi facultatem concedere continentiam vovendi, nimirum conditionate ſine ſuo detrimento, & abſolute nulla appoſita limitatione. Et quidem ſi primo modo, manifeſtum eſt, ſolum eam permiſiſſe conjugi continentiam, quæ ipſum jure ſuo non exſpoliat petendi debitum; quod proinde innoxie poteſt conjux petenti reddere; & hoc modo hanc veniam conceſſam fuiſſe ſemper præſumendum eſt, niſi clare conſtet de abſoluta, & libera conceſſione mariti. Si vero abſolute conceſſit uxori votum caſtitatis emittere, jam amplius ab ipſa petere debitum non poſſet, quippe qui juri ſuo ſponte ceſſit. Utrum vero poſſit licentiam conceſſam revocare, inquirit S. Th. in IV. diſt. 32. in expoſit. Textus, ubi teſtimonium S. Auguſtini, qui videtur dicere, poſſe virum conceſſam voti obligationem revocare, ſic interpretatur ſcribens: „ Videtur ex hoc, quod vir poſſit revocare uxorem ad ſe, etiamſi de licentia ſua caſtitatem vovit. At dicendum, quod verbum Auguſtini intelligitur, quando vir diſſimulavit ante plenam „ deliberationem, quæ quidem diſſimulatio quidam conſenſus videtur. *Si autem expreſſe conſenſiſſet, non poſſet votum revocare*: unde loquitur „ quantum ad judicium Eccleſiæ, quando permiſſio non poteſt probari; unde propter periculum „ talia vota occulta non ſunt approbanda “. Et ita declaratur in Jure can. Cap. *Manifeſtum* 33. q. 5. „ Continentiæ vota nec mulier ſine conſenſu viri, nec vir ſine conſenſu mulieris Deo reddere poteſt. Si autem conſenſu alterius eorum „ ab altero permiſſa fuerit, & poſtmodum in irritum deducere voluerit, qui permiſit, non tamen „ valet, quia in debito conjugii æque mulier habet poteſtatem viri, ſicut & vir mulieris; atque „ ideo ſi quilibet eorum alterum a ſuo jure abſolverit, ad præteritam ſervitutem ipſum revocare „ non poteſt “.

Conſectarium Sextum.

VI. Qui voto caſtitatis ligatus Matrimonium celebrat, peccat lethaliter Matrimonium conſummando; at poſtea non peccat reddendo debitum, ſed ſolum petendo: qui vero voto Religionis eſt obſtrictus, nec petendo, nec reddendo peccatum committit. Prima pars traditur a D. Th. hic q. 63. art. 1. ad 3. ſcribens: Ille, qui contrahit Matrimonium per verba de præſenti poſt votum ſimplex, non poteſt cognoſcere uxorem ſuam ſine „ peccato mortali; *quia adhuc reſtat ſibi facultas implendi votum continentiæ ante Matrimonium conſummatum*; ſed poſtquam Matrimonium conſummatum eſt, eſt ei jam factum illicitum non „ reddere debitum uxori exigenti, ex culpa ſua “ Et in reſp. ad 4. ſubdit: „ Et quia ex Matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum; ideo non poteſt petere debitum ſine peccato; quamvis poſſit ſine peccato reddere debitum exigenti “. Dehinc rejicit opinionem illorum, qui dicunt, poſſe & petere, & reddere, ne nimis oneroſum reddatur Matrimonium uxori, ſubdens, *hoc eſt interpretative*. Qui vero Religionem vovit, peccat lethaliter Matrimonium celebrando, & ante bimeſtre conſummando, cum per hoc impotens efficiatur ad votum implendum: tamen cum caſtitatem non voverit niſi ſervandam in ſtatu Religioſo, poteſt licite & petere, & reddere debitum. Nihilominus, ſoluto per adulterium, vel mortem conjugis Matrimonio, cum jam ſit liber effectus, vota ſua domino reddere debet.

At hic ignorantiam meam ultro confiteor, non enim capio doctrinam ſive P. Concinæ, ſive Natalis Alexandri, & aliorum Theologorum, qui docent non teneri ad ingrediendam Religionem illum, qui emiſſo voto caſtitatis Matrimonium de præſenti contraxit, at nondum conſummavit: quia, inquit Concina, „ hoc non promiſit, & ipſa re „ promiſſa longe gravius eſt, & difficilius “; & quia, ſubdit Natalis Alexander, „ medium tam „ durum, & extraordinarium eligere non tenetur, cum alia ſuppetant ad vitandam voti violationem, nimirum voti diſpenſatio, vel uxoris „ juri ſuo cedentis conceſſio “. Fateor quidem non teneri Religionem ingredi, ſi alia via violationem voti vitare poſſit. At poſito quod non alia ſuppetat via, quia diſpenſationem non poteſt obtinere, nec uxor juri ſuo cedere vult; quomodo peccatum mortale in conſummatione Matrimonii vitare poterit; S. Thom. non aliam certe agnovit, niſi ingreſſum in Religionem: nam dicit eum non poſſe cognoſcere uxorem carnaliter ſine peccato mortali: *quia reſtat adhuc facultas implendi continentiæ votum*. At quæro, in quo poſita eſt hæc facultas? In petitione diſpenſationis? at hæc obligationem voti tollit, non voti impletionem conſervat. Num in ceſſione voluntaria alterius conjugis? At hoc non eſt in ſua poteſtate. Non ergo juxta S. Thom. alia ſupereſt via, quam ingreſſus in Religionem. Corruunt ergo rationes adductæ, quia cum agatur de peccato mortali vitando, jam nullum eſt medium adeo durum, difficile, aſperum, extraordinarium, quod Chriſtianus amplecti non teneatur. Nec obſtat Joan. XXI. reſponſio a Natali Alexandro adducta, qua jubet illum, qui celebrato quidem Matrimonio, at non conſummato, Ordinem Sacrum ſuſceperat, moneri, & compelli ad ingrediendam Religionem: at ſi abhorreat, & uxor inſtet, eſſe cenſuris compellendum ad reddendum uxori debitum. Nam dico Pontificem conceſſiſſe diſpenſationem a lege Eccleſiaſtica, & voto Sacro Ordini annexo; nec illum compuliſſe abſolute ad Religionem ingrediendam in gratiam uxoris, quæ marito ſuo privari nolebat, & qui forſitan in fraudem ſacram ordinationem acceperat, ne cum uxore cogeretur permanere:

re: quod patet manifeſte ex eo quod ordinem ſuſceperat poſt Matrimonium ratum, ſed ante conſummationem. Hic caſus admodum rarus eſt, & facile eſt ad diſpenſationis remedium confugere. Quare hæc indicaſſe ſufficiat.

Conſectarium Septimum.

VII. Non licet conjugi debitum matrimoniale alteri denegare vel proter incommodum aliquod, cui ſubjacet, vel ob pericula, & difficultates in pariendo, vel ne filii nimium multiplicentur. Prima pars colligitur ex D. Thom. qui conjugem non liberat ab onere reddendi debitum alteri conjugi leproſo. Sic enim ſcribit hic art. 1. ad 4. „ Uxor „ vero leproſo tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare; quia non ita cito „ inficitur ex coitu, ſicut ex frequenti cohabitatione: & quamvis generetur infirma proles, „ tamen melius eſt ei ſic eſſe, quam penitus non „ eſſe". Et in 1. ad Corinth. lect. 3. repetit: „ Licet poſſit ob lepram diſcedere a cohabitatione, non tamen a thoro, quin aliquando teneatur reddere debitum prope eam manendo". Altera vero pars conſtat: quia uxores jam ſciunt pœnalem legem illis a Deo inflictam pariendi in dolore filios ſuos, & ſibi ex partu vitæ periculum imminere. Ita docet Genettus Tract. 9. cap. 10. qui tamen excipit, niſi ob aliquam infirmitatem, aut diſpoſitionem corporis aſſererent Medici ex partu futuro extraordinarium, & præſens vitæ, aut ſanitatis periculum mulierem ſubituram. Tertia quoque pars conſtat: nam finis matrimonii eſt filiorum propagatio, non licet igitur debitum denegare ad impediendum finem connubialis conjunctionis. Sunt qui putant licere, quando in comparte petente nullum ſit incontinentiæ periculum. At quis ſcire poteſt non adeſſe hoc periculum? Dum petit, jam ſtimulis agitur concupiſcentiæ, illis obſiſtere aliquoties poſſe, & velle preſumi poteſt; at hinc in pugna difficili per longum tempus, & in repetitis aggreſſionibus victoriam præſumere nonniſi imprudentis videtur, & alterius ſalutis parum ſolliciti. Duo ſolum concedi poſſunt, nimirum 1. ut ambo communi conſenſu ab uſu abſtineant; alterum, ut interpellatus interpellanti blande, ſed efficaciter abſtinentiam ſuadeat: quod ſi obtineat, ille a petitione ceſſabit; at ſi reluctetur, obſequi debet, maxime ſi periculum timeat incontinentiæ.

Conſectarium Octavum.

VIII. Repetiti abortus non ſunt legitima cauſa debitum denegandi. Obſiſtunt huic doctrinæ nonnulli Theologi, qui putant poſſe conjugem, quæ frequentes abortus paſſa eſt, debitum denegare, 1. quia ipſa de vita periclitatur; 2. quia damnum affert animabus, quæ in æternum beata privantur viſione. Verum a data doctrina puto non recedendum, præſertim ſi adſit periculum incontinentiæ, ſive in ſe, ſive in viro: & ratio eſt, 1. quia mulieres parientes plus minuſve de vita periclitantur; & jam ipſa experientia illis conſtat tale periculum in puerperiis anteactis evaſiſſe. 2. Quia Matrimonium celebrantes iſtis periculis ſe exponunt, & hæc ſponte ſubeunt. 3. Quia ſaluti corporis eſt ſalus animæ propriæ, & conjugis præferenda; & caritas urget, ut etiam cum aliquo periculo temporali, ſaluti ſpirituali alterius conſulamus, præſertim ſi ipſi obnoxii & adſtricti ſimus. 4. Quia certum non eſt partus ſemper futuros abortivos, licet aliqui præceſſerint; & pro incerto eventu non eſt certum debitum denegandum. Nec obſtat abortivorum animas perire. Nam, ut mox dixi, hoc incertum eſt: & præterea ad uxores pertinet filios procreare, & gignere; eorum autem jam conceptorum animabus, quoad æternam ſalutem conſulere ad Deum pertinet, cujus providentiæ, & ſapientiæ eſt fœtus ſalus æterna committenda, a qua omnino pendet. Uxor, quod ſui muneris eſt, impleat, viro obſequatur, periculum incontinentiæ a ſe, & ab illo avertat; reliqua divinæ diſpoſitioni, & voluntati committat.

Conſectarium Nonum.

IX. Non ſemper qui cum conſanguinea conjugis peccat, unde illi fit affinis, jure petendi debitum privatur. Et quidem conjugem ob affinitatem cum uxore contractam privari jure petendi debitum, ſtatutum eſt in jure can. Cap. *Tranſmiſſo*, Tit. *de eo qui cognovit*, ubi Cæleſtinus III. indicit huic inceſtuoſo, „ ut legitimæ uxori habitans, & neceſſaria ſubminiſtrans, non cognoſcat eam, quamdiu vexerit, niſi ab ea fuerit requiſitus, & tunc „ ad ipſam non ſine gravi dolore accedat". Ab hac tamen pœna excuſatur 1. Si conſanguineam uxoris in tertio, & quarto tantum gradu cognoverit; quia impedimentum affinitatis ex copula illicita, ut ſuo loco dicemus, non ultra primum, & ſecundum gradum dilatatur. 2. Si ex ignorantia facti proceſſerit copula, quia neſciebat eſſe conſanguineam: at non liberatur a pœna, ſi ignorantia juris laboret, ſciens nimirum ſe conſanguineæ uxoris copulari, ſed ignorans indictam pœnam privationis petendi debiti; quia ignorantia pœnæ ab ea incurrenda non excuſat. 3. Si per vim uxor cognita fuerit a conſanguineo viri, & ipſa minime conſenſerit: ubi enim culpa non eſt, nec pœna locum habet. 4. Nonnulli liberant a pœna, ſi ex metu gravi copulæ conſenſerit: quia licet peccaverit, cum metus gravis a peccato non excuſet; eximitur tamen a pœna, quia non videtur lex Eccleſiæ in tali caſu obligare: unde & liberantur, qui ex metu gravi contra legem Eccleſiæ peccant. Verum probabilis non eſt hæc doctrina? nam pœna ab Eccleſia non infligitur ob legem ſuam violatam, ſed ob divinæ legis tranſgreſſionem in inceſtuoſo concubitu. At urgent: ille concubitus inceſtuoſus non eſt, quia premente gravi metu lex Eccleſiæ non obſtringit. Utique, ſi actio ſit ſolum lege Eccleſiæ prohibita, ut ſi quis ex grave metu canes in Quadrageſima comederet; at non, ſi actio ſit lege divina prohibita. Porro in eo concubitu inceſtuoſo jam habetur adulterium, vel fornicatio lege divina interdicta; huic autem crimini patrato cum conſenguinea conjugis eſt adjecta pœna privationis juris petendi debitum; proinde non liberatur.

Conſectarium Decimum.

X. Non licet in publico, vel ſacro loco debitum aut petere, aut reddere. Et quidem de loco publico nullus niſi Cynicus abnuet, cum id maxime indecens ſit, turpe, inhoneſtum, & ſcandaloſum. At in hoc fortaſſis non ſatis ſibi cavent conjugati, qui in eodem cubiculo filios, vel alios detinent, vel qui coram aliis conjugalis amoris inverecunda ſigna præbere non horrent. Conſentiunt etiam Theologi quoad locum ſacrum, quando hoc ex libera conjugatorum voluntate fiat: cum gravem irrogent loco ſacro injuriam, & Eccleſia polluatur; proinde grave ſacrilegium committunt. At non ita conſentiunt, ſi conjuges, aliqua urgente neceſſitate, puta obſidionis, vel aſyli quærendi cauſa diutius in Eccleſia commorari cogantur. Sunt enim non pauci Theologi, qui eos excuſant, ſi præſertim ad incontinentiæ periculum vitandum in Templo congrediantur; tali enim congreſſu Eccleſiam non pollui cenſent. At oppoſitum probabilius tenent S. Antoninus P. III. Tit. I. cap. 3. §. 23. Sotus, Sylvius, Pontaſius, aliique: nam gravem adhuc agnoſcunt injuriam loco ſacro illatam, & nullam conſpiciunt neceſſitatem liberis operam dandi; tum quia quando graviora inſtant pericula, ut metus hoſtium, tunc magis urget onus ad Deum confugiendi, & pœnitentiæ operibus vacandi; tum quia concupiſcentiæ ſtimuli franguntur, non illis ſatisfaciendo, ſed eos reprimendo, & orationi inſtando; & ſic & incontinentia vitatur, & debitus divino Templo, & Chriſto in Sacramento præſenti honor ſervatur. Audiatur S. Antoninus l. l. „ Quantum ad locum, in quo talis actus „ exercetur, videlicet in loco ſacro: ſive ergo habeatur alius locus, ſive non poſſit haberi alius „ locus, certum eſt, quod non licet petere, ſed „ nec reddere tenetur alter illud, quod reddi non „ poteſt ſine irreverentia loci ſacri: nam propter „ hoc indiget reconciliatione, quantum eſt ex natura facti, licet per accidens, ſi eſt occultum, „ non indigeat reconciliatione “.

Conſectarium Undecimum.

XI. Conjuges, qui prægnationis, vel menſtruæ infirmitatis, vel puerperii tempore congrediuntur, peccant. Et quidem illicitum eſſe cum uxore prægnante congreſſum docet S. Thom. in IV. Sent. diſt. 31. ſcribens: „ Ex hoc imminet periculum „ abortus. Et ideo Hieronymus vituperat acceſſum viri ad uxorem prægnantem: non tamen „ ita quod ſemper ſit peccatum mortale, niſi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus “. Præfatum congreſſum vituperat etiam S. Auguſtinus lib. de bono conjug. cap. 6. dicens: „ Sunt viri adeo incontinentes, ut conjugibus nec „ gravidis parcant. Quidquid ergo inverecundum, ſordidumque gerunt, vitium eſt hominis, „ non culpa nuptiarum “. Gravius vero peccant, qui opus conjugale petunt menſtrua infirmitate uxorem coinquinante: nam iſti olim in lege veteri morte plectabantur, ut habetur Levitic. cap. 20. *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, interficientur ambo de medio populi ſui.* Quod præceptum optime interpretantur SS. Auguſtinus, & Thomas. Ille quidem lib. 3. Quæſt. in Levit. cap. 64. ſcribens: „ Talia prohibita ſunt, quæ tempore novi Teſtamenti, remota umbrarum veterum obſervatione, ſine dubio cuſtodienda ſunt. „ Quod videtur etiam Prophetam Ezechielem ſignificaſſe, qui inter illa peccata, quæ non figuratæ, ſed manifeſtæ iniquitatis ſunt, etiam hoc „ commemorat ad mulierem menſtruatam ſi quis „ accedat. Qua in re non natura damnatur, ſed „ concipiendæ proli noxium prohibetur “. Alter vero in IV. diſt. 31. quæſt. I. art. 2. quæſtiuncula 2. ſic dicit: „ Accedere ad menſtruatam in lege prohibitum erat duplici ratione, tum porpter „ immunditiam, tum propter nocumentum, quod „ in prole ex hujuſmodi commixtione frequenter „ ſequebatur. Et quoad primum, præceptum erat „ cæremoniale; ſed quantum ad ſecundum erat „ morale, quia cum Matrimonium ſit ad bonum „ prolis principaliter ordinatum, ordinatus eſt „ omnis Matrimonii uſus, quo bonum prolis intenditur; & ideo hoc præceptum obligat etiam „ in nova lege propter ſecundm rationem, etſi non „ propter primam “. Hinc quæſtiunc. 3. ſic docet: „ Dixerunt quidam, quod mulier menſtruata, ſicut „ non debet petere debitum, ita nec reddere: ſicut „ enim non tenetur reddere, ſi haberet infirmitatem in propria perſona, ex qua periculum ei immineret; ita non tenetur reddere ad vitandum „ periculum prolis. Sed quia ſi mulier infirmatur, „ certiſſimum eſt, quod ex carnali actu periculum „ ei imminet; non autem ita certum eſt de prole, „ quæ forte nulla ſequetur: ideo alii dicunt, quod „ mulieri menſtruatæ nunquam licet petere debitum; ſi tamen vir ejus petat, aut petit ſcienter, „ aut ignoranter: Si petit ſcienter, tunc debet eum „ avertere precibus, & monitis, tamen non ita „ efficaciter, ut poſſit ei eſſe occaſio in alias damnabiles corruptelas incidendi, ſi ad id pronus „ credatur. Si autem petit ignoranter, tunc mulier poteſt aliquam occaſionem prætendere, vel „ infirmitatem allegare, ne debitum reddat, niſi „ vero periculum timeatur: tamen finaliter, ſi „ vir non deſiſtit a petitione, debet debitum reddere petenti “. Ex qua S. Th. doctrina aperte colligitur, petitionem debiti certe illicitam eſſe in utroque conjuge; redditionem vero ſolum ob alterius in peccatum labilitatem excuſari. Tertium quoque de puerperii tempore illicitum ex eo apparet manifeſte, quia tunc non eſt mulier apta ad concipendam prolem: quod ſi forte concipiat, naſcetur admodum infirma, imbecillis, & imperfecta tum propter matris immunditiam, tum propter naturæ debilitatem. Quamobrem ita decrevit S. Greg. P. epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum: „ Mulieres, niſi purgationis tempus prius tranſierit, viris ſuis non debent admiſceri “. Cui Decreto tale apponit Gloſſa Commentarium: *Illis temporibus prohibentur conjuges commiſceri, quia ex tali coitu naſcuntur morboſi, & leproſi.* Peccant etiam qui uxori lactanti copulantur, ſi pauperes ſint; quia ſi conceperit, lac corrumpitur, & infans corrupto lacte nutritus infirmatur, & aliquando etiam moritur: & ideo facilius excuſantur ditiores, & nobiles, qui adhibita nutrice ſalutis infantis conſulere valent.

Con-

Conſectarium Duodecimum.

XII. Conjuges, qui de valore ſui Matrimonii prudenter dubitant, petere debitum nequaquam poſſunt perſeverante dubio. Hujus doctrinæ veritatem, quam cap. præced. n. 7. oſtendimus, hic confirmamus, & a falſis Probabiliſtarum objectionibus vindicamus. Lacroixius ſiquidem docet: „ Si Matrimonio bona fide contracto ſuperveniat „ dubium de valore, at poſt inquiſitionem nil re„ ſciri, nec dubium deponi poſſit, prima ſenten„ tia, quam tenent S. Thomas, S. Bonaventura, „ S. Antoninus, aliique ..... dicit poſſe quidem „ reddere debitum, ſed non petere, quia id vide„ tur eſſe deciſum Cap. *Inquiſit.* de ſent. Excom. „ .... Secunda ſententia, quam tenent Soto, Ve„ racrux, Victoria, Lopez, Suarez ... dicit poſſe „ etiam petere debitum ... atque hæc ſecunda „ ſententia videtur, ſaltem ſpectata ratione, eſſe „ probabilior ". At quantum a vero aberret hic Probabiliſta, probabiliorem appellans ſententiam, quæ nec probabilis eſt, manifeſte apparet tum ex aperta Summorum Pontificum deciſione, qui aperte, clare, & dilucide docuerunt, perſeverante dubio prudente de validitate Matrimonii, non licere dubitanti petere debitum, ſed ſolum reddere; tum ex auctoritate duorum Eccleſiæ Doctorum, quibus ceteri Theologi comparari non poſſunt. Præterea numquid laudati Pontifices Summi, & Sancti Eccleſiæ Doctores poſitam ſtatuere doctrinam temere, pro libito, abſque ulla vel ratione, vel fundamento? Quis hoc dicat? Immo nonne luculentam, & manifeſtam rationem adducunt, nimirum periculum peccandi, cui ſe exponunt, qui de valore dubitantes Matrimonii, debitum petunt? At inquit Lacroix, ratione ſpectata probabilior eſt oppoſita ſententia, at non ſpectata auctoritate. Sed quænam eſt hæc inconcuſſa validiſſima ratio, quam Summi Pontifices, & SS. Doctores cæcutientes non viderunt? Poſſeſſio Matrimonii, inquit Lacroixius: quia præmiſſa ſufficienti diligentia conjuges habent invincibilem ignorantiam de invaliditate, & certam poſſeſſionem Matrimonii pro validitate: poſſunt itaque ſuo jure uti, & petere debitum. Præterea poteſt quilibet ſequi ſententiam probabilem; licet, ut dicit Averſa, opinio pro invaliditate eſſet probabilior. At hæc ſecunda ratio in tanta modo luce Evangelicæ Moralis ab omnibus cordatis Theologis Probabiliſmum merito deteſtantibus rejicitur; proinde in ea refellenda non eſt immorandum. Quoad primam vero rationem nonne Pontifices Summi, & SS. Doctores laudati probe noverant conjuges de valore Matrimonii dubitantes eſſe jam in poſſeſſione Matrimonii, cum loquantur de Matrimonio bona fide contracto? Pro nihilo igitur eam poſſeſſionem habuere, cum ea non obſtante decreverint, & docuerint, dubitantem non poſſe petere debitum. Et revera poſſeſſio Matrimonium nunquam, ſi invalidum eſt, efficere valet validum; cum nulla ſit, ſicut in ceteris contractibus, præſcriptio. Poſſeſſio itaque ſolum præſtat, ut Matrimonium diſſolvi non poſſit, niſi certa, & manifeſta ratione: at quamdiu dubius eſt ejus valor, jus non præſtat ad petendum debitum; quia non liberat a periculo fornicationis, ſi invalidum ſit. At inquit, invincibiliter ignoratur Matrimonii invaliditas: porro ignorantia invincibilis a peccato excuſat, præſertim ſi ſit facti. Utique excuſat illa ignorantia, quæ efficit, ut aliquid licitum putetur, quod eſt illicitum; at non ignorantia etiam invincibilis, per quam quis dubitat, num opus aliquod ſit ſibi licitum: nam hæc dubitatio, quæ vinci non poteſt, certum ſecum affert periculum peccandi, quod quiſque jure divino, & naturali vitare tenetur; proinde cum tali dubitatione invincibili petens debitum periculo ſe exponit peccandi: petere igitur non valet. Sed urgent, nonne hoc idem periculum ſubit etiam reddendo? & tamen ratione poſſeſſionis Matrimonii reddere licet. Cur ergo non licet & petere? Reſpondeo, quia tunc periculum peccandi non reddendo debitum minime vitatur, ſed illud certum incurritur. Si enim reddit, fieri quidem poteſt, ut fornicetur, ſi Matrimonium eſt invalidum; ſed hoc incertum eſt: at ſi non reddit, alterum minime de valore Matrimonii dubitantem ſuo jure certo privat: itaque cum tunc conjux dubitans inter duo mala verſetur, vel fornicandi, ſi Matrimonium ſit nullum, vel violandi jus alterius certum; recta ratio dictat ex duobus malis inevitabilibus, quod minus eſt, eligendum. Minus autem malum eſt periculum fornicationis, quod incertum eſt, quam violatio alterius juris, quod certum eſt. Præterea fornicatione ſolus Deus offenditur, & quidem dubie; injuſtitia vero, & alieni juris violatione Deus offenditur, & proximus, & quidem certe. Merito igitur ſtatuere Pontifices, docuere SS. Doctores, in dubio reddendum quidem eſſe debitum, at non petendum. Sed quid, inquies, ſi uterque conjux de Matrimonii dubitet validitate? Neuter poterit debitum petere, & cum dubitatio ſit invicibilis, perpetuo uſu conjugii carere adſtringentur. Duriſſimum autem, inquit Lacroixius, eſt compellere homines culpa immunes, ut vitam cælibem perpetuo in Matrimonio ducant. Verum egregie reſpondit Franzoja: „ Hæc ratio noſtræ corruptæ in„ doli accommoda animum vellicat, & facile ſua„ det: at indignum Theologo eſt, & bono Chri„ ſtiano, ut legem valere nolit, niſi mollis ſit, „ & facilis. Si Lacroixii ratio vim haberet, Ma„ trimonii uſus Religioſis, & Clericis ſacris ini„ tiatis cum Luthero permittendus eſſet. Cur e„ nim homines culpa immunes compellendi ſunt, „ ut vitam cœlibem ducant? Nos homines non „ compellimus, ut vitam cœlibem ducant, ſed „ cum Apoſtolo dicimus, *De Virginibus præce„ ptum Domini non habeo, conſilium autem do*; eos „ autem cum eodem Apoſtolo compellimus, ut „ a fornicatione, quæ a Regno Dei excludit, ab„ ſtineant, & conſequenter a copula, de qua me„ rito dubitatur, an ſit fornicaria ".

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

De vitandis a Conjugibus in uſu Matrimonii.

DOCTRINA.

I. *Vitanda a Conjugibus prævie ad uſum, in ipſo uſu, & extra uſum Matrimonii.*

II.

II. *Non ſunt omittendæ publicæ denunciationes Matrimonii.*
III. *Quinam a Denunciationibus diſpenſare poſſint.*
IV. *Peccant celebrantes Matrimonium cum aliquo impedimento.*
V. *Et peccato lethali coinquinati.*
VI. *Et qui nuptiarum die crapulæ, ebrietati &c. indulgent.*
VII. *Et qui ante ſolemnem benedictionem Matrimonium conſummant.*
VIII. *Et qui Matrimonio intemperanter abutuntur.*
IX. *Qui prolis generationem impediunt.*
X. *Et qui in copula modum a natura inſtitutum prætermittunt.*
XI. *Non omnia licent conjugatis in officio maritali.*
XII. *Quænam illicita extra uſum Matrimonii.*

I. CAſtis auribus hic parcendum eſt, & lubrica hæc, & lutulenta doctrina ſobrie, & pudice, quantum ſat eſt ad Tyronum inſtructionem, tractanda. Ideo etiam conſuetum omiſi titulum de peccatis conjugum, & alium honeſtiorem ſubſtitui. Peccata itaque vitanda a conjugibus occurrere poſſunt & prævie ad Matrimonii uſum, & in ejus uſu, & extra ipſum: juxta hunc ordinem ſeriem doctrinę exponemus.

II. Publicæ Matrimonii Denunciationes non ſunt omittendæ. Lex ſiquidem lata eſt a Tridentino Concilio, quod ſeſſ. 24. de Reformatione Matrimonii præcepit: „ Ut in poſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtivis, in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur “. Quæ Tridentini lex ſub gravi obligat, nec ſine lethali peccato violari poteſt, cum juſtis de cauſis ſit inſtituta, præſertim, ut ſi quæ ſubſint Matrimonii impedimenta, detegantur, nec clandeſtina celebrentur Matrimonia, nec filii-familias invitis, vel inſciis parentibus conjugia ineant. Si contrahentes ſint diverſæ Parœciæ, in utraque ſunt denunciationes faciendæ. Ita ſtatuit Sixtus V. in approbatione Synodi Aquenſis, ſtatuentis: „ Matrimonii denunciationes a Parochi fiant . . . . quod ſi ambo in diverſis Parochiis habitent, tum in unius, & alterius Parochia fiant “. Et ita ſtatuitur etiam in Rituali Romano. Si poſt denunciationes factas quatuor prælerlabantur menſes, nec fuerit celebratum Matrimonium, contrahere non poſſunt, niſi novæ fiant denunciationes arbitrio Epiſcopi, ut declaratum fuit a Sacra Congregatione Concilii. Immo in Rituali Romano duorum Menſium terminus præſcribitur, quibus elapſis, nec celebrato Matrimonio, ſint denunciationes iterandæ. Parochus aſſiſtens Matrimonio, nec præmiſſis denunciationibus, nec obtenta diſpenſatione, triennali ſuſpenſione punitur, a qua, utpote a jure ſtatuta, abſolvi ab Epiſcopo nequit juxta Sanchezium, ut ſcribit Bened. XIV. De Synod. Diœceſ. lib. 12. cap. 6. n. 2. Denunciationes fieri debent diebus Feſtis, & inter Miſſarum ſolemnia, ut jubet Tridentinum, a quo recedunt, qui putant fieri poſſe etiam diebus profeſtis, ſi magnus ſit populi concurſus, vel in die Feſto Veſperarum tempore.

III. A Denunciationibus diſpenſatio concedi poteſt ab omnibus Epiſcopis, vel Epiſcopalem juriſdictionem in aliquo territorio obtinentibus ſine ulla ſubjectione alicujus Ordinarii: & licet oppoſitum fuerit deciſum a Sacra Congregatione, ut refert Natalis Alexander; ab ea tamen declaratione receſſum fuiſſe teſtatur Ferrarius V. *Denunciationes* num. 33. Juſtis de cauſis eas concedere poſſunt Epiſcopi, quæ ſunt hujuſmodi: 1. quæ a Tridentino deſignatur, ſi probabilis ſit ſuſpicio, Matrimonium malitioſe impediri poſſe. 2. Si ſine infamia contrahentium fieri non poſſit. 3. Ad vitandum peccatum, ſcandalum, vel periculoſas lites, & vexationes, & aliæ, quæ Epiſcoporum judicio ſunt expendendæ: quos monet Bened. XIV. in ſua Conſtitutione *ſatis Vobis*, ne ſine gravi urgente cauſa diſpenſationes a Denunciationibus concedant. Die autem, quo ultima denunciatio habetur, minime Parochus Sponſos Matrimonio jungat ſine Epiſcopi licentia, & diſpenſatione.

IV. Peccant lethaliter contrahentes Matrimonium ſcienter cum aliquo impedimento, ſive impediente, ſive dirimente. Et quidem ſi cum ſolo impediente, peccant, quia Eccleſiæ præceptum ſub gravi obligans violant. Peccant præterea contra eam virtutem, cui impedimentum adverſatur: nam qui voto ſimplici caſtitatis obſtrictus Matrimonium celebrat, votum ſuum violat Matrimonium eligens voto caſtitatis adverſans: nec præſumendum eſt velle ingredi Religionem ante conſummationem, qui contempta Eccleſiæ lege contrahit. Tertio peccat peccato ſacrilegii, certe recipiendo, & probabilius Sacramentum conficiendo. Quæ omnia crimina perpetrat, qui init Matrimonium cum aliquo impedimento. Nec a ſacrilegio excuſatur, quia nullum eſt Matrimonium; cum ex malitia nullum Sacramentum efficiat: ſicut ſacrilegus eſſet Baptiſmi profanator, qui vino baptizaret, licet nullum eſſet Sacramentum; quidquid in oppoſitum dicant benigniores Probabiliſtæ, Diana, Dicaſtillus, Sanchezius. Immo peccat etiam, qui cum ſolo dubio alicujus impedimenti contrahit; cum fruſtrationis periculo Sacramentum exponat, & in Sacramentis perficiendis tutior pars ſit eligenda. Præterea hujuſmodi aliquando etiam anathemate feriuntur; ut ſtatuitur in Clementina unica de conſanguinitate, & affinitate, ubi Pontifex indicit: „ Eos, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis conſtitutione canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere Matrimonium non verentur, nec non Religioſos, & Moniales, & Clericos in Sacris conſtitutos Matrimonium contrahentes excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubjacere “. Quæ cenſura, ut manifeſte apparet, eſt latæ ſententiæ, non tamen reſervata; nec ultra ſtatutos limites voti, affinitatis, & conſanguinitatis dilatanda.

V. Graviter peccant conjuges, qui in peccato mortali Matrimonium celebrant. Nam Matrimonium eſt vivorum Sacramentum, quod gratiam in recipiente ſupponit. Profanant etiam Sacramentum, qui duobus paratis, & diſpoſitis teſtibus, Parochum vel celebrantem, vel doloſe vocatum aggrediuntur, & coram ipſo Matrimonio jungi teſtantur. Immo non unum perpetrant ſcelus, ſed plura: nimirum 1. quia proclamationes contra Tridentini præceptum omittunt; ac proinde in peccato

ce-

celebrant Matrimonium. 2. Quia indigne tantum Sacramentum tractant. 3. Quia Eccleſiaſticas ceremonias ſancte ſervandas contemnunt. 4. Quia non pie, & religioſe junguntur, & vix de Sacramento cogitant, ſed ſolum libidine moventur. Unde merito ſuperius dixi, & quidem probabiliſſime, iſtos contractum inire, at Sacramentum minime perficere; & in hoc ſacrilegos eſſe, cum illud nullitatis periculo exponant.

VI. Peccant etiam, qui Gentilium potius, quam Chriſtianorum more, nuptiarum diem crapulis, choreis, ebrietatibus, obſcœnis cantilationibus, impudicis ſermonibus deſœdant. Quamvis enim eo die modeſtum convivium apparare conceſſum ſit, unde & Chriſtus cum B. Virgine Menſæ Nuptiali aſſidere dignatus eſt; & celebrato Matrimonio caſtiſſimo Tobiam inter & Saram, epulas conſtruxerint, quas ſua præſentia Angelus Raphael honeſtavit, quia, ut inquit Scriptura, *epulati ſunt benedicentes Deum*: tamen tunc præcipue locum habere debet Apoſtoli monitum, *Gaudete, iterum dico gaudete, modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus enim prope eſt*, ideſt nuptiis præſens ſua benedictione donandis. Nihil igitur fiat, quod non decens, honeſtum, decorum, chriſtianis ſponſis dignum ſit. Hoc urgere debent Parochi, & inſtanti ſtudio procurare. Hinc ſcribit D. Bernardus lib. 4. de conſid. cap. 3. „ Vidi„ mus qui aſſidue docendo, inſtanter obſecrando, „ & duriores, ac temerarios objurgando obtinue„ runt tandem, ut in Parochia ſolemnitas nuptia„ rum religioſo, ut decet, cultu celebraretur, & „ tota dies in gratiam Sacramenti pie accepti me„ moria pie ageretur “. Nec omittenda pia conſuetudo benedicendi thalamum Matrimonialem, ut in pluribus Ritualibus præſcribitur.

VIII. Peccant, qui ante Sacerdotalem benedictionem Matrimonium conſummant. Duplex eſt in Matrimonio benedictio: Alia eſt privata, quæ juxta aliquos formam conſtituit Matrimonii, ſita in illis verbis a Miniſtro prolatis, *Ego conjungo vos in Matrimonium:* & hanc omittere gravem peccatum eſſe ſuperius num. 5. diximus, immo & plura involvere crimina. Alia vero eſt benedictio ſolemnis, quæ fit in Eccleſia cum celebratione Miſſæ pro ſponſo, & ſponſa. Et hanc quoque prævie ad conſummationem ommittere proculdubio culpa non caret; cum Tridentina Synodus hortetur conjuges, ne ante benedictionem Sacerdotalem in templo ſuſcipiendam in eadem domo cohabitent, ne ſcilicet in præſens periculum ſubeant conſummandi Matrimonii ante præfatam benedictionem. Et antiquiores Pontifices, ac Concilia, & Patres hujus benedictionis omiſſionem inſtar ſacrilegii damnant, & Matrimonii conſummationi præmittendam ſtatuunt: cum enim apud fideles Sacramentum ſit, Sacris ritibus eſt conficiendum. Reprehendendus proinde Viva, qui non erubeſcit ea Sacramentalia nec res graves, nec valde progreſſui Matrimonii congruentia appellare: quare ea omittere probabiliter omni culpa vacare falſo affirmat. Matrimonium tamen ante eam ſolemnem Benedictionem conſummare gravioris culpæ arguere non auſim: & puto Concinæ nimium rigidam eſſe opinionem, lethalis peccati damnantis eos, qui non abſolute negligunt, quod verum puto, ſed qui poſt conſummationem differunt. Sed de hoc iterum Differt. 3. cap. 2. Confect. 2.

VIII. In ipſo vero Matrimonii uſu pluribus modis peccare poſſunt conjuges. Et primo quidem, ſi nimium libidini indulgeant, & voluptatem illecebroſam intemperanter quærant: nam non minus vinum inebriat domeſticum, quam in Œnopolio divenditum, ſi nimium potetur. Scimus enim ex Scriptura in ſeptem Saræ Maritos Satanam invaluiſſe, quia inquiebat Angelus, *conjugium ita ſuſceperant, ut Deum a ſe, & a ſua mente excluderent, & ſuæ libidini ita vacarent ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*. Ipſum quoque Diluvium a Deo immiſſum conſtat, quia *omnis caro corruperat viam ſuam*, & effrænis libido totum occupaverat Orbem, nedum extra conjugium, ſed & in ipſo conjugii abuſu. Unde merito ſcribit S. Hieronymus lib. 1. adv. Jovinian. „ In aliena uxore omnis amor turpis eſt, in ſua „ nimius. Sapiens vir judicio debet amare con„ jugem, non affectu. Regat impetus volupta„ tis, ne præceps feratur in coitum. Nihil eſt „ fœdius, quam uxorem amare quaſi adulteram “. Et S. Ambroſius epiſt. 63. ſcribit: „ Eſt enim „ velut quidam adulter incontinens in Matrimo„ nio, qui legem Apoſtolicam prævaricatur “. Et Sanct. Thom. Matrimonii intemperantiam lethalem reputat, quando, inquit in IV. Sent. Diſt. 31. quæſt. 2. art. 3. „ voluptates meretricias „ vir in uxore quærit, quando nihil aliud in „ ea attendit, quam quod in meretrice atten„ deret “.

IX. Peccant mortaliter conjuges per omnes actiones, quæ prolis generationem impediunt. Ratio eſt manifeſta, quia non ſupereſt, niſi perverſa libido. Hinc lethale peccatum eſt, 1. inceptam copulam abrumpere. 2. Extra debitum vas ſemen effundere: Nam ut ſcribit D. Thom. in IV. diſt. 31. „ Uſus contra naturam conjugii eſt, quando „ debitum vas prætermittitur: quod ſemper eſt „ peccatum mortale, quia proles ſequi non po„ teſt, & tota intentio naturæ fruſtratur “. 3. Mentem ad alia diſtrahere, dum vir copulatur, ad impediendam conceptionem; licet hæc omnia fiant ſive ſanitatis, ſive paupertatis cauſa, & licet etiam pollutio non ſequatur. Cum enim præfatæ actiones omnes licitæ non ſint in conjugatis, niſi in ordine ad finem Matrimonii, prolis ſcilicet generationem; hanc cum expreſſe nolunt, & rejiciunt, non ſupereſt niſi infanda libido. Unde optime docet S. Auguſtinus de adulterinis Conjugiis lib. 2. cap. 11. „ Illicite, & turpiter etiam „ cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis „ conceptio devitatur “. Quapropter docet S. Antoninus III. P. tit. 1. cap. 10. §. 3. „ nullo „ modo uxor debet viro in hujuſmodi aſſentiri: „ non enim excuſatur a peccato mortali, quan„ tumcumque cum animi diſplicentia hoc faceret; „ nec timor, nec ſufferentia verberum, vel futu„ ra inconſtantia viri excuſaret, niſi ei violen„ tia abſoluta inferretur, a qua non poſſet ſe de„ fendere: ſed ex hoc in futurum licite ei poſ„ ſet debitum denegare “. Rejicienda itaque tanquam falſa, & ſcandaloſa doctrina aliquorum Probabiliſtarum, docentium licite poſſe uxorem debitum nedum reddere, ſed & petere a viro, aſſueto ad impediendam conceptionem copulam abrumpere, & ſemen extra vas effundere.

X.

X. Peccant lethaliter, quotieſcumque coeunt conjuges prætermiſſo modo a natura inſtituto, quando imminet periculum effuſionis lethale, & etiam ſine tali periculo, niſi legitima adſit cauſa. Modus a natura pro uſu Matrimonii inſtitutus eſt, ut mulier ſuccuba ſit, vir incubus: alii autem coeundi modi illiciti ſunt. Sic enim docet Sanctus Thom. l. l. „ Uſus contra naturam conjugii eſt, „ quando prætermittit vir debitum modum a na„ tura inſtitutum, & in hoc non ſemper eſt pecca„ tum mortale ". Aliquando igitur eſt peccatum lethale, & certe quando periculum imminet effuſionis ſeminis extra vas; quia finis impeditur Matrimonii. Sequitur S. Thom. „ Sed poteſt eſſe ſi„ gnum mortalis concupiſcentiæ ". Nimirum cum ex ejus effræni impetu tales turpes, & inhoneſti deliguntur modi, ut mulier ſit incuba, vir ſuccubus, quod vel præpoſtere, vel ſedendo, vel ſtando officium Matrimoniale impleatur. Et tunc etiam ſine effuſione ſeminis eſſe poteſt lethale peccatum. Proſequitur S. D. „ Quandoque etiam ſine pec„ cato eſſe poteſt ". Quando ſcilicet habitudo corporum alium modum non patitur, videlicet vel ratione nimiæ pinguedinis, vel alicujus infirmitatis, vel ne jam concepto fœtui noceat. Concludit denique Angelicus: *Tanto gravius eſt peccatum, quanto magis a naturali modo receditur*. Quæ verba oſtendunt, talem, ac tantam eſſe poſſe in modo concumbendi inordinationem, ut peccatum mortale inducat: quod certe plures Theologi, & Canoniſtæ agnoſcunt in modo præpoſtero, pecudum more, & quando vir ſuccubus eſt, & mulier incuba; ut docet Sanctus Antoninus l. l. adducta auctoritate Petri Paludani, Henrici, quibus aſſentiuntur Alenſis, Belluacenſis, Philiarius, aliique.

XI. Non omnia licent conjugatis, qui officio maritali inſervire poſſunt. Plura ſiquidem recentiores Theologi conjugatis concedunt, vel ſaltem a lethali culpa excuſant, quæ horrorem ingerunt, & fœditatem præſeferunt, quæ hic referre ſola compulit neceſſitas, & quæ pudicus Lector, & religioſus ignoſcet: leget enim ſine offenſione, qui non exhorret Apoſtolum horrenda fœminarum flagitia reprehendentem, *quæ commutaverunt naturalem uſum in eum uſum, qui eſt contra naturam*. Non ſunt itaque permittendi, ſed omnino vetandi conjugatis tactus obſcœnarum partium, illarum deoſculatio, in os immiſſio, verendorum in parte poſteriori perfricatio, vel immiſſio, etiam cum animo in vaſe debito conſummandi, copulæ continuatio etiam poſt ſeminis effuſionem, donec & ipſa conjux ſeminet, veneris tum ſuæ, tum uxoris irritatio tactibus libidinoſis, ut ſimul ſeminent, linguæ in os immiſſio, & alia propudia, quæ libido invenit, & nimia benignitas Confeſſariorum excuſat: at immerito cum Matrimonium ſit res ſancta, honeſte tractanda; proinde ea ſolum permittenda, quæ fini Matrimonii, ideſt prolis generationi ſunt neceſſaria.

XII. Extra uſum vero Matrimonii actus impudici, tactus immodeſti, oſcula libidinoſa non ſunt permittenda conjugibus, ſi ſint cum periculo pollutionis conjuncta; nemini enim licet ſe peccandi periculo exponere. Nec ſine periculo, & ob ſolam voluptatem, ſine animo Matrimonium conſummandi, ut docent S. Antoninus III. P. Tit. I. cap. 20. §. 6. Sylveſter v. Debitum, Cajetan. in ſum. v. Matrimonium, aliique. Et ratio eſt de ſe manifeſta. Nam actus venerei liciti non ſunt, niſi quatenus ad Matrimonium ordinantur: ab eo itaque ſejuncti propudia ſunt impudicitiæ, & actus luxuriæ de ſe ordinati ad pollutionem, cujus ſunt manifeſta inchoatio; quod multo magis eſt verum, ſi haberentur in loco, ubi licite non poſſent copulam perficere. Et revera omnes Theologi docent, tactus impudicos conjugatorum in ſemetipſis, quando ſunt abſentes, illicitos plane eſſe, tametſi abſit pollutionis periculum; quia in ſe, & ſuapte natura ad pollutionem inclinant, & eam inchoant. Porro quid intereſt inter conjuges a ſe ſejunctos, & ipſos adſtantes, ſi copulam non intendunt, quam alter præſentem rejicit, alter abſentem deſiderat? Unde hic locum habet Auguſtini effatum: *Libidinis cauſa propagationi prolis obſiſtitur, ſive voto malo, ſive opere malo*. Remanent igitur in ſua naturali turpitudine, & fœditate, quæ gravi culpa non caret. Et profecto damnata eſt propoſitio, quæ aſſerebat *eſſe probabilem opinionem, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*. Nec licita redduntur a Matrimonio, quod nullum jus ad illa tribuit, quando ad finem Matrimonii non ordinantur; immo deteriora evadunt, quia ſanctitatem fœdant Matrimonii. Falſa quoque habenda eſt doctrina Sporerii, docentis licitam eſſe conjugibus moroſam delectationem, immo & *quandam veluti fruitionem delectationis venereæ*, exurgentem in partibus verecundis *ex commotione ſpirituum generationi inſervientium*, ex copula tantum cogitata, etiam *altero conjuge abſente*, vel alias *ipſa copula impedita*, vel *prohibita*, ſecluſo pollutionis periculo. In qua lutulenta doctrina tot ferme ſunt propudia, quot verba. Non enim agitur de intellectuali cogitatione delectationis venereæ, ſed de ipſa carnali *delectatione*, & *fruitione venerea*; & quidem *practica*, *in commotione ſpirituum generationi inſervientium*; & præterea non ſolum quando copula eſt *impedita*, verum & *prohibita*: monet ſolum cavendum periculum pollutionis, quod a præfatis omnibus libidinibus nullo modo poteſt abeſſe. Quo enim jure obſcœnæ hæ permittuntur cogitationes, & venereæ voluptates? Jure ne Matrimonii? At illius uſus illicitus eſſe ſupponitur, & prohibitus? Quomodo ergo, vetito uſu Matrimonii in ſe honeſto, & ſancto, licitæ erunt illæ abominandæ ſpurcitiæ? Non conceduntur igitur, niſi jure explendæ libidinis, & exſaturandæ concupiſcentiæ, quæ hiſce motibus non ſedatur, ſed accenditur, non quieſcit, ſed furit, non compeſcitur, ſed irritatur. Sed de his ſpurcitiis pluſquam ſatis.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quando licite omitti poſſunt Denunciationes*.
II. *Qui aliquod norunt Matrimonii impedimentum revelare debent*.
III. *Quando adulteri fiant in ipſo conjugio*.
IV. *Falſa Tabienæ doctrina rejicitur*.
V. *Non licet conjugatis ſe ipſos impudice tangere*.

VI.

VI. *Quænam conjugatis concedenda*. *Reflexio*.

Conſectarium Primum.

I. Licite aliquibus in caſibus Denunciationes omittuntur. Nimirum quando gravis urget neceſſitas, nec tempus ſuppetit recurrendi pro diſpenſatione ad Epiſcopum: eſt enim lex eccleſiaſtica, quæ cum gravi onere non obligat. Proinde omittuntur denunciationes, ſi vir in mortis periculo conſtitutus concubinam velit ſibi Matrimonio jungere, præſertim ſi communis credulitas fuerit, eam non concubinam, ſed uxorem eſſe. Si ex ſententia Judicis quis ſtatim virginem ab eo defloratam in Matrimonium compellatur aſſumere. Uno verbo, quotieſcumque præſens imminet periculum ſive ſcandali, ſive majoris damni in bonis animæ, fortunæ, famæ, & corporis. Matrimonium tamen, omiſſis etiam ex malitia denunciationibus, validum eſt, ut docet Lambertinus de Syn. lib. 12. cap. 5. num. 2.

Conſectarium Secundum.

II. Qui noverint aliquod impedimentum, illud tenentur revelare. Ad hoc enim præſertim lege Eccleſiæ inſtitutæ ſunt denunciationes. Tenentur itaque omnes, licet ſint alterius vel Diœceſis, vel Parœciæ incolæ, nec non conſanguinei ſponſorum, eorumque amici, licet impedimenti notitia fuerit illis ſub ſecreti lege commiſſa, cum agatur de publico contractu, & Sacramento, quod profanationi exponitur, ex quo familiarum quies, & Reipublicæ pendet tranquillitas. Hæc eſt S. Thom. doctrina 2. 2. qu. 70. art. 1. ad 2. ſcribentis: „Quæ „homini aliter (quam per Confeſſionem) committuntur ſub ſecreto, quandoque ſunt talia, quæ „ſtatim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare teneatur; puta ..... ſi ſint „in grave damnum alicujus perſonæ, vel ſi quid „aliud eſt hujuſmodi (puta in animarum perniciem) quod quis propalare tenetur, vel teſtificando, vel denunciando“. Immo tenentur, licet revelationem inutilem futuram prævideant; cum non ad ipſos pertineat revelationis effectus, ſed revelandi onus, & præceptum. Ipſi quoque contrahentes, niſi velint a Matrimonio ceſſare, vel diſpenſationem obtinere, tenentur impedimentum manifeſtare. Si impedimentum publicum ſit, eſt ipſis ſponſis manifeſtandum, eorum parentibus, conſanguineis, & præſertim Parocho, vel etiam ſi opus ſit Epiſcopo, ut vel impediatur Matrimonium, vel concedatur diſpenſatio. Si vero occultum ſit, minimeque infamans, eſt pariter eodem modo manifeſtandum. Quod ſi infamiam ſecum afferat, ex evangelica lege, primo monendi ſunt contrahentes ſecreto, ut ab invalido abſtineant Matrimonio, vel ſibi conſulant per diſpenſationem. Quod ſi monitio inutilis ſit, Parocho eſt impedimentum manifeſtandum, ut ipſe, quid agendum ſit, proſpiciat. Ipſe vero Parochus etiam uni teſti fide digno credere debet. Unde S. Carolus Borromæus in ſuo III. Concilio ita ſtatuit: „Si Parocho, qui Matrimonium promulgabit, aliquod „denuncietur impedimentum, quamobrem inter „ſponſos illud contrahi non poſſe dicatur; is neque ad illius Matrimonii celebrationem, neque „ad aliam progrediatur denunciationem, etiamſi „id impedimenti, quod affertur, vel falſum, vel „malitioſum ſibi videatur, vel nullius momenti. „Sed rem ad Archiepiſcopum deferat. Si vero „longius diſtet, Vicarium foraneum de impedimento certiorem faciat; neque prius de eo „quidquam ſtatuat, quam de eo, quid faciendum „ſit, reſponſum acceperit“. Quod celebre ſtatutum tunc quidem ſervandum eſt, cum qui impedimentum denunciat, eſt aliquo modo fide dignus: nam alioquin omnis calumniator, & ſycophanta, inſtante Quadrageſimæ tempore, Matrimonium doloſe, & fraudulenter retardare poſſet; quod profecto non eſt ferendum. Fama quoque publica alicujus impedimenti eſt attendenda; nec niſi rei veritate comperta, & explorata ad Matrimonii celebrationem progrediendum.

Conſectarium Tertium.

III. Peccant lethaliter conjuges, qui in ipſo Matrimonii actu ad aliud objectum mentem convertunt, quod concupiſcunt, vel in quo delectantur. Adulteri enim efficiuntur in ipſo legitimo connubio. Peccant lethaliter viri, qui ſeminis cohibent effuſionem in coitu, ne proles naſcatur. Excuſant quidem nonnulli, qui putant hoc propudium ad tactus matrimoniales reducendum; & a culpa lethali liberant, ſi non ſequatur pollutio. Verum in re, an id fieri poſſit, me fateor ignorare. At ſi fiat, pro certo habeo lethale eſſe peccatum; cum naturæ ordo pervertatur, & finis impediatur Matrimonii, copulam cum fœmina non concedentis niſi in ordine ad generationem. Quod ſi non ex voluntate proficiſcatur, ſed ex viri impotentia, præſertim non præcognita, vel non certe familiari, a culpa excuſatur: ſicut etiam non improbabiliter excuſant Theologi mulieres ſuam ſeminationem cohibentes, cum hæc non ſit ad generationem neceſſaria; nec ejus omiſſionem arbitrantur peritiores Phyſici impedire poſſe conceptionem. Eſt tamen mulieris explorandus animus, & inſpiciendum, qua de cauſa ſe cohibeat: quod ſi ea mente, ut impediat generationem, profecto eſt lethalis culpæ arguenda, & de inutilitate ſui criminis admonenda, & indicendum, ut abſtineat.

Conſectarium Quartum.

IV. Falſa, & propudioſa eſt doctrina, quam ex Tabiena deſcribit La Croixius, ſcilicet „Si actus conjugalis ſit illicitus conjugibus ob aliquam „circumſtantiam extrinſecam, ver. grat. ob morbum, periculum abortus, quamvis alii actus venerei tunc exerciti ſint veniales, dum illis deeſt debitus finis; tamen non adeo præciſe ſunt „illis mortaliter illiciti, & idem dicendum in caſu impotentiæ ſupervenientis Matrimonio“. Hoc profecto mihi videtur uxorem in Meretricem commutare: &, ut inquit Sanctus Auguſtinus lib. de Nupt. & Concupiſc. „Qui hoc faciunt, „quamvis vocentur conjuges, non ſunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, ſed honeſtum nomen velandæ turpitudini obtendunt“. Cur enim licet Mulierem tangere, attrectare, oſcu-

culari, pudice tamen, & quantum ſufficit ad finem Matrimonii, niſi ob bonum Matrimonii, ſcilicet prolem? Quando igitur hæc obtineri non poteſt, jam omnes illæ actiones non conjugis ſunt, ſed meretricis, non Matrimonii, ſed luxuriæ: proinde merito ab Epiſcopo Atrebatenſi, ipſo fatente La Croixio, Tabienæ doctrina ut falſa, improbabilis, propudioſa rejecta eſt, & damnata. Nec obſtat, quod opponit laudatus Probabiliſta, ſcilicet, ſi tales actus in conjugibus eſſent lethalia peccata, Matrimonium fore ipſis proximam, & perpetuam peccandi occaſionem. Nam Matrimonium a Deo inſtitutum, eſt in ſe honeſtum, ſanctum, laudabile, & juſtis probiſque Chriſtianis concupiſcentiæ remedium; at malis, & libidinoſis, in eo ſolum libidinis expletionem attendentibus, fit petra ſcandali, luxuriæ fomentum, & perditionis æternæ occaſio. Et revera nonne conjugatos monet Apoſtolus *habituros tribulationem carnis*? At quam tribulationem patientur, ſi ſemper ipſis licebit vel copula, vel impudicis actibus libidinem exſaturare? Tribulationem itaque patiuntur, quia cum unum ſit illis conceſſum, generatio ſcilicet prolis, quando hæc ipſis vel poſſibilis non eſt, vel impedita, vel illicita, cum urgente concupiſcentia pugnare debent, & eam valide comprimere non minus quam illi, qui cœlibem vitam traducunt. Meminerint itaque Conjuges, eorumque Confeſſarii moniti D. Pauli omnibus ſive ſolutis, ſive ligatis indicentis: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c. quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur.*

Conſectarium Quintum.

V. Non licet conjugi abſque lethali peccato ſeipſum tangere ex voluptate, & non in ordine ad copulam. Benigniſſimus Sanchezius ſolum culpæ venialis reum putat impudicum hunc conjugem; quem tamen de graviori peccato corripiendum agnoſcunt non ſolum S. Antoninus, Sylveſter, Navarrus, Vaſquezius, Salas, Armilla, ſed & ipſi benigniſſimi Diana, & La Croixius. Et revera, ſi venerei, & impudici tactus inter ipſos conjuges ad copulam non ordinati lethalia ſunt peccata, cum tamen jus habeant mutuum in corpus alterius; quanto magis graviora erunt crimina, ea in proprium corpus perficere, in quod ſeorſum a conjugio nullum jus habent? Immo dum conjux ſe impudice attrectat, gravius peccat ſoluto; cum injuriam alteri conjugi inferat, dum ſui corporis dominium illi conceſſum ſibi uſurpat? Sed hæc monſtra ſunt, & portenta omni probabilitatis ſpecie, & fuco deſtituta. Peccant quoque Viduæ, quæ de copula habita cum vivente viro impudice oblectantur; & quando ſecundo viro copulatæ in actu conjugali de priore cogitant, & oblectantur, cum illis defunctus vir prorſus alienus effectus ſit. Idem dicendum & de marito, ſive viduo, ſive ſecundæ uxori copulato.

Conſectarium Sextum.

VI. Non ſunt conjugati ad anguſtias in uſu Matrimonii redigendi, nec nimia ſeveritate premendi. Ea illis concedantur, quæ non voluptas, ſed conjugii poſtulat neceſſitas: illis permittantur pudici tactus, blanda oſcula, amicabiles amplexus, qui mutuum valent amorem fovere, immo & qui Matrimonialem ardorem valent excitare, præſertim quando petenti reddendum eſt debitum, & alteruter frigidioris naturæ eſt; tunc enim innoxia erunt, ſicut ipſe concubitus. Ita docent etiam ſeveriores Theologi, quibus lubens conſentio.

REFLEXIO.

I. Oh utinam Conjugati Matrimonii Chriſtiani ſublimitatem, præſtantiam, & excellentiam agnoſcerent, perpenderent, meditarentur, profecto caute illud inirent, caſte cuſtodirent, & prudenter pertimeſcerent: Sed nonnullos non prudentia Chriſtiana, ſed temporalis utilitas ad Matrimonium impellit: alios libido urget, premit, dominatur: aliquos denique contemptui celebrata Matrimonia habent, & nomen uxoris dignitatis dicunt, non voluptatis.

II. Priores incautos, & imprudentes graphice depingit Hugo a S. Victore in epiſt. ad ſodalem ſuum ſcribens: „ Ducuntur uxores hodie, non „ cauſa vitandæ fornicationis, ſed cauſa luxuriæ, „ non cauſa prolis, ſed cauſa pecuniæ. Divitiæ „ magis in uxoribus eligi ſolent, quam pudicitia. „ Multi non oculis, ſed digitis uxores ducunt, „ ideſt non ducunt uxores ob virtutes, quas in ipſis videant, ſed ob pecuniam, quam dinumerare queunt. Optima, & ſumma res eſt, quam „ non avaritia conciliat “. Nec minus contra prudentiam peccant, qui exteriori allecti pulchritudine, voce blanda excantati, viſu, lenociniis, blanditiis dementati, mulierem ſibi jungunt, quam poſtea procacem experiuntur, litigioſam, immorigeram, & vanitati, ac oblectamentis deditam experiuntur. Et tunc agnoſcunt, quam verum ſit monitum Eccleſiaſtici cap. 9. dicentis: *Ne reſpicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius. Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius .... averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit ... Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt.* Prudentes itaque, & cordati in deligenda uxore precibus ad Deum confugiunt, parentes obaudiunt, ſapientes conſulunt, probe ſcientes, quod dicitur Eccleſ. cap. 26. *Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.*

III. Caſte vero cuſtodirent, ſi perpenderent juxta divinas leges, & Sanctorum Patrum documenta, non Caſuiſtarum molles, & laxas doctrinas, Matrimonii libertatem non latius eſſe diffuſam, ſed anguſtis admodum limitibus coarctari, cum Apoſtolus illud *ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium* dicat concedi; adeoque difficile ſine aliquo peccato in eo verſari. Unde Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 13. „ Tam magnum „ eſſe, dicit, ut multi hodie facilius ſe tota vita „ ab omni concubitu abſtineant, quam modum te-

„ neant

„ neant non coeundi, niſi prolis cauſa, ſi Matri-„ monio copulentur. Nempe multos habemus fra-„ tres, & ſocios cæleſtis hæreditatis utriuſque ſe-„ xus continentes, ſive expertos nuptias, ſive ab „ omni tali commixtione integros. Nempe innu-„ merabiles ſunt. Quem tandem audivimus, inter „ familiaria colloquia, ſive eorum qui conjugati „ ſunt, ſive qui fuerunt, indicantem nobis, nun-„ quam ſe conjugi eſſe commixtum, niſi ſperando „ conceptionem? Quod enim præcipiunt conjugatis „ Apoſtoli, hoc eſt nuptiarum: quod autem venia-„ liter concedunt, aut quod impedit Orationes, „ non cogunt nuptiæ, ſed ferunt“. Non tamen per hoc damnanda Chriſtianorum conjugia, ſed ſanĉte tractanda. Nam dixerat l. l. cap. 10. Auguſtinus: „ Non nuptias ſecundum veniam concedit A-„ poſtolus. Nam quis ambigat abſurdiſſime dici, „ non eos peccaſſe, quibus venia datur? Sed illum „ concubitum ſecundum veniam concedit, qui fit „ per incontinentiam, non ſola cauſa procreandi, „ & aliquando nulla cauſa procreandi; quem nu-„ ptiæ non fieri cogunt, ſed ignoſci impetrant. Si „ tamen non ita ſit nimius, ut impediat, quæ ſe-„ poſita eſſe debent tempora orandi, nec immute-„ tur in eum uſum, qui eſt contra naturam..... „ Concubitus enim neceſſarius cauſa generandi in-„ culpabilis, & ſolus ipſe nuptialis eſt. Et hunc „ tamen non exigere, ſed reddere conjugi, ne „ fornicando damnabiliter peccet, ad perſonam „ pertinet conjugalem. Si autem ambo tali con-„ cupiſcentiæ ſubiguntur, rem faciunt non plane „ nuptiarum. Veruntamen ſi magis in ſua conjun-„ ctione diligunt, quod honeſtum, quam quod in-„ honeſtum eſt, ideſt quod eſt nuptiarum, quam „ quod non eſt nuptiarum, hoc eis auctore Apoſto-„ lo ſecundum veniam conceditur: cujus delicti „ non habent hortatrices Nuptias, ſed deprecatri-„ ces, ſi Dei miſericordiam non a ſe avertant“.

IV. Denique pertimeſcerent, cum tot ſint Matrimonii moleſtiæ, incommoda, onera, labores, ut illa æquanimiter ſufferre nonniſi hominis divina plane gratia fulti, & corroborati eſſe poſſit. Non raro enim contingit, ut in ipſo Matrimonio vir uxore careat, uxor vero Marito: „ Quid enim „ (ſcribit laud. Auguſt. lib. 2. de adulterinis con-„ jugiis Cap. 19.) facere deberent, ſi haberent „ conjuges diuturno languore marceſcentes, vel „ loco ſibi inacceſſibili abſentes, vel animoſitate „ illicita continentes... Si habuerint conjuges a-„ dulterina inquinatione ſordentes, & propter hoc „ a ſuo conſortio divortientes? Quid facerent“? Non profecto quod permittunt benigniſſimi Caſuiſtæ, ſcilicet ut moroſa delectatione venerea ſe oblectent, fruantur voluptate exurgente in partibus verecundis ex commotione ſpirituum generationi inſervientium, copulam inchoent tactibus impudicis, libidinoſis oſculis concupiſcentiæ indulgeant. Abſit, inquit Auguſtinus: „ Sed ferveant ſtudiis, „ ſupplicent votis, quia & illis ſalus cogitanda „ eſt, ut ab eo, quod voluntas arripuit, cadere „ timeant; & iſtis gloria deſperanda non eſt, ſi in „ eo, quod neceſſitas intulit, perſiſtere deligant. „ Fieri enim poteſt, ut Deo terrente, & hortan-„ te, convertente & complente, humanus in me-„ lius mutetur affectus: atque ita voveant, *ſine* „ *conjugiis, ſine ullo concubitu, atque immunda* „ *libidinis attrectatione perſeverantiſſime vivere*“. His accedunt Matris in prolis geſtatione moleſtiæ, faſtidia, in partu labores, dolores, pericula, Patris in educatione ſollicitudines, anxietates, mutuæ & indiſſolubilis adhæſionis neceſſitas, officia mutua, ſervitus debita, debita dilectio, quæ non infirmitatibus, non vitiis, non rixis, non morum aſperitate, non ingenio, quandoque plane diverſo, immo & adverſo, nunquam vel ceſſet, vel minuatur. Quis ſine divino, & quidem magno adjutorio ferat, patiatur, vincat? Quod ſi quis ita ſit in connubio felix, ut juxta Auguſtinum Enarr. in Pſal. 40. „ adquieſcat in domo ſua, in familia „ ſua, in conjuge, in filiis; ſciat tamen, quod „ Deus volens nos amorem non habere niſi vitæ „ æternæ, & iſtis veluti innocentibus delectationi-„ bus miſcet amaritudines, ut & in his patiamur „ tribulationes, & univerſum ſtratum noſtrum ver-„ tit in infirmitate noſtra“.

DISSERTATIO III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EORUMQUE DISPENSATIONE.

CAPUT PRIMUM.

De Poteſtate ſtatuendi impedimenta: eorumque Claſſes diſtinguuntur.

DOCTRINA.

I. *Quid ſint Matrimonii impedimenta.*
II. *Eccleſia poteſt Matrimonii impedimenta ſtatuere.*
III. *Probatur Scripturarum teſtimoniis.*
IV. *Confirmatur traditione argumento præſcriptionis.*
V. *Et diſcuſſionis.*
VI. *Confirmatur doctrina S. Thomæ.*
VII. *Quænam facultas conveniat laicæ poteſtati circa impedimenta.*
VIII. *Utriuſque poteſtatis jura conciliantur.*
IX. *Duplicis generis impedimenta in Matrimonio.*
X. *Recenſentur impedimenta ſolum impedientia.*
XI. *Quænam ſint Dirimentia.*

I. MAtrimonii impedimenta eæ conſtituunt leges (inquit Sanct. Thom. hic quæſt. 50. artic. 1. ad 4.) *per quas aliquæ perſonæ illegitimæ ſtatuuntur ad Matrimonium contrahendum*. „ Matrimonium autem, inquantum eſt officium naturæ, ſtatuitur „ lege naturæ; in quantum eſt Sacramentum, „ ſtatuitur jure divino; inquantum eſt in officium communitatis, ſtatuitur lege civili. Et „ ideo ex qualibet dictarum legum poteſt aliqua „ perſona effici ad Matrimonium contrahendum „ illegitima “.

II. Ex hac S. Thom. doctrina ſequitur 1. Eccleſiam, ad quæ Sacramentorum pertinet miniſtratio, poſſe Matrimonii impedimenta ſtatuere. Hanc catholicam veritatem oppugnarunt Lutherus, & Calvinus, quibus acceſſere Marcus Antonius de Dominis, & inter catholicos Joannes Launojus in ſuo Tractatu de Regia in Matrimonium poteſtate, ſed diſpari motivo: priores enim Hæreſiarchæ Matrimonium eccleſiaſticæ ſubtraxere poteſtati, quia nullum in eo agnoſcunt Sacramentum, ſed merum civilem contractum: poſteriores vero Sacramentum quidem eſſe ſupponunt; ſed dicunt hanc ſupernaturalem conditionem, & Sacramenti dignitatem ſolum ſupervenire Matrimonio jam plane, & perfecte in eſſe civilis contractus conſtituto, proinde a politica ſolum legislatione pendere. Verum noſtram Catholicam doctrinam confirmavit Tridentina Synodus duplici canone ſeſſ. 24. ſcilicet 3. quo ſtatuit: *Si quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant: anathema ſit.* Et can. 4. *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe: anathema ſit.*

III. Et merito: nam hanc poteſtatem Eccleſiæ collatam oſtendunt Scripturæ teſtimonia. Chriſtus ſiquidem, abrogata permiſſione Repudii, impedimentum ligaminis ſtatuit jubendo, ut deinceps uno vivente conjuge nulli alteri poſſit Matrimonio jungi. Et Apoſtolus hoc ligaminis impedimentum 1. ad Corinth. 7. ſcribens, docuit, tunc ſolum ſolvi poſſe, quando altero fidem amplectente, alter infidelis ab eo vult diſcedere. *Si qua mulier* (inquit) *habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum, ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem ..... Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi.* Agnovit igitur Apoſtolus ſibi in Matrimonium conceſſam poteſtatem a Chriſto, a quo poſitum ſe ſciebat miniſtrum, & diſpenſatorem Myſteriorum Dei.

IV. Accedit perpetua Eccleſiæ traditio, quæ luculenter apparet in argumento præſcriptionis, & diſcuſſionis. Primum enim in eo apparet, quia longe ante Lutheri, & Calvini, ſequentiumque in perverſa eorum doctrina aſſeclarum tempora vigebat in Eccleſia hæc poteſtas. Nec deſignari poteſt, quando inceperit, quando primum invecta, quando laicali poteſtati ſubtractam ſibi eam Eccleſia uſurpaverit. Nec verum, quod affirmat Launojus, uſurpatam ab Eccleſia beneficio falſarum Decretalium: tum quia & longe ante ipſarum ſive ab Iſidoro Mercatore adinventionem ſexto ſeculo, ſeu ante earum publicationem nono ſeculo, ea facultate prædita, & uſa erat Eccleſia; tum quia in præfatis pſeudo-decretalibus illud ſolum conſtituebatur, quod jam perpetua Eccleſiæ conſuetudine erat firmatum, & illarum Auctor, falſis quidem adductis Pontificum nominibus, ſolum quæ certa erant, produxit: ſi enim nova, inuſitata, inſolita produxiſſet, nullam ſuis Decretalibus fidem potuiſſet conciliare.

V. Confirmat argumentum diſcuſſionis. A primis enim Eccleſiæ ſeculis conſtituta legimus ab Eccleſiaſtica poteſtate Matrimonii impedimenta. Secundo ſiquidem Eccleſiæ ſeculo poteſtatem in Matrimonium agnovit Tertullianus, dum ad Uxorem ſcribit lib. 2. Illud ſolum haberi in Eccleſia ratum, *quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, obſignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratum habet*. Et in lib. de Coron. Milit. Impedimentum diſparitatis cultus in Eccleſia jam conſtitutum deprædicat, ſcribens: *Coronant nuptiæ Sponſos, & ideo non nubimus Ethnicis, ne nos ad Idololatriam uſque deducant, a qua apud illos Nuptiæ*

ptiæ incipiunt. In Canonibus quoque, quos Apoſtolicos vocant, *Ordinis* ſtatuitur impedimentum, conceſſis Nuptiis ſolum inferioribus Clericis: indicitur enim can. 24. „ Innuptis autem, qui ad „ Clerum provecti ſunt, præcepimus, ut, ſi vo„ luerint, uxores accipiant, ſed Lectores, Canto„ reſque tantummodo “. Synodus Illiberitana initio IV. ſæculi celebrata tria ſtatuit impedimenta, *Diſparitatis cultus*, *Voti*, & *Affinitatis*; quod poſtremum confirmavit & Neocæſarienſe Concilium can. 2. Ancyranum ejuſdem ſeculi impedimentum *Raptus*, & *violentiæ* decrevit. S. Baſilius in ſua ad Amphilochium epiſtola plura recenſet impedimenta ſuo ævo in Eccleſia obtinentia, ideſt ſeculo IV. Siricius Papa Matrimonium prohibet cum puella fratri deſponſata: quare impedimentum indicit *publicæ honeſtatis*. Innocentius I. epiſt. ad Probam, & Sanctus Leo in epiſt. ad Nicetam Aquilejenſem invalida ſtatuunt Matrimonia viri, cujus uxor in captivitatem ducta fuerit, & mulierum, quæ ob eam cauſam alteri nupſerant; unde agnoſcunt impedimentum *ligaminis*. Sed longior nimium protraheretur diſputatio, ſi omnium Patrum, Pontificum ſtatuta, & teſtimonia, & Conciliorum canones, & decreta afferre vellem, quæ hanc perpetuam oſtendunt in Eccleſia poteſtatem. Legi poſſunt apud Natalem Alexandrum, Tournelium, Druenium, Juveninum, alioſque plures, ad quos Lectores remitto.

VI. Hanc Eccleſiæ poteſtatem agnovit, & declaravit etiam D. Thom. pluribus in locis in libris ſententiarum; ſed præcipue in Quodlib. 5. q. 8. art. 1. ita ſcribens: „ Eccleſia in his, quæ „ ad Matrimonium pertinent ſe habet tripliciter. „ Uno quidem modo per modum judicantis; & „ quia *homines vident ea*, *quæ parent*, ſecun„ dum quod dicitur 1. Reg. *16*. Oportet quod „ judex Eccleſiaſticus judicet ſecundum ea, quæ „ ſibi apparent. Alio modo ſe habet per modum „ prohibentis, & punientis, & hoc quidem im„ pedit Matrimonium contrahendum, ſed non „ dirimit contractum. Tertio modo ſe habet per „ modum ſtatuentis, quod fit ſolum auctoritate „ Summi Pontificis; & ſecundum hoc perſonæ „ aliquæ redduntur illegitimæ, ut patet in qui„ buſdam gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, „ vel etiam de adultera, cum quis ei dedit fi„ dem de contrahendo, cum machinatus eſt in „ mortem uxoris “.

VII. Non eſt temporalibus Principibus deneganda poteſtas quædam ſtatuendi impedimenta, quæ effectus civiles Matrimonii impediant, quamvis non valeant validum facere Matrimonium, quod Eccleſia prohibet: ſed ut Sacramentum nullum ſit, requiritur Eccleſiaſtica poteſtas. Prima hujus doctrinæ pars diſerte traditur a D. Thom. hic quæſt. 50. artic. unic. ad 4. ſcribente: „ Matri„ monium, inquantum eſt officium naturæ, ſta„ tuitur lege naturæ; inquantum eſt in officium „ communitatis, *ſtatuitur lege civili*; in quan„ tum eſt Sacramentum, ſtatuitur jure divino. „ Et ideo ex *qualibet* dictarum *legum* poteſt ali„ qua perſona effici ad Matrimonium contrahen„ dum illegitima “. Et iterum contra Gentes lib. 4. cap. 78. „ Matrimonium, quatenus ordi„ natur ad bonum naturæ, quod eſt perpetuitas „ ſpeciei, dirigitur in finem a natura inclinan„ te in hunc finem; & ſic dicitur eſſe naturæ of„ ficium. Inquantum vero ordinatur ad bonum „ politicum, ſubjacet ordinationi *legis civilis*. „ Inquantum autem ordinatur ad bonum Eccleſiæ, „ oportet, quod *ſubjaceat regimini Eccleſiæ* “. Alteram vero partem oſtendit Sotus lect. 4. de Matrimonio ſcribens: „ Juriſtis multis viſum „ eſt, non eſſe poteſtatis ſæcularium legum Ma„ trimonium nullum reddere, ſed tantum Eccle„ ſiaſticarum. Juriſtæ nulla auctoritate juris di„ vini, aut canonici hoc probant, nec etiam ul„ la ratione efficaci; nec advertunt, nihil hoc „ derogare auctoritati Eccleſiaſticæ, ſed potius „ conducere Eccleſiæ paci. Si enim ipſum jus „ Divinum permittit prohiberi ab Eccleſia, quod „ ipſe non prohibet, quare Eccleſia non per„ mittet ſeculari poteſtati prohibere circa Matri„ monium, quod ipſa non prohibet? *Fatemur igi„ tur civiles leges non poſſe licitum Matrimonium „ facere, quod Eccleſiaſticæ illicitum reddunt*. „ Sicut nec Eccleſiaſticæ leges approbare, quod „ Divinum jus reprobat; hoc enim eſſet inferio„ rem ſuperiori contradicere. Verum quod Ec„ cleſiaſticæ leges non prohibent, cur ſæculares „ prohibere non poterunt; ſicut quod non prohi„ bet jus divinum, prohibent Eccleſiaſticæ “? Tertia vero pars eſt manifeſta, cum in Sacramenta nullam habeant temporales Principes poteſtatem. Unde ſcribit D. Thom. in 4. diſtinct. 42. quæſt. 2. artic. 2. ad 4. „ Prohibitio legis hu„ manæ non ſufficeret ad impedimentum Matri„ monii, niſi interveniret auctoritas Eccleſiæ “. Quare optime concludit laudatus Soto: „ Quam„ quam leges civiles in his omnibus ex pietate „ certe, & voluntate Principum facile ceſſerint „ Eccleſiæ, ut jam nullum cenſeatur Matrimonium „ illegitimum, quod Eccleſia tale non judicat, „ non tamen propterea vel legi, vel conſuetudini „ Reipublicæ hoc auferendum eſt, ut illegitimos „ aliquos reddere, ſi velint, poſſint; ſed potius, „ ſi opus foret, confirmandum eſſet ab Eccleſia... „ Non eſt igitur, cur hæc auctoritas auferatur a „ ſecularibus Principibus, qui de Matrimonio, „ non quidem ut Sacramentum, ſed ut officium „ eſt neceſſarium Reipublicæ, ſtatuunt, quod ta„ men ad Sacramentum prærequiritur “.

VIII. Sarta itaque manent utrique poteſtati, & tecta ſua jura. Si enim poteſtas ſecularis temporalis impedimentum ſtatuat, cui accedat conſenſus Eccleſiæ, irritum eſt Matrimonium, & ut contractus, & ut Sacramentum; ſi vero diſſentiat, talis quidem politicus contractus nullus eſt, nec civiles effectus producit in foro civili, & tunc non qua talis reſpicitur ab Eccleſia, ſed ſolum quantum naturalis eſt, aſſumitur ad Sacramenti materiam. Id patet in Matrimonio filiorum-familias, contracto inſciis, & diſſentientibus parentibus, quod in Galliis pro nullo habetur, & nullos parit civiles effectus: cum tamen Eccleſiæ non ſit illi adjuncta prohibitio, idonea eſt Sacramenti materia, & in Eccleſiaſtico foro pro valido habetur, & reputatur. Ita fatetur Iſaacus Habertus in libro *de juſtitia connubialis edicti* ſcribens: „ Intelligendum eſt il„ lud omne, quod in Matrimonio juris divini po„ ſitum eſt, ſacramentale eſſe, proindeque ad Ec„ cleſiam ſpectare, quæ divini juris cognitionem, „ interpretationemque abſolutiſſimam, ſola in„ ter-

„ terris, erroris culpæque expers, columna & „ firmamentum veritatis exercet. Unde tanquam „ divini Juris Interpretis, ac oraculi de veritate, „ validitate, ſubſtantia, cauſis, partibus, con- „ tractu, conſenſuque, ut materia & forma, „ conditionibus, effectiſque Sacramenti Matrimo- „ nii decernere unius Eccleſiæ eſt. *Id fidei caput* „ *eſt, nemo dubitat Orthodoxus* .... Verum alia „ ſunt ad Matrimonium pertinentia, quo Sacra- „ mentum ipſum non componunt, aut afficiunt, „ ſed antecedunt, comitantur, aut conſequuntur, „ ut reverentia, ac metus parentum, publicæ le- „ gis, & conſuetudinis obſervantia, familiæ decus, „ & ornamenta, honeſtatis, & pudoris ſalus ..... „ rerum, & fortunarum conſervatio, hæreditatum, „ ac ſucceſſorum jura .... quæ Principem, tan- „ quam boni publici inſpectorem, arbitrum, judi- „ cemque reſpiciunt. Ea vero ſunt, de quibus non „ ſub nullitate (ut inquiunt) aut juris divini, ca- „ nonicique pœnis, ſed civilis plane juris dicundi „ forma, Rex juſtiſſimus Edicto ſuo cavit, cave- „ re potuit, ac debuit “.

IX. Celebris eſt tum apud Juriſtas, ſive civiles, ſive canonicos, tum apud Theologos horum Matrimonii impedimentorum diviſio, in ea ſcilicet, quæ mere impedientia dicuntur, & quæ dirimentia. „ In Matrimonio enim (ſcribit S. Th. hic „ art. 1.) ſunt quædam, quæ ſunt de eſſentia Ma- „ trimonii; & quædam, quæ ſunt de ſolemnitate, „ & ſicut in aliis Sacramentis. Et quia remotis his, „ quæ ſunt de ſolemnitate ejus, ſicut & in aliis „ Sacramentis, adhuc manet verum Sacramen- „ tum; ideo impedimenta, quæ contrariantur his, „ quæ ſunt de ſolemnitate hujus Sacramenti, non „ efficiunt, quin ſit verum Matrimonium: & ta- „ lia dicuntur impedire Matrimonium contrahen- „ dum, ſed non dirimere contractum.... Impe- „ dimenta autem, quæ contrariantur his, quæ ſunt „ de eſſentia Matrimonii, faciunt, ut non ſit ve- „ rum Matrimonium: & ideo dicuntur non ſolum „ impedire contrahendum, ſed & dirimere contra- „ ctum “.

X. Porro prioris generis impedimenta, quæ illicitum quidem, at non invalidum efficiunt Matrimonium, licet duo tantum a D. Th. laud. art. recitentur, in præſenti tamen Eccleſiæ diſciplina quinque enumerantur, ſed quatuor tantum vigent, ſcilicet, 1. Interdictum Eccleſiæ, 2. Tempus feriatum, 3. ſponſalia cum altera inita, 4. Votum ſimplex Caſtitatis. Additur 5. Catechiſmus, qui deſignat munus illud, quod imperfecte Patrinum conſtituit, quia vel ſolum tenet puerum, dum in Eccleſiæ janua de articulis fidei interrogatur; vel quando infante domi privatim baptizato, in Eccleſia Baptiſmi ſupplentur cæremoniæ. Verum hoc impedimentum a Tridentino ſublatum fuit, dum cognationem ſpiritualem ad patrinos, & matrinas reſpective, nec non ad baptizatum, ejuſque patrem & matrem coarctavit, & fuit etiam a Sacra Congregatione Concilii interprete declaratum. Præfata itaque quatuor tantum impedimenta hoc verſiculo continentur:

Sacratum tempus, vetitum, ſponſalia, votum.

XI. Impedimenta vero dirimentia antiquo jure ſolum duodecim enumerabantur; jure autem novo, a Tridentino Concilio inſtituto, duo alia adjecta fuere, ſcilicet *Clandeſtinitas*, & *Raptus*. Verum alii & quintum decimum addunt, ſcilicet amentiam. At alii hanc adjectionem non admittunt: tum quia non eſt ſpeciale Matrimonii impedimentum, ſed univerſale pro omnibus contractibus; tum quia ad impedimentum impotentiæ reduci poteſt, contrahendi ſcilicet & coeundi. Et certe hoc S. D. hic in artic. 1. minime recenſuit. Illo itaque omiſſo, de quo etiam ſatis diximus de Sponſalibus, impedimenta cetera his verſiculis continentur:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Affinis, Raptor, ſi Clandeſtinus, & Impos:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De his omnibus in ſequentibus Capitibus ſingillatim diſputabimus, & primo de impedimentis ſolum illicitum Matrimonium reddentibus.

CAPUT SECUNDUM.

Impedimenta Matrimonium impedientia explicantur.

DOCTRINA.

I. *Quid intelligatur nomine ſacrati temporis.*
II. *Quid deſignet Eccleſiæ vetitum.*
III. *Quomodo ſponſalia Matrimonium impediant.*
IV. *Votum quo jure impediat Matrimonium.*
V. *Quinam ab his impedimentis diſpenſare poſſint.*

I. Sacratum tempus, quod eſt primo loco poſitum inter impedimenta Matrimonium impedientia, illud deſignatur, quo Eccleſia nuptias vetat celebrare, ſcilicet a Dominica prima Adventus uſque ad diem Epiphaniæ, & a Feria IV. Cinerum uſque ad diem octavam Paſchæ incluſive. Olim adjectum erat, ut ſcribit S. Thom. in IV. Diſt. 32. art. 5. q. 4. „ & in tribus diebus ante „ Aſcenſionem uſque ad octavam Pentecoſtes pro- „ pter præparationem ad Communionem eo tem- „ pore ſumendam “. At in hodierna diſciplina a Tridentino inducta ſublata eſt hujus temporis exceptio. Diſputant Theologi, num ipſum prohibeatur Matrimonium, an ſolum ſolemnitates, quæ ut plurimum ex abuſu proficiſcuntur, cujuſmodi ſunt ſolemnis traductio ſponſæ in domum ſponſi, publica lætitiæ ſigna, opipara convivia, choreæ, ſaltationes, & etiam ſolemnis ſponſæ benedictio. Sunt, qui Matrimonium ipſum vetitum dicunt, inter quos & Tournelius, qui etiam D. Thom. affert auctoritatem, ſcribentis loc. laud. *Ipſa nuptiarum novitas ad voluptatem carnalium curas animum occupat, illumque multa lætitia diſſolvit.* At alii probabilius Matrimonium minime vetitum aſſirmant: & hæc opinio unice vera eſt, & probabilis. Nam & in jure can. cap. *Capellanus* de Feriis a Clemente, ſeu, ut alii putant, Cæleſtino III. ſtatuitur: „ Ea eſt Eccleſiæ Romanæ conſuetu- „ do, ut quocumque tempore Matrimonium con- „ trahatur, conſenſu interveniente legitimo de præ- „ ſen-

„ ſenti “. A Concilio vero Tridentino ſolæ nuptiarum ſolemnitates interdicuntur: dicit enim ſeſſ. 24. de Reform. Cap. 10. ubi tempus ſacratum ſtatuit: „ Antiquas *ſolemnium nuptiarum* prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari ſancta Synodus præcipit: In aliis vero temporibus nuptias *ſolemniter* celebrari permittit; quas (ſubdit) Epiſcopi, ut ea, qua decet, modeſtia, & honeſtate fiant, curabunt “. Quibus verbis oſtendit, & a ſolemnioribus nuptiis vanitatem, ſuperfluitatem, inanem lætitiam exulare ſe vehementer cupere. Eumdem ſervat verborum tenorem etiam can. 11. ubi definit: „ Si quis dixerit, prohibitionem *ſolemnitatis* Nuptiarum certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam... anathema ſit “. Quid, quod in Rituali Romano Rubr. de Sacram. Matr. dicitur: *Matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt?* Et poſtea ſubdit, „ Poſtremo meminerint Parochi, a Dominica prima adventus &c. *Solemnitates* nuptiarum „ prohibitas eſſe “. Ita ſentiunt etiam plurimi tum Canoniſtæ, tum Theologi, quorum longum ſyllabum recitat Lambert. Inſtruct. 80. Verba vero D. Th. de ipſa ſolemnitate nuptiarum commode intelligi poſſunt; & non tam nuptias propter diſſolutionem, quam ipſa diſſolutæ lætitiæ ſigna in nuptiis prohiberi ſignificat.

II. Vetitum Eccleſiæ, quod ſecundo loco ponitur, tria deſignat, nimirum 1. prohibitionem ab Epiſcopo, immo & a ſolo Parocho inductam de contrahendo Matrimonio juſta de cauſa, c. ex. donec compertum fiat, num contrahentes aliquo detineantur dirimente impedimento, vel parentum exploretur voluntas. 2. Excommunicationis etiam minoris ligamen, quod a perceptione Sacramentorum arcet. 3. Omiſſionem Denuntiationum. In quibus omnibus Eccleſiæ præceptum violare grave peccatum eſt. Dubium quoque eſt, num liceat interdicti tempore etiam privatim celebrare Matrimonium: & ideo exploranda Superioris voluntas, & ab eo licentia petenda.

III. Sponſalia, quæ ſunt, ut diximus ſuo loco, futuri Matrimonii promiſſio, hoc impediunt non cum illa, cui eſt facta promiſſio, ſed cum alia quacumque. Et hoc impedimentum eſt potius a jure naturæ proveniens, quam ab eccleſiaſtica lege. Quis enim ignorat, juri naturæ, & divinis adverſari præceptis alteri tradere, quod uni promiſſum eſt? Eo ſolo igitur nomine inter eccleſiaſtica annumeratur impedimenta, ut innoteſcat, poſt hujuſmodi ſponſalia etiam copulæ conjuncta, nullum irritumque non reddi cum alia Matrimonium; ſed hoc prævalere, eſſeque illis præferendum. Sed de hoc impedimento ſatis diximus in prima diſſertatione.

IV. Votum vero ſive Caſtitatis, ſive Religionis illicita reddit ſubſequentia Matrimonia pariter non jure humano, ſed divino; cum ex ſe importet abſtinentiam a venereis, & præſertim a Matrimonio. Per votum vero caſtitatis intelligitur ſimplex: nam, ut mox dicemus, votum ſolemne in Religione ab Eccleſia adprobata, non ſolum impedit, ſed & dirimit Matrimonium. Votum ſimplex etiam conditionatum, etiam ad tempus, impedit Matrimonium celebratum ante conditionis impletionem, & ante elapſum temporis præſtituti terminum.

V. Ab impedimento ex tempore feriato diſpenſare poſſunt Epiſcopi, & quicumque juriſdictionem Epiſcopalem obtinent, ſed ſolum ſibi ſubditos. A vetito vero prohibitionem tollendo, qui eam indixere, vel Superiores. Quod ſi vetitum ſit ratione interdicti, vel excommunicationis, in primo caſu poteſt Epiſcopus diſpenſare, cum incertum ſit, num Interdicti tempore vetitum ſit, Matrimonium privatim celebrare; & in dubiis caſibus diſpenſare conceſſum eſt Epiſcopis. In altero vero, qui Excommunicationem indixit, vel ejus Superior eam tollendo per abſolutionem, quæ & invitis dari poteſt. Ab impedimento ſponſalium nullus nec Pontifex diſpenſare poteſt, niſi judicialiter ſententiam proferendo: nam alio modo data diſpenſatio injurioſa eſſet, & noxia ſponſis; nemini vero licet alteri vel nocere, vel injuriam inferre. A votis vero caſtitatis, & Religionis diſpenſare non poſſunt niſi qui ea poteſtate donantur, ut ſuo loco diximus.

CAPUT TERTIUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quænam ſint ſolemnitates tempore ſacrato vetitæ.*
II. *Num liceat Matrimonium conſummare ante ſolemnem benedictionem.*
III. *Num ſine licentia Epiſcopi & ipſum Matrimonium celebrare diebus vetitis.*
IV. *Qui Matrimonium cum aliquo impedimento impediente celebrat, peccatum grave committit.*
V. *Licet Epiſcopis a Matrimonio repellere ignorantes rudimenta Fidei.*

Conſectarium Primum.

I. Solemnitates nuptiarum ſacratis temporibus vetitæ non ſunt, quæ adhibentur in ipſa celebratione Matrimonii, nimirum præſentia Parochi etiam ſuperpelliceo, & ſtola induti, ſacra illa pronuntiantis verba, *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, aſperſio aquæ benedictæ, quæ ſubſequitur, ſicut & anuli benedictio, & ceteræ orationes, quæ in Rituali apponuntur; cum hæc omnia ſerventur & in Viduarum Matrimoniis, in quibus nulla adhibetur ſolemnis benedictio. Hæc itaque ſita eſt 1. in benedictione, quæ fit cum celebratione Miſſæ pro Sponſo, & Sponſa, ut patet ex Romano Rituali, ubi indicitur: „ His expletis,) ideſt „ habitis ſuperius deſignatis ſacris cæremoniis) „ ſi benedicendæ ſint nuptiæ, Parochus Miſſam „ pro Sponſo, & Sponſa, ut in Miſſali Romano, „ celebret, ſervatis omnibus, quæ ibidem præ- „ ſcribuntur “. Porro hæc ſolemnitas nuptiarum ita prohibetur, ut eam adhibentes peccatum mortale juxta veram, & fere communem omnium Theologorum doctrinam perpetrent: quia Concilium Tridentinum efficacioribus verbis præcipit, hanc Eccleſiæ prohibitionem ſervandam; & Eccleſia hoc præceptum reſpicit tanquam gravioris momenti. Ita docent Sanchezius, Pontaſius, Rotignolius, Cotonus, aliique. 2. Vetita etiam eſt ſolemnis traductio ſponſæ ad domum ſponſi, lautum convivium nuptiale, ceteraque profanæ lætitiæ ſigna in ſe-

ſonis, & canticis, choreis, &c. Hujus præcepti violatio latitudinem admittit: unde grave peccatum non eſſet convivium modeſtum inſtituere, & ſociatam aliquibus vel conſanguineis, vel amicis ſponſam ad ſponſi domum migrare; lethaliter tamen peccarent, qui nulla habita temporis ſacri, & Eccleſiæ præcepti reverentia Nuptias celebrarent, adhibitis feſtivis lætitiæ ſignis, inſtructo convivio, conductis cantu choreis, plauſu, & ſimilibus.

Conſectarium Secundum.

II. Ad vetitas nuptiales ſolemnitates pertinet & ipſa Matrimonii conſummatio. De veritate hujus doctrinæ dubitare non ſinit declaratio Congregationis Cardinalium Sacri Concilii Interpretum, quæ non ſemel declaravit, in tempore feriato Nuptiarum ſolemnitates, convivium, traductiones ad domum, & *carnalem copulam* prohiberi. Verum num hæc prohibitio tanti ſit momenti, ut tranſgreſſorem lethalis peccati reum conſtituat, non conveniunt Theologi, & Juris Canonici Doctores. Ex iſtis plures a Fagnano citati affirmant, & etiam favere illis videtur Tridentinum Concilium, dum vetat ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. ,, ne conjuges ,, ante benedictionem Sacerdotalem in Templo ſu- ,, ſcipiendam in eadem domo cohabitent ". Verum probabilior videtur opinio, quæ a gravi culpa matrimonio copulatos tempore vetito de licentia Eccleſiæ, ipſum conſummantes excuſat. Et ita ſentiunt plures Juris Canonici Doctores, Monacellus, Pignatellus, & præcipue Van Eſpenius, qui Jur. Eccleſ. P. II. tit. 13. num. 16. abſolute pronunciat: ,, Certum eſt hodie dictis tempori- ,, bus (ſacratis ſcilicet) nequaquam vetitum eſſe ,, actum matrimonialem, ſed ad ſummum conſilii ,, eſſe iis temporibus abſtinere ". Conſentiunt & plures Theologi etiam magni nominis, Bellarminus, Petrus Soto, Navarrus, Lopez, Petrus de Ledeſma, aliique plures recentiores. Et merito: nam præceptum Eccleſiaſticum ſub gravi non eſt ſtatuendum, niſi apertum habeatur. Et hæc opinio eſt conformior menti Eccleſiæ, quæ antiquorum Canonum rigorem in hoc temperavit, qui tempore feriato celebrata Matrimonia nedum illicita, ſed & nulla declarabat, ut fatetur Chriſtianus Lupus Tom. 4. de Concil. ſcribens: ,, Quod ,, contractum extra tempora conjugium illicitum ,, fuerit omnino ſubſtantialiter nullum fateor cum ,, S. Petro Damiano. Verba autem Concilii non ,, præceptum indicunt, ſed conſilium; dum ea- ,, dem Sancta Synodus *hortatur* conjuges, ne ante ,, benedictionem &c. ". Legatur Lambertin. Inſt. 80. ex qua iſta decerpſimus.

Conſectarium Tertium.

III. Ubi ex præcepto, lege, vel conſuetudine ſtatutum eſt, ut nuptiæ nec privatæ celebrentur tempore ſacro, parendum eſt legi. Veritas hujus doctrinæ manifeſta eſt: nam juſtis Superiorum legibus parendum eſt; & conſuetudo legitima vim obtinet legis, ut alibi docuimus. Immo vi hujus conſuetudinis, quamvis abſolute in jure vetitæ non ſint nuptiæ non ſolemnes, celebrari tamen non poſſunt ſine Epiſcopi conceſſione, a quo eſt licentia petenda: & præterea fere in omnibus Diœceſibus ſtatutum eſt, ut in feriatis temporibus, nec privata celebrentur Matrimonia, inconſulto, multoque magis repugnante Ordinario.

Conſectarium Quartum.

IV. Aliquo ex præfatis impedimentis irretitus Matrimonium celebrans non privatur jure petendi debitum, niſi ligatus voto caſtitatis. Nam quamvis peccet, & quidem graviter legem Eccleſiæ violando, tamen jus obtinet nullo pacto impeditum ad uſum Matrimonii; proinde petere poteſt, & reddere debitum. Excipitur ſolum voto caſtitatis ligatus, de quo plura diximus Diſſert. præced. cap. 15. conſect. 7. qui reddere quidem poteſt, at non poteſt petere; & prima vice reddendo peccat, cum poſſit Religionem ingredi ad votum ſervandum: ad quem ſtatum tamen ſi ſit omnino ineptus, tunc prima vice reddendo non peccat, cum vitare peccatum nullo modo poſſe videatur: peccaret ſiquidem ſi non redderet debitum alterius jus violando; peccaret, ſi redderet, quia ineptus efficeretur ad continentiæ votum ſervandum: nemo tamen ex neceſſitate peccat, ſed ſolum ex voluntate; proinde in hiſce anguſtiis non peccabit reddendo debitum.

Conſectarium Quintum.

V. Licitum eſt, & liberum Epiſcopis ſtatuere, ut Matrimonio minime jungantur, qui fidei rudimenta ignorant. Hujus doctrinæ veritatem contra plures oppugnatores ſtrenue aſſeruit, & tutatus eſt ſapientiſſimus Bened. XIV. tum in Bulla *Etſi* n. 42. tum de Synod. Diœceſ. lib. 8. cap. 14. n. 3. ubi oſtendit, Rituale Romanum, S. Carolum Borromæum, pluresque Synodos, ac Summorum Pontificum Edicta mandare, ſtatuere, ac jubere, ne ignorantes fidei rudimenta Matrimonio jungantur. Oſtendit corrigendas nonnullas Synodos, dicentes non eſſe fideles a Matrimonio arcendos ob ignorantiam rudimentorum fidei. Refellit Auctores, aſſerentes non poſſe Epiſcopos hoc præcipere, cum ipſis non ſit conceſſum nova impedimenta Matrimonii ſtatuere; nam ita decernentes non novum inducunt impedimentum, ſed ſolum illud explicant, quo jam detinentur fideles, qui ſcire debent, non licere illis Sacramentum Matrimonii in ſtatu peccati lethalis ſuſcipere, cum ſit Sacramentum vivorum. Legatur totum illud caput, quod eſt magna ſapientia, doctrina, prudentia exaratum.

CAPUT QUARTUM.

De Impedimentis dirimentibus Errore, & Conditione.

DOCTRINA.

I. *Variæ impedimentorum cauſæ ex D. Thoma.*
II. *Triplex error in Matrimonio occurrere poteſt.*
III. *Variæ traduntur Regulæ. Regula I.*
IV. *Regula II.*
V. *Regula III.*
VI. *Plura ſervorum genera diſtinguenda.*

VII. *Quænam requirantur ad impedimentum conditionis.*
VIII. *Quando, & quo jure Servitus dirimat Matrimonium.*
IX. *Servorum pœnæ valida ſunt matrimonia.*

I. Impedimenta omnia Matrimonium dirimentia D. Th. hic art. 1. in duas ſupremas claſſes primo revocat, quas poſtea in plures ſubordinatas dividit. Primo itaque animadvertit, impedimenta ex duplici capite oriri, nimirum aut *ex parte contractus*, *aut ex parte contrahentium*. Ex primo capite, cum omnis contractus neceſſario contrahentium expoſtulet conſenſum, hic dupliciter poteſt impediri, nimirum vel ex parte intellectus *per errorem*, vel ex parte voluntatis per *coactionem*: & inde hæc duo conſurgunt impedimenta; ad quæ reduci debet & tertium recenter invectum, ideſt *Raptus*, in quo violentia adhibetur. Ex parte vero perſonarum contrahentium, hæ poſſunt impediri a Matrimonio, vel *ſimpliciter*, vel ſolum *reſpectu aliquarum*. Simpliciter impediuntur, qui vel abſolute ſtatum Matrimonialem exercere, vel libere exercere non poſſunt; hinc oriuntur impedimenta *impotentiæ*, & *conditionis*. Præterea impediuntur contrahentes, quia licet & poſſint, & libere poſſint, licite tamen non poſſunt; quia vel officio impediuntur, vel ſpontanea voluntate: unde duo habentur impedimenta. *Ordinis Sacri* ſcilicet, & *Voti*. Reſpectu vero aliquorum impediuntur Matrimonia, vel ob *obligationem ad alteram perſonam*, & ecce impedimentum *ligaminis*; vel ob nimiam inter contrahentes diſtantiam, & habetur *cultus diſparitas*; vel ob nimiam propinquitatem, aut indebitam conjunctionem, ex quo quadruplex oritur impedimentum *cognationis*, *affinitatis*, *publicæ honeſtatis*, & *criminis adulterii*. Deeſt impedimentum Clandeſtinitatis, quod tempore Sancti Thomæ non obtinebat; & reduci poteſt ad bonum publicum, ad quod ſpectat, ut Matrimonia, quæ ad Reipublicæ ſtatum conſervandum, augendum, ornandum deſerviunt, ſint comperta, & nota.

Primum itaque impedimentum Matrimonium dirimens ex parte intellectus eſt *error*, qui cognitionem tollit, unde & legitimum impedit conſenſum; nihil enim volitum, quin præcognitum. Hic error triplex eſſe poteſt juxta triplex objectum quod reſpicitur, ſcilicet *perſonæ*, *conditionis*, & *qualitatis*. Primus occurrit, cum una perſona pro alia accipitur, Lia pro Rachele; ſecundus, quando ſervus pro libero reputatur: tertius, quando ignobilis, vel pauper dives exiſtimatur, & nobilis. Secundus error ad ſecundum pertinet impedimentum, in quo tamen & error locum habere poteſt, proinde de illo poſtea.

III. Circa triplicem hunc errorem attendendæ ſunt Regulæ, & doctrinæ, quas dedimus Tom. 4. in Tract. de Contract. in gen. cap. 4. & hic ad Matrimonium breviter aptabimus. Sit itaque

Regula prima.

Error circa perſonam, quicumque ſit, ſive vincibilis, ſive invincibilis, ſive procedat ab ipſo contrahente, ſive ab alio decipiente, licet etiam ipſo ſecluſo adhuc Matrimonium celebratum fuiſſet, nullum illud efficit, & irritum, & quidem jure naturali. Rationem reddit S. Thom. hic artic. 1. ſcribens: „ Quando error cognitionem impedit, ſequitur etiam in ipſo conſenſu defectus; „ & per conſequens in Matrimonio (quod ſine „ conſenſu ſtare non poteſt). Et ſic error de jure naturali habet, quod evacuet Matrimonium ". Et art. ſeq. oſtendit, hunc errorem Matrimonium evacuare, quando ſuper perſonam cadit, ſcribens: „ Oportet, quod error, qui Ma„ trimonium impedit, ſit alicujus eorum, quæ „ ſunt de eſſentia Matrimonii. Duo autem in„ cludit ipſum Matrimonium, ſcilicet perſonas „ duas, quæ conjunguntur, & mutuam poteſta„ tem in invicem, in qua Matrimonium conſiſtit. „ Primum autem tollitur per errorem perſonæ; „ ſecundum per errorem conditionis . . . . . & „ propter hoc hi duo errores Matrimonium im„ pediunt, & non alii ". Quod de errore dicit, vult Sanct. Thom. & de ignorantia intelligendum, ſcribens artic. 1. ad 1. „ Ignorantia differt, ſim„ pliciter loquendo, ab errore . . . . . . tamen „ quantum ad hoc, quod eſt impedire volunta„ rium, non differt, utrum dicatur ignorantia, „ vel error: quia nulla ignorantia poteſt impedi„ re voluntarium, niſi quæ habet errorem adjun„ ctum, eo quod actus voluntatis præſupponit æſti„ mationem, ſeu judicium de aliquo, in quod „ fertur. Unde ſi eſt ibi ignorantia, oportet ibi „ eſſe errorem ".

Regula Secunda.

IV. Cæteri errores circa qualitates perſonarum regulariter Matrimonii non impediunt valorem. Sequitur ex mox adducta doctrina S. Thom. qui ad valorem evacuandum Matrimonii poſtulat, ut error, ſive ignorantia ſit eorum, quæ ſunt de eſſentia Matrimonii. Quod confirmat ſcribens art. 2. ad 1. „ Error non habet ex natura generis, „ quod impediat Matrimonium; ſed ex natura „ differentiæ adjunctæ, prout ſcilicet eſt error a„ licujus eorum, quæ ſunt de eſſentia Matrimo„ nii ". Porro error, ſive ignorantia circa qualitates non tollit conſenſum circa primum, & principale conſenſus objectum, quod eſt perſona; licet fortaſſe ipſæ qualitates cauſæ eſſe poſſint, quę ad contrahendum impellant, quibuſque deficientibus Matrimonium non celebraretur; quia tunc licet Matrimonia ſint ſecundum quid involuntaria; abſolutum tamen in perſonam conſenſum non tollunt. Ita docet S. Th. art. 2. ad 4. „ Diverſitas „ fortunæ non variat aliquid eorum, quæ ſunt de „ eſſentia Matrimonii, nec diverſa qualitas ". Hinc validum eſt Matrimonium cum muliere, quam ſponſus virginem putat, & quam, ſi talis non eſſet, in conjugem non aſſumeret, licet virgo non ſit, & corruptam deprehendat. Dixi regulariter loquendo: nam quandoque fieri poteſt, ut qualitas in ſubſtantiam tranſeat contractus, & conſenſus objectum conſtituat. Unde ſit

Regula Tertia.

V. Qualitatis error aliquando nullum reddit conſenſum: quo proinde deficiente nullum eſt Matrimonium. Hoc autem dupliciter contingere poteſt;

eſt ; 1. quando qualitas ipſam perſonam deſignat: ut ſi quis velit primogenitam aſſumere, & quæ illi offertur, talis non ſit; vel mulier filium Nobilis, & ille, qui ſe offert, mentitur ſe talem eſſe. Ratio eſt manifeſta ; quia tunc qualitas pro ipſa ſumitur perſona, quæ eſt conſenſus objectum ; ea proinde mutata nullus eſt conſenſus. Quare optime obſervat D. Thom. artic. 2. ad 5. aliud eſſe, ,, velle hanc mulierem, quam filiam nobilis, ,, vel primogenitam putat; aliud velle filiam Nobilis, & primogenitam, quam credit eſſe hanc, ,, quæ illi offertur ". Hic ſecundus error valorem tollit Matrimonii; prior omnino non tollit. Sic itaque ſcribit : ,, Error nobilitatis, in quantum hujuſmodi, non evacuat Matrimonium ; ,, eadem ratione, qua nec error qualitatis : ſed ,, ſi error nobilitatis, vel dignitatis redundat in ,, errorem perſonæ, tunc impedit Matrimonium. ,, Unde ſi conſenſus mulieris feratur in iſtam per- ,, ſonam directe, error nobilitatis ipſius non impedit Matrimonium : ſi autem directe intendit conſentire in filium Regi, quicumque ſit ,, ille ; tunc ſi alius præſentetur ei, quam filius ,, Regis, eſt error perſonæ ; & impedietur Matrimonium ". Secundo ſi qualitates ſint ſpecialiter volitæ, & in pactum deductæ, puta, ſi uxor dicat, ſe illum in conjugem accipere, dummodo e Judæorum ſanguine non oriatur : vel ſi vir dicat fœminæ, ſe illam ducere, dummodo virgo ſit : deficientibus enim poſitis conditionibus deficit etiam, & nullum eſt Matrimonium ; cum ipſæ qualitates objectum conſtituant & contractus, & conſenſus.

VI. Alterum impedimentum eſt conditio *ſervitutis*. Servi autem in quatuor diſtinguuntur claſſes. 1. Illi, qui & *famuli*, ſive *domeſtici* appellantur, qui pretio conducti ſervitium, & opera ſua locant dominis, ab ipſis mercedem, & alimenta accipientes. 2. Qui *glebæ* ſervi dicuntur, & tenentur agros colere in commodum dominorum, & omnia domino dare, exceptis quæ ad vitæ ſuſtentationem ſunt neceſſaria. Et de iſtis nulla eſt quæſtio habenda, cum abſolute liberi ſint. 3. Qui ita in domini poteſtate ſunt, ut partem conſtituant poſſeſſionis domini, qui omnimodam habet ſuper illos, & illorum opera poteſtatem ; unde eos vendere, locare, occupare libere valet, & eorum lucra in ipſius redundant utilitatem. 4. Denique qui *pœnæ* ſervi dicuntur, qui propter crimina ſunt a Judice ad perpetuam pœnam damnati, puta ad triremes, ad carcerem, ad exilium, ad mortem ; & de his agendum.

VII. Ut ſervitus ſit impedimentum dirimens, duas poſtulat conditiones. 1. Ut ſit incognita comparti. 2. Ut hæc alterius ignorans ſervitutem, pari ipſa ſervitute non prematur. Hinc qui ſervum ducit, ipſe liber, cognita ejus ſervitute, validum init Matrimonium. Ita S. Th. q. 52. a. 1. ad 1. ſcribens: ,, Servitus contrariatur Matrimonio quan- ,, tum ad actum, ad quem quis per Matrimo- ,, nium alteri obligatur, quem non poteſt li- ,, bere exequi .... Sed quia quilibet poteſt in ,, eo, quod ſibi debetur, ſponte detrimentum ali- ,, quod ſubire ; ideo ſi alter conjugum ſciat alte- ,, rius ſervitutem, nihilominus tenet Matrimo- ,, nium ". Pari pacto, ſi quis ſimulans ſe liberum, dum vere ſervus eſt, ſervam ducat non agnoſcens ſervam, ſed putans liberam, validum eſt Matrimonium ; ut docet, & probat D. Th. ſubdens : ,, Similiter etiam quia in Matrimonio eſt æqualis ,, obligatio ex utraque parte ad debitum redden- ,, dum, non poteſt aliquis requirere majorem obli- ,, gationem ex parte alterius, quam ipſe poſſit fa- ,, cere. Et propter hoc etiam ſi ſervus contrahat ,, cum ancilla, quam credit liberam, non propter ,, hoc impeditur Matrimonium ". Unde concludit : ,, Servitus non impedit Matrimonium, niſi quando ,, eſt ignorata ab alio conjuge, & ille ſit liberæ con- ,, ditionis. Et ideo nihil prohibet, inter ſervos eſſe ,, conjugia, vel etiam inter liberum, & ancillam ".

VIII. Quando igitur liber ſervum, vel ſervam Matrimonio ſibi copulat, ignorans conditionem ejus ſervitutis, nullum eſt Matrimonium, & quidem, ut docet S. Th. lege in jure naturali baſim habente, & radicem, ſed in jure poſitivo determinationem. Sic enim ſcribit art. 1. ad 3. ,, Jus natu- ,, rale dictat, quod pœna ſit pro culpa infligenda, ,, & quod nullus ſine culpa puniri debeat : ſed de- ,, terminare pœnam ſecundum conditionem perſo- ,, næ, & culpæ, eſt juris poſitivi. Et ideo ſervitus, ,, quæ eſt quædam pœna, determinata eſt de jure ,, poſitivo, & a naturali proficiſcitur, ſicut deter- ,, minatum ab indeterminato : & eodem jure poſi- ,, tivo determinante eſt factum, quod ſervitus igno- ,, rata Matrimonium impediat, ne aliquis ſine cul- ,, pa puniatur. Eſt enim quædam pœna uxoris, ,, quod habeat virum ſervum, & e converſo ".

IX. Matrimonia ſervorum pœnæ valent quoad Sacramentum, unde valida ſunt, & indiſſolubilia ; at minime quoad effectus civiles. Primæ partis ratio eſt : quia hæc Matrimonia nullo irritantur jure, immo ab ipſa lege aliquando præcipiuntur ; ut cum Judex jubet violento ſtupratori, mox ad perpetuum carcerem, vel triremes damnando, ut defloratam puellam conſentientem in uxorem accipiat. Alterius vero partis ratio eſt : quia hujuſmodi tanquam civiliter mortui computantur, & omni jure civitatis, familiæ, originis, ac libertatis ſpoliantur. Quamobrem ignorantia hujus conditionis in altero valorem non tollit Matrimonii ; ſed deceptis uxoribus jura ſubveniunt, illiſque concedunt, ut dotem, & dotalitia conſequi valeant, ſi oſtendant ſe mariti non agnoviſſe conditionem, nec ejus criminum ullo modo participes fuiſſe, vel aſſenſum præbuiſſe. Damnati ad tempus exilio, carceri, & triremibus nec hiſce civilibus juribus privantur. Immo nec damnatus ad mortem, qui interpoſita appellatione, dum alteram expectat ſententiam, juribus privatur, ſi contrahat, dummodo ſententia non confirmetur : at confirmatione ſecuta ſententia effectum habet, ut vocant *retroactivam*, & ſpoliatur juribus a tempore primæ ſententiæ ; at non ita, ſi interim moriatur, cum omnia delicta delinquentium morte extinguantur.

CAPUT QUINTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Error concomitans irritum reddit Matrimonium.*
II. *Error circa qualitates, etiam dans cauſam contractui, Matrimonium non dirimit.*
III. *Ad validum ſervorum Matrimonium non requiritur domini conſenſus.*

IV. *Cui debet obedire ſervus, an domino, an uxori.*
V. *Aliquando conditio ſervitutis non tollit valorem Matrimonii.*
VI. *Servitus ſuperveniens Matrimonio illud non dirimit.*
VII. *Quot modis tollatur ſervitus.*
VIII. *Quomodo Matrimonia ex his titulis nulla poſſint revalidari.*

Conſectarium Primum.

I. Error circa perſonam etiam concomitans, licet contrahens detecto errore adhuc libentius Matrimonium contraxiſſet, nullum reddit Matrimonium. Ratio eſt manifeſta ex doctrina S. Th. docentis, errorem, ſive ignorantiam concomitantem nec voluntarium inducere, nec involuntarium. Cum itaque in hoc contrahente non ſit actualis conſenſus contrahendi cum ea, cum qua Matrimonium celebrat ex errore, ſed ſolum habitualis diſpoſitio contrahendi, ſi cognoſceret; validum non init Matrimonium, ad quod non habitualis, nec conditionatus, ſed actualis requiritur conſenſus. Excipitur tamen, niſi forte ſit ita actu diſpoſitus, ut vellet contrahere cum perſona ſibi præſente, quæcumque illa foret; quod non eſt de facili præſumendum.

Conſectarium Secundum.

II. Error circa qualitates, etiam dans cauſam contractui, ex dolo malo alterius contrahentis inductus, non reddit nullum Matrimonium, quando ſupra perſonam non cadit. Rem exemplo illuſtrat Habertus. Vagus quidam cultiori veſtitu, eleganti forma, ingenio leporis, & amœnitatis pleno, ſe illuſtri genere natum jactabat, quo nomine domum viri nobilis frequentabat, cui erat filia jam viro matura. Placuit utrique hoſpes, qui ei nuptias ſpoponderunt, dummodo generis ſui probaret nobilitatem. Fictis, falſiſque adductis atteſtationibus celebratum fuit Matrimonium. At poſtmodum detecta fraude, & dolo, de valore Matrimonii inductum eſt dubium. Non defuere Patroni, qui nullitatem tuerentur, eo quia dolus dans cauſam contractui nullum illud reddit. At longe verius reſponderunt Theologi validum eſſe, cum error, dolus, fraus ſolum fuerint circa qualitates, minime vero circa perſonam parentibus, & puellæ cognitam, in quam conſenſere, proculdubio non conſenſuri, ſi fraudem noviſſent, & dolum. Optimeque reponebant, contractus initos ex fraude, & dolo ſolum circa qualitates verſante, jure naturæ validos eſſe, ſed vel ſententia judicis, vel etiam ſolo metu initos reſcindendos, quando tamen contractus indoles, atque natura reſciſſionem admittat: quod locum non habet in Matrimonio jure naturæ, & vi divinæ legis indiſſolubili. E contra nullum declaratur Matrimonium puellæ, quæ pluries proteſtata fuerit, malle ſe mori, quam nubere viro ex Judæorum ſanguine orto, quæ cum nupſiſſet poſtea viro, qui proteſtatus falſo fuerat, ſe non eſſe ex Judæorum gente prognatum, detecta fraude contra valorem Matrimonii reclamavit: nam conditio illa, & qualitas expreſſe volita in ſubſtantiam tranſibat contractus, qua deficiente puella conſenſum minime præbebat.

Conſectarium Tertium.

III. Ad ſervorum Matrimonii valorem non requiritur dominorum conſenſus. Olim quidem nulla habebantur per civiles leges hujuſmodi Matrimonia, invitis dominis celebrata, quibus & ſuam accommodavit Eccleſiæ diſciplinam, ut patet ex Sancti Leonis Magni epiſt. 11. ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem. At in præſenti Eccleſiæ diſciplina rata habentur, & valida; ut patet ex Cap. *Dignum eſt* Extra de ſervorum conjugio, ex Adriani Papæ ad Epiſcopum Salisburgenſem reſponſione. Quamobrem jure ſcribit D. Thom. hic art. 2. „ Jus poſitivum progreditur a jure naturali. Et ideo ſervitus, quæ eſt de jure poſitivo, „ non poteſt præjudicare iis, quæ ſunt de jure naturali. Sicut autem appetitus naturæ eſt ad conſervationem individui; ita eſt ad conſervationem ſpeciei per generationem. Unde ſicut ſervus non ſubditur domino, quin libere poſſit comedere, dormire, & alia hujuſmodi facere, quę ad neceſſitatem corporis pertinent, ſine quibus „ natura conſervari non poteſt: ita non ſubditur „ ei quantum ad hoc, quod non poſſit Matrimonium libere contrahere, etiam domino neſciente, & contradicente “. Et in reſp. ad 2. addit: „ Si dominus præcipiat ſervo, quod non „ contrahat Matrimonium, ſervus non tenetur domino obedire “.

Conſectarium Quartum.

IV. Servus, qui inſcio, vel reluctante domino Matrimonium contraxit, debet potius domino obſequi, quam uxori debitum petenti; at e contra ſi de conſenſu domini uxorem ſibi copulaverit. Ita docet D. Thom. hic ad 3. ſcribens: „ Si ſervus, „ volente domino, Matrimonium contraxerit, tunc „ debet prætermittere ſervitutem domini imperantis, & reddere debitum uxori; quia per hoc, „ quod dominus conceſſit, ut Matrimonium ſervus „ contraheret, intelligitur ei conceſſiſſe omnia, „ quæ Matrimonium requirit. Si autem Matrimonium ignorante, vel contradicente domino eſt „ contractum, non tenetur reddere debitum, ſed „ potius domino obedire, ſi utrumque ſimul eſſe „ non poſſit “. Verum ſapientiſſime monet idem Angelicus, in his multa particularia eſſe ſpectanda: „ ſicut etiam in omnibus humanis actibus, „ ſcilicet periculum caſtitatis imminens uxori, & „ detrimentum, quod ex redditione debiti ſervitio imperato generatur, & alia hujuſmodi: quibus omnibus rite penſatis judicari poterit, cui „ magis ſervus obedire teneatur domino, vel „ uxori “. Aliter tamen, & aliter: Domino propter auctoritatem directionis, & imperii: Uxori „ propter obligationem ſocietatis, & conjugii, ex „ qua vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed „ mulier, ſicut nec poteſtatem ſui mulier habet, „ ſed vir.

Conſectarium Quintum.

V. Si quis ex errore craſſo, & ſupino Matrimonium cum ſervo, vel ſerva contrahit, vel contracto per verum errorem poſtmodum uxorem cogno-

gnoſcit, in utroque caſu validum eſt Matrimonium. Primæ partis ratio eſt manifeſta: quandoquidem Matrimonium prohibetur ſolum propter deceptionem, & damnum contrahentis liberi. Porro qui ex errore craſſo, & ſupino contrahit, non decipitur, ſed ſe ipſum decipit, non patitur damnum, ſed ſibi accerſit. Sunt tamen qui oppoſitum propugnant: at in re in noſtris regionibus minime uſitata non eſt diutius immorandum. Alterius partis vero ratio eſt: quia cum detecto errore eam carnaliter cognoverit, jam juri ſuo ceſſit. Ita declaravit Alexand. III. de conjugio ſerv. Cap. 1. ſtatuens: „ Mandamus, quatenus ſi conſtiterit, „ quod idem vir præfatam mulierem, poſtquam „ illam audivit eſſe ancillam, carnaliter cognovit, „ ipſum, monitione præmiſſa, compellatis, ut „ eam ſicut uxorem maritali affectu pertractet ". Detecta vero conditione ſervili, qui per errorem contraxit, poteſt pro libito a Matrimonio recedere, ſi publice non ſit contractum Matrimonium; alioquin judicium Eccleſiæ eſt expectandum. Quod ſi velint permanere in Matrimonio contracto, conſenſum renovare debent: ad quam tamen renovationem non tenetur pars ſerva, ſi alteram non decepit; tenetur vero, ſi deceperit, non vi celebrati Matrimonii, quod nullum eſt, ſed injuriæ, & damni illati.

Conſectarium Sextum.

VI. Servitus, quæ Matrimonium quidem præceſſit, ſed ſoluta erat, quando celebratum eſt, ſicut & illa, quæ Matrimonio ſupervenit, illud non dirimit. Non in prima hypotheſi: nam licet pars altera ſerva fuerit, cum tamen libertatem ſit aſſecuta, jam libera effecta eſt, nec amplius ſerva dici poteſt; ſecus ſi adhuc ſervitute prematur, licet poſtmodum liberanda. Non in ſecunda: quia Matrimonium ſemel validum ſemper eſt validum, nec niſi morte ſolvi poteſt.

Conſectarium Septimum.

VII. Triplici modo ſervitus tollitur, ut Matrimonium conſequens ſit validum. 1. Si dominus dotem ſervæ conſtituat. 2. Si ipſe dominus in conjugem ſervam accipiat, ſeu domina ſervo nubat. 3. Si dominus ſervam tradat in uxorem libero homini ejus ſervitutem ignoranti, immo ſolum conſentiat, nec conditionem famulæ manifeſtet: in hiſce caſibus Matrimonium reputandum validum, cum per ipſum ſervitus ipſa tollatur, & liberi evadant contrahentes. Filii in ſervitute nati ventrem ſequuntur, ut jura ſtatuunt. Si itaque Pater ſervus ſit, mater libera, liberi ſunt filii; e contra ſi mulier ſerva, pater autem liber. Et merito, quia, ut obſervat D. Thom. art. 4. „ Proles habet a patre complementum formale, ſed „ a matre ſubſtantiam corporis. Servitus autem „ corporalis conditio eſt, cum ſervus ſit quaſi inſtrumentum domini in operando. Et ideo „ proles in libertate, & ſervitute ſequitur ma„ trem ".

Conſectarium Octavum.

VIII. Matrimonia nulla ex impedimento erroris, vel conditionis rata eſſe non poſſunt, niſi contrahentium renovetur conſenſus. Veritas hujus doctrinæ eſt manifeſta: nam cum in utroque deficiat conſenſus vel in ſubſtantiam, vel in proprium damnum, & detrimentum, niſi hic accedat, ſemper nullum erit Matrimonium. Et revera ita docet & D. Thom. hic quæſt. 51. art. 2. ubi objectioni ſibi propoſitæ, quod per multos annos poſſunt in hoc errore perſonæ vel ſervitutis detineri, & filios ac filias generare ſimul, & grave eſſet dicere, quod tunc eſſent dividendi; reſpondet ad 8. „ Di„ cendum, quod quantumcumque fuerit cum ea, „ niſi de novo conſentire velit, non eſt Matrimo„ nium.

CAPUT SEXTUM.

De impedimentis voti, & Ordinis.

DOCTRINA.

I. *Quodnam ſit votum dirimens Matrimonium.*
II. *Cur ſolemne votum dirimat Matrimonium.*
III. *Num poſſit Summus Pontifex in ſolemni voto diſpenſare.*
IV. *Profeſſi etiam invalide, non poſſunt Matrimonium celebrare.*
V. *Ordinis Sacri ſuſceptio dirimit Matrimonium.*
VI. *Quomodo in hoc impedimento diſpenſet Eccleſia.*

I. VOtum Matrimonium dirimens eſſe debet caſtitatis perpetuæ, & quidem non ſimplex & privatum, ſed publicum & ſolemne per profeſſionem validam in aliqua Religione ab Eccleſia approbata. Certum eſt juris canonici ſtatuto, definiente Cæleſtino III. quod *Votum ſimplex Matrimonium impedit contrahendum, non tamen dirimit jam contractum.* Oportet igitur, ut ſit ſolemne, ideſt in facie Eccleſiæ, & quidem non quocumque modo, ſed in Religione approbata per profeſſionem validam. Nam ſi invalida ſit Profeſſio, ſicut nullam inducit obligationem, ita nec impedimentum conſtituit Matrimonii. Pariter ſi in aliqua etiam Religioſorum Congregatione, vel Epiſcopo approbata, vel etiam ab Apoſtolica Sede tolerata, vel permiſſa, ſed non in Religionem adhuc aſſumpta, vota emittantur, hæc quidem ſimplicium votorum obtinent vigorem, non vero ſolemnium. Quod vero votum ſolemne Matrimonium poſt ipſum celebratum dirimat, certum eſt fide catholica, definitum in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. can. 9. per hæc verba: „ Si quis „ dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitu„ tos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſ„ ſos poſſe Matrimonium contrahere, contractum„ que validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, „ vel voto... anathema ſit ". Immo hoc ſolemne votum & Matrimonium ratum, ſed non conſummatum dirimere, ſuperius ex ipſo Tridentino probavimus.

II. Cur autem votum ſolemne, & non ſimplex, Matrimonium dirimat, rationem reddit D. Thom. quodlib. 8. art. 10. ſcribens: „ In voto ſimplici „ eſt ſola promiſſio, qua quis promittit Deo ſe „ continentiam ſervaturum. Ex ſola autem pro„ miſſione non transfertur dominium: unde ſi ali„ quis promittat rem aliquam alicui, & poſtea det

„ ean-

„ eandem alteri, hujuſmodi donatio non poteſt re„ ſcindi per priorem promiſſionem, quamvis male „ faciat dando: & ſic ille qui emiſit votum ſim„ plex continentiæ, poteſt poſtmodum corpus ſuum „ tradere uxori; & quamvis peccet hoc faciendo, „ tamen Matrimonium non dirimitur per votum „ præcedens. In voto autem ſolemni eſt ſimul pro„ miſſio, & collatio: tunc enim eſt votum ſolemne, „ quando ſimul aliquis cum voto conſecratur Deo, „ & ponitur in aliquo ſtatu ſanctitatis, vel per ſu„ ſceptionem Ordinis, vel profeſſionem certæ Re„ gulæ; & ſic non poteſt ulterius corpus ſuum tra„ dere uxori: & ſi tradit, contractus nullus eſt; „ & ſic Matrimonium dirimitur per votum ſole„ mne, non autem per ſimplex.

III. Num vero poſſit Summus Pontifex in hoc ſolemni voto diſpenſare, adeo ut Matrimonium a Religioſo contractum validum ſit, aperte negat D. Th. 2. 2. q. 88. art. 2. Verum ſi quando caſus occurrat hujuſmodi diſpenſationem elargiendi, cum ſoleant Summi Pontifices vota & Theologorum, & juris peritorum, immo & Congregationum Cardinalium expoſcere, & rem tum de jure, tum de facto accurate, & coram Deo diſcutere, ac perpendere; ideo ad ipſos puto reſervandam deciſionem.

IV. Certum eſt non licere Religioſis profeſſis, etſi profeſſionem ex aliquo legitimo titulo nullam agnoſcant, niſi ante quinquennium reclamaverint, & ante ſententiam judicis declarantis nullitatem profeſſionis, Matrimonium celebrare; & ſi contraxerint, nullum eſſe. Et quidem profeſſionem poſt quinquennium ratam, & firmam haberi ab Eccleſia, unde licet præſumptam, vim habere & impediendi Matrimonium contrahendum, & contractum dirimendi, ſtatuit Tridentina Synodus ſeſſ. 25. c. 19. „ Quicumque Regularis prætendat ſe per vim, „ & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam „ dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut „ quid ſimile; velitque habitum dimittere quacum„ que de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere „ ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi in„ tra quinquennium a die Profeſſionis; & tunc non „ aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit „ coram Superiore ſuo, & Ordinario. Quod ſi an„ tea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad al„ legandam quamcumque cauſam admittatur; ſed „ ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam a„ poſtata puniatur: interim vero nullo privilegio „ ſuæ Religionis juvetur “. Et merito, nam Profeſſio Religioſo non eſt ſolum interna obligatio in conſcientia, & coram Deo, ſed etiam publica, & in facie Eccleſiæ: proinde licet fortaſſis in conſcientia non obliget; obſtringit tamen coram Eccleſia, a qua eſt a ſuo vinculo illegitime contracto ſolvendus: quare ante hanc ſolutionem legibus ſubjacet Eccleſiæ, Matrimonium ab eo contractum irritum, nullumque declarantis.

V. Ordinis ſacri ſuſceptio eſt quoque Matrimonii tum contrahendi, tum contracti impedimentum, illud nullum reddens, atque irritum. Ita definitum eſt tum ab antiquioribus canonibus in jure recitatis in Alex. III. reſponſis cap. *De Diacono*, & cap. *ex litterarum* Extra *Qui Clerici*, tum in recentioribus ſtatutis Tridentini Concilii ſuperius n. 1. citatis. Rationem vero, & cauſam hujus impedimenti reddit D. Th. hic q. 53. a. 3. ſcribens: „ Ordo ſa„ cer de ſui ratione habet ex quadam congruen„ tia, quod Matrimonium impedire debeat; quia „ in ſacris Ordinibus conſtituti ſacra vaſa, & ſa„ cramenta tractant: & ideo decens eſt, ut mundi„ tiam corporalem per continentiam ſervent. Sed „ quod impediat Matrimonium, ex conſtitutione „ Eccleſiæ habet; tamen aliter apud Latinos, quam „ apud Græcos: quia apud Græcos impedit Ma„ trimonium contrahendum ſolum ex vi Ordinis; „ ſed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & ul„ terius ex voto continentiæ, quod eſt Ordinibus „ ſacris adnexum; quod etiamſi quis verbo tenus „ non emittat, ex hoc ipſo tamen, quod Ordines „ ſuſcipit, ſecundum ritum Occidentalis Eccleſiæ „ intelligitur emiſiſſe “.

VI. In hoc impedimento facilius Summi Pontifices diſpenſant vel per modum gratiæ, vel titulo juſtitiæ. Gratiæ quidem, dum magnis Principibus in ſacro aliquo Ordine conſtitutis, & quidem graviſſimis urgentibus cauſis ſolum publicum bonum reſpicientibus, concedunt, ut Matrimoninm poſſint inire; ita tamen ut ab exercitio ſuſceptorum ordinum ceſſent omnino. Per modum vero juſtitiæ, quando ſcilicet vel ante rationis uſum, vel etiam ante pubertatem, vel ex violentia inviti Ordinem ſacrum ſuſcepere: tunc enim niſi poſt pubertatem actus ſuſcepti Ordinis libere exercuerint, a lege continentiæ liberantur. Legantur dicta de Sacram. Ord. Diſſert. 2. cap. 4. Concl. 2.

CAPUT SEPTIMUM.

De impedimento cognationis.

DOCTRINA.

I. *Triplex cognationis ſpecies.*
II. *Quænam ſit carnalis cognatio.*
III. *Diſtinguendus in cognatione carnali ſtipes,*
IV. *Et linea,* V. *Et gradus*
VI. *Regula I.* VII. *Regula II.*
VIII. *Regula III.*
IX. *Conſanguineorum in linea recta nulla Matrimonia.*
X. *Quando irrita in linea collaterali.*
XI. *Cognatio ſpiritualis quomodo Matrimonium irritet.*
XII. *Quinam ſint ſpirituali cognatione conjuncti.*
XIII. *Quid ſit legalis cognatio.*
XIV. *Quotuplex ſit.*
XV. *Inter quos habeatur.*

I. Triplex in jure tum canonico, tum civili cognationis genus ſtatuitur. Primum carnale, quod *conſanguinitatis* dicitur, alterum *ſpiritualis cognationis* nomine donatum. Tertium vero eſt in adoptione fundatum, & dicitur *cognatio legalis*. Amplum diſputationis ſubjectum claritatis gratia tribus diſtinctis explicabimus paragraphis.

§. I.

De cognatione carnali.

II. Cognatio carnalis, & conſanguinitatis definitur a S. Th. hic q. 54. art. 1. *Vinculum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum.* Dicitur *vinculum*, inquit S. Th. quaſi „ ge„ nus

„ nus conſanguinitatis, quo plures perſonæ ſimul „ conjunguntur ratione carnalis propagationis; per „ quam conjunctorum exurgit major, vel minor er- „ ga ſe invicem reverentia ". Additur *ab uno deſcendentium*, addendum & *aſcendentium*, *ſtipite*, & quidem propinquo; alioquin omnes homines conſanguinei forent, cum omnes ab uno Adam, & Noe deſcendant. Dicitur denique *carnali propagatione contractum*, per quod ab affinitate diſtinguitur, quæ non ex propagatione carnali oritur, ſed ex matrimoniali conjunctione, ut inferius dicemus.

III. In conſanguinitate tria ſunt diſtinguenda, *ſtipes* ſcilicet, ſeu radix, & principium, a quo conſurgunt varii conſanguinitatis gradus, ſicut plures rami ab uno trunco, in quo coadunantur, licet in ſe diviſi: & hunc conſtituit ille, a quo filii, nepotes, pronepotes, aliique profluunt.

IV. Secundo notanda *linea*, quæ in collectione conſiſtit perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, vel aſcendentium, & quæ plures continet gradus, & illorum numerum diſtinguit. Hæc triplex eſt, inquit S. Th. hic art. 2. ſcilicet „ una ſecundum ha- „ bitudinem principii ad principiatum: & hæc eſt „ conſanguinitas patris ad filium: & linea dicitur „ *deſcendentium*. Alia ſecundum habitudinem prin- „ cipiati ad principium: & hæc eſt filii ad patrem: „ & dicitur linea *aſcendentium*. Tertia ſecundum „ habitudinem eorum, quæ ſunt ab uno principio „ ad invicem: ſicut filii ex eodem nati: & hæc di- „ citur *collateralium* linea ", a qua non unus ex altero progreditur, ſed ambo ab uno tertio; ſicut duo fratres ab uno patre, duo nepotes ab uno Avo. Porro hæc collateralium linea & *æqualis* eſſe poteſt, & *inæqualis*: æqualis quidem, ſi æqualiter deſcendant ab uno ſtipite, ut duo fratres, bini nepotes, qui æqualiter a patre diſtant, & ab avo: inæqualis vero, dum conſanguineorum alter magis diſtat a ſtipite communi, ut frater & filius fratris; hic enim magis diſtat, quam ille, cujus ſtipes eſt Pater, hujus autem eſt avus.

V. In linea vero ſunt gradus notandi, qui indicant diſtantiam, & intervallum conſanguineorum tum a ſe invicem, tum a ſtipite communi. Ad dignoſcendos itaque conſanguinitatis gradus, & quantum unus ex conſanguineis ab alio diſtet, tres aſſignantur Regulæ a D. Th. hic art. 2.

Regula Prima.

VI. In linea aſcendentium, & deſcendentium, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, dempto tamen nec computato ſtipite, a quo illæ vel mediate, vel immediate procedunt. Sic filius eſt in primo gradu conſanguinitatis cum patre, & matre; nepos in ſecundo gradu cum avo & avia; pronepos in tertio cum proavo, & proavia: abnepos in quarto cum abavo, & abavia, & viciſſim.

Regula Secunda.

VII. In linea collateralium, ſeu tranſverſali, inquit S. Th. „ ſecundum computationem canonicam „ quoto gradu diſtat quis ab aliquo gradu ſuperio- „ ri, tanto diſtat a quolibet deſcendentium ab ip- „ ſo, & nunquam minus; ideſt quoto gradu diſtant „ a communi ſtipite, eodem gradu a ſe mutuo di- „ ſtant ". Hinc duo fratres cum uno tantum gradu diſtent a Patre, uno gradu inter ſe diſtant. Filii fratrum cum duplici gradu diſtent ab avo, & ſecundo gradu inter ſe diſtant.

Regula Tertia.

VIII. Hinc in eadem linea collateralium inæquali eo gradu diſtant a ſe invicem, quo gradu remotior diſtat a ſtipite. Hinc cum abnepos diſtet 4. gradu ab abavo, 4. etiam gradu diſtat a propatruo. Sit exemplum in

	David
	1
Abſalon	Salomon
	2
	Roboam
	3
	Abias
	4
	Aſa

Aſa quarto gradu diſtat a David, & pari gradu ab Abſalon. Totius conſanguinitatis rectæ aſcendentium, deſcendentium, & collateralis ſchema exhibeo, ex quo facile erit reperire, in quo gradu diſtent illi, de quibus conſanguinitas quæritur.

Figura ad dignoſcendos diverſos gradus conſanguinitatis.

				4. Abavus. Abavia.				
			4. Propatruus. Proamita.	3. Proavus. Proavia.	4. Proavunculus Promatertera.			
		4. Propatruorum Filius & Filia.	3. Patruus magnus. Amita magna.	2. Avus. Avia.	3. Avunculus magnus. Matertera magna.	4. Proavunculorum Filius & Filia.		
	4. Propatruor. Nepotes.	3. Patrui magni Filii.	2. Patruus. Amita.	1. Pater Mater.	2. Avunculus, Matertera.	3. Magnorum Filii.	4. Proavunculi, aut Materteræ Nepotes.	
4. Propatruor. Pronepotes.	3. Patrui magni Nepotes, qui Sobrini.	2. Conſobrinus, Conſobrina Germani.	1. Frater & Soror Conſanguinei.	Perſona de qua agitur.	1. Frater & Soror uterini.	2. Conſobrinus, Conſobrina Germani.	3. Magnorum Nepotes, & Sobrini.	4. Proavunculi. Pronepotes.
4. Patrui magni Pronepotes.	3. Conſobrini ſeu Patruelis Filii.	2. Fratris. Filii.		1. Filius. Filia.		2. Uterinorum Filii.	3. Avunculi, aut Materteræ Nepos.	4. Magnorum Pronepotes.
4. Patruelis Nepotes.	3. Fratris Nepotes.			7. Nepos. Neptis.			3. Illorum Nepotes Uterinorum.	6. Avunculi Pronepos.
4. Fratris Pronepotes.								4. Uterinorum Pronepotes.

IX. Conſanguineorum Matrimonia in quolibet lineæ rectæ gradu illicita ſunt, & nulla certe lege eccleſiaſtica: at num etiam lege naturæ, non ita certum. Et quidem lex Eccleſiæ habetur in Reſp. Nicolai I. ad Conſulta Bulgarorum ſic ſtatuentis: „ Inter perſonas, quæ parentum, liberorumque lo„ cum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſ„ ſunt, velut inter patrem & filium, vel avum & „ neptem uſque ad infinitum “. Legem autem naturæ adſtruunt plures Theologi, & Canoniſtæ, qui cenſent Adamum reviviſcentem nullam poſſe mulierem in uxorem ducere, nec Evam ulli viro nubere, cum omnes ex recta linea ab illis deſcendant. At alii lubenter quidem admittunt conjunctionem matrimonialem inter aſcendentes, & collaterales in primo gradu jure naturæ prohiberi (unde ipſa natura abhorret a matrimonio filiæ cum patre, vel filii cum matre) at non in aliis gradibus, in quibus etſi illicita fortaſſis videatur jure naturæ, non tamen irrita cenſeri debet; quia non omne Matrimonium, quod illicitum eſt, eſt etiam nullum, & invalidum. Immo non deſunt Theologi, qui nec inter fratres, & ſorores Matrimonium jure naturæ illicitum arbitrantur; quia alioquin Deus illud nunquam permiſiſſet, ut contigit in exordio Mundi; nec conſentaneum videtur Divinæ Sapientiæ ita genus humanum inſtituere, ut ſtatim cogeretur naturæ leges violare. Et 2. Reg. 13. dicebat Thamar Ammoni fratri ſuo conanti illam violare: *Noli facere ſtultitiam hanc: quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*. Non erat igitur apud Hebræos omnino vetitum Matrimonium fratris cum ſorore. Idem dicendum a fortiori de Matrimonio Amitæ cum filio Fratris, vel Patrui cum nepte.

X. Conſanguinitas collateralium Matrimonium dirimit uſque ad 4. gradum incluſive. Ita ſtatutum in Concilio Lateranenſi iv. ſub Innoc. III. can. 10. ubi dicitur: „ Prohibitio copulæ conju„ galis quartum conſanguinitatis gradum de cetero „ non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus „ jam non poteſt abſque gravi diſpendio prohibi„ tio generaliter obſervari “. Quod decretum confirmavit Tridentina Synodus ſeſſ. 24. can. 3. definiens: „ Si quis dixerit, eos tantum conſan„ guinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium „ con-

„ contrahendum, & dirimere contractum; nec poſ-
„ ſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut
„ conſtituere, ut plures impediant, & dirimant;
„ anathema ſit “.

§. II.

De Cognatione ſpirituali.

XI. Cognatio ſpiritualis eſt conjunctio, & propinquitas, quæ contrahitur ex Baptiſmo, & Confirmatione. Hujus impedimenti rationem reddit S. Th. hic q. 56. art. 1. ſcribens: „ Sicut per carnis propagationem homo accipit eſſe naturæ; ita per Sacramenta accipit eſſe ſpirituale gratiæ. Unde ſicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, eſt homini naturale, inquantum eſt res quædam naturæ; ita vinculum, quod contrahitur ex Sacramentorum ſuſceptione, eſt aliquo modo naturale alicui, inquantum eſt membrum Eccleſiæ: & ideo ſicut carnalis cognatio impedit Matrimonium, ita ſpiritualis ex Eccleſiæ ſtatuto “.

XII. In veteri Eccleſiæ diſciplina longius protendebatur hoc impedimentum, ut videre eſt in D. Thom. art. 5. qui tres enumerat olim inductas ſpirituales cognationes: Una (ſcilicet) quæ dicitur *ſpiritualis paternitas*, quæ erat inter patrem ſpiritualem, & filium ſpiritualem; alia, quæ dicitur *compaternitas*, quæ erat inter patrem ſpiritualem, & carnalem ejuſdem: tertia dicitur *ſpiritualis fraternitas*, quæ erat inter filium ſpiritualem, & filios carnales ejuſdem Patris. Quod erat & de Confirmatione dicendum. Verum modo ex Tridentino ſtatutum eſt ſeſſ. 24. cap. 2. „ Quod ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant; inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur. Et ſimiliter in Confirmatione, cognatio confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egreditur; omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis “. Cætera, quæ de hoc impedimento noſcenda occurrunt, late ſunt expoſita in Tract. de Baptiſmo capp. 3. & 4. ibi legenda.

§. III.

De Cognatione legali.

XIII. Legalis cognatio ex adoptione oritur, quæ a D. Th. hic q. 57. art. 1. definitur, *Adoptio eſt extraneæ perſonæ in filium legitima aſſumptio*, per quam inquit S. D. „ Ars imitatur naturam, & ſupplet defectum naturæ in illis, in quibus natura deficit. Unde ſicut per naturalem generationem aliquis filium producit; ita per jus poſitivum, quod eſt ars boni, & æqui, poteſt aliquis alium ſibi aſſumere in filium ad ſimilitudinem filii naturalis, ad ſupplendum filiorum deperditorum defectum: propter quod præcipue adoptio eſt introducta “.

XIV. Hæc adoptio alia eſt perfecta, quæ & *arrogatio* in jure dicitur, alia imperfecta, quæ ſimplex *adoptio* nominatur. Perfecta adoptione adoptatus ita tranſit in poteſtatem adoptantis, ut ſit inſtar naturalis filii, ejuſque proinde hæres ab inteſtato, & ex teſtamento in quarta bonorum parte. Hæc nonniſi ſuprema Principis auctoritate fieri poteſt. Imperfecta vero, pro qua & ſolius Magiſtratus auctoritas ſufficit, eſt enim potius diſpoſitio ad perfectam adoptionem, non tranſmittit adoptatum in poteſtatem adoptantis; neque eſt ejus hæres neceſſarius ex teſtamento, ſed ſolum ab inteſtato.

XV. Hujus cognationis legalis gradus, vim, ac efficacitatem ad impediendum Matrimonium explicat D. Th. art. 3. ſcribens: „ Triplex eſt legalis cognatio. Prima quaſi deſcendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium filii adoptivi, & nepotem, & ſic deinceps. Secunda, quæ eſt inter filium adoptivum, & filium naturalem. Tertia per modum cujuſdam affinitatis, quæ eſt inter patrem adoptantem, & uxorem filii adoptivi, vel e contrario inter filium adoptatum, & uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio, & tertia perpetuo Matrimonium impediunt: ſecunda autem non, niſi quamdiu manet in poteſtate patris adoptantis. Unde mortuo patre, vel filio emancipato, poteſt contrahi inter eos Matrimonium “.

CAPUT OCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando gradus remotior propinquiorem ad ſe trahat.*
II. *Matrimonia infidelium in gradibus prohibitis non ſunt dirimenda.*
III. *Quid requiratur ad contrahendam cognationem ſpiritualem.*
IV. *Quid ad cognationem legalem.*

§. I.

Conſectarium Primum.

I. IN linea tranſverſa gradus remotior ad ſe propinquiorem trahit. Hujus regulæ ratio eſt manifeſta: quia cum tota ratio propinquitatis a ſtipite deſumatur, qui in remotiori gradu ſunt conſtituti, non poſſunt eſſe collateralibus ſuis propinquiores, quam ſint ipſi ſtipiti, a quo ducunt originem. Porro ſi gradus ab eo numerarentur, qui eſt ſtipiti propinquior, jam in remotiori gradu conſtituti propinquiores eſſent collateralibus ſuis, quam ipſo ſtipiti, quod eſt abſurdum. Hinc merito Sanctus Pius V. in ſua Bulla *Sanctiſſimus* anni 1556. ſtatuit, quod de cætero in quibuſcumque diſpenſationibus conſanguinitatis, & affinitatis ſufficiat remotiorem gradum exprimere. Hæc tamen regula, ſicut & laudati Summi Pontificis decretum exceptionem admittit, quando nimirum gradus propinquior ſit primus gradus, & remotior gradum quartum non prætergrediatur: tunc enim & propinquior gradus eſt exponendus; cum idem Pontifex in laudibus Conſtant. aperte proteſtetur in primo gradu nullam ſe intendere diſpenſationem elargiri. Dixi tamen, niſi remotior prætergrediatur quar-

quartum gradum: nam ſi ſit in quinto, nullum eſt impedimentum, nulla opus diſpenſatione. Præterea & illud notandum in petendis diſpenſationibus ob gradus conſanguinitatis, ſicut & affinitatis, ſi inæquales ſint, tum remotiorem, tum propinquiorem eſſe exponendum gradum; puta in ſecundo & tertio, vel tertio & quarto; cum idem Pontifex ſtatuerit, petendas eſſe litteras declaratorias a Sede Apoſtolica, quibus declaretur diſpenſationes obtentas, expoſito ſolum gradu remotiore, & omiſſo proximiore, *perinde valere*, ac ſi expoſitus uterque gradus fuiſſet, proinde non eſſe vitio ſubreptionis, vel obreptionis notandas. Quibus profecto litteris opus non erit, ſi in ſupplici libello ambo exprimantur gradus. Quod ſi hoc omiſſum fuerit, & celebratum Matrimonium, minime tamen illud dirimitur. Ita Lambertinus deciſ. 183. T. 1. pag. 119. Ed. Remond.

Conſectarium Secundum.

II. Si infideles ad fidem converſi in Matrimonio conjuncti ſunt ſecundo, tertio, vel quarto gradu conſanguinitatis, non ſunt ſeparandi, nec illorum proles pro illegitima habenda. Ita declaravit Innoc. III. cap. *Gaud.* Extra de conſang. & affinit. ſtatuens; „ Infideles conſtitutionibus canonicis non „ arctantur. *Quid enim ad nos*, ſecundum Apo„ ſtolum, *de his*, *qui foris ſunt*, *judicare?* Igitur „ in favorem præſertim chriſtianæ Religionis, & „ fidei, a cujus perceptione per uxores ſe deſeri „ timentes viri poſſunt facile revocari, fideles hu„ juſmodi matrimonialiter copulari libere poſſunt, „ & licite remanere conjuncti, cum per Sacramen„ tum Baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed cri„ mina dimittantur “. Secus tamen dicendum eſt de hæreticis, qui cum per Baptiſmum ſubditi ſint Eccleſiæ, ejuſque legibus, ſi in præfatis gradibus copulati ad Eccleſiæ ſinum revertantur, vel ſunt ſeparandi, vel beneficio diſpenſationis donati, iterum in facie Eccleſiæ conjungendi, & tunc eorum filii legitimi habendi.

§. II.

Conſectarium Tertium.

III. Ad contrahendam cognationem ſpiritualem neceſſaria non eſt intentio eam contrahendi; at neceſſaria eſt intentio fungendi munere patrini. Primæ parti hujus doctrinæ adverſantur nonnulli Theologi apud Sanchezium lib. 7. diſp. 58. qui putant requiri in ſuſcipiente veram intentionem eam cognationem contrahendi, quam ſi excludat, nulla erit cognatio ſpiritualis. At poſita noſtra doctrina & probabilior eſt, & unice vera: quandoquidem cognatio ex ipſo facto voluntario oritur, cui Eccleſia hanc ſpiritualem cognationem alligavit; ſicut ex copula carnali oritur affinitas abſque intentione eam contrahendi, quippe quæ ipſum factum conſequitur. Altera vero pars oſtenditur: quia non ex mero materiali actu exteriori opus perficitur; ſed neceſſaria eſt voluntas, & intentio actum illum debito modo peragendi; ſicut enim nullum foret Baptiſma, ſi quis puerum baptizaret ſine intentione faciendi, quod facit Eccleſia; ita pariter non eſſet vere patrinus, qui infantem materialiter tantum a ſacro fonte levaret ſine animo obeundi munus ſuſceptoris ab Eccleſia inſtitutum. Hinc ſequitur, aliquem ſuſcipientem in Baptiſmate filium Joannis, dum ipſe intendit ſuſcipere filium Petri, cum neutro, aut ejus parentibus cognationem contrahere: non certe cum filio Petri, nec ejus parentibus, cum illum non ſuſcipiat; ſed nec cum filio Joannis, ejuſque parentibus, cum illum ſuſcipiendi nullam habeat intentionem, nec poſſit velle & intendere, quod non præcognoſcit. At non ita ſentiendum de Baptizante, cum hic ſemper intentionem habeat præſentem puerum baptizandi.

§. III.

Conſectarium Quartum.

IV. Plures requiruntur conditiones ad cognationem legalem inducendam. Et primo quidem probabilius eſt neceſſaria adoptio perfecta, nec ſufficit imperfecta: ac licet plures obſiſtant Theologi, qui etiam ex imperfecta oriri putant, tamen noſtræ opinioni favere videtur D. Thom. qui imperfectam adoptionem appellat magis *diſpoſitionem quandam* ad perfectam adoptionem, quam veram adoptionem. Et in artic. 2. ſequenti ideo adoptionem docet a Matrimonio excludere „ quia neceſſe „ eſt perſonas ſimul cohabitare. Et quia filius a„ doptivus converſatur in domo Patris adoptantis, „ ſicut filius naturalis; ideo legibus humanis pro„ hibitum eſt inter tales Matrimonium contrahi: „ & talis prohibitio eſt per Eccleſiam approba„ ta “. Porro, ut cap. præced. diximus, per ſolam perfectam adoptionem adoptatus tranſit in poteſtatem, & familiam adoptantis; proinde per hanc ſolam contrahitur legalis cognatio. Bened. XIV. de Synodo lib. 9. cap. 10. ſcribit, de hoc fuiſſe in ſacra Congregatione Concilii tractatum, at nihil conſtitutum; proinde controverſiam adhuc ſub judice eſſe, definiendam, ut ipſe dixit, ſolum ex juris civilis ſanctionibus. Verum raro contingit caſus adoptionis Matrimonium dirimentis, cum adoptio parum in uſu ſit.

Præterea ad legitimam adoptionem hæ requiruntur conditiones. 1. Adoptans maſculus ſit oportet; fœminæ enim adoptare nequeunt, niſi forte, ut inquit S. Thom. ad 3. ex ſpeciali conceſſione Principis talem obtineant poteſtatem. 2. Ut adoptans ſit ſui juris, & major viginti quinque annis, ut docet in reſp. ad 3. 3. Ut aptus ſit ad filios gignendos: quia, inquit S. D. ad 4. per eum „ qui „ habet impedimentum perpetuum ad generandum, „ non poteſt hæreditas tranſire in poſteros.... & „ ideo ei non competit adoptare, ſicut nec natu„ raliter generare “. 4. Subdit ad 5. „ Junior „ non poteſt adoptare ſeniorem; ſed oportet ſe„ cundum leges, quod adoptatus ſit in tantum a„ doptante junior, quod poſſit eſſe ejus filius na„ turalis “. Quare adoptans decem, & octo annis adoptatum excedere debet. 5. Requiritur actualis præſentia adoptati, & adoptantis; cum inter abſentes, & per procuratorem locum non habeat adoptio. 6. Denique intercedat, oportet, ut diximus, publica vel Principis, vel Magiſtratus auctoritas.

Nomine vero filiorum adoptantis, cum quibus oritur legalis cognatio, non veniunt alii ejus filii ado-

adoptivi, vel illegitimi: quamobrem adoptati inire poſſunt inter ſe Matrimonium, vel cum filiis illegitimis adoptantis; cum & nulla hoc prohibeatur lege, & filii illegitimi non tranſeant in poteſtatem patris, nec pro filiis habeantur quoad effectus civiles.

CAPUT NONUM.

De Impedimento Affinitatis.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit affinitas.*
II. *Quomodo diſtinguantur linea, & gradus affinitatis.*
III. *Num affinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat Matrimonium.*
IV. *Quando dirimat in linea collaterali.*

I. AFfinitas ex S. Th. q. 55. a 2. definitur, *Propinquitas perſonarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela*. Dicitur *propinquitas*, ex qua oritur vinculum inter perſonas, quia inquit S. Th. art. 1. „ Sicut perſona conjuncta alteri per carnis propagationem quoddam vinculum „ naturalis amicitiæ facit; ita conjungitur per carnalem copulam “: & quidem ſive licitam per Matrimonium, ſive illicitam per fornicationem, talis tamen eſſe debet, ut conſummationi Matrimonii æquivaleat; quare nec inducitur per Matrimonium ratum, nec per copulam ſive imperfectam, ſive aliquo congreſſu, etiam turpi, præpoſtero, & ſodomitico. Poſtrema verba indicant, conſanguinitatem, ſive parentelam non convenire affinitati; licet cum ipſa concurrere poſſit, ſed a diverſa plane radice oriri.

II. Affinitas per ſe & propriam lineam, & proprios gradus non habet; ſed numerantur, & diſtinguuntur per lineas gradus conſanguinitatis: nam omnes conſanguinei uxoris, ſive fœminæ per copulam carnalem fiunt affines in eadem linea, & in eodem gradu mariti, ſive fornicarii; & viciſſim omnes conſanguinei mariti, ſive fornicarii evadunt affines in eadem linea, & gradu uxoris, vel fornicariæ. At non ita conſanguinei mariti fiunt affines conſanguineis uxoris; cum affinitas non pariat affinitatem: hinc duo fratres duas ſibi Matrimonio jungere poſſunt ſorores, & mater & filia, patri & filio nubere.

III. Affinitas in primo gradu lineæ rectæ probabilius jure naturæ Matrimonium dirimit. Hanc doctrinam inficiantur nonnulli Theologi, eo quia in Scriptura legatur, Abiam petiiſſe Abiſag Sunamitidem in uxorem, quæ nupta fuerat Patri ſuo David: quod profecto non auſus eſſet, ſi jure naturæ illicitum foret Matrimonium cum affine in primo gradu rectæ lineæ. Verum alii ut probabiliorem noſtram tuentur aſſertionem. Nam in cap. *litteris* Extra. De Conſanguin. & Affin. Alexand. III. aperte indicit: æque abſtinendum eſt a conſanguineis uxoris, ac a propriis. Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 5. ſcribebat: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat*. Et Levit. 19. ſtatuebatur: *Qui ſupra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, ſcelus operatus eſt: vivus ardebit cum eis: nec permanebit tantum nefas in medio veſtri*. Et Amos 2. *Filius, & pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen ſanctum meum*. Et merito, nam hi loco parentum & liberorum habentur. Quamobrem cultiores nationes ſemper deteſtatæ ſunt Matrimonia inter novercam, & privignum, inter ſocerum, & nurum. Si vero Abias Sunamitidem in Matrimonium poſtulare licitum ſibi putavit, illud fortaſſis in cauſa fuit, quia Pater ejus, ut dicit Scriptura, illam minime cognoverat; unde nulla erat inducta affinitas ex carnali commixtione.

IV. Affinitas vero in linea collaterali in copula licita Matrimonium dirimit uſque ad quartum gradum incluſive; in copula vero illicita ultra ſecundum non extenditur. Et quidem affinitatem eſſe Matrimonii dirimens impedimentum, dubitare non ſinit Tridentina Synod. Can. 3. ſuperius laud., & omnes ad unum fatentur Theologi cum S. Thom. docente hic qu. 55. art. 6. „ Affinitas præcedens „ Matrimonium impedit contrahendum, & dirimit „ contractum eadem ratione, qua & conſanguinitas. Sicut enim ineſt neceſſitas quædam cohabitandi conſanguineis adinvicem, ita & affinibus; „ & ſicut eſt quoddam amicitiæ vinculum inter „ conſanguineos, ita inter affines. Sed ſi affinitas „ Matrimonio ſuperveniat, non poteſt ipſum dirimere “. In Matrimonio vero uſque ad quartum gradum incluſive ſe extendere ſtatuunt Eccleſiæ canones. Nam Can. *Non debet* Extra, de Conſang. & Affin. ſtatuit: „ Vir uxoris defunctæ conſanguineam in quarto gradu, aut ſuperioribus „ ducere abſque diſpenſatione non poteſt; nec Mulier Mariti defuncti conſanguineis in quarto gradu, ac ſuperiori nubere “. Ex Decreto vero Tridentini Concilii ſtatutum eſt, affinitatem ex copula illicita ultra ſecundum gradum non dilatari: ſic enim indicitur Seſſ. 24. Cap. 4. „ Sancta Synodus, graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione „ contractam inducitur, & Matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & „ ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit. In ulterioribus vero gradibus ſtatuit, hujuſmodi affinitatem Matrimonium poſtea contractum non dirimere “.

CAPUT DECIMUM.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Affinitatis triplex ſpecies.*
II. *Matrimonium Privigni cum uxore vitrici validum.*
III. *Modus cognoſcendi gradus affinitatis.*
IV. *Separatio unius Matrimonii non infert alterius ſeparationem, ſi duæ ſorores duobus fratribus nupſerint.*

Conſectarium Primum.

I. IN jure antiquo, tum civili, tum canonico triplex ſtatuebatur affinitatis ſpecies. Prima, una dumtaxat mediante perſona. Altera duobus mediantibus. Tertia tribus. Quod nonniſi exemplo de-

declarari poteſt. Marcus Lucæ frater Matrimonium celebrat, & conſummat cum Franciſca; hæc ſtatim affinis evadit in primo gradu cum Luca, & etiam modo fieri conſtat. Deinde defuncto Marco Franciſca Dominico nubit, qui ſtatim cum Luca, ceteriſque conſanguineis Marci defuncti affinitatem ſecundæ ſpeciei contrahebat. Denique mortua Franciſca Dominicus Matrimonium contrahebat cum Antonia, quæ pariter cum Luca, & omnibus conſanguineis Marci tertio affinitatis gradu jungebatur. Harum affinitatum quælibet Matrimonium impediebat. Sed Innocent. III. ut ſuperiori Capite vidimus, ſecundam, & tertiam affinitatis ſpeciem omnino abolevit, & abrogavit, ac primam ſolum obtinere conſtituit. Hinc ſequitur

Conſectarium Secundum.

II. Matrimonium privigni cum uxore vitrici, ſicut & novercæ cum Marito privignæ validum eſt. Hujuſce Matrimonii nullitatem conſtitutam a jure civili obſervat Bened. XIV. de Synod. lib. 9. cap. 12., quod a jure canonico minime correctum fuiſſe plures exiſtimabant juriſperiti doctores, quippe qui arbitrabantur, jus quidem civile ab Innoc. III. emendatum, & abolitum fuiſſe quoad affinitatem primæ, & ſecundæ ſpeciei in linea ſolum collateralium, non aſcendentium, & deſcendentium. Verum hanc opinionem minime veram eſſe declaratum fuit, re accuratiſſime perpenſa, & auditis votis plurium & Theologorum, & juriſtarum a Sacra Congregatione, quæ præfatum Matrimonium validum pronuntiavit, ut videre eſt in Theſ. Reſolut. Tom. 1. pag. 101. Edit. Remond. Et merito: quia, ut oſtendit laud. Pontifex, ab Innocent. III. omnis affinitas ſecundæ, & tertiæ ſpeciei omnino ablata eſt in quacumque linea; & præfata affinitas eſt ſecundæ ſpeciei omnino abolitæ. Nec locum habere poteſt aliud impedimentum publicæ honeſtatis, quod cum conſurgat ex Matrimonio ſolum rato, ſi hoc ſit conſummatum, vel veram producit affinitatem, vel nulli alteri impedimento locum præbet. Legantur tum expoſita in laudata Reſolutione Concilii, tum quæ habet Lambertinus l. l. Synodi, & quæſtionem in plena luce locatam quiſque perſpiciet.

Conſectarium Tertium.

III. Sine ſchemate, ſeu Arbore affinitatis facile cognoſci poterit gradus affinitatis hac methodo plane materiali, & clara. Jungantur ambæ manus in modum ſupplicantis, deinde in pollice dexteræ figatur maritus, in levæ uxor, in aliis digitis dexteræ conſanguinei Mariti, in aliis levæ conſanguinei uxoris; & ſtatim perſpectum erit, omnes conſanguineos Mariti fieri affines uxoris juxta gradum conſanguinitatis, quem obtinent, & vice verſa omnes uxoris conſanguineos affinitate conjungi Marito in pari gradu. At bene advertas (in quo facile errant nedum Tyrones, ſed aliquando & ipſi Parochi) inter præfatos conſanguineos utriuſque partis nullam exurgere, aut intercedere affinitatem. Tota hæc doctrina decreto innititur Innoc. III. toties laudati Cap. *Quod ſuper bis* Extra, de *Conſang. & Affinit.* ſtatuentis: „ Super eo, quod Pater & Filius cum Matre & „ Filia, & duo cognati cum duabus cognatis, a„ vunculus & nepos cum duabus ſororibus contra„ hant Matrimonium, taliter tibi duximus reſ„ pondendum. Quod licet omnes conſanguinei u„ xoris ſint viri affines; inter conſanguineos tamen „ uxoris, & viri, ex eorumdem ſcilicet viri, & „ uxoris conjugio, nulla prorſus affinitas eſt con„ tracta, propter quam inter eos debeat Matri„ monium impediri “.

Conſectarium Quartum.

IV. Si duo fratres duas ſorores ſibi Matrimonio copulaverint; licet alterutrius Matrimonium ſeparetur ob affinitatis, vel conſanguinitatis impedimentum, alter tamen frater ab uxore ſua minime eſt ſejungendus. Ita docet D. Thom. hic art. 9. ad 3. ſcribens: „ Res inter alios acta alii non præ„ judicat in foro contentioſo. Unde quamvis unus „ frater repellatur a Matrimonio unius ſororum „ ex cauſa conſanguinitatis; non propter hoc ſe„ parat Eccleſia aliud Matrimonium, quod non „ accuſatur. Sed in foro conſcientiæ non oportet, „ quod ſemper obligetur ob hoc alius frater ad „ dimittendam uxorem ſuam: quia frequenter ta„ les accuſationes ex malevolentia procedunt, & „ per falſos teſtes probantur. Unde non oportet, „ quod conſcientiam ſuam informet ex his, quæ „ circa aliud Matrimonium ſunt facta. Sed diſtin„ guendum videtur in hoc: quia aut habet cer„ tam cognitionem de impedimento Matrimonii, „ aut opinionem, aut neutrum: Si primo modo, „ nec exigere, nec reddere debitum debet: Si ſe„ cundo modo, debet reddere, ſed non exigere: „ Si tertio, poteſt & reddere, & exigere “.

CAPUT UNDECIMUM.

De Impedimento publicæ honeſtatis.

D o c t r i n a.

I. *Publicæ honeſtatis definitio ex D. Thom.*
II. *Ortum ducit ex ſponſalibus validis.*
III. *Et ex Matrimonio rato.*
IV. *Extenditur uſque ad quartum gradum.*
V. *Quando non oriatur impedimentum publicæ honeſtatis.*
VI. *Oritur ex Matrimonio clandeſtino.*
VII. *Et ſi oritur ex Matrimonio rato, ſed nullo, ſe extendit uſque ad quartum gradum.*
VIII. *Impedimentum publicæ honeſtatis perpetuum eſt.*

I. HOc publicæ honeſtatis impedimentum aliis conſanguinitatis, & affinitatis impedimentis conjungo: quia licet diverſi plane generis, tamen ad illa aliquo modo reducitur. Definitur autem juſtitia publicæ honeſtatis a D. Thom. hic art. 4. *propinquitas ex ſponſalibus proveniens, robur trahens ex Eccleſiæ inſtitutione, propter ejus honeſtatem.* Ex qua definitione duo patent, ſubdit S. D. nimirum 1. hoc impedimentum Eccleſiæ inſtitutione, non jure naturali inductum; 2. ex honeſtate naturali petitum, quia indecens videtur, filium in uxorem accipere mulierem patri ſuo deſpon-

ponſatam; vel ſororem viro nubere, ſorori ſuæ per verba de futuro deſponſatio: multoque magis, ſi & de præſenti, licet invalide, Matrimonium celebratum inter eos fuiſſet. Proinde & in jure civili ſtatuitur, & apud Gentiles locum habuit.

II. Oritur itaque hoc impedimentum primo ex ſponſalibus, ſed validis: ſi enim quocumque titulo & ratione nulla ſint, illud non inducunt, ut declaravit Tridentina Synodus ſeſſ. 24. de Refor. c. 3. ſtatuens: „ Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia *quacumque ratione* valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tollit “. Si igitur valida ſint ſponſalia, oritur quidem publicæ honeſtatis impedimentum, at hoc ultra primum gradum non progreditur: ſubdit enim laudata S. Synodus: „ Ubi vero valida fuerint, *primum gradum non excedat*; quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari “. Semel tamen contractum impedimentum in perpetuum permanet, nec aut ipſorum ſponſalium diſſolutione, aut morte ſponſi, vel ſponſæ tollitur, ut decernitur in Can. *Si quis deſponſaverit* cauſa 27. quæſt. 2. Oritur autem etiam ex ſponſalibus clandeſtinis, quippe quia ſponſalia nullam de ſe poſtulant ſolemnitatem, niſi forte in aliqua Diœceſi, vel Provincia decretum fuiſſet, hujuſmodi ſponſalia clandeſtina nullius eſſe valoris, & roboris: tunc enim clandeſtine inita nullum inducerent impedimentum juxta Tridentini ſtatutum, declarantis ſponſalia, quacumque ratione invalida, non inducere publicæ honeſtatis impedimentum.

III. Oritur ex Matrimonio rato, & in faciem Eccleſiæ celebrato ante ejus conſummationem: nam ex Matrimonio conſummato non publicæ honeſtatis, ſed affinitatis oritur impedimentum, ut cap. præced. conſect. 2. diximus. Ut vero Matrimonium hoc inducat impedimentum, neceſſe non eſt, ut ſit validum, ſed, licet invalidum ex impedimentis conſanguinitatis, vel affinitatis, voti, Ordinis, impotentiæ &c. tamen illud producit. Solum ſi invalidum ſit ex defectu conſenſus, ab hoc impedimento liberat. Primæ partis ratio eſt, quia ut mox videbimus, a S. Pio V. declaratum fuit, jus vetus quoad hoc impedimentum nullo modo fuiſſe immutatum, vel imminutum a Decreto Concilii Tridentini. Porro certum eſt ex veteri jure Matrimonium ratum, etiam invalidum (excepta invaliditate ex defectu conſenſus) hoc induxiſſe impedimentum; ut conſtat ex cap. Unic. de ſponſ. & Matrim. in 6. & declaravit Bonif. VIII. „ Defectum veri conſenſus, per quem nullum eſt Matrimonium, etiam publicæ honeſtatis impedimentum tollere; ex præfatis canonibus, & Reſcriptis præſertim Bonifacii VIII. conſtat, quibus nunquam eſt derogatum “.

IV. Hoc impedimentum extenditur uſque ad quartum gradum, ſicut affinitas. Ita declaravit S. Pius V. Nam orta controverſia, num ſuperius allatum decretum Tridentini Concilii de ſponſalibus eſſet etiam intelligendum de Matrimonio rato, laud. Pontifex eam dirimit, ſic ſtatuens: „ Motu proprio, & auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus, & definimus, Decretum Concilii hujuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro dumtaxat, non autem in Matrimonio, ut ſic præfertur, contracto: ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat; & ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque ſtatuimus “. Cum igitur ex jure veteri hoc impedimentum extenderetur uſque ad quartum gradum conſanguinitatis, & in præſenti diſciplina idem obtinere dicendum eſt.

V. Hinc ex Matrimonio nullo ob impedimentum erroris, vel metus, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis; cum Matrimonia nulla ſint ex defectu conſenſus: quia errantis nullus eſt conſenſus, nulla voluntas; & qui ex metu Matrimonium celebrat, non ſponte, & libere, ut opus eſt, conſentit. Præterea nec in præcedentium ſponſalium detrimentum, Matrimonium invalidum impedimentum inducit publicæ honeſtatis. Sit exemplum: ſponſalia valida contraxiſti cum Franciſca; deinde Matrimonium ratum celebras cum Dominica ejus ſorore: potes Franciſcam abſque ullo impedimento in uxorem ducere; nam Matrimonium cum Dominica nullum fuit ob impedimentum publicæ honeſtatis, quod proinde impedire non poteſt, quo minus promiſſionem Franciſcæ factam non impleas. Quod ſi Matrimonium non celebraverit ſolum, ſed & conſummaverit; cum priore ſponſa contrahere Matrimonium non poterit, non ob publicam honeſtatem, ſed ob affinitatem & in primo gradu ex copula illicita exorientem.

VI. Si vero Matrimonium nullum ſit ex defectu clandeſtinitatis, dubitant Theologi, num inducat impedimentum publicæ honeſtatis. Negat Sanchezius, quia putat hoc Matrimonium nullum eſſe ex defectu conſenſus, non quidem abſolute, ſed qualis ab Eccleſia requiritur, quæ non qualemcumque conſenſum poſtulat, ſed præſtitum coram Parocho, & Teſtibus. Illi aſſentitur & Natalis Alexander hic Reg. 5. ſed alia plane ratione, quia nimirum hoc Matrimonium nec vim habet ſponſalium; & Tridentinum Concilium eos, qui clandeſtine Matrimonium inire volunt, omnino inhabiles reddit ad ſic contraendum. At alii ex oppoſito ex juris Canonici Doctoribus Fagnanus, & Cabaſſutius, Guttierez, ex Theologis, Salmanticenſes, Bonacina, Leander, Concina probabilius docent, etiam ex Matrimonio clandeſtino præfatum oriri impedimentum; cum & in ipſo verus habeatur conſenſus, qualis progredi poteſt libere ab humana voluntate, licet illegitimus ſit, & ineptus ad valorem Matrimonii ex defectu, non in ipſo conſenſu exiſtente, ſed ex exterioribus circumſtantiis a Concilio conſtitutis, præſentiæ ſcilicet Parochi, & teſtium. Unde corruit ratio Sanchezii. Nec urget ratio Natalis Alexandri. Nam licet nec vim ſponſalium habeat, per hoc non tollitur, quod in ſe requiſita ad Matrimonium non habeat; ut reperiuntur etiam in conſanguineo Matrimonium celebrante, cujus tamen Matrimonium certe nec vim habet ſponſalium: ſicut ex eo, quod ad ſic contrahendum inepti declarentur a Concilio, non ſequitur, quod contrahere non attentaverint; proinde non tollitur, quod ex tali Matrimonio impedimentum honeſtatis publicæ progrediatur.

VII. Falſa eſt etiam, & improbabilis illorum opi-

opinio, qui cenſent Matrimonium ratum, ſed nullum, non inducere impedimentum publicæ honeſtatis, niſi in primo gradu; eo quia arbitrantur, tum vim habere ſponſalium, & ita cenſet Cabaſſutius. Nam non omnia Matrimonia nulla vim obtinere poſſunt ſponſalium: ut patet in Matrimonio nullo vel ob conſanguinitatem, vel ob votum, vel propter impedimentum ligaminis; nec non Matrimonium clandeſtinum, quod nec vim ſponſalium habere declaravit Sacra Congregatio Concilii. Præterea etiamſi hujuſmodi vim haberet, nihil impedit tamen, ne decreto & declarationi ſubjaceat S. Pii V. ſtatuentis, impedimentum publicæ honeſtatis ex Matrimonio nullo conſurgens juxta antiquoris juris ſtatuta ſe extendere uſque ad quartum gradum; proinde non eſt ab hac doctrina recedendum.

VIII. Hoc pariter impedimentum ſemel contractum perpetuum eſt, nec ceſſat vel ob diſſolutionem Matrimoniis, vel ob mortem conjugis, cujus tamen ſolos afficit conſanguineos, non affines. Hinc licet Paulus, qui Matrimonium nullum contraxit cum Paula, non poſſit Juliam ejus ſororem, utpote conſanguineam in primo gradu, in Matrimonium ducere; viduam tamen Petri ducere poteſt, quippe quæ Juliæ non conſanguinea eſt, ſed affinis ſolum, licet in primo gradu. Nomine autem conſanguineorum hic intelliguntur etiam illegitimi: nam conſanguinitas, affinitas, & cognatio ſpiritualis æque cum illegitimis contrahuntur, ac cum legitimis: & quia licet illegitimi quoad civiles aliquos effectus non reputentur pro filiis, in Matrimonio tamen, in quo juſtitia publicæ honeſtatis, & pudor inſpicienda ſunt, pro filiis habentur. Hinc qui ſponſalia celebravit cum filia legitima, non poteſt Matrimonium inire cum alia ejuſdem Patris filia, licet ex fornicatione orta, non ex Matrimonio.

CAPUT DUODECIMUM.

De Impedimento Criminis.

DOCTRINA.

I. *Quot modis committatur crimen Matrimonium dirimens.*
II. *Quando conjugicidium dirimat Matrimonium.*
III. *Quando adulterium cum conjugicidio.*
IV. *Notanda circa hæc crimina.*
V. *Quando adulterium cum Matrimonio.*
VI. *Quando adulterium cum promiſſione Matrimonii.*
VII. *Sola promiſſio Matrimonii ſine adulterio impedimentum non inducit.*

I. EST hoc impedimentum criminis a ſolo jure eccleſiaſtico inductum: nam jure naturali Matrimonium non impedit: ſcimus enim David Bethſabeam adulterio maculaſſe, & Uriam maritum ejus occidiſſe, ut illam ſibi matrimonio copularet, qui de utroque peccato fuit quidem admonitus, & ad pœnitentiam a Propheta provocatus, tamen ut ab hoc Matrimonio abſtineret, minime juſſus eſt. De illo itaque judicandum eſt juxta Eccleſiæ ſtatuta, & decreta. Porro quatuor modis crimen committi poſſe ſtatuitur, quod Matrimonium contrahendum impediat, & contractum dirimat: ſcilicet 1. Conjugicidium. 2. Conjugicidium cum adulterio. 3. Adulterium cum futuri Matrimonii promiſſione. 4. Adulterium cum Matrimonio. Singula explicabimus.

II. Conjugicidium, ut dirimens inducat impedimentum, plura requirit. 1. Ut ambo conjuges conſpirent in alterius ſive uxoris, ſive mariti mortem. 2. Ut hæc conſpiratio fiat animo, & voluntate Matrimonium contrahendi. 3. Ut hæc futuri Matrimonii intentio utrique parti innoteſcat. 4. Ut mors revera ſequatur ex actione conſpirativa. Ex defectu itaque primæ conditionis occiſio viri, vel uxoris non inducit hoc impedimentum, ſi unus, altero inſcio, mortem conjugis machinetur, & perficiat. Ex defectu ſecundæ conditionis non inducit, ſi mortem machinentur non animo contrahendi, ſed ut liberius ſimul fornicentur; vel ut ſe liberent a conjugis eorum impudicam neceſſitudinem impedientis, vel vindictam quærentis moleſtia, & timore. Ex tertiæ conditionis defectu: nam ſi hæc intentio futuri Matrimonii utrique non innoteſcat, non habetur conſpiratio, vel machinatio mutua in mortem alterius intentione futuri Matrimonii. Denique ex quartæ conditionis defectu non conſurgit impedimentum criminis, ſi ſola habeatur conjugis percuſſio, vulneratio, veneni propinatio, ſed non ſit mors ſecuta. Immo & ſi hæc evenerit quidem, at non ex actione rei, puta percuſſione, vel vulneratione; ſed ex imperitia Medici, vel Chirurgi imperite vulnerato medentis. Nam canones, qui de machinatione loquuntur, ſunt ſemper intelligendi effectu ſecuto, ut docet S. Thom. in IV. diſt. 35. & diſt. 41. art. 4. q. 3. ad 2. dicens: „ Quando aliquis cum ali-„ qua conjugata concubuit, & ex hoc machina-„ tur mortem viri cum *effectu*; tunc ad invicem „ contrahere non debent, & ſi contraxerint, ſepa-„ rentur “. Ubi, ſi D. Thom. requirit effectum ſecutæ mortis, quando præceſſit adulterium, multo magis quando non præceſſit.

III. Alterum crimen eſt adulterium cum homicidio. Et in hoc quoque ſunt aliquæ attendendæ conditiones, quibus deficientibus non inducitur impedimentum dirimens. 1. Ut occiſio ſit ex intentione contrahendi Matrimonii cum adultero, vel adultera: licet altera pars vel non conſpiret, & machinetur in conjugis mortem; vel etiam ignoret occiſionem ea fuiſſe intentione peractam. 2. Ut adulterium occiſionem præcedat; ſi enim quis ſuæ uxori virus præbeat, etiam animo ducendi alterius uxorem, quam poſt ſuæ uxoris mortem ad adulterium allicit, non oritur impedimentum; ſecus vero ſi ante propriæ uxoris mortem cum illa mœchetur. 3. Ut adulterium ſit perfectum, & conſummatum, quantum requiritur ad veri Matrimonii conſummationem; per actus enim impudicos, præpoſteros, ſodomiticos adulterium proprie non habetur. 4. Ut matrimonium præcedens occiſionem verum fuerit, & validum: alioquin ſicut verum adulterium non habetur; ita nullum conſurgit impedimentum. 5. Ut adulter, & adultera proprium connubialem ſtatum agnoſcant: ſi enim alter cum conjugata, vel conjugato copuletur, putans ſolutum eſſe, vel ſolutam, non inducitur impedimentum. Denique requiritur, ſi-

ſicut dictum eſt in præcedente, ut mors & revera ſequatur, & ex actione ſequatur adulteri.

IV. In his tamen criminibus, in quibus intervenit homicidium, neceſſe non eſt ad inducendum impedimentum, ut habeatur futuri Matrimonii promiſſio. 2. Nec utraque pars ſit fidelis: ſi enim mulier chriſtiana virum ſuum occidat, ut nubere poſſit cum infideli mox ad fidem convertendo; nullum erit ſubſequens Matrimonium. 3. Nec opus eſt, ut vir interficiatur propria ipſorum manu; ſed ſufficit, ſi per alium, vel mandato, vel conſilio, vel cooperatione in homicidium influant. 4. Omnino idem eſt, ſive vir uxorem interficiat, ſive uxor virum, licet oppoſitum ſentiant cum Ledeſma nonnulli alii Theologi; cum in jure Cap. *Si quis vivente* 31. q. 1. ſtatuatur, non minus viricidium, quam uxoricidium Matrimonium dirimere. 5. Ad inducendum impedimentum non ſufficere ratihabitionem homicidii ab alio facti, dummodo nulla intervenerit cooperatio; quia cum impedimenta odioſa ſint, ultra canonum verba extendi non debent.

V. Tertium crimen conſurgit ex Matrimonio cum adulterio, quando ſcilicet quis ſcienter, vivente adhuc propria uxore, vel marito, cum alio, vel alia Matrimonium contrahit: quod quidem tunc nullum omnino eſt; ſed etiam poſt mortem conjugis validum reddi non poteſt, nec valent ſimul valido connubio copulari ob criminis impedimentum: ad quod inducendum & hæ ſunt requiſitæ conditiones, nimirum 1. ut ſecundum Matrimonium (ſi tamen hoc meretur nomen, & non potius dici debeat adulterinus concubitus) fuerit conſummatum: nam ſi vel ſolum ratum ſit, vel ſolum poſt mortem legitimi conjugis conſummatum, impedimento locum non præbet; cum in jure dicatur: „ quamvis utrique eorum pro eo, quod in „ hoc graviter deliquerint, ſit pœnitentia injun- „ genda, non eſt tamen Matrimonium, quod adul- „ ter poſt uxoris obitum cum adultera contraxit, „ dirimendum “. 2. Ut quæ cum adultero contrahit, ejus cum altera Matrimonium noverit: nam ſi bona fide contrahat, putans liberum eſſe, poteſt poſt obitum uxoris, ſi voluerit, contrahere; immo tenebitur adulter eam ducere, quam turpiter fefelli: quia non æquum eſt, ut qui ſcienter contra canones venit, lucrum de ſuo dolo reportet, ut habetur in Jure cap. 2. 3. Requiritur, ut primum Matrimonium validum fuerit, alioquin deeſt adulterium. At neceſſe non eſt, ut ſecundum Matrimonium ſit in facie Eccleſiæ celebratum, ſed ſufficit clandeſtinum ad inducendum impedimentum; cum jam hoc ſecundum Matrimonium nunquam validum eſſe potuerit, licet coram Parocho, & teſtibus celebratum.

VI. Quartum denique crimen oritur ex adulterio cum promiſſione futuri Matrimonii; itaut nec ſola promiſſio, nec ſolum ſufficiat adulterium, ſed hæc duo requirantur ad hoc inducendum impedimentum. In quo pariter plura ſunt notanda. 1. Neceſſe eſt, ut promiſſio ſit ab altero adultero vel expreſſe, vel tacite, vel virtualiter acceptata; ſine enim acceptatione validitatem non obtinet: & hæc acceptatio ſit ſigno exteriori manifeſtata; merum enim ſilentium non ſufficeret: nam in rebus, quæ nocumentum afferunt, ſilentium pro conſenſu non præſumitur; & cum agatur de pœna infligenda a lege humana, hæc in meros internos actus locum non habet: non eſt tamen neceſſe ut ſit mutua. 2. Ut hæc promiſſio non ſit ante adulterium revocata; tunc enim perinde ſe haberet, ac ſi facta minime fuiſſet. 3. Ut promiſſio ſit cum adulterio utrique parti cognito; non enim ſufficeret, ſi alter alterius conjugium ignoraret. Hinc vir, qui bona fide credens uxorem ſuam mortuam eſſe, promittat mulieri ſolutæ, vel quæ ſoluta exiſtimatur, Matrimonium ſub conditione copulæ concedendæ, nullum ex hoc conſurgeret impedimentum. 4. Non eſt tamen neceſſe, ut promiſſio ſit vera, ſeu ex animo facta; ſed ſufficit etiam, ſi ſit ficta: nam cum hæc fictio ſit alteri ignota: æque illi valet, ac ſi ſincera foret; nec minus ac iſta, ad adulterium, & homicidium valet impellere. 5. Sicut nec quod ſit pura, & abſoluta, ſed ſufficit conditionata: ut ſi quis alterius uxori adulterio ab ipſo pollutæ promittat Matrimonium poſt obitum viri ea conditione, ut centum aureos pro dote ſolvat: ſive enim conditio impleatur, ſive non impleatur, impedimentum inducit; cum non minus moveat ad novum adulterium, & ad mariti mortem deſiderandam, vel procurandam. 6. Nihil refert, quod promiſſio vel ſequatur, vel præcedat adulterium, immo longo intervallo inter ſe diſtent; cum ſatis ſit utrumque poſitum fuiſſe, quod ab Eccleſia prohibetur, ut videre eſt in Reſp. Greg. IX. num. ſeq. recitanda. 7. Nec tollitur hoc impedimentum, licet promiſſionem factam revocet; vel alter poſt acceptationem rejiciat, patrato jam adulterio: quia contractum eſt impedimentum, quod avertere amplius non valent. 8. Neceſſe eſt quidem, ut validum ſit Matrimonium, alioquin locum non haberet adulterium; non tamen neceſſe eſt, ut, vir, & uxor ſimul cohabitent: immo nec quod Matrimonium unquam conſummaverint, ſed ſolum fuerit ratum, cum tunc ſolum locum habeat verum adulterium.

VII. Denique qui vivente viro ejus uxori Matrimonium promittit poſt ejus obitum, nec adulterium vel præceſſerit, vel ſecutum ſit, graviter quidem peccat, at impedimento criminis non ſubjacet. Ita ſtatuitur in Jure ex Reſpon. Gregor. IX. Cap. *Si quis*, Extra. de excom. ubi ſcribit Pontifex: „ Si quis uxore vivente fide data pro- „ miſit aliam ſe ducturum, vel cum ipſa de facto „ contraxit, ſi nec ante, nec poſt (legitima ejus „ ſuperſtite) cognovit eamdem, quamvis utrique „ ipſorum pro eo, quod in hoc graviter delique- „ rit, ſit Pœnitentia injungenda, non eſt tamen „ Matrimonium, quod cum ea contraxit, poſt u- „ xoris obitum dirimendum. Ceterum tolerari non „ debet, ſi prius, vel poſtea, dum vixerit uxor „ ipſius, illam adulterio polluiſſet “.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De Impedimentis Ligaminis, & Coactionis.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit Ligamen.*

II. *Donec certa non ſit conjugis mors, non licet alteri Matrimonium inire.*

III. *Initum ex falſa notitia mortis nullum eſt.*

IV. *De vi , & metu impedientibus Matrimonium Regulæ ſtatuuntur .*

I. IMpedimentum *Ligaminis* non ex jure Eccleſiaſtico, ſed Divino ortum habet ; cum Polygamiam inducat , quæ juri divino adverſatur . Ligamen enim ſignificat vinculum legitimum cum aliquo contracti Matrimonii , quo durante , cum ſit indiſſolubile , quodcumque aliud Matrimonium & contrahendum impedit , & dirimit contractum . In hoc vero nec ulla eſt dubitatio , nec ulla difficultas . Solum breviter dicemus de Muliere , quæ putans abſentem virum eſſe mortuum , novum tentat inire Matrimonium ; & de illa , quæ falſo de mariti morte admonita cum alio nubit .

II. De priori itaque ſtatutum eſt in jure canonico ex Reſpon. Clementis III. Cap. *In præſentia* Extra. de ſponſ. & Matr. „ Mulieres , quæ viros „ ſuos cauſa captivitatis , vel peregrinationis ab„ ſentes , ultra ſeptennium præſtolatæ fuerunt , „ nec certificari poſſunt de vita , & morte ipſo„ rum , licet ſuper hoc ſollicitudinem adhibue„ rint diligentem , & pro juvenili ætate , ſeu fra„ gilitate carnis nequeunt continere , quare pu„ tant aliis copulari : Reſpondemus , quod quanto„ cumque annorum numero ita remaneant , viven„ tibus viris ſuis non poſſunt ad aliorum conſor„ tium canonice convolare ; nec auctoritate Eccle„ ſiæ permittas contrahere , donec certum reci„ piant nuntium de morte virorum “. Porro certitudo de morte virorum conſtare debet ex idoneis teſtibus, & documentis Ordinario exhibendis , & ab ipſo expendendis ; nec ſine ejus conceſſione licebit Matrimonium celebrare.

III. Conjugati vero , qui ex falſo nuntio , vel præſumptione aliud inire Matrimonium , in duplici differentia ſpectari poſſunt : nimirum vel aliquo tanguntur prudenti dubio de prioris conjugis vita ; vel bona fide in eo , quod celebrarunt , Matrimonio perſeverant . De prioribus ſtatuit Lucius III. Cap. *Dominus* Extra. de ſecund. Nupt. „ Nullus „ ad ſecundas nuptias migrare præſumat , donec „ ei conſtet , quod ab hac vita migraverit conjux „ ejus . Si vero aliquis , vel aliqua id hactenus „ non ſervavit , & de morte prioris conjugis adhuc „ ſibi exiſtimat dubitandum ; ei , qui ſibi nu„ pſit , debitum non deneget poſtulanti , quę a ſe „ tamen noverit nullatenus exigendum “ . Qui vero bona fide & Matrimonium contraxere , & in eo perſeverant , non peccarent contrahendo , ut declarat S. Leo epiſt. ad Nicetam Aquilejenſem ſcribens : „ Nec culpabilis judicetur, nec tanquam a„ lieni juris pervaſor habeatur, qui perſonam ejus „ mariti , quem jam non eſſe exiſtimabat , aſſum„ pſit : Nec cauſam habent, unde a Matrimonia„ libus officiis abſtinere debeant “ . At ſi forte contingat , vel certum nuntium haberi de eorum vita , vel ipſos ſe exhibere , & manifeſtare ; in primo caſu ſtatim Matrimonium , licet bona fide contractum , dirimitur ; & conjuges ab invicem ſecedere , & ſeparari debent , ac uxores in poſteriori ad ſuos priores viros revertit . Ita ſtatuunt jus naturale , & divinum , ex quibus oritur indiſſolubilitas Matrimonii ; & confirmavit jus canonicum per os Lucii III. Cap. *Dominus* Extra. de ſecund. Nupt. dicentis : „ Quod ſi poſthac de prioris con„ jugis vita conſtiterit , relictis adulterinis com„ plexibus , ad priorem conjugem revertantur “ . Adulterinos vocat amplexus , non notitiam præcedentes vitæ prioris conjugis , ſed ſubſequentes , ſi in nullo Matrimonio permanere velint . Idem ſtatuit & S. Leo laud. epiſt. ad Nicetam . Quod ſi ex hoc ſecundo Matrimonio , bona fide contracto , nati ſint filii , ceu legitimi habendi ſunt ; ut docet S. Raymundus lib. 4. Summæ ſcribens : „ Pone , „ quod uxor credat virum mortuum , & contrahit „ cum alio . Dic , quandiu ita credit , nec il„ le revertitur , excuſatur ab adulterio propter „ ignorantiam facti : at filii , ſi quos ex ſecundo „ ſuſcepit , judicentur legitimi “ .

IV. De vi vero , coactione , & metu , quæ verba in hoc argumento idem ſonant , ſatis abunde diximus pluribus aliis in locis . Nam de metu , ejuſque diſtinctionibus diximus in Tract. de Contract. diſſ. 1. cap. 4. & 5. Quando vero contractus , & Matrimonia ex metu gravi exorta , vel nulla ſint , vel valida , diximus ibidem ; proinde univerſales tantum Regulas ibi traditas ſic Matrimonio aptamus , ibidem tamen legendas .

Regula Prima.

Metus incuſſus ab intrinſeca cauſa non impedit , nec dirimit Matrimonium . Ib. cap. 3. Reg. 1. n. 8. & cap. 4. Confect. 8.

Regula Secunda .

Metus juſte incuſſus a cauſa libera , etiam ad extorquendum Matrimonium , hoc non impedit , nec dirimit : ſic judex poteſt metu mortis , vel perpetui carceris cogere ſtupratorem ad ſibi deſponſandam puellam , quam decipiens defloraverat . Ib. Reg. 5. n. 12.

Regula Tertia .

Metus injuſte incuſſus , ſive ad extorquendum conſenſum , ſive ob aliam cauſam , eſt impedimentum impediens , & dirimens Matrimonium . Ib. Reg. *6.* n. 13. & cap. 4. Confect. 11.

Regula Quarta .

Si metus ſit incuſſus non ab altero contrahente , ſed a tertia aliqua perſona , Matrimonium & impedit , & dirimit . Ib. Confect. 10.

Regula Quinta .

Timor levis, aut reverentialis nec impedit , nec dirimit Matrimonium . De timore levi doctrina datur ib. Reg. 8. n. 3. a qua tamen eſt excipiendum Matrimonium , cum hoc ſit ex natura ſua indiſſolubile . De timore vero reverentiali ib. Reg. *9.* n. *16.* & cap. ſeq. Confect. 12.

CA-

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

De Impedimento Impotentiæ.

DOCTRINA.

I. *Duplex impotentia ad Matrimonium.*
II. *Cur impotentia coeundi dirimat Matrimonium.*
III. *Impotentiæ variæ diviſiones.*
IV. *Quid ad veram impotentiam requiratur.*
V. *Quo jure impotentia dirimat Matrimonium.*
VI. *In dubio impotentiæ perpetuæ quid agendum.*
VII. *Impotentia temporanea, vel ſuperveniens Matrimonio illud non dirimit.*
VIII. *Quid de impotentia reſpectiva ſentiat D. Thomas.*
IX. *Quæ ſi tolli non poteſt, dirimit Matrimonium.*
X. *Quando impotentia ab extrinſeca procedens cauſa dirimat Matrimonium.*

I. DUplex haberi poteſt in ſubjecto impotentia, alia ad *contrahendum*; alia ad Matrimonium contractum *conſummandum*. Prima oritur vel ex amentia, vel ex defectu ætatis, & de hoc ſatis diximus de Contract. cap. 5. n. 3. & de Sponſal. cap. 3. n. 1. & Diff. 2. de Matrim. cap. 4. n. 2. Solum igitur ſupereſt, ut de poſteriore impotentia diſputemus.

II. De hac itaque ſic ſcribit D. Th. hic q. 58. art. 1. „ In Matrimonio eſt contractus quidam, „ quo unus alteri obligatur ad debitum carnale ſol- „ vendum. Unde ſicut in aliis contractibus non eſt „ conveniens obligatio, ſi aliquis ſe obliget ad hoc, „ quod non poteſt dare, vel facere: ita non eſt „ conveniens Matrimonii contractus, ſi fiat ab ali- „ quo, qui debitum carnale ſolvere non poſſit: & „ hoc impedimentum vocatur *impotentia coeundi* „ nomine generali.

III. Deinde duplicem diſtinguit S. D. impotentiam ex parte cauſæ efficientis, ſubdens: „ Quæ „ quidem (impotentia) eſſe poteſt vel a cauſa in- „ trinſeca naturali; aut a cauſa extrinſeca, & ac- „ cidentali, ſicut per maliſicium “. Impotentiam cauſa naturali provenientem rurſum dividit S. Th. „ in temporalem, cui poteſt ſubveniri remedio „ medicinæ, vel proceſſu ætatis, & tunc non ſol- „ vit Matrimonium; & in perpetuam, & ſolvit „ Matrimonium “. Præterea & aliam ſubindicat diviſionem impotentiæ in reſp. ad 5. quamvis non adprobare videatur, nimirum in *reſpectivam*, & *abſolutam*: per priorem impeditur quis, ut matrimoniale officium implere non poſſit cum virgine, at poſſit cum corrupta, vel vidua; per poſteriorem cum nulla. Ipſa impotentia reſpectiva adhuc diſtinguitur in reſpectivam quoad ſpeciem, puta in illo, qui non poteſt cum virgine, poteſt vero cum corrupta; & in reſpectivam in individuo, quia poteſt cum omni alia, ſive virgine, ſive corrupta, at non cum tali determinata.

IV. Porro ad veram impotentiam ſive a cauſa extrinſeca, ſive intrinſeca, ſive abſolutam, ſive reſpectivam neceſſario requiritur, ut vel non valeat vir vas fœmineum penetrare; vel ſi penetret, ſemen intra illud effundere non poſſit: & hæc impotentia, ſi nullo poſſit tolli naturali, & humano remedio, Matrimonium contrahendum impedit, & contractum dirimit. Dixi, ſi humano, & naturali remedio tolli non poſſit: licet enim valeat auferri aut per miraculum, aut per aliquod peccatum, immedicabilis cenſetur, & Matrimonium dirimit.

V. Impotentia perpetua, ſi Matrimonium præcedat, & ſit vel in utroque, vel in alterutro, ſed alteri ignota, jure naturæ dirimit Matrimonium; at ſi alteri nota ſit, & comperta, ſpectato jure naturæ non impedit Matrimonium, bene tamen ſpectato jure poſitivo dirimit; ſed contracto bona fide Matrimonio non tenentur conjuges ab invicem cohabitatione ſeparari. Primam, & ſecundam partem docet S. Th. hic q. 58. art. 1. ad 4. ſcribens: „ In quolibet contractu hoc univerſaliter „ tenetur, quod ille, qui eſt impotens ad ſolven- „ dum aliquid, non reputetur idoneus ad contra- „ ctum illum, quo ſe obligat ad ejus ſolutionem. „ Eſt autem impotens dupliciter. Uno modo, „ quia non poteſt ſolvere de jure. Et ſic talis „ impotentia omnibus modis facit contractum eſ- „ ſe nullum, ſive ſciat ille, cum quo facit talem „ contractum, hanc impotentiam, ſive non. Alio „ modo, quia non ſit ſolvendo de facto. Et tunc „ ſi ſcit ille, cum quo contrahit, hanc impoten- „ tiam, & nihilominus contrahit, oſtendit, quod „ alium finem in contractu quærit: & ideo con- „ tractus ſtat: ſi autem neſcit, tunc contractus „ nullus eſt. Et ideo frigiditas, quæ cauſat ta- „ lem impotentiam, ut homo non poſſit de facto „ ſolvere debitum, ſicut & conditio ſervitutis, „ per quam non poteſt homo de facto libere red- „ dere, impediunt Matrimonium, quando alter „ ignorat hoc, quod alius non poteſt reddere de- „ bitum. Impedimentum autem, per quod quis „ non poteſt de jure reddere debitum, ut conſan- „ guinitas, annullat contractum Matrimonium, ſi- „ ve ſciat alter conjugum, ſive non “. Ita quidem jure inſpecto naturæ, immo & jure canonico: quandoquidem Eccleſia Romana, ut dicit Lambert. Deciſ. 225. T. 1. pag. 150. Edit. Remond. Matrimonium contractum cum ſcientia impotentiæ non conſuevit ſeparare juxta textum in cap. Conſultat. Tit. de Frigid. & Malef. at prævie ad celebrationem hæc Matrimonia tanquam nulla prohibentur: quia in jure impotentes inepti declarantur ad Matrimonium, nulla facta diſtinctione impotentiæ, ſive ignotæ, ſive cognitæ: & Sixtus V. omnia Spadonum Matrimonia irrita omnino declaravit. Tertia vero pars oſtenditur. Nam adhuc poſſunt ſimul cohabitare, tanquam frater, & ſoror, nullo habito carnali commercio; ut ex Lucii III. Papæ Decreto conſtat, ſtatuentis Cap. Conſul. Extra. de Frig. & Malef. „ Nos conſuluiſti, „ utrum fœminæ clauſæ, impotentes commiſceri „ maribus, Matrimonium poſſint contrahere; & ſi „ contraxerint, an debeat reſcindi: taliter reſpon- „ demus, quod licet incredibile videatur, quod „ aliquis cum talibus contrahat Matrimonium; „ Romana tamen Eccleſia conſuevit in conſimilibus „ judicare, ut quas tanquam uxores habere non „ poſſunt, habeant ut ſorores “.

VI. Quando dubium ſuboritur, num impotentia ſit perpetua, indicitur triennale experimentum, ut docet S. Th. hic q. 58. a. 1. ſcribens: „ Ad „ cognoſcendum, utrum ſit impedimentum perpe- „ tuum, vel non perpetuum, Eccleſia tempus de- „ ter-

„ terminatum adhibuit, in quo hujus rei poteſt „ eſſe experimentum, ſcilicet triennium. Quod ſi „ poſt triennium, in quo fideliter ex utraque par- „ te dederunt operam copulæ carnali implendæ, „ inveniatur Matrimonium non eſſe conſummatum, „ judicio Eccleſiæ diſſolvitur “. Ita ſtatuerat antea Cæleſt. Cap. *Laudabilem* extra de Frigid. & Malef. ſcribens cuidam Epiſcopo: „ Requiſiſti, „ quantum temporis indulgendum ſit naturaliter „ frigidis ad experientiam copulæ conjugalis. Nos „ vero in præſenti conſultatione ſentimus, ut a „ tempore celebrati conjugii, ſi frigiditas prius „ probari non poſſit, cohabitet per triennium, „ quo elapſo, ſi nec tunc cohabitare voluerint „ juxta Decretum Gregorii, & mulier per juſtum „ judicium de viro probare potuerit, quod cum „ ea coire non poſſit, accipiat alium, ſi autem il- „ le acceperit aliam, ſeparandi ſunt. Quod ſi ambo „ conſentiant ſimul eſſe, vir eam, etſi non ut „ uxorem, ſaltem habeat ut ſororem “.

VII. Impotentia temporanea, ſicut & quæ ſupervenit Matrimonio jam celebrato, illud minime dirimit. Ratio eſt manifeſta: nam Matrimonium ſemel celebratum ſecum indiſſolubilitatem affert; &, ut ſcribit Innocentius III. Cap. *Quoniam frequenter*: „ In conjugio multi caſus occurrunt, in „ quibus conjuges ſine culpa, ſed non ſine cauſa „ continere coguntur “. Quamobrem Nicolaus ad Carolum Moguntinum ſcribit: „ Hi, qui Ma- „ trimonium ſani contraxerint, & uni ex duobus „ aut furor, aut aliqua infirmitas acceſſerit, ob „ hanc infirmitatem conjugia talia ſolvi non poſ- „ ſunt: ſimiliter ſentiendum de iis, qui a Barba- „ ris exſecti fuerunt “.

VIII. Nulla reſpectiva impotentia, ex naturali procedens cauſa, S. Th. & antiquioribus Theologis videtur idonea ad Matrimonium dirimendum, ſi abſque gravi periculo tolli poſſit. Exemplum affert D. Th. qu. 58. art. 5. in fœmina ad copulam ob arctitudinem inepta ſcribens: „ Non pot- „ eſt eſſe impedimentum naturale viro reſpectu u- „ nius perſonæ, & non reſpectu alterius: ſed ſi „ non poſſit implere carnalem actum cum virgine, „ & tamen poſſit cum corrupta, tunc medicinali- „ ter aliquo inſtrumento poſſunt clauſtra pudoris „ frangi, & ei conjungi. Nec eſſet hoc contra na- „ turam, quia non fieret ad delectationem, ſed „ ad medicamentum “. Et revera ſi cum aliquo quidem incommodo, moleſtia, & dolore hujuſmodi tolli poſſit impedimentum, non eſt certe Matrimonium dirimendum. Ita ſtatuit, & declaravit Innoc. III. Cap. Fraternit. Extra. de Frigid. ſcribens Antiſiodorenſi Epiſcopo: „ Nos tamen perſ- „ picaciter attendentes, quod impedimentum illud „ (arctitudinis) non erat perpetuum .... & per o- „ pus humanum abſque periculo corporali potuit „ removeri, ſententiam divortii per errorem, li- „ cet probabilem, novimus eſſe prolatam. Cum „ pateat ex poſt facto, quando ipſa cognoſcibilis „ erat illi, cujus ſimili commiſcetur.

IX. At ſi revera impotentia reſpectiva vel nullo pacto tolli poteſt, vel ſine peccato, aut diſcrimine vitæ, juſtam præbet dirimendi Matrimonii cauſam. Quandoquidem Matrimonium eſt inter duas determinatas perſonas, quarum altera alteri jus in corpus ſuum præbet; proinde licet alterutra facultate non careat coeundi abſolute; ſi tamen cum hac non valeat matrimoniale officium explere, nullum erit Matrimonium. Et hæc doctrina paſſim locum habet in Eccleſiaſticis Tribunalibus, in quibus hæc Matrimonia ob reſpectivam impotentiam dirimuntur. At ſi ſit reſpectiva in individuo, ideſt reſpectu talis determinatæ perſonæ, utrique parti facultas conceditur alias nuptias celebrandi: ſi vero ſit in ſpecie parti impotenti interdicitur Matrimonium vel abſolute, vel ſaltem in tali ſpecie.

X. Quod ſi impotentia ſit a cauſa plane extrinſeca, ut a maleficio procedens, docet S. Th. art. 2. eſſe & hic diſtinctionem adhibendam: quia „ aut „ eſt perpetua, & tunc Matrimonium dirimit; aut „ non eſt perpetua, & tunc non dirimit “. Quod ſi dubium ſit, num perpetua ſit, an temporanea, ſubdit Angelicus: „ ad hoc experiendum eodem mo- „ do Eccleſia tempus triennii præfixit, ſicut de „ frigiditate dictum eſt “. Ubi & diſcrimen aſſignat inter impotentiam ab intrinſeco, & hanc ab extrinſeca cauſa procedentem, nimirum „ qui propter „ frigiditatem eſt impotens, ita eſt impotens ad „ unam, ſicut ad aliam (ſaltem in ſpecie): Et „ ideo quando Matrimonium dirimitur, non da- „ tur licentia ei, ut conjungatur alteri (ſaltem „ ejuſdem ſpeciei): Sed ex maleficio homo pot- „ eſt eſſe impotens ad unam, & non ad aliam: „ & ideo quando judicio Eccleſiæ Matrimonium „ dirimitur, utrique datur licentia, ut alteram „ copulam quærat “: ita ut, ſi poſtquam alias nuptias contraxerint, & ceſſante maleficio concumbendi ſit reſtituta facultas, non ſint nihilominus prioribus, quos reliquerant, conjungendi; ſicut ſtatuitur cauſa 33. q. 1. cap. 4.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

Conſectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quænam ſit impotentia dirimens Matrimonium.*
II. *Triennalis experientia quando locum habeat, & incipiat.*
III. *Aliquando Matrimonium diremptum eſt inſtaurandum.*
IV. *Non facile præſumendum Matrimonium maleficio impediri.*
V. *In dubio de valore Matrimonii eſt in ipſius favorem judicandum.*

Conſectarium Primum.

I. IMpotentia dirimens Matrimonium non eſt impotentia generandi, ſed coeundi. Veritas hujus doctrinæ patet in ſenibus, quorum Matrimonia valida ab Eccleſia habentur: quia licet generandi fortaſſis careant potentia, non tamen coeundi. Quod confirmat S. Thom. hic artic. 1. ad 3. ſcribens: „ Senes, quamvis quandoque non ha- „ beant caliditatem ſufficientem ad generandum; „ tamen habent ſufficientem ad carnalem copu- „ lam. Et ideo conceditur eis Matrimonium, „ ſecundum quod eſt in remedium; quamvis non „ competat eis, ſecundum quod eſt in officium na- „ turæ “.

Con-

Conſectarium Secundum.

II. Triennalis experientia locum non habet, quando impotentia eſt certa & comperta; quando vero indicitur, probabilius incipit, non a die intentatæ copulæ, ſed a die Decreti Judicis. Primæ partis ratio eſt: quia ubi certa, & comperta eſt phyſica impotentia, quia, puta, deſunt organa generationi neceſſaria, & inſervientia; fruſtra adhiberetur experimentum, nedum triennale, ſed diurnum. Alteri vero parti adverſantur plures Canoniſtæ, qui cenſent, triennalem experientiam incipere a prima die intentatæ copulæ. Et illis favere videtur lex Juſtiniani Novell. 22. de Nuptiis cap. 6. quam adoptavit Eccleſia in jure Canonico, & habetur in Decretali Cæleſt. III. Cap. *Laudabilem* de Frigid. & Malef. Sic autem ſtatuit Imperator: „ Non biennium numerari ſolum „ ex *ipſo tempore* copulationis, ſed triennium volumus. Edocti namque ſumus ex his, quæ ante hoc provenerunt, quoſdam amplius, quam „ biennium, tempus non valentes, poſtea potentes „ oſtenſos, miniſtrare filiorum procreationi". At alii putant, præfatam legem ab Eccleſia acceptatam quidem, ſed quatenus tempus, quod jure antiquo erat biennale, poſtea factum eſt triennale; at non quantum ad ejus initium. Et revera in pluribus tum Rotæ Deciſionibus, tum Sacræ Congregationis Concilii Decretis, temporis initium deſumendum dicitur a die ſententiæ Judicis, qui tamen rationem habere poteſt ad jam præteritum tempus, & triennii ſpatium juxta ſingulares circumſtantias breviare. Verum cum hæc ad externum forum pertineant, non ad internum, Judicibus Eccleſiaſticis eſt relinquenda deciſio.

Conſectarium Tertium.

III. Aliquando Matrimonium, Eccleſiæ auctoritate diremptum tanquam invalidum, eſt inſtaurandum, & conjuges iterum copulandi, licet ambo, vel alteruter aliud contraxerint Matrimonium. Nam ut docet Sanctus Thomas hic artic. 1. „ Si poſt triennium, in quo fideliter ex utraque „ parte dederunt operam copulæ carnali implendæ, inveniatur Matrimonium non eſſe conſummatum, judicio Eccleſiæ diſſolvitur. Et tamen „ in hoc quandoque Eccleſia errat: quia per triennium quandoque non ſufficienter experiri poteſt perpetuitas impotentiæ. Unde Eccleſia ſi ſe „ deceptam inveniat, per hoc quod ille in quo „ erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum alia, vel cum eadem perfeciſſe, reintegrat Matrimonium præcedens, & dirimit ſecundum, quamvis de ejus licentia ſit factum". Ratio autem eſt manifeſta: nam impedimentum ſolum per errorem perpetuum habitum eſt, cum revera in ſe eſſet temporarium; proinde indiſſolubilitati Matrimonii, ejuſque valori obſiſtere non valebat. Sed quid, ſi impedimentum ſit ſublatum per lethale peccatum, vel per miraculum, eſt ne prius Matrimonium reintegrandum? Negat Sanchezius, quem plures ſequuntur Theologi; quia, inquiunt, impedimentum, quod non niſi duobus præfatis modis auferri poteſt, merito pro perpetuo habetur; unde jure diſſolutum fuit, ſeu potius ejus nullitas in ſe comperta. Et huic doctrinæ quidem lubens conſentio quoad ſecundum modum, ſcilicet quando impotentia per miraculum tollitur; cum hoc ſit extra rerum naturalium ſeriem. At non ita quando tollitur per peccatum: nam cum ſit in ſe ſolum ens morale, phyſicum non poteſt auferre impedimentum. Hinc non crimen tollit impedimentum; ſed detegit non fuiſſe perpetuum. Rem exemplo illuſtro. Declaratum fuit nullum Matrimonium Titii poſt triennale experimentum, & quidem ob impotentiam abſolutam; cui proinde interdictum eſt Matrimonium cum alia quacumque: ſed poſt aliquot annos commercium habens cum fœmina plane illicitum ita generationi aptus detegitur, ut eam prægnantem effecerit: dicendum ne eſt, nullum fuiſſe primum Matrimonium ab Eccleſia diremptum? Puto, quod nemo prudens dixerit: nam non eſt peccatum, & crimen, quod impotentiam tollit; ſed ſolum detegit, eam impotentiam, quam juxta Sanct. Thom. Eccleſia errando putavit eſſe perpetuam, revera non fuiſſe niſi temporalem, & ceſſaſſe creſcente ætate, & diminuta nimia illa effervеſcentia, quæ copulam, & conſummationem fortaſſis impediebat Matrimonii: proinde redire teneretur ad priorem conjugem, licet fortaſſis alteri viro copulatam. Quod pariter ſentiendum puto de muliere, quæ inciſionem admittendo cum aperto diſcrimine vitæ, lethaliter peccaret, & peccando fieret idonea Matrimonio: nam tunc non lethale peccatum tollit impedimentum, ſed actio phyſica, & naturalis inciſionis, quæ ipſam copulæ maritali aptam reddit; proinde validum eſſet Matrimonium. Aliter tamen ſentiendum, ſi revera per ſolum crimen tolleretur impedimentum, puta maleficium maleficio expellendo: quia tunc peccatum, quatenus peccatum eſt, impedimentum tolleret Matrimonii; cum maleficium non ſit opus phyſicum, & naturale, ſed diabolicum, & præter naturale.

Conſectarium Quartum.

IV. Non facile præſumendum, Matrimonium maleficio impediri: & qui eo arbitrantur ſe detineri, ad Deum ferventi oratione confugere tenentur, & Eccleſiæ remedia adhibere. Prima pars facile ſuadetur; nam plerumque, quod maleficio tribuitur, vel ex verecundia, & pudore oritur, vel ex nimia concupiſcentia, vel, quod eſt frequentius, ex odio, mutua averſione, pœnitentia initi Matrimonii, ac proinde ſummo, & ardenti deſiderio illud dirimendi. Quamobrem prudens, & ſtudioſus Pœnitentiæ Miniſter de hoc Pœnitentes, qui ſe maleficio ab uſu Matrimonii impediri arbitrantur, interrogare debet; & ſi forte aliquam ex ſupra expoſitis cauſis invenerit, corrigat, moneat, hortetur, confortet juxta Pœnitentis indigentiam. Quod ſi nullam reperiat naturalem cauſam, & de vero Maleficio ſuſpicetur, conſilium illi ſuggerat Hincmari Rhemenſis ſcribentis: „ Si per Sortiarios, vel Maleficos, „ occulto, ſed nunquam injuſto, Dei judicio „ permittente, & Diabolo præparante, concubitus non ſequitur, hortandi ſunt, quibus iſta „ eveniunt, ut puram confeſſionem Deo, & Sa-

„ cerdoti corde contrito, & ſpiritu humiliato „ de omnibus peccatis ſuis faciant, & profuſis lacrymis, & largioribus eleemoſynis, & orationibus, atque jejuniis Deo ſatisfaciant, & per exorciſmos, ac cetera eccleſiaſticæ medicinæ munia, Miniſtri Eccleſiæ tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech, ac domum ejus Abrahæ orationibus ſanavit, ſanare procurent “. Illos vero ſerio moneant, ne ad maleficos confugiant, ut potentiore maleficio aliud expellant, nec ſuperſtitioſa adhibeant remedia; cujuſmodi ſunt iterum coram Parocho, & teſtibus Matrimonium renovare, & iterum nuptialem benedictionem accipere: eſt enim hoc, ut monet Rituale Antuerpienſe: „ Diabolicum inventum ſuperſtitionis inducendæ cauſa, vel ut res ſacras hominibus ludibrio exponat, & Sacramento Chriſti gravem irroget injuriam. “ Quod ſi forte contingat, ut maleficio, vel ſuperſtitione maleficii tollant impedimentum, monendi ſunt, ut Matrimonium renovent; cum jam fuerit in ſe nullum ob impotentiam de ſe, & naturaliter perpetuam, & inſolubilem.

Conſectarium Quintum.

V. In dubio de valore Matrimonii ſemper eſt in favorem Matrimonii judicandum. Ratio eſt manifeſta: nam cum agatur de juſtitia, ad quam pertinet Matrimonium, ſemper melior eſt conditio poſſidentis. Præterea Matrimonium eſt de ſe indiſſolubile; proinde niſi certo conſtet nullum fuiſſe, non eſt locus ſolutioni dandus. Hinc ſi vir de impotentia accuſatus ab uxore, a ſe cognitam uxorem interpoſito Sacramento teſtetur, eſt ipſi fides adhibenda. Ita reſpondit Alexand. III. Cap. *Continebatur* Extra. de deſponſ. impub. dicens: „ Cum in Decretis habeatur expreſſum, quod ſi vir dixerit, quod uxorem ſuam cognoverit, & mulier negaverit, viri ſtandum eſt veritati; præfato viro, qui dicit ſe mulierem ipſam cognoviſſe, fides eſt adhibenda, ſi adfirmaverit juramento “. Ita pariter, ſi vir coram Judice teſtetur, ſe non poſſe uxorem cognoſcere, mulieri afferenti ſe cognitam fuiſſe, fides eſt adhibenda, & in favorem Matrimonii judicandu, niſi claras, & luculentas pro ſe vir afferat probationes. Ita aperte docet S. Raymundus his verbis: „ Actor eſt, & ſi non probat, quod aſſeverat, mulier cum ſit rea, etſi nihil præſtiterit, abſolvi debet ab impetitione viri; nec expetendum a viro juramentum, quia, ſubdit, multi non formidarent incurrere perjurium, & poſſent dividi ab uxoribus “. Conceditur tamen in jure Cap. *Fraternitati* mulieri neganti ſe cognitam a viro oppoſitum affirmante, etiam jurejurando, virginitatem ſuam probare, inquit S. Raymundus, per aſpectum corporis. Cautela tamen eſt magna adhibenda in hujuſmodi inſpectione, ut fiat per duas, vel plures Matronas honeſtas, & peritas in opere maritali. Et merito: nam, inquit S. Cyprianus epiſt. 62. „ Et manus obſtetricum, & oculi ſæpe falluntur, & obſtetricum teſtimonium plerumque quæritur pretio. Ipſi Archiatri, dicunt, non ſatis liquido comprehendi ſpeinſtionis fidem, & ipſis vetuſtis medicinæ Doctoribus id ſententiæ fuiſſe . . . ſæpe inter obſtetrices oborta varietas, & quæſtio excitata .... Erit inter plures vel malevola, vel imperita, quam pudoris clauſtra prætereant, & per imperitiam, integro notam affigere pudori “. Et, ut refert Sanctus Auguſtinus: „ Obſtetrix virginis cujuſdam integritatem manu veluti explorans, ſive malevolentia, ſive inſcitia, ſive caſu, dum inſpicit, perdidit “. Congreſſum autem a judice chriſtiano nunquam ſine lethali culpa permitti poſſe puto: tum quia nonn iſi fallax, & incerta probatio ex illo extundi poteſt; nam actus hujuſmodi, qui plenam libertatem expoſcit, pudore, formidine, odio facile impeditur: tum quia, ut inquit laud. Cyprianus: „ Hujuſmodi ludibria & viſu, & auditu horrori, & pudori ſunt “. Verum hæc ad Judices in exteriori foro, non ad Miniſtros Pœnitentiæ ſpectant.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

De diſparis cultus, & Raptus Impedimentis.

DOCTRINA.

I. *Impedimentum diſparis cultus quos reſpiciat, & unde oriatur.*
II. *Quid dicendum, cum Infidelium alter convertitur.*
III. *Raptus definitio ex S. Thoma.*
IV. *Antiquorum Canonum, & Tridentini decreta circa Raptum.*
V. *Ad Raptum requiritur abductio de loco ad locum.*
VI. *Et quidem violenta.*
VII. *Et mulieris, non viri.*
VIII. *Et quidem Matrimonii, vel libidinis explendæ cauſa.*
IX. *Quando tollatur hoc impedimentum.*
X. *Pœnæ raptoribus indictæ.*

I. CUltus diſparitas, quæ Matrimonium dirimit contractum, illa eſt, quæ intercedit inter baptizatum & non baptizatum, ſeu inter fidelem & infidelem. Hoc impedimentum, licet in jure naturæ fundatum, tamen a lege poſitiva ortum habet. Quare ſic ſcribit D. Thom. hic quæſt. 59. artic. 1. ad 1. „ In veteri Lege de aliquibus infidelibus erat permiſſum, quod cum eis poſſent inire conjugia, & de aliquibus prohibitum. Specialiter autem erat prohibitum de infidelibus habitantibus in terra Chanaan: tum quia Dominus præceperat eos occidi propter eorum obſtinationem: tum quia majus periculum imminebat, ne ſcilicet conjuges, aut filios ad Idololatriam perverterent; quia filii Iſrael ad ritus, & mores eorum proniores erant, propter converſationem cum eis. Sed de aliis gentibus permiſit; præcipue quando non poterat eſſe timor pertrahendi ad idololatriam. Et ſic Joſeph, & Moyſes, & Heſter cum infidelibus Matrimonia contraxerunt “. In nova vero lege primis Eccleſiæ ſeculis vetitum non erat cum infidelibus Matri-

mo-

monia celebrare: plures enim ſanctiſſimas mulieres infidelibus viris nupſiſſe legimus; quin tamen ob hoc fuerint reprehenſæ. At in præſenti diſciplina Eccleſiæ nedum vetitum eſt cum infidelibus Matrimonium contrahere, ſed & contractum dirimitur, & quidem non lege aliqua poſitiva, vel ſtatuto aliquo Eccleſiaſtico, ſed, ut inquit Eſtius in 4. ſent. diſtinct. 39. §. 3. „ More populi Chriſtiani, & diuturna praxi totius Eccleſiæ, vim legis obtinente ". Licet enim plura inveniantur Conciliorum Decreta, Illiberitani, Laodiceni, Carthaginenſis III. Chalcedonenſis, Toletani IV., Aurelianenſis II. hæc tamen non niſi cum Judæis connubia vetant; nec legem univerſalem efficiunt Matrimonium abſolute cum omni infideli vetantem. Quam vero æquiſſimum ſit ab hujuſmodi Matrimoniis abſtinere, oſtendit D. Ambroſius epiſt. 19. ad Vigilium Tridentinum Epiſcopum ſcribens: „ Sed prope nihil gravius, quam „ copulari alienigenæ, ubi & libidinis, & diſcor„ diæ incentiva, & ſacrilega flagitia conflan„ tur. Nam cum aptum conjugium velamine „ ſacerdotali, & benedictione ſanctificari opor„ teat; quomodo poteſt conjugium dici, ubi „ non eſt fidei concordia? . . . . . . Cum ora„ tio communis eſſe debeat; quomodo inter diſ„ pares devotione poteſt eſſe conjugii communis „ caritas "? Unde merito dicebat Apoſtolus ad Corinth. 2. 6. *Nolite ducere jugum cum Infidelibus*.

II. Quando vero Matrimonia Infidelium per alterutrius ad fidem converſionem diſſolvantur, & cetera, quæ ad eam rem ſpectant, fuſe explicavimus capite undecimo a Conſectario 7. uſque ad 12. Sicut & de Matrimonio cum hæreticis legantur, quæ diximus cap. 4. num. 4. & Cap. 5. Conſect. 3.

III. Raptus crimen eſt, & quidem graviſſimum, quod definiri poteſt, *Abductio violenta fœminæ invitæ, aut ſeductæ, Matrimonii contrahendi cauſa*. Duplicem diſtinguit S. Thom. raptum, nimirum in muliere, & in parentes, ſcribens 2. 2. quæſt. 154. artic. 7. „ Violentia quandoque infertur tam ipſi „ Virgini, quam Patri: quandoque autem infer„ tur Patri, ſed non Virgini; puta cum ipſa con„ ſentit, ut per violentiam de domo Patris abſtra„ hatur . . . . Qualitercumque violentia adſit, ſal„ vatur ratio Raptus ".

IV. Etiam antiquioribus canonibus vetitum erat Raptoribus cum rapta conjugium: nam in Concilio Ticinenſi anni 850. ſtatuebatur, ut *puellæ ipſis, a quibus raptæ ſunt, legitimæ demum uxores nullatenus eſſe poſſint*. Immo & D. Thom. l. l. ad 3. decretum affert Concilii Meldenſis decernentis, „ ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, vel „ ſeducunt, eas nullatenus habeant uxores, quam„ vis eas poſtmodum cum conſenſu parentum ſuo" rum ſuſceperint ": quem tamen canonem dicit abrogatum. Verum noviſſime a Tridentina Synodo ſunt antiquiores inſtaurati canones, & inter Matrimonii impedimenta conſtitutum crimen raptus per hæc verba ſeſſ. 23. cap. 6. „ Inter ra„ ptorem & raptam, quandiu ipſa in poteſtate „ raptoris manſerit, nullum poſſit conſiſtere Ma„ trimonium. Quod ſi rapta a raptore ſepara„ ta, & in loco tuto & libero conſtituta, il„ lum in virum habere conſenſerit, eam raptor „ in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, & „ omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præ„ bentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac per„ petuo infames, omniumque dignitatum incapa„ ces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu de„ cidant. Teneatur præterea raptor mulierem ra„ ptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxe„ rit, arbitrio Judicis decenter dotare ". De raptu, quatenus crimen eſt ſpeciem luxuriæ conſtituens, diximus in ſexto Decal. Præc. Cap. 3. §. 1. n. 1. & ſeq. nunc de illo agendum, quatenus eſt impedimentum Matrimonium dirimens.

V. Conditiones ad verum raptum requiſitæ enumerantur in ipſa definitione. Hinc primum requiritur, *abductio*, ſcilicet translatio de loco tuto ad locum, ubi raptor poteſtatem habet. Locus autem tutus dicitur paterna, vel conſanguineorum domus, Monaſterium, vel quicumque alius locus, ubi mulier a parentibus, tutoribus, conſanguineis collocatur. Ad alium locum plane ab altero diſtinctum: non enim raptus habetur, ſi puella ab uno cubiculo ad aliud ejuſdem domus, vel ab inferiori cœnaculo ad ſuperius trahatur; vel ſi in agro reperta, in vicinam domum abducatur: cum aperte Tridentinum dicat, *quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit*, & poſtea, *ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco libero & tuto conſtituta*: quæ verba profecto translationem de loco ad locum important.

VI. Requiritur, ut ſit *violenta*, & vim inferens, ſive fiat phyſice per manuum injectionem, & violentam abductionem, ſive moraliter per minas graves, aut gravem metum. Quod ſi fiat per ſeductionem, & blanditiis, illecebris, ſuaſionibus, promiſſis fallacibus abducatur mulier, num adhuc ratio veri raptus ſubſiſtat, qui Matrimonium impediat, diſputant Theologi. Galli juriſperiti putant ſeductorium raptum dirimere Matrimonium, cum juxta allatam ſuperius n. 3. D. Th. doctrinam *habeatur vera ratio raptus*. At aliarum Regionum Theologi putant probabilius, ſeductorium raptum non dirimere Matrimonium; cum fœmina volens, & libens ſeductorem ſequatur: licet enim ad honeſtatem Matrimonii etiam parentum requiratur conſenſus; tamen Tridentinum ſuo Decreto non honeſtati, ſed libertati matrimonii conſulere voluit; & ideo ſtatuit, ad valorem Matrimonii inter raptorem, & raptam ſufficere ipſam raptam in loco tuto reponi, & priſtinæ reſtitui libertati: quia nullam habet de parentum, vel tutorum, vel conſanguineorum conſenſu, & beneplacito mentionem. Et in jure Canonico Cap. *cum cauſam* 6. de Raptor. ſtatuitur a Lucio III. „ Iſte raptor dici non debet, cum habuerit mu„ lieris aſſenſum, & prius eam deſponſaverit, „ quam cognoverit; licet parentes reclamarent, „ a quibus eam dicitur rapuiſſe ". S. vero Thomas loquitur de raptu, quatenus crimen eſt, injuriam inferens parentibus, etiam quando puella conſentit.

VII. Dicitur *mulieris*: nam verus habetur raptus, ſive puella, ſive vidua, ſive corrupta rapiatur; nec neceſſe eſt, ut raptus cum copula conjungatur, ſive violenta, ſive voluntaria; nam & ſine ipſa Matrimonium dirimit raptus. Communiter tamen docent, raptum, adoleſcentis per mulierem præpotentem Matrimonium non dirimere; cum

cum Tridentinum aperte de raptore & rapta loquatur, non de raptrice & rapto: quidquid in oppoſitum dicat Tournelii Continuator, cui contradicunt, & ipſo fatente, Galli Theologi, & juris Doctores, qui cenſent quidem in exteriori foro, & quoad effectus civiles hujuſmodi Matrimonia invalida haberi, at non in foro conſcientiæ, & Eccleſiæ.

VIII. Additur raptum eſſe habendum *Matrimonii intuitu* ad illud extorquendum. Hinc diſputant Theologi, num ſi mulier rapiatur non ad Matrimonium, ſed libidinis explendæ cauſa, hujuſmodi raptus dirimat Matrimonium. Affirmant Cabaſſutius, Bonacina, Sà, aliique plures. E contra negant Sanchezius, aliique bene multi ab eo citati; & utrique pro ſua ſententia Decreta Congregationis Concilii afferunt. Ipſe cenſeo, cum agatur de valore Sacramenti, in præſenti dubio eſſe tutiorem ſententiam tenendam. Et certe licet mulier rapta ſit non ob Matrimonium, ſed ob libidinem, adhuc tamen ſub poteſtate raptoris conſiſtit: quia ſupponimus mulierem invitam, & reluctantem violenter retineri; quod maxime libertatem Matrimonii impedit, cui favere intendit Tridentina Synodus, raptoris Matrimonium vetans, & dirimens.

IX. Tollitur vero hoc impedimentum, quotieſcumque rapta mulier in loco tuto collocata, ſuæ reſtituta eſt libertati, tunc enim, ſi libere raptori nubere velit, ratum eſt, validumque Matrimonium. Et ideo temperatus fuit a Tridentino juris & antiquorum canonum rigor, a quibus decernebatur, ne raptores unquam poſſent cum rapta, etiam conſentiente, Matrimonium celebrare; & prudenti quidem œconomia, ut ſcilicet puellæ raptæ honeſtati, & decori conſuleretur, & injuriæ illatæ juſta præberetur per Matrimonium ſatisfactio.

X. In Raptores vero, cauſa Matrimonii celebrandi, lata eſt a Concilio pœna excommunicationis, cui ſubjiciuntur & omnes illi, qui raptui conſilium, auxilium, & favorem præbuere. Eſt autem latæ ſententiæ, cum aperte Tridentinum dicat, ſunt ipſo jure excommunicati; at minime reſervata, cum de reſervatione nullum habeatur in Concilii Decreto ſtatutum.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Nullum eſt Matrimonium inter Catechumenum, & fidelem.*
II. *Verus raptus, ſi mulier violenter abducatur cum aſſenſu parentum.*
III. *Mulier rapta poteſt alteri, qui raptui non conſenſit, nubere.*
IV. *Mulier rapta non Matrimonii, vel libidinis cauſa valide raptori nubit.*

Conſectarium Primum.

I. MAtrimonium inter Catechumenum jam ad Baptiſmum ſuſcipiendum paratum, & fidelem nullum eſt, & invalidum. Ita docet S. Th. hic q. 59. art. 1. ad 5. ſcribens: „ Si aliquis catechumenus habens rectam fidem, ſed nondum „ baptizatus, cum aliqua fideli baptizata contra„ heret, non eſſet verum Matrimonium ". Et merito, cum Baptiſmus ſit omnium Sacramentorum janua: Unde in jure Can. Cap. *Cave* 28. qu. 1. dicitur: „ Si Chriſtiana ſit, non eſt ſatis, niſi „ ambo initiati ſint Sacramento Baptiſmi ".

Conſectarium Secundum.

II. Verus habetur raptus, ſi mulier violenter abducatur ex conſenſu, & voluntate parentum. Ita docet S. Thom. l. l. Cap. præced. Num. 3. Et ratio eſt manifeſta, cum parentes dominium non habeant in corpus puellæ, nec facultatem illam reluctantem, & invitam cogendi ad Matrimonium: & licet filii-familias nonniſi conſentientibus parentibus, ut alibi oſtendimus, valeant licite Matrimonium celebrare; parentes tamen vim inferre non poſſunt. Audiatur D. Th. in IV. diſt. 29. art. 4. „ Cum in Matrimonio ſit quædam quaſi ſer„ vitus perpetua, Pater non poteſt cogere filium „ ad Matrimonium per præceptum, cum ſit libe„ ræ conditionis ". Hinc mulier his parentibus reſtituta a raptore non eſt cenſenda in loco tuto collocata, nec ſuæ reſtituta libertati; ſed adhuc dici poteſt in poteſtate raptoris, cui conſentiunt, conſilium, & favorem præbent, parentes, proinde, ſi Matrimonio conſentiat, nullum eſt habendum.

Conſectarium Tertium.

III. Mulier rapta, & in poteſtate raptoris conſtituta, ſi alteri, qui raptui non conſenſit, nubat, validum eſt Matrimonium. Quandoquidem Concilium Tridentinum raptum ſtatuit Matrimonium impedire cum ipſo raptore, non vero cum alio: tunc enim nulla illi infertur violentia, & libere, ac ſponte Matrimonium cum illo contrahit, qui cum innocens ſit, raptus pœnis nullo modo ſubjicitur. Præterea id poteſt eſſe fœminæ raptæ non ſolum utile, ſed & neceſſarium, ut a raptoris poteſtate eripiatur.

Conſectarium Quartum.

IV. Mulier rapta, ſed non cauſa vel Matrimonii, vel libidinis explendæ, ſed alia plane ratione, puta in captivitatem, ſi cum raptore contrahat, etiam dum eſt in ejus poteſtate, validum eſt Matrimonium. Nam tunc non eſt raptus, ſed plagium: etenim, ut docet S. Th. raptus de ſe eſt luxuriæ ſpecies: Cum itaque in eo caſu verus non habeatur raptus; nec habetur impedimentum dirimens. Nec obſtat ſublatam libertatem in Matrimonio: cum hæc non directe ad Matrimonium per coactionem celebrandum inducta ſit; ſed indirecte, quatenus per captivitatem ſervus omni libertate ſpoliatur.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De Impedimento Clandeſtinitatis.

Doctrina.

I. *Unde inductum clandeſtinitatis impedimentum.*
II. *Quando Matrimonium clandeſtinum ſit.*

III. *Pa-*

III. *Parochus debet aſſiſtere Matrimonio, ne clandeſtinum ſit.*
IV. *Et quidem domicilii contrahentium.*
V. *Domicilium non efficit mora in loco cauſa ruſticationis.*
VI. *Diſtinctio loci domicilii a loco habitationis.*
VII. *Alius Vagorum, alius Peregrinorum Parochus.*
VIII. *Quid requiratur ad domicilium in aliquo loco acquirendum.*
IX. *Quinam ſint detentorum in carcere Parochi.*
X. *Nonnullarum Perſonarum ſpeciales Parochi.*
XI. *Parochus Matrimonio aſſiſtens ſit Sacerdos, oportet.*
XII. *Parochus ſuſpenſus, vel excommunicatus valide Matrimonio aſſiſtit.*
XIII. *Nomine Parochi veniunt etiam Epiſcopi, & alii ſuperiores.*
XIV. *Quænam Parochi præſentia requiratur.*
XV. *Quænam Teſtium.*

I. IMpedimentum clandeſtinitatis merito poſtremis ſeculis eſt a Tridentina Synodo ſanctiſſime conſtitutum: licet enim directe, & immediate a jure naturæ non deſcendat, cum contractus omnes directe a jure poſitivo leges accipiant, & præſertim quod publice, vel ſecreto fiant; tamen remote ad ipſum jus naturale reduci poteſt, quatenus & contractus, & Sacramentum eſt, cujus ſanctitati, & indiſſolubilitati eſſe conſulendum ipſa natura dictat: & præterea cum bonum etiam publicum reſpiciat, intereſt quammaxime Reipublicæ, ut Matrimonia certa ſint, nota, & comperta ad ſubditorum pacem, familiarum quietem, & bonorum legitimam tranſmiſſionem.

II. Tunc autem clandeſtinum dicitur Matrimonium, & proinde irritum, ac nullum, quando contrahitur, vel celebratur ſine præſentia Parochi, & duorum Teſtium. Ita Concilium ſtatuit in hæc verba. „ Qui aliter, quam præſente Parocho, vel „ alio Sacerdote, de ipſius Parochi, vel Ordinarii „ licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, Matri- „ monium contrahere attentabunt, eos Sancta Sy- „ nodus ad ſic contrahendum inhabiles reddit, & „ hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe de- „ cernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, „ & annullat.... Decernit inſuper, ut hujuſmodi „ Decretum in unaquaque Parochia ſuum robur „ poſt triginta dies habere incipiat, a die primæ „ publicationis in eadem Eccleſia factæ enumeran- „ dos". Singula hujus ſaluberrimi decreti verba expendemus, ut, unde impedimentum clandeſtinitatis ſubrepere, & ubi locum habere poſſit, clare, & dilucide declaremus.

III. Primo itaque poſtulat S. Synodus Parochi præſentiam. Quamobrem duo occurrunt expendenda, 1. quis nomine Parochi deſignetur; 2. quænam ejus præſentia requiratur. Et quoad primum certo conſtat, non cujuſcumque Parochi præſentiam ſufficere, ſed talis, qui contrahentes aliquo modo reſpiciat. Debet itaque eſſe Parochus domicilii ſponſorum, ſive ſit etiam Parochus originis, ſive non ſit. Immo ſi Parochus ſit ſolum originis, non vero domicilii, non eſt idoneus Aſſiſtens Matrimonii. Et ratio eſt: quia huic incumbit denuntiationum publicatio, & cæteris melius contrahentes cognoſcit, & impedimenta detegere poteſt, quæ celebrando Matrimonio obſiſterent. Non eſt tamen neceſſe, ut ſit potius ſponſi, quam ſponſæ, ſi ſint diverſæ Parœciæ, ſed alterutrius ſufficit. Unde ſtatuit S. Congregatio anni 1573. ad validitatem Matrimonii ſufficere præſentiam ſolius Parochi proprii ſponſæ, quando Matrimonium in Parochia ſponſæ contrahitur; ſimiliter ſufficere præſentiam ſolius Parochi ſponſi, ſi modo Matrimonium contrahatur in Parochia ipſius ſponſi. Ex conſuetudine tamen ſolet adhiberi Parochus ſponſæ de licentia Parochi ſponſi, a quo & teſtimoniales litteras obtinere debet de habitis ſtatutis proclamationibus, niſi in illis fuerit diſpenſatum.

IV. Parochus domicilii ille dicitur, in cujus Parœcia contrahentes obtinent domicilium, ideſt ubi majori anni parte commorantur. Hinc ſicut quis poteſt duplex domicilium obtinere, ſicut dicitur in lege Civili *ſi utrobique ita ſe inſtruxerit, ut non minus apud alteros ſe locaſſe videatur;* ita poteſt & duplicem Parochum habere, & coram alterutro Matrimonium celebrare.

V. Domicilium autem non obtinet, qui ruſticationis gratia, vel pro ruſticanis negotiis Rus pergit, ibique diutius commoratur; ut pluribus Decretis a Lambertino Inſtit. 33. recitatis fuit declaratum. Sicut nec illi, qui ab aliquo loco recedentes ad alium pergunt, animo quidem ibidem commorandi, at non ibi domicilium contrahendi, ut eadem Congregatio declaravit.

VI. Non deſunt tamen, qui locum domicilii a loco habitationis diſtinguunt: ut ſi quis domeſticas diſſenſiones vitandi gratia a paterna domo diſcedens, aliam ſibi quærat habitationem, quin tamen a familia ſeparetur; hic Parochum habet domicilii, non habitationis. Tamen animadvertendum hunc & in loco habitationis, ſi cum animo permanendi ibi conſiſtat, quaſi domicilium contrahere, proinde novum ſortiri Parochum, quo legitime aſſiſtente poteſt Matrimonium valide celebrare. Secus vero, ſi loco domicilii relicto, ad aliam ſe transferat Parochiam, ſolo animo ibi celebrandi Matrimonium, non vero contrahendi domicilium, ut declaravit S. Congregatio in una Romana die 22. Feb. 1631. Quamobrem ſi quis etiam in fraudem alio transferat domicilium, ut Matrimonium contrahat, valide contrahit, ut inferius explicabimus.

VII. Hinc alius eſt Peregrinorum, alius Vagorum Parochus. Vagi enim ſunt, qui proprio relicto domicilio aliud ſibi quærunt. Peregrini, qui proprium retinent domicilium, ad quod revertendi animum ſervant. Hinc illorum Parochus ille eſt, qui curam habet animarum, ubi tunc degunt. Iſtorum autem Parochus loci, ubi retinent domicilium, donec alibi fixerint ſedem, & manendi animum firmaverint. Verum cum in omnibus ferme diœceſibus cautum ſit, ne Parochi Peregrinantium, Vagorum, Advenarum Matrimonio adſint, inconſulto Epiſcopo, & ne eos Matrimonio jungant ſine Ordinarii licentia, hæ leges ſunt ſancte cuſtodiendæ.

VIII. Ad acquirendum in aliquo loco domicilium ſtatuit Innoc. XII. in Bulla *Speculatores* decennalem habitationem, & aliquorum ſaltem bonorum translationem. Verum hoc ſtatutum non niſi illos reſpicit, qui ad Sacros Ordines cupiunt promoveri, & locum non habet in Matrimonio. Hinc qui in aliquo loco ſedem figunt, licet tempora-

porariam, & ſine animo permanendi, ut Prætores, Judices, Scribæ, Publici Profeſſores, Studentes, Servi, Medici conducti, & ſimiles, valide inibi contrahunt Matrimonium, ut declaravit Sacra Congregatio, dum interroganti, an valeat Matrimonium, ſi contrahens ibi moretur, ut Prætor, Judex, ſeu Medicus temporalis, reſpondit valere.

IX. Carceribus incluſi non eumdem ſortiuntur Parochum. Nam ſi in carceribus cuſtodiæ cauſa detinentur, proprium ſervant domicilium, & Matrimonium non niſi coram Parocho Domicilii valide contrahere poſſunt. Si vero ſint per ſententiam judicis ad carcerem damnati, ſive in perpetuum, ſive ad aliquod tempus, Parochum ſortiuntur, qui Parœciæ præeſt, ubi ſunt conſtituti carceres, juxta legale axioma, *relegatus in eo loco, in quem relegatus eſt, interim neceſſarium domicilium habet*. Sic declaratum fuit a Sacra Congregatione in una Farfenſi 26. Maji 1707. & docent communiter juris canonici Doctores.

X. Qui in Orphanotrophiis, & Noſocomiis degunt, Matrimonium non coram Capellano, Rectore, Præſide Orphanotrophii, vel Noſocomii celebrare debent, ſed præſente Parocho Parœciæ, ubi ea ſita ſunt, ut declaravit Sacra Congregatio in Eugubina 22. Aprilis 1622. Pari pacto puellæ, quæ in aliquo Monaſterio educationis cauſa detinentur, ſi domicilium habeant Maternum, Paternum, vel Fraternum, non niſi coram Parocho domicilii valide contrahunt: ſi vero nullum habeant, poſſunt contrahere coram Parocho loci, ubi ſitum eſt Monaſterium. Nec admittenda Paſſerini doctrina de ſtatu hominum Tom. 2. quæſt. 188. art. 1. n. 896. docentis, poſſe illas valide Matrimonium contrahere coram Monaſterii Confeſſario. Quod pariter eſt intelligendum & de adoleſcentibus in aliquo Collegio, vel Seminario ad educationem detentis, & commorantibus. Eadem regula locum habet pro famulis, & famulabus, qui in domo heri habitant; ſed tamen propriam habent familiæ domum: at ſi domicilium habeant extra Urbem, contrahere poſſunt coram Parocho Urbano: Milites vero, qui in præſidio ſunt, & ſtatione, Matrimonium contrahere poſſunt coram Parocho loci, ubi ſtationes ſunt conſtitutæ; ſecus vero, ſi non in præſidio, & ſtatione ſint, ſed ſolum in expeditione.

XI. Probabilius eſt Parochum Matrimonio aſſiſtentem eſſe debere Sacerdotem. Adverſantur huic doctrinæ nonnulli Theologi, ut Natalis Alexander, & juris Canonici Doctores, quos inter Fagnanus in cap. *Quoniam* Extra, de Conſtitut. qui & declarationem affert Congregationis Concilii Tridentini Interpretum, qui cenſent, Parochum, etiam non Sacerdotem, poſſe valide Matrimonio adeſſe, cum Concilium præſentiam poſtulet Parochi. Verum noſtra opinio eſt omnino tenenda, tanquam probabilior: non quidem, quia probabilius cenſeam Parochum eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum, licet & hæc opinio meæ faveat ſententiæ; ſed quia magis cohæret menti Tridentini, quod Parochum Sacerdotem ſupponit: ait enim celebrandum Matrimonium coram Parocho, vel *alio Sacerdote* de licentia Parochi: ſupponit igitur ipſum Parochum eſſe Sacerdotem. Præterea cum de valore agatur Sacramenti, tutior eſt pars eligenda: proinde Parochus non Sacerdos debet ſuam facultatem Sacerdoti delegare, cum non deſint Theologi, qui Parochum non Sacerdotem Matrimonio aſſiſtentem lethalis culpæ reum conſtituant; quippe qui Matrimonium periculo nullitatis exponit, tum juxta illorum ſententiam, qui ipſum Sacramenti Miniſtrum arbitrantur, tum illorum, qui ita præcipi a Tridentino Concilio cenſent.

XII. Validum eſt Matrimonium celebratum coram Parocho, etiam ſuſpenſo, & excommunicato vitando; dummodo tamen non ſit parochiali beneficio privatus. Nam in hoc Sacramento nullam exercet juriſdictionem, ſed meram exhibet præſentiam, & etiam, ſi lubet, ſacrum miniſterium facti. Excommunicatio vero, & ſuſpenſio irritum non reddunt Sacramentum, niſi in iis, quæ ſunt juriſdictionis, cujuſmodi eſt abſolutio a peccatis. Et ita declaratum fuiſſe a Sacra Congregatione teſtatur Fagnanus in cap. *litteras quas* Extra, de Matrimonio &c. Graviter tamen peccat & ipſe Parochus, qui Matrimonio aſſiſtit, & qui ejus aſſiſtentiam expoſcunt, ſi ſit vitandus, immo & excommunicationem incurrunt; non peccant vero, ſi non ſit vitandus, cum ſit Miniſter neceſſitatis.

XIII. Nomine Parochi intelliguntur etiam Epiſcopi, eorum Vicarii generales, ſicut & Vicarii Capituli Sede Vacante, Cardinales in ſuis Titulis, Abbates Eccleſiæ nulli Epiſcopo ſubjectæ. Archiepiſcopi vero in Diœceſibus Suffraganeorum ſolum aſſiſtere poſſunt Matrimonio, ſi ſint in actuali Viſitatione; vel ad ipſos habeatur appellatio adverſus Epiſcopum Matrimonio obſiſtentem. Supplent vero vicem Parochi ab iiſdem delegati, qui tamen eſſe debent Sacerdotes.

XIV. Præſentia vero Parochi talis eſſe debet, ut videat, & audiat contrahentes; licet eos poſtea a ſe repellat objurgationibus, & minis. Hic tamen eſt attendenda Regula aſſignata a Bened. XIV. lib. de Synod. 13. c. 23. nimirum non ſufficere illam Parochi præſentiam, per quam contrahentes nec videt, nec audit, non ſolum ſi ab externa cauſa a viſione, & auditione impediatur, ſed etiam ſi ipſe data opera, & ex induſtria ita ſe ſubducat, ut revera nec videre, nec audire contrahentes poſſit: tunc enim vere teſtis eſſe non valet rei a ſe nec viſæ, nec auditæ: ſicut e contra ſufficere eam præſentiam Parochi, per quam vere & videt, & audit contrahentes, licet, ne illos videat, vel audiat, faciem velet, oculos claudat, aures obturet. Nam, ut ſubdit laudatus Pontifex, hæc ad id ſolum valent, ut animos contrahentium aliquando ſcrupulis torqueant; non vero ut Matrimonium, quod eſt de jure clandeſtinum, ſit tale etiam de facto; cum & Parochus illud ad Epiſcopum deferre, & Epiſcopus adverſus contrahentes judicialiter procedere debeat. Hinc validum eſt Matrimonium celebratum coram Parocho, & teſtibus caſu, & tranſeunter præſentibus, immo dolo ad hoc vocatis; dummodo tamen advertant & percipiant factum, teſtarique poſſint de contracto Matrimonio.

XV. Quoad teſtes vero & eorum attendendus eſt numerus, & qualitas. Quoad numerum, ſaltem duo eſſe debent, nec unus ſufficit: adeoque Sacra Congregatio teſte Lambertino de Synodo lib. 12. Cap. 5. nu. 5. nullum declaravit Matrimonium celebratum etiam bona fide, & ſine fraude coram Parocho, & uno teſte. Quoad qualitatem autem

tem docent communiter Canoniſtæ ſufficere ad valorem Matrimonii quoſcumque, dummodo tamen poſſint intelligere, & intelligant, quid agatur. Proinde idonei teſtes ſunt parentes, conſanguinei, viri, mulieres, boni, mali, & etiam infames, ac impuberes; cum teſtium qualitates non præſcripſerit Tridentina Synodus, & ne exquiſitæ in teſtibus conditiones viam aperiant ad Matrimonia irritanda. Excluduntur tamen infantes, amentes, ebrii, rationis uſu carentes, qui de alia quacumque re ad teſtimonium exhibendum minime haberentur idonei. Deficientia autem proclamationum, etiam de induſtria, & ex fraude, clandeſtinum non reddunt Matrimonium; proinde nec irritum, ut alibi diximus.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Quando valeat Matrimonium ſine præſentia Parochi celebratum.*
II. *Num valeat Matrimonium in locis, ubi non eſt publicatum Concilium Tridentinum.*
III. *Num liceat Parochum mutare, qui Matrimonio aſſiſtat.*
IV. *Interdictum Epiſcopi non impedit, ne Parochus valide aſſiſtat Matrimonio.*
V. *Quilibet Sacerdos de licentia Parochi valide Matrimonio aſſiſtit.*
VI. *Nullum eſt Matrimonium celebratum uno tantum teſte.*
VII. *Officia Parochi Matrimonio aſſiſtentis.*
VIII. *Pœnæ in Sacerdotes, & Religioſos Matrimonio aſſiſtentes ſine licentia Parochi.*

Conſectarium Primum.

I. UBI promulgatum non eſt Tridentinum Concilium, valet Matrimonium celebratum ſine præſentia Parochi. Patet ex ipſo Tridentini Decreto, quo ſtatuit, ut hocce ſuum Decretum in unaquaque Parœcia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Eccleſia factæ numerandos. Hinc ad inducendam obligationem neceſſaria eſt publicatio non in ſola diœceſi, ſed *in unaquaque Parœcia*. Non eſſe autem ubique publicatum certum eſt. Quare non obtinet in Svetia, Saxonia, Boruſſia, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Pomerania, & fatente Benedicto XIV. in tota Ruthena provincia. Num autem vigeat in Hollandia, & Belgio, ubi dubium eſt, num promulgatum fuerit; vel num etiam promulgatum ob defectionem illarum Provinciarum a fide catholica, & Dominio Regum Hiſpaniarum, ita ſit abolitum, ut valeant inibi Matrimonia celebrata ſine præſentia Parochi, quæſtio eſt diu Romæ agitata, ut laud. Pontifex narrat l. *6.* c. *6.* de Synodo, quam ipſe ſapientiſſime dirimit ſua Conſtit. edita die 4. Novembris anni 1741. quæ incipit *Matrimonia*. In qua ſtatuit 1. Matrimonia inter hæreticos celebrata in præfatis Regionibus, non obſervata forma Tridentini, niſi alia obſtent impedimenta, eſſe valida habenda; &, ſi ad Eccleſiæ gremium revertantur, nec eſſe diſſolvenda, nec iterum renovanda. 2. Matrimonia Catholici cum hæretico, vel hæretici cum catholico eſſe quidem ab Epiſcopis ſummo ſtudio impedienda, & deterrendos catholicos ab iis celebrandis; at ſi celebrata ſint, vel in poſterum contigerit celebrari, valida habeantur. Quoad catholicos autem in iiſdem Regionibus degentes ſcribit laud. Pontifex l. l. quæſitum ab ipſo fuiſſe, poſt promulgatam mox memoratam Conſtitutionem, num in eadem comprehenderentur & illorum Matrimonia; vel ſi non comprehenduntur, ut ſaltem per modum indulti, & ad ipſos extenderetur, humiliter petitum: ſed reſponſum datum fuiſſe, dicta Matrimonia in Decreto nequaquam comprehendi; & petitam extenſionem abſurdam eſſe, & mali exempli futuram. Legatur totum Caput *6*.

Conſectarium Secundum.

II. Validum eſt Matrimonium illorum, qui domicilium ſibi quærunt in locis, ubi non eſt promulgatum Tridentini Decretum, ſi inibi domicilium conſtituant; non vero ſi in fraudem, ut clandeſtinum celebrent Matrimonium, illo ſe conferant. Primæ partis ratio eſt manifeſta: nemo enim impeditur, ne juſtis de cauſis valeat domicilium, quo ſibi libuerit, transferre, figere, mutare; & juxta loci leges, & ſtatuta vivere, ac contractus celebrare, ac Sacramenta recipere. Alteram vero partem ſequentia evincunt luculentiſſima teſtimonia. 1. Quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari. 2. Quia quando Tridentinum in aliqua Parœcia publicatum fuit, non ſolum territorium, locumque afficit, ſed & perſonas in eo degentes, ſaltem ne in fraudem legis valeant territorium, locumque mutare, nec illud impune violare poſſint. 3. Ita docet, & evincit Benedictus XIV. de Synodo lib. 13. cap. 4. num. 10. ſcribens: „ Sacra „ Congregatio Concilii illegitimum pronunciavit „ Matrimonium, non ſervata Tridentini forma ab „ iis celebratum, qui malo animo illud clandeſti„ne contrahendi, receſſerunt e loco, ubi Triden„tinum eſt promulgatum, & ſe ad locum contu„lerunt, in quo promulgatum non eſt: quam de„clarationem ſua roboratam auctoritate Urbanus „ VIII. inſeruit Brevi ad Archiepiſcopum Colo„nienſem dato an. 1627..." Eidem declarationi plures conſonant deciſiones, quæ ab eadem congregatione prodierunt, & referuntur a Lambertino in ſua Inſtruct. 32. omnino legenda.

Conſectarium Tertium.

III. Nullum eſt Matrimonium illorum, qui alio ſe transferunt, non animo mutandi domicilii, ſed ſolum contrahendi Matrimonii coram alio Parocho. Hujus doctrinæ veritatem confirmant nonnullæ Sacræ Congregationis Concilii deciſiones, relatæ a laud. Lambertino citat. Inſtit. 33. In una Abulenſi cenſuit non valere Matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium figendi. Et univerſaliter ita ſenſit in una Romana die 22. Febr. 1631. ita declarans: „ Vir, & Mulier a loco „ ſuæ habitationis abſque animo illam relinquen„di diſcedentes, & ad locum alterius Parochiæ „ ſolo animo illic Matrimonium celebrandi ſe „ transferentes, ibi coram Parocho illius loci Ma-

„ tri-

„ trimonium inter ſe contraxerunt. Supplicatur per „ Sacram Congregationem declarari, an hujuſmodi Matrimonium ſit nullum, vel validum. „ Die 22. Feb. 1631. Sacra Congreg. ſecundum „ ea, quæ proponuntur, cenſuit eſſe nullum ". Et merito, cum formam Tridentini non ſervent: non enim contrahunt coram proprio Parocho loci, ubi domicilium habent; ſed Parochum adhibent, qui proprius non eſt, cum in ejus Parœcia nec animum habeant figendi domicilium. Animadvertit tamen prudentiſſime Lambertinus, aliquas quidem reperiri Sacræ Congregationis deciſiones, quæ hujuſmodi Matrimoniis favere videntur: ſed in peculiaribus illis caſibus ſemper locum habuiſſe *novum domicilium*, aut quaſi domicilium, cujus gratia Parochus erat illis proprius effectus. Hinc nec Parochus ruralis eſt proprius ruſticantium; nec villam petentium ad ſua peragenda ruſticana negotia Parochus ad effectum celebrandi Matrimonium; ut præfata declaravit Congregatio, cujus definitionem affert Lambertinus l. l. ut ſuperius diximus.

Conſectarium Quartum.

IV. Valet Matrimonium celebratum coram Parocho, licet illi ab Epiſcopo vetitum ſit, ne Matrimonio aſſiſtat. Ita cenſet Lambertinus de Synodo lib. 12. cap. 5. num. 2. & addit lib. 13. cap. 23. ita delaratum a Sacra Congregatione in ſuis reſponſionibus Epiſcopo Giennenſi anno 1581. po- „ ſtulanti, 1. Num prohibitione facta ab Ordi- „ nario, ne Parochus aliquos deſponſaret, ita tol- „ latur juriſdictio Parochi, ut ad contrahendum „ Matrimonium contra talem prohibitionem non „ ſit legitimus Parochus. 2. Utrum Matrimo- „ nium, in quo intervenerit Vicarius Parochi.... „ contra prohibitionem Ordinarii ſit validum, ſi- „ ve interveneriṭ Matrimonio invitus, ſive vo- „ lens ". Reſpondit ſiquidem in præfatis caſibus validum eſſe Matrimonium. Quod pariter validum eſt, licet Parochus ſit ſuſpenſus vel excommunicatus, ut Cap. præced. n. 12. diximus, immo in Beneficium per ſimoniam intruſus, dummodo titulum habeat coloratum, per quem errore communi tanquam Parochus habeatur. Non ſufficit tamen error communis ſine titulo ſaltem colorato, cum Tridentinum poſtulet præſentiam Parochi, certe ſaltem tali titulo donati, licet invalide: qui autem ſolo errore communi putatur Parochus, & titulum non habet ſaltem coloratum, talis revera non eſt, nec apparet; proinde non valet Matrimonio aſſiſtere, ut late probat Sanchez lib. 7. diſp. 21. num. 50. Poteſt vero Parochus Matrimonio aſſiſtere, & ei intereſſe etiam extra propriam Parochiam, cum ſuis tamen Parochianis: quia cum talis aſſiſtentia non ſit actus contentioſæ juriſdictionis, territorio non coarctatur.

Conſectarium Quintum.

V. Validum eſt Matrimonium celebratum coram Sacerdote aliquo de licentia Epiſcopi, vel Parochi. Ita enim ſtatuit Tridentina Synodus, quæ cujuſcumque Sacerdotis præſentiam ſufficere declaravit, dummodo ſit ab Epiſcopo, vel Parocho hoc illi conceſſum: quam licentiam concedere poteſt Epiſcopus, etiam neſciente, & invito Parocho, ſive viri, ſive mulieris Paſtor ſit, etiam in aliena Diœceſi; in qua ſicut ipſe poſſet Matrimonio aſſiſtere, ita poteſt aſſiſtendi facultatem alteri Sacerdoti demandare. Facultas tamen aſſiſtendi conceſſa, eſſe debet ſpecialis, & expreſſa, vel ſaltem comprehenſa in generali facultate adminiſtrandi omnia Sacramenta, ut declaravit Sacra Congregatio, die 22. Junii an. 1581. Hinc Vicarii Parochialium Eccleſiarum Matrimonio intereſſe poſſunt, & alteri Sacerdoti aſſiſtendi facultatem concedere. Immo ſufficit licentia in ſcriptis data Conjugibus ſibi deligendi Sacerdotem, qui eorum interſit Matrimonio. Immo licet Epiſcopus erret dando licentiam aſſiſtendi alicui Sacerdoti, quem ipſe putat eſſe Conjugum Parochum, validum eſt Matrimonium, ut declaravit ſuperius laudata Congregatio, cujus deciſio a Lambertino refertur Inſtruct. 88. §. 4. Denique præfata facultas eſſe debet vere, & realiter conceſſa, nec ullo modo ſufficit præſumpta, licet etiam poſt factum rata habeatur: immo licet Sacerdos ſit tali facultate donatus, quam ipſe ſe obtinuiſſe ignorat, ſicut & ignorant contrahentes, non ſufficit ad valorem Matrimonii, ut declaratum fuit a præfata Congregatione, quam declarationem refert Natalis Alex. Reg. 4. Nec ſilentium Parochi, videntis Sacerdotem ſe accingentem Matrimonio adeſſe, nec prohibentis, ſufficit ad valorem Matrimonii; licet oppoſitum doceant Salmanticenſes: quia per hanc taciturnitatem non confertur poteſtas, ſed præſumitur; & pluribus de cauſis poteſt ad ſilentium cogi Parochus; qui proinde minime licentiam impertitur.

Conſectarium Sextum.

VI. Nullum eſt Matrimonium celebratum coram Parocho, & uno teſte: validum tamen aliquando eſſe poteſt, ſi celebretur duplici adſtante teſte ſine Parochi præſentia. Primæ partis ratio eſt: quia non ſervatur forma Tridentini Concilii, quod ſaltem duplicis poſtulat præſentiam teſtis; proinde nec bona fides excuſat, aut Matrimonio valorem confert, ut teſte Bened. XIV. de Synodo lib. 12. cap. 5. declaratum, & deciſum fuit a Congregatione Concilii die 26. Septembris anni 1602. Alteram vero partem confirmat laud. Pontifex loc. cit. oſtendens validum fuiſſe habitum Matrimonium duplici adſtante teſte, ſed ſine Parocho celebratum in locis, ubi ſolus aderat hæreticus Paſtor, vel nullus poterat haberi Parochus, tum a Sacra Congregatione, tum a pluribus Theologis, & juris canonici Doctoribus ab ipſo laudatis. Animadvertit præterea nunquam ſatis laudatus Sapientiſſimus Pontifex lib. 6. de Synodo cap. 7. in regionibus, ubi fideles coguntur coram infideli miniſtro, vel hæretico Magiſtratui ſe ſiſtere, eoque præſente quandam contractus matrimonialis ſpeciem inire, 1. non peccare, ſi Miniſter non perſonæ ſacræ formam exhibeat, ſed mere politici Miniſtri ad firmitatem Matrimonio conciliandam; in cujus confirmationem affert declarationem Sacræ Congregationis datam die 29. Novembris anni 1672. Immo & ipſe ſtatuit, & declaravit ſua Conſtitutione 89. §. 10. 2. Præfata Ma-

Matrimonia eodem pacto celebrata valida non eſſe, niſi vel ante celebrata ſint, vel poſtea celebrentur coram catholico, & legitimo Parocho ad formam Tridentini: quod ipſe ſapientiſſimus Pontifex ſtatuit, declaravit, & definivit ſuo Brevi dato P. Paulo Simoni a S. Joſeph Carmelitæ excalceato integre deſcripto loc. cit.

Conſectarium Septimum.

VII. Officia Parochi Matrimonio aſſiſtentis ſunt 1. Contrahentium animum explorare, & eorum conſenſum exquirere, ac ſuſcipere: non peccat tamen, ſi ipſi conjuges ſponte etiam non interrogati conſenſum ſuum exprimant, unde ſtatutas omittat interrogationes. 2. Debet verbis in Rituali deſignatis, *Ego vos in Matrimonium conjungo* &c. illis benedicere. 3. Matrimonium contractum in libro exarare, & deſcribere. In hujus autem omiſſione Theologi merito lethale peccatum agnoſcunt; tum quia graviſſimum Tridentini hoc præcipientis mandatum violat; tum quia Matrimonium periculo irritationis committit, ſi forte de ejus celebratione dubium oriatur, deficiente unico, & authentico ejus inſtrumento. Immo & in ipſa verborum benedictionis omiſſione graviter ipſum peccare merito cenſent Theologi, 1. quia non omnino improbabilis eſt opinio, ea ad Sacramenti formam pertinere; 2. quia ea, vel ſimilia eſſe adhibenda verba *præcepit* Tridentina Synodus; 3. quia ſunt ſacræ Cæremoniæ præcipua pars, & quidem magni momenti, quæ ſi non ſolum ex contemptu, ſed ex negligentia, & incuria omittatur, injuria irrogatur Sacramento, quod ſine debita ſolemnitate celebratur.

Conſectarium Octavum.

VIII. Pœna contra Sacerdotes, Religioſos Matrimonio aſſiſtere audentes ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi conſtituta, eſt ſuſpenſionis. Ita decernit S. Synodus ſeſſ. 24. cap. 1. ſtatuens: „ Si „ quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſive regularis, ſive ſecularis ſit, etiamſi id ſibi ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos, ſine illorum Parochi licentia, Matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit; ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat ...... abſolvatur ". Quæ pœna, ut ex ipſis verbis patet, ipſo facto incurrenda, eſt ſuſpenſio tam a Beneficio, quam ab Officio, cum generalis ſit, nec ulla limitatione coarctata. Ab ea non niſi ab Ordinario Parochi, cujus jura violata ſunt, vel Epiſcopo Superiore remitti poteſt, & abſolvi. Regulares vero Matrimonio aſſiſtere præſumentes excommunicatione feriunt in Clementina 1. de Pœnit.

CAPUT DECIMUMNONUM.

De Diſpenſationibus ab impedimentis Matrimonii.

DOCTRINA.

I. *De diſpenſationibus alibi dicta indicantur.*
II. *A quibus impedimentis impedientibus diſpenſent Epiſcopi.*
III. *Quomodo poſſint Epiſcopi diſpenſare in impedimentis Matrimonio ſupervenientibus.*
IV. *Num Regulares valeant eamdem diſpenſationem largiri.*
V. *Non poſſunt diſpenſare ligatos voto caſtitatis, ut debitum petant.*
VI. *Argumenta adſtruentia Regularibus poteſtatem diſpenſandi cum inceſtuoſis proponuntur.*
VII. *Refelluntur.*
VIII. *In impedimentis jure Eccleſiaſtico inductis diſpenſat Summus Pontifex.*
IX. *Quo jure id præſtet.*
X. *Quid poſſint Epiſcopi poſt contractum Matrimonii in impedimentis dirimentibus.*
XI. *Quid poſſint ante Matrimonii celebrationem in impedimentis publicis.*
XII. *Quid vero in occultis.*

I. Plura de Diſpenſationibus dedimus Tract. 1. de Legibus diſſ. 4. capp. 9. & ſeq. ubi & formulas exaravimus petendi diſpenſationem a Sede Apoſtolica etiam pro impedimentis Matrimonium dirimentibus. Solum itaque aliqua hic ſunt expendenda, quæ diſpenſationes ab ipſis Matrimonii impedimentis reſpiciunt.

II. Primo itaque ab impedimentis Matrimonium impedientibus, exceptis ſponſalibus, & voto caſtitatis, & Religionis diſpenſare poſſunt Epiſcopi, ut diximus ſuperius cap. 2. Solum hic addimus, non omne votum caſtitatis etiam Matrimonium impediens ita eſſe reſervatum, ut in illo diſpenſare non poſſit Epiſcopus. Nam ſi votum non ſit perpetuum, ſed temporale, ſi non ſit abſolutum, ſed conditionatum, ſi pœnale tantum, Epiſcopi ſubeſt diſpenſationi: ſolum enim reſervatum eſt votum caſtitatis abſolutum, perpetuum, & intuitu virtutis caſtitatis emiſſum. Hinc vota de non nubendo, de ſuſcipiendis Sacris Ordinibus, de non fornicando, vel adulterando, de non petendo debito tolli poſſunt ab Epiſcopis, & privilegiatis, cum ſub voto caſtitatis, vel Religionis non cadant. Non poſſunt etiam diſpenſare ab impedimento hæreſis, quod, ut ſuperius oſtendimus, illicitum reddit Matrimonium, & a quo ſolum Romanum Pontificem diſpenſare poſſe docet Benedictus XIV. lib. 9. de Synodo cap. 3. n. 2. & ſeq.

III. Ab impedimentis Matrimonio ſupervenientibus, qui debiti petitionem impediunt, puta ex copula fornicaria cum conſanguinea uxoris, vel ex ſpirituali cognatione, diſpenſare poſſunt Epiſcopi. Et id quidem non ex aliquo jure; nam cum præfata impedimenta a Conciliis, Romanis Pontificibus, & jure Eccleſiaſtico communi, & univerſali ſint conſtituta, in hoc Epiſcopi poteſtatem

ſtatem non habent: ſed ſolum ex quadam pene univerſali conſuetudine jam in Eccleſiam invecta; proinde ſi qua foret Diœceſis, ubi hæc conſuetudo locum non obtineret, profecto nec Epiſcopi diſpenſare poſſent. Ubi autem viget uſus diſpenſationis, concedere eam valent etiam eorum generales Vicarii, ex facultate ipſis conceſſa in omnes caſus Epiſcopi reſervatos.

IV. Num vero Regulares poſſint in his impedimentis Matrimonio ſupervenientibus diſpenſationem largiri, & concedere, ut ligati hiſce impedimentis valeant debitum petere, affirmant plures, tum Theologi, tum juris Canonici Doctores, Emmanuel Rodericus, Ludovicus Hurtado, Antonius a Spiritu Sancto, Sanchez, Diana, Pontius, Averſa, Rodriquez, Reiffenſtuel, Ferrarius, aliique bene multi, quos ſequuntur prona cervice Probabiliſtæ, adductis etiam nonnullis privilegiis, & conceſſionibus Summorum Pontificum. At alii aperte inficiantur, inter quos merito Concina, qui hujuſmodi privilegia in Bullis ab Auctoribus citatis per ſe, & per alios etiam ſedulo requiſita invenire non potuit. Cui aſſentitur & ſolertiſſimus P. Gabriel a Vicentia, qui iis expenſis vel incerta, & dubia, vel plane ſuppoſititia deprehendit: a quo proinde, quæ dicturus ſum adverſus priores Theologos, hujuſmodi facultatem tribuentes Regularibus, mutuabor & exſcribam.

V. Itaque falſo affirmant, poſſe Regulares illis, qui voto caſtitatis obſtricti ſacrilege Matrimonium, vel contrahere tentant, vel contraxere, & conſummarunt, facultatem largiri petendi debitum. Et quidem non poſſe hoc a Regularibus concedi ante contractum Matrimonium, fatentur ſin omnes, ſaltem plerique cordatiores Probabiliſtæ: idem enim eſſet, ac in voto caſtitatis diſpenſare, cum adhuc illud implere poſſint, & obſervare. Sed celebrato jam Matrimonio, immo & conſummato, facultatem largiri poſſe petendi debitum illis concedunt; quia inquiunt 1. tunc non in voto caſtitatis diſpenſant, quo adhuc ligatus remanet, adeo ut decedente uxore aliam ducere non poſſit; ſed ſolum quoad ejus partem, ſcilicet quoad petitionem debiti. 2. Id totum poſſunt Regulares concedere, quod valent Epiſcopi largiri, de quibus nemo dubitat, poſſe illos talem facultatem concedere. 3. Bullas adducunt Innoc. VIII. Eugen. IV. Sixti IV. Pauli III. poteſtatem facientium Regularibus vota diſpenſandi. Verum quam inepte hæc dicta ſint, ſic oſtendo. Nam 1. votum caſtitatis ita eſt Apoſtolicæ Sedi reſervatum, ut cuilibet Confeſſario, quantumvis privilegiato, ſub pœna excommunicationis Summo Pontifici reſervatæ interdictum ſit diſpenſare, vel commutare. Porro etiam poſt celebratum, & conſummatum Matrimonium adhuc durat præfatum votum abſolutum, perfectum, & perpetuum, quale ante Matrimonii celebrationem emiſſum erat; nec ſequens Matrimonium ejus naturam mutavit, aut ſuſtulit: ergo in ipſo diſpenſare non poſſunt Regulares. Nec valet, non concedi totalem, ſed partialem tantum diſpenſationem. Nam hæc qualiſcumque diſpenſatio ſemper reſpicit votum caſtitatis perpetuum permanens abſolutum, in quo vel diſpenſare, vel illud commutare Regularibus vetitum eſt. Eapropter hoc partialis, vel totalis diſpenſationis effugium excogitatum videtur ad eludenda Summorum Pontificum Decreta, & Conſtitutiones, ſibi votum caſtitatis reſervantium. Nec urget alia ratio ex Epiſcoporum auctoritate deſumpta. Nam falſum eſt, id omne poſſe Regulares, quod poſſunt Epiſcopi reſpectu ſecularium: & dato etiam, quod eadem pollerent auctoritate, tamen ſicut Epiſcopi non poſſunt in voto caſtitatis diſpenſare, ita nec Regulares. Quod ſi conceditur Epiſcopis, ut diſpenſent in petitione debiti; hoc illis, ut mox diximus, competit, non de jure, ſed ex conſuetudine, tacita Summorum Pontificum conceſſione adprobata, quæ conſuetudo locum non habet in Regularibus. Nec illis favent jactatæ Bullæ Eugenii IV. Sixti IV. Innoc. VIII. & Pauli III. quas in Tract. de 11. Decal. Præcepto Diſſert. 2. de voto cap. 14. n. 16. dubias, incertas, & revocatas oſtendimus. Legatur laudatus P. Gabriel a Vicentia cap. 25.

VI. Conceſſum non eſt Regularibus, ut cum inceſtuoſis diſpenſare poſſint, & facultatem illis largiri petendi debitum. Theologi oppoſitum docentes plura afferunt ſuæ doctrina documenta. Et 1. quidem Privilegium conceſſum a S. Pio V. Confeſſariis Minorum de Obſervantia ad inſtantiam P. Joannis de Aguilera, cujus authenticum teſtimonium extat in Conventu Aracælenſi. 1. Privilegium Eugenii IV. conceſſum Benedictinis Congregationis Caſſinenſis per Bullam datam anno 1439. pridie Kal. Julii. 2. Privilegium Leonis X. PP. Auguſtinianis datum, quo illis facultas conceditur, ut cum his, *qui in primo affinitatis gradu ſcienter, aut ignoranter contraxerunt, modo id notorium non fuerit, neque in judicium productum, diſpenſare valeant, ut de novo contrahant, & in eodem contracto Matrimonio remaneant, prole etiam legitimata.*

VII. Verum hæc nimis infirma ſunt, & nutantia, ut illis inniti poſſimus, & adſertam faculatem certo Regularibus conceſſam affirmare. Nam Pii V. privilegium merum eſt vivæ vocis oraculum. Porro hujuſmodi vivæ vocis oracula poſtmodum revocata fuere poſteriore ſua Conſtitutione ab Urbano VIII. Quamobrem Lezana Tom. 1. cap. 19. n. 26. & Lucius Ferrari v. *Debitum conjugale* art. 2. n. 14. licet præfati privilegii patroni, & propugnatores, fatentur præfatum Oraculum parum, aut omnino nihil ad rem valere. In altero vero Privilegio Benedictinis conceſſo ab Eugenio IV. nec verbum habetur de aſſerta facultate diſpenſandi cum inceſtuoſis conjugibus ad petendum debitum. Quod fatetur & ipſe Ferrarius: ſed addit Julium II. declaraſſe in præfata Bulla eam poteſtatem fuiſſe conceſſam, & ſuam declarationem notam fieri voluiſſe a Ludovico S. Marcelli Presbytero Cardinali maximo Pœnitentiario, & ab eo officii Pœnitentiariæ ſigillo muniri. Verum, præter quam quod præfata declaratio eſt merum vivæ vocis Oraculum in revocatione Urbani VIII. contentum, dicimus eſſe adhuc valde ſuſpectum. Quomodo enim declarare poterat Julius in Bulla Eugenii contineri, quod minime dicebatur? Poterat quidem, ſi ſibi lubebat, novum privilegium concedere: at affirmare illud iu Bulla, ubi nec verbum habetur, contineri, ſine falſitate declarare

rare omnino non poterat. Præterea nec in Magno Bullario Romano, neque in peculiari Bullario Caſſinenſi, in quo Margerinus omnia Caſſinenſium privilegia ex Archivis, & Bibliothecis ſtudioſe conquiſita diligenter collegit, nec vola, nec veſtigium reperitur præfatæ declarationis. Ulterius Theologi, qui ad hanc facultatem Regularibus aſſerendam præfato utuntur Privilegio Caſſinatibus conceſſo, minime inter ſe conveniunt. Alii ſiquidem, nimirum Lezana, Miranda, & Rodericus conceſſum dicunt a Martino V. & confirmatum a Julio II. Alii, nimirum Ferrarius, datum affirmant ab Eugenio IV. & ab eodem Julio confirmatum. Nonnulli præterea Provincialis deſignationem neceſſariam dicunt, ut Religioſi hac uti valeant facultate: alii ſufficere autumant deſignationem a locali Superiore factam: immo & aliqui nullius ſpecialem deputationem neceſſariam eſſe arbitrantur. Ex quibus diſſitis ſententiis manifeſte apparet, eos indubiam, & authenticam conceſſionem minime vel vidiſſe, vel legiſſe: nulla proinde fide dignandi, quorum non eſt conveniens teſtimonium. Quoad privilegium a Leone X. Auguſtinianis conceſſum, miror in medium a Theologis adduci, cum in illo nihil omnino habeatur ad rem. In illo enim ſolum conceditur facultas diſpenſandi in impedimento occulto affinitatis ad revalidandum Matrimonium nullum; non vero poteſtas confertur reſtituendi inceſtuoſis jus petendi debitum. At reponit Reiffenſtuel juxta Regulam 53. Juris in 6. *cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*: ſi igitur conceſſum eſt Auguſtinianis diſpenſare in impedimento affinitatis, & validum reddere Matrimonium invalidum; multo magis eſt illis conceſſum liberos reddere inceſtuoſos ab onere non petendi debitum, quod longe minus eſt. Verum fallitur laudatus Auctor: nam præfata Regula pluribus ſubjacet exceptionibus, maxime in iis, quæ a mera concedentis voluntate procedunt; ut patet in facultate Regularibus conceſſa abſolvendi a pluribus caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, qui tamen non valent abſolvere a criminibus, & cenſuris ab Ordinariis ſibi reſervatis. Præterea merito de veritate, & authentia præfati Privilegii dubium ſuboritur, cum exorbitans ſit. Nam nec ipſis Epiſcopis conceſſum eſt diſpenſare in impedimento occulto dirimente. At ſi quando hanc ſibi poſſunt facultatem tribuere, plures circumſtantiæ interveniant oportet, ut declaravit Bened. XIV. de Synod. lib. 9. cap. 2. num. 1. videlicet quod Matrimonium fuerit bona fide contractum, & quod ad Pontificem non pateat confugium. At in hoc privilegio conceditur Regularibus, ut poſſint diſpenſare etiam in Matrimonio mala fide contracto, etiam nulla urgente neceſſitate, nulla appoſita limitatione. Porro quis credat conceſſum Regularibus privilegium, quod denegatur Epiſcopis, & his illos eſſe in tam magna poteſtate antepoſitos? Denique hoc privilegio nunquam uſi ſunt Regulares, nec quiſquam auſus eſt diſpenſare in impedimento occulto in primo gradu affinitatis: immo & ii ipſi, qui illud allegant, fatentur non expedire illo in praxi uti. A primo itaque ad poſtremum luculenter apparet non conſtare, nec probabiliter, facultatem conceſſam fuiſſe, ſeu ullum datum Privilegium Regularibus, ut cum inceſtuoſis conjugibus diſpenſare poſſint, & illis facultatem tribuere petendi debitum. Unde merito laudatus P. Gabriel a Vicentia monitum repetit Antonii de Corduba: „ Non eſt ſecurum uti tali conceſſione diſpenſandi in affinitate, quia non conſtat de veritate, ſed de rumore illius conceſſionis, nec habetur in Libris Ordinis (Minorum). Ideo in re tanti momenti non eſt credendum rumoribus “.

VIII. Summi Pontifices poteſtatem habent diſpenſandi in impedimentis dirimentibus Matrimonium jure eccleſiaſtico: nam quæ dirimunt jure naturæ, vel divino, diſpenſationem non admittunt. Quamobrem diſpenſare non poſſunt in impedimentis erroris, violentiæ, impotentiæ perpetuæ, & ligaminis, & juxta S. Thom. voti ſolemnis. Nam in primis duobus deeſt conſenſus jure naturæ omnino neceſſarius ad Matrimonium: tertium naturalem ineptitudinem affert ad Matrimonium: quartum polygamiam induceret lege evangelica vetitam: in quinto vero Deo perſona ſubtrahitur illi ſolemniter dedicata. Præterea diſpenſare minime poſſunt in conſanguinitatis lineæ rectæ gradibus; immo nec in primo gradu lineæ tranſverſæ unquam diſpenſaſſe Eccleſiam invenitur, nec conceſſit unquam ſorori, ut fratri nubat. In aliis vero impedimentis diſpenſare poſſe omnes conſentiunt Theologi; & merito: nam cum lex impedimentorum mere eccleſiaſtica auctoritate inducta ſit, etiam eadem eccleſiaſtica, & ſuprema auctoritate tolli poteſt, & diſpenſatione relaxari. Quare merito Tridentina Synodus ſeſſ. 24. can. 3. definivit: „ Si quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, *nec poſſe Eccleſiam in nonnullis eorum diſpenſare*, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant; anathema ſit “. Idem Concilium etiam diſpenſationis concedendæ hanc legem conſtituit laud. ſeſſ. cap. 3. de Reformat. „ In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa, & gratis conceδatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam “.

IX. Quo autem jure Summis Pontificibus reſervata ſit impedimentorum diſpenſatio, obſervat Caba ſſutius, cui omnes Theologi conſentiunt, ideo reſervatam, quia a Conciliis, aut Summis Pontificibus ea ſunt conſtituta impedimenta, quorum Decreta nequit inferior infringere, iiſque nulla ratione contraire, & leges a Superiore latas aut abrogare, aut relaxare. Secundo, quia licet nullus extet canon, vel Decretum illorum diſpenſationem ita Pontificibus reſervans, ut Epiſcopos excludat: tamen diuturno, & vigente uſu, & conſuetudine factum eſt, ut conſentientibus Epiſcopis, ſolus Pontifex Maximus in impedimentis dirimentibus diſpenſet. Eapropter optime docet Natalis Alexander hic Reg. 11. „ Hodierna Eccleſiæ diſciplina, ſecundum quam diſpenſationes in gradibus prohibitis conſanguinitatis, vel affinitatis, aliiſque impedimentis dirimentibus Romano Pontifici reſervatæ ſunt, cum publicum impedimentum eſt, & de contrahendo Matrimonio

„ nio agitur, non permittit, ut Epiſcopi in iis „ circumſtantiis diſpenſent “. Hinc factum eſt, in aliquibus Eccleſiis Galliarum præſertim, & Germaniæ, Epiſcopi in aliquibus impedimentis diſpenſandi polleant poteſtate, „ ex antiqua ſcilicet „ (ut ſubdit laud. Natalis Alex.) & legitime præ- „ ſcripta Diœceſis conſuetudine... Siquidem conſue- „ tudo legitime præſcripta juri poſitivo præju- „ dicat, uſuſque longævi non levis eſt aucto- „ ritas “.

X. Quid autem poſſint communiter omnes Epiſcopi præſtare in impedimentis Matrimonii, dilucide docuit ſapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. de Synodo lib. 9. Capp. 1. 2. Nam 1. ſtatuit non eſſe admittendum tanquam axioma certum, & indubitatum, *Quidquid poteſt Pontifex in univerſo Orbe, ſi ea excipias, quæ totius Eccleſiæ ſtatum reſpiciunt, uti articulum fidei definire, poſſe & Epiſcopum in ſua Diœceſi, niſi ſpecialiter Papa illud ſibi reſervavit*. Quod confirmat pluribus, & luculentis argumentis. 2. Non eſt fas Epiſcopis removere impedimenta dirimentia Matrimonium, ſeu quempiam abſolvere ab impedimento, quo detinetur, veniamque eidem concedere, ut impedimento non obſtante Matrimonium contrahat. 3. Poſſe Epiſcopum in Matrimonio jam contracto diſpenſationem concedere ab impedimentis dirimentibus, dummodo hæ ſex concurrant conditiones. 1. Ut jam Matrimonium ſit contractum in facie Eccleſiæ omnibus adhibitis ſolemnitatibus. 2. Ut contractum ſit bona fide ex juris, vel facti ignorantia. 3. Ut ſit conſummatum. 4. Ut impedimentum ſit occultum. 5. Ut non poſſit facile adiri prima Sedes, ſeu diſpenſatio a Papa obtineri ob conjugum paupertatem, ruſticitatem, locorum diſtantiam, aliaſque ſimiles cauſas. 6. Denique ut non poſſit ſeparatio fieri abſque ſcandalo. Si vero aliqua obſit ex præfatis circumſtantiis, & perſonæ ſint pauperes, aut rudes, ac ruſticæ, officium erit Ordinarii proſequi hanc diſpenſationem in forma pauperum apud Sedem Apoſtolicam, ut plane gratis, & ſine compoſitione obtineatur.

XI. Quoad impedimenta vero publica, quæ Matrimonium præcedunt, fuſe oſtendit non licere Epiſcopis, nec gravi urgente neceſſitate, in illis diſpenſare, nec ſemper ipſam conſuetudinem, etſi longævam, hanc illis auctoritatem conferre, quando prudenter dubitari poteſt, an talis conſuetudo revera obtinuerit, ſed ſolum inducta ſit ex aliquo mere perſonali privilegio alicui determinato Epiſcopo conceſſo, quod poſtea ejus Succeſſores, prædeceſſoris ſolum exemplum attendentes, non titulum inſpicientes, ſibi ex conſuetudine convenire arbitrati ſunt; quod luculentis confirmat rationibus, & monumentis. Immo addit attendendum etiam, num aſſerta conſuetudo, quæ ad tollenda, & minuenda juri uni competentia Romano Pontifici ordinatur, eam obtineat neceſſariam conditionem, ut centum ad minus annorum ſpatio ſine ulla interruptione perſeveraverit; & etiam num per eam nervus diſrumpatur Eccleſiaſticæ diſciplinæ: tunc enim nunquam contra legem locum habet præſcriptio, vel contraria conſuetudo.

XII. Denique licet proteſtetur, ſe nullum velle judicium ferre, non improbandam tamen abſolute dicit eam Theologorum, & Juriſperitorum doctrinam, aſſerentium quandoque licere Epiſcopis extraordinaria poteſtate & ex præſumpta Summi Pontificis auctoritate diſpenſare in aliquo impedimento dirimente occulto in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis, quando ſcilicet obſtet Matrimonio nondum contracto, ſed mox contrahendo; & tales urgeant circumſtantiæ, ut nec Summus Pontifex conſuli, nec Matrimonii contractus, ad quem omnia ſunt diſpoſita, differri poſſit ſine ſcandalo, & paratorum ad nuptias infamia: tunc enim ad præcavenda prædicta gravia mala, ſi alius non ſuppetat modus illis occurrendi, præſumendum eſt Summum Pontificem delegare Epiſcopo poteſtatem diſpenſandi, quam certe requiſitus non eſſet denegaturus: quam poteſtatem concedit etiam Epiſcopis, quando, imminente morte alterutrius conjugis, neceſſarium foret Matrimonium ad prolem legitimam conſtituendam, ad evitandam feminæ infamiam, & alia gravia mala, & abſurda. Quod quidem evincunt hoc non contemnendo argumento. Nam, inquiunt, leges Eccleſiæ ordinatæ ſunt in bonum commune fidelium, & ad ſuavem Chriſtianæ Reipublicæ gubernationem. Porro bono communi obſiſterent, contra caritatem pugnarent, & aſperum, ac durum redderent gubernium Summi Pontifices, ſi has diſpenſationes ſibi adhuc reſervatas vellent in tanto animarum periculo, & fidelium damno, ac detrimento. His itaque inſiſtere doctrinis debent Epiſcopi, eorumque Conſultores Theologi, ne vel nimium ex philautia ſuam dilatent auctoritatem, vel nimia puſillanimitate ampliſſimam ſuam auctoritatem, ſolum in bonum Eccleſiæ reſtrictam, adhibere vereantur. Reliquæ vero doctrinæ, quæ ad diſpenſationem pertinent, habentur fuſæ in laud. Tract. 1. de Legibus Diſſ. 4. Cap. 9. & ſeq.

CAPUT VIGESIMUM.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *A quibus petenda ſit diſpenſatio in impedimentis dirimentibus.*
II. *Veritas requiſita in petitione diſpenſationis.*
III. *Præſtanda in executione diſpenſationis.*
IV. *Num renovandus conſenſus in facie Eccleſiæ.*
V. *Quomodo certioranda pars inſcia de impedimento.*
VI. *Satisfactiones injungendæ a Confeſſario.*
Reflexio.

Conſectarium Primum.

I. Diſpenſationes ab impedimentis dirimentibus obtineri poſſunt & pro foro tantum conſcientiæ, quando occulta ſunt, & pro foro exteriori, quando publica, & manifeſta. Pro prioribus recurrendum ad Sacram Pœnitentiariam formula, quam dedimus loc. mox cit. de Legibus. Pro poſterioribus vero ad Datariam. In contractis tamen Matrimoniis pro eorum revalidatione nunquam diſpenſationem largitur Sacra Pœnitentiaria in gradibus primo, & ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita; niſi forte in ſecundo gradu per decennium duraverit occultum impedimentum, & conjuges ut legitimi fuerint reputati. In reliquis vero diſpenſat. Sicut etiam

in

in gradibus tertio, & quarto publicis valida reddit Matrimonia ex cauſa occulta ſubreptionis, vel obreptionis litterarum Apoſtolicarum, invalide contracta; dummodo falſitas non ſita ſit in falſa narratione præcedentis copulæ. Ita ſtatuit Innocent. XII. In Matrimoniis vero contrahendis in præfato Decreto jubetur, ut Major Pœnitentiarius a Diſpenſationibus ſuper quocumque impedimento, ex quovis gradu conſanguinitatis, ſive affinitatis ex copula licita, ſive ex cognatione ſpirituali proveniente, tametſi impedimentum ſit occultum, & periculum ſcandalorum immineat, abſtineat. Quamobrem in præfatis caſibus eſt ad Datariam recurrendum. Excipitur tamen impedimentum publicæ honeſtatis, ortum ex ſponſalibus occultis, in quo Major Pœnitentiarius diſpenſat etiam pro Matrimonio contrahendo.

Conſectarium Secundum.

II. In petendis diſpenſationibus Matrimonialibus a Sacra Pœnitentiaria a veritate non eſt recedendum, ſed omnia candide, & clare exponenda. Primo itaque explicandum impedimentum, ſuper quo petitur diſpenſatio, rite, & in ſua ſpecie, & gradu, nec unum pro alio, licet majus pro minore, puta conſanguinitatis pro affinitate; cum in diſpenſationibus locum non habeat argumentum a minori ad majus. 2. Si plura ſunt impedimenta, omnia ſunt in una ſupplicatione exponenda, licet alterum publicum ſit, nec a Pœnitentiaria diſpenſandum, alterum occultum. 3. Si copula præceſſerit. 4. Si illa habita fuerit ſub ſpe diſpenſationis facilius obtinendæ. 5. Si de contracto Matrimonio agatur, exponere debent 1. num bona, vel mala fide contraxerint. 2. Num contraxerint ſpe diſpenſationis facilius obtinendæ. 3. Num Matrimonium conſummaverint. 4. Num ignorantes impedimentum Clandeſtinitatis contraxerint, vel non præmiſſis denunciationibus. In impedimento conſanguinitatis linea exprimenda, num recta ſit, vel tranſverſalis, nec non ejuſdem lineæ conjugis utriuſque gradus. In Affinitatis vero impedimento explicari debent 1. gradus: 2. Et vinculi multiplicitas, puta, ſi cum pluribus conſanguineis illius, quam ſibi Matrimonio jungere tentat, vel jam conjunctus eſt, rem habuerit, & gradus proximior. Pro diſpenſatione ab impedimento publicæ honeſtatis explicandum, num ex ſponſalibus oriatur, vel ex Matrimonio; & in quo gradu ſint contrahere volentes. Circa ſpiritualem cognationem explicari debet, num ſit paternitas, vel maternitas ex una parte, proinde ex alia filiatio; vel ſolum compaternitas, vel commaternitas: num duplex ſit, nimirum vel ex Baptiſmo, & Confirmatione, vel ex reciproco, quia alius alterius filium e ſacro fonte levavit. In impedimento criminis exponendum, num fuerit ex machinatione conjugis, num ex ſolo adulterio, ſine machinatione, an ex utroque ſimul. Qui plura cupit, opus legat P. Tiburtii Navarro, cui titulus, *Manuductio ad praxim executionis litterarum Sacræ Pœnitentiariæ.*

Conſectarium Tertium.

III. Obtenta a Sacra Pœnitentiaria diſpenſatione, hæc obſervare debet Sacer Miniſter, cui executio commiſſa eſt. 1. Expendere debet ſedulo, num res ſit fideliter ac integre expoſita: in quo tamen Pœnitenti credere debet, nec aliunde veritatem inquirere; immo nec ab ipſo Pœnitente juramentum extorquere debet, ut minus recte docet Pontaſius. 2. Ejus Sacramentalem confeſſionem audire: non enim extra Confeſſionem poteſtate ſibi conceſſa uti poteſt, cum aperte in litteris dicatur, *audita prius Sacramentali Confeſſione*; quæ clauſula, optime obſervat Marcus Paulus Leonus in ſua Praxi ad litteras Majoris Pœnitentiarii Par. 1. pag. 19. importat conditionem, ſine qua non fuiſſet conceſſa hujuſmodi facultas Confeſſario. 5. Expendere, num delictum occultum ſit. Occultum autem dicitur crimen, licet aliquibus paucilque perſonis notum ſit; ut docet Fagnanus Cap. *Veſtra* num. 106. de cohabit. Cler. & Mulier. ſcribens: „ Dicitur impedimentum, vel crimen oc„ cultum, licet aliquibus ſit notum, puta qua„ tuor, vel quinque, & hanc opinionem ſervat „ Sacra Pœnitentiaria “; in qua ipſe Correctoris munere functus eſt: vel licet olim publicum fuerit, tamen tractu temporis occultum factum eſt. Excipitur tamen, niſi in litteris hæc adhibeatur formula, dummodo *impedimentum occultum ſit*; quæ maxime adhibetur in diſpenſatione impedimenti criminis: tunc enim, ut ſubdit laudatus Præſul, ita eſſe occultum debet, ut nulla ratione probari poſſit; eapropter occultum non eſt, ſi duobus, vel quatuor innoteſcat. Si vero notum ſit, ubi commiſſum eſt crimen, licet occultum, ubi eſt diſpenſatio executioni demandanda, ab executione abſtineat Confeſſarius, & Pœnitenti injungat, ut Sacræ Pœnitentiariæ iterum ſcribat, & de criminis notitia Sacrum Tribunal conſcium faciat, niſi id in prima petitione præſtitiſſet; ut docet Tiburtius Navarrus in cit. Opere pag. 20. Quando crimen publicum eſt, at ut tale non agnoſcitur, quia legitime factum creditur; ut ſi quis hominem interficiat ex odio, ſed ab omnibus credatur occiſus ob vitæ defenſionem; ſi quis Monaſterium Monialium ingrediatur, ſed id factum credatur obtenta licentia; adhuc crimen vere occultum eſt, & ut tale habendum. Secus vero dicendum, ſi crimen ut crimen notum ſit, licet ignota pœna, cenſura, impedimentum illi adnexum; ut optime docet contra plures benigniores Theologos Theſaurus de Pœnis Eccleſiaſticis ſcribens: „ Aliqui audent, & dicunt, etiamſi ſit pu„ blicum ut delictum, ſi tamen ſit occultum in „ ratione pœnæ annexæ in jure, poſſe diſpenſari, „ vel abſolvi ab illa tanquam in occultis. Tamen „ contrarium tenendum eſt, quia hæc eſt juris i„ gnorantia, quæ non excuſat ad hunc effectum; „ & hoc obſervat Sacra Pœnitentiaria “.

Præterea aliæ binæ apponuntur conditiones, quæ Sacris Miniſtris non leve ingerunt negotium. Nimirum, ſi diſpenſatio cadat ſuper impedimentum alteri tantum ex conjugibus notum, indicitur 1. ut pars inſcia de impedimento certioretur: 2. ut Matrimonium iterum contrahatur. Sic enim indicitur in Litteris Sacræ Pœnitentiariæ: „ De„ mum dummodo impedimentum præfatum occul„ tum ſit, & ſeparatio inter latorem, & dictam „ mulierem fieri non poſſit abſque ſcandalo . . . „ cum eodem latore, aut dicta muliere, de nul-

„ *nullitate prioris conſenſus certiorata*, ſed ita „ caute, ut latoris delictum nunquam detegatur, „ Matrimonium cum eadem muliere, & uterque „ inter ſe de *novo ſecreto* ad evitanda ſcandala, „ præmiſſis non obſtantibus, *contrahere*, & in eo „ poſtmodum remanere legitime valeat, miſericor- „ diter diſpenſet “. De his itaque duobus ſequentibus conſectariis dicemus; & primum de poſteriori.

Conſectarium Quartum.

IV. Matrimonium nullum ex occulto, & latente impedimento jam celebratum in facie Eccleſiæ, non eſt coram Parocho, & teſtibus renovandum, ſed ſufficit mutuus contrahentium conſenſus. Oppoſitum plane docet P. Concina Pauli Comitoli fretus auctoritate, qui vivæ vocis Oraculum factum a Clemente VIII. P. Tuccio refert, quo laudatus Pontifex indixit renovandum eſſe Matrimonium coram Parocho, & teſtibus; cum illud jam præſtitum in facie Eccleſiæ nullum fuerit. Verum noſtram doctrinam aperte docet, & ſtrenue propugnat Lambertinus in ſua Inſtruct. 87. n. 62. & ſeq. his argumentis. 1. Quia ſic declaravit Sacra Pœnitentiaria habito oraculo S. Pii V. ut habetur apud Navarrum Conſul. 4. de ſponſalibus. 2. Quia ita pluries declaravit Sacra Congregatio Concilii, tum apud Fagnanum, tum in pluribus Deciſionibus, Hiſpalenſi 20. Julii anni 1609. & Conſtantinopolitana 2. Decembris ejuſdem anni. 3. Quia cum Sacræ Rotæ Auditores hac de re dubitarent, Cardinalis Caraffa, vocatis ad ſe binis ejuſdem Rotæ Auditoribus, illis oſtendit, Congregationis Concilii deciſiones habitas fuiſſe juxta ſtylum Sacræ Pœnitentiariæ, & declarationem S. Pii V. qui proinde acquievere, & eandem normam poſtea ſunt ſecuti in ſuis Deciſionibus. 4. Hanc doctrinam confirmat auctoritate plurimorum Theologorum, & juris Canonici Doctorum, quorum loca citat. 5. Ratione ſatis luculenta confirmat; videlicet quia ſemel celebrato coram Parocho, & teſtibus Matrimonio, jam nullum amplius ſuboriri poteſt abſurdum, vel inconveniens, cujus gratia celebratio Matrimonii in dubium poſſit revocari. Quamobrem optime definit, præceptum Sacræ Pœnitentiariæ, renovationem ſecretam Matrimonii mandantis, optime impleri per ſolum mutuum conjugatorum conſenſum, quin Parochi, & teſtium ſit amplius requiſita præſentia. Quæ tamen omnino neceſſaria eſt, quando Matrimonium eſt renovandum ex impedimento publico, & manifeſto.

Conſectarium Quintum.

V. At longe majorem poſtulat laborem alterius clauſulæ impletio, nimirum, ut *pars inſcia certior fiat* de nullitate Matrimonii; & ita *ſecreto*, & *prudenter*, ut admiſſi criminis notitiam non aſſequatur. Et quidem nullus, vel levis occurrit labor, quando conjuges ſe diligunt, nec ulla eſt in Matrimonio diſcordia; vel impedimenti manifeſtatio nullam affert infamiam. At opus, labor eſt, quando vel ſine infamia impedimentum detegi non poteſt; vel alter reluctetur Matrimonium confirmare. Verum & hanc quoque difficultatem accurate expendit Lambertinus laud. Inſtr. 87. num. 1. Et 1. quidem cum Van-Eſpenio ſalebroſi caſus difficultatem agnoſcit; ideoque a Deo lumen, auxilium, & conſilium efflagitandum dicit. 2. Illorum rejicit opinionem, qui in præfata clauſula non niſi *meram* contineri arbitrantur *inſtructionem*: nimirum ut Miniſter curet quidem inſciam partem certiorem fieri de nullitate Matrimonii; at ſi in re id fieri non poſſit, minime ſit de hoc ſollicitus, & quocumque modo renovationem Matrimonii obtineat. Oſtendit itaque in præfatis verbis *veram conditionem abſolute ponendam* indici: quam ſervandam etiam dicit, quando nullum eſt Matrimonium ex defectu conſenſus alterius partis, aut quæ coacte Matrimonium celebravit: non enim ſatis eſt, ut ipſa voluntarium apponat, & liberum conſenſum; ſed oportet, ut alter quoque, qui libere conſenſit, de deficientia prioris conſenſus certior fiat; ut declaravit Clemens VIII., cum ad Matrimonii revalidationem neceſſaria ſit notitia impedimenti data illi inſcio; nec ſufficiat quoquomodo novum obtinere conſenſum: nam tutior opinio in Sacramentis ſemper, relicta probabiliore, tenenda eſt: & eam ſemper Sacra amplectitur Pœnitentiaria, nec ab illa unquam recedit. 3. Proinde pro certo, & indubitato haberi, talem notitiam eſſe parti ignoranti dandam, ut omnes docent peritiores Theologi, qui proinde non, utrum danda ſit, quærunt; ſed, quomodo caute exhiberi poſſit, ſtudioſe inquirunt. 4. Varios ad hoc modos ab ipſis excogitatos expendit. Et primum quidem in eo ſitum, quod pars impedimenti conſcia alteri ignaræ dicat, dubium, vel ſuſpicionem ſibi ſuboriri de validitate Matrimonii, proinde expetere, ut renovetur conſenſus, rejicit: quia hoc pacto pars non certior efficitur de impedimento vere, & realiter exiſtente, & certo non dubio, nec in ſola ſuſpicione ſito. Nam, ut inquit Marcus Paulus Leonus: „ Mulier inſcia eſt certioranda de „ nullitate prioris conſenſus, hoc eſt *certa* facien- „ da. Non ſit autem certa per verbum illud, *ſuſ-* „ *picor*, vel *dubito*, ſed ſolum titubans; nam cer- „ titudo dubitationem omnem excludit “. Rejicit & alterum modum ſcilicet, ut pars impedimenti conſcia ignoranti dicat, ſe illam tam deperire, ut, ſi eſſet liber, adhuc vellet eam in conjugem habere, & altera reſpondente, ſe & idem velle, habeatur renovatum Matrimonium: nam remanet ſemper pars inſcia in ſua ignorantia. Nec minus ineptum tertium habet modum, ſcilicet ut conjuges copulam habeant affectu maritali. Nam hæc copula vel habetur prævie ad diſpenſationem; & tunc illicita eſt, criminoſa, cum certus de impedimento nec petere poſſit, nec debitum reddere: ſi vero poſt diſpenſationem, qui fieri poteſt, aut concipi, ut per hujuſmodi copulam alia pars certior fiat de nullitate Matrimonii, quæ debitum quidem reddit, & ſi lubet, etiam maritali affectu; at non vi, & efficacia novi conſenſus, ſed veteris jam præſtiti, qui nullus fuit, & ineptus ad Matrimonium? Supereſt igitur ſolum quartus modus, ut ſcilicet aperte dicat pars conſcia impedimenti, invalidum fuiſſe præſtitum in præcedenti Matrimonio conſenſum; proinde ex conſilio, & præcepto Confeſſarii ad animæ quietem, & ſalutis animæ ſecuritatem mutuo conſenſu eſſe renovandum Matrimonium,

nium, & altera parte annuente, impletum eſt Sacræ Pœnitentiariæ præceptum, & validum effectum Matrimonium.

Bene eſt utique, ſi res ita progrediatur: at, ſi timeatur, ne pars inſcia impedimenti, minimeque de Matrimonio contenta, renuat novum præbere conſenſum; immo de impedimento inquirens, illud detegat, unde diſſolutio oriatur Matrimonii cum familiæ dedecore, proximorum ſcandalo, propinquorum diſſidiis, aliiſque detrimentis; num licebit ſaltem in hoc anfractu alium ex rejectis modis eligere? Minime, inquit Lambertinus, ſed iterum confugiendum ad Majorem Pœnitentiarium, qui difficultatibus bene perpenſis, & verbo habito cum Sanctiſſimo, a renovatione Matrimonii diſpenſare poterit, & diſpenſationem elargiri in ipſa radice Matrimonii; ut factum fuit cum quibuſdam Indiarum incolis a Clemente XI. Brevi dato 2. Aprilis anni 1700. Verum monet, hujuſmodi diſpenſationem ſine renovatione conſenſus minime concedi, nec ſperandam pro privatis perſonis: proinde monet, ut urgenti tam ſalebroſo caſu, Confeſſarius, ſive Parochus ad Ordinarium confugiat, illique reticitis Conjugatorum nominibus negotium pandat; & quid opportuno conſilio, & prudenti agendum ſit, ab ipſo expectandum.

Conſectarium Sextum.

VI. Pro executione litterarum Pœnitentiariæ hæc ſunt ulterius præſtanda. Injungenda conſtituta in ipſis litteris ſalutaris pœnitentia, quam Confeſſarius vel tollere, vel diminuere, vel in aliam commutare non poteſt. Quod ſi nulla ſit conſtituta, ſed arbitrio Confeſſarii relicta, talis eſſe debet, ut gravitati criminis reſpondeat, inſpectis tamen ſexu, ætate, & qualitatibus pœnitentis; & quæ tandiu duret, quandiu perſeverat beneficium Diſpenſationis, quo ceſſante per mortem conjugis ceſſet. Hujuſmodi autem pœnalia opera eſſe poſſunt vel quotidiana eleemoſyna, vel precum Roſarii recitatio, cum jejunio ſemel in hebdomada habendo, & menſtrua Confeſſione. Deinde, data abſolutione a peccatis, hæc addenda formula: *Et inſuper auctoritate Apoſtolica, mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimento* (& hic ejus nomen dicat) *ut præfato impedimento non obſtante Matrimonium cum data muliere, ſervata forma Concilii Tridentini, contrahere, conſummare, ac in eo remanere licite poſſis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Inſuper eadem auctoritate Apoſtolica prolem, quam ex Matrimonio ſuſceperis, legitimam fore annuncio, & declaro. In nomine Patris &c.* Quod ſi agatur de Matrimonio jam contracto, mutentur verba, *ſervata forma Concilii Tridentini contrahere* &c. & addatur *prolem, quam ſuſcepiſti* (ſi forte nati ſint filii) *& ſuſceperis legitimam* &c. Denique laceranda epiſtola Sacræ Pœnitentiariæ, ſive id ſub pœna excommunicationis præcipiatur, ſive talis pœna omittatur. Nam laudata diſpenſatio ſolum in interno foro conſcientiæ locum habet. Quamobrem, ſi impedimentum detegatur, & publicum fiat, poterit Eccleſiaſticus Judex ad conjugum ſeparationem devenire; & de delicto, ſi quod forte commiſſum eſt, inquirere. Qui tamen, ut notat Lambertinus, per Confeſſarium monitus de obtenta diſpenſatione a Sacra Pœnitentiaria, a proſecutione ceſſare, & hujuſmodi notitiæ, & atteſtationi acquieſcere debebit.

REFLEXIO.

I. Ecce tandem Ethicæ Chriſtianæ magnum Opus a Clariſſimo Viro Vincentio Patuzio, cujus memoria apud pios, eruditoſque omnes ſemper in benedictione erit, inceptum, per me Theologorum infimum, abjectiſſimumque, improbo ſex annorum labore, & reluctantis animi perpetua contentione impletum, conſummatumque. Virium mearum imbecillitatis probe conſcius, quantum potui, tantum onus detrectavi; & ſola compulſus obedientiæ vi jumentum factus ſum, & dorſum graviſſimæ ſarcinæ ſuppoſui. Sed quomodo tantum pondus ferre potuiſſem, tamque laborioſum opus perfeciſſem, niſi tu, Domine Jeſu, adjutor fuiſſes in tribulatione, & tenuiſſes manum dexteram meam? Utique Domine, ſi quid in hoc opere bonum eſt, ſi quid utile, ſi quid ſalutare, totum tuum eſt, a te datum, a te deſcendens, lubens agnoſco, tibique intimis præcordiorum affectibus gratias ago, ad honorem, laudem, & gloriam tuam omnia refero. Confiteor tibi, Rex cæli, & terræ Dominus, & honorifico te debito ſacrificio laudis pro ſcire, & poſſe, quod mihi tantillo donare dignatus es. Si qua vero ſunt inſcienter, inſipienter, minus recta, vel erronee dicta, cogitata, confirmata, hæc omnia mea ſunt ex indefectibili fonte humanæ defectibilitatis educta. Pro his a te veniam poſtulo, miſericordiam efflagito, &, ne cui noceant, humiliter oro, & obſecro. Bona enim mea inſtituta tua ſunt, & dona tua; mala mea delicta mea ſunt, & judicia tua ſunt. Reſpiciant Lectores in illis, ſuſpirent in iſtis. Tu qui ſolus laborem, & dolorem conſideras, ne quæſo, derelinquas me in tempore ſenectutis meæ, cum defecerit virtus mea. Merito mihi ſpes valida eſt, quod ſanabis omnes languores meos. Languores quippe mei, Domine, multi ſunt, & magni, magni ſunt & multi; ſed major, & amplior eſt medicina tua. Scio, & fateor, quia multa in me habet princeps hujus mundi. Sed rogo te, piiſſime Jeſu, per Paſſionem, & Crucem tuam, per Mortem, & Reſurrectionem tuam, per Aſcenſionem tuam in cælum, per ſedem Majeſtatis tuæ ad dexteram Patris, libera me, juſtifica me, obſecro, a peccatis, vitiis, & negligentiis meis, reple me tuis ſanctis virtutibus, fac me bonis pollere moribus, & fac me in ſanctis perſeverare operibus uſque in finem, ut per tuam miſericordiam collocatus ad dexteram tuam cum ſanctis omnibus videam, diligam, laudem, glorificem te in ſæcula ſæculorum.

II. Ad te vero converſus, Sancta Mater Eccleſia, omnia quæcumque docui, ſcripſi, vulgavi, tibi ſubmitto, quia Magiſtra es, columna, & firmamentum veritatis. Tu corrige, emenda, dele, rejice, damna, quæ tibi minus recte dicta videbuntur. Quæ tu reprobas, & ipſe reprobo, quæ rejicis, & ipſe rejicio: & quæ tu approbas, non ideo probo, quia a me dicta, ſed quia a te accepta, quia tibi placita, quia per tuam doctrinam, & præ-

prædicationem mihi comperta, & manifeſtata. Te reprehendentem libenter audiam, corrigentem amplectar, damnantem exoſculabor. Tu enim fons es veritatis, Tu domicilium Fidei, Tu templum Dei, in quod ſi quis non intraverit, vel a quo ſi quis exierit, a ſpe vitæ, ac ſalutis æternæ alienus eſt. Adulterari non potes, Sponſa Chriſti incorrupta es, & pudica, unam domum noſcis, unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodis. Tu nos Deo ſervas. Tu filios Regno, quos generaſti, aſſignas. Quiſquis a te ſegregatus adulteræ jungitur, a promiſſionibus tibi a Chriſto Sponſo tuo factis ſeparatur. Nec perveniet ad Chriſti præmia, qui te reliquerit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt.

III. Ad vos vero denique ſermonem meum converto, Lectores omnes, qui hæc mea volumina evolvetis; & vos obſecro, obteſtorque ut nihil meæ deferatis Auctoritati. Res a me dictas expendite: quæ vere, bene, ſalubriter enunciata comperietis, amplectamini, non quia a me dicta, ſed quia vera, quia ratione, auctoritate, ſana doctrina confirmata. Si quæ vero vobis occurrant minus recte, & erronee dicta, emendate, corrigite, rejicite. Unum vos regat veritatis ſtudium. In hanc unice adſpexi ſemper, hanc tota animi contentione quæſivi: at, num ſim aſſecutus, veſtrum erit judicare. Ideo Pyrrhoniſmum effugi, & in ancipitibus, & obſcurioribus quæſtionibus mentem meam aperui, non ut Judex ſederem, non ut Cenſor alienas doctrinas damnarem, ſed ne Tyrones, ancipites relinquerem, & veritatem, quam a me poſtulabant, ſive certam, ſive maxime mihi probabilem ipſis aperirem, argumentis confirmarem, ab objectis vendicarem: quod ſi a me præſtitum agnoſcerent, ſequerentur; ſi vero perperam dictum deprehenderent, omnino abjicerent. Si quod forte mihi excidit verbum aliquibus Theologis, Auctoribus, Scriptoribus minus honorificum, & quod videri poſſit injurioſum, mihi incaute e calamo delapſum profiteor, illud revoco, & ſupplex imprudentiæ meæ veniam poſtulo. Si poſteriora volumina a prioribus, ſive ſoliditate doctrinæ, ſive eruditionis copia, ſive ſermonis elegantia longe diſſita comperietis, ſcitote, me a clariſſimo viro, operis primo Auctore, diſtare, quantum ab Apolline diſtabat in carmine Marſyas: proinde mirum non ſit, ſi

Deſinit in Piſcem Mulier formoſa ſuperne.

MONITUM TYPOGRAPHI.

NEmo nos culpet, ſi polliciti in calce hujus Operis plurium Bullarium ac Pontificiorum Decretorum Collectionem datam fidem minime liberamus. Cum enim hocce poſtremum Volumen præter expectationem noſtram multum excreverit, ne modum excederet, huic additamento locus non amplius ſuperfuit. Novum autem addere Tomum minime opportunum putavimus, ne Emptores plus juſto gravaremus, eos emere cogendo, quæ jam in pluribus aliis Libris fortaſſis jam habent, & quæ etiam ſeorſum edita ſi libuerit ſibi comparare ſemper liberum erit. Vale.

APPENDIX

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

NUNC PRIMUM ADDITA,

NEMPE

DE INDULGENTIIS

Et Requiſitis præſertim ad eas recipiendas Diſpoſitionibus, & Catholicæ Eccleſiæ Doctrina in conferendis ac recipiendis iiſdem illuſtratio

AUTHORE

P. VINCENZIO PATUZZI

ORDINIS PRÆDICATORUM

In Veneta Congregatione B. Jacobi Salamonii Sacr. Theologiæ Profeſſoris.

OCCASIO
PRÆSENTIS OPUSCULI
EJUSQUE CONSPECTUS.

QUum plurimi, iique illuſtres imprimis Scriptores ex omnibus ferme Orbis Chriſtiani partibus etiam hac ætate noſtra, argumentum *de Indulgentiis* accurate copioſeque tractaverint, atque conditiones ad eas tum conferendas, tum vel maxime recipiendas omnino neceſſarias clara in luce expoſuerint, momentiſque firmiſſimis comprobaverint; facile rebar neminem deinceps futurum, qui Caſuiſtarum plurium opinionem jam pœne afflictam ac deploratam in ſcenam denuo revocaret. Cum ecce in manus meas inſperato pervenit libellus novitii cujuſdam e Societate ſcriptoris hoc eodem anno editus Romæ, in quo Author *de requiſitis* differens *ad indulgentias lucrandas* illorum ſententiam toties disjectam, atque convulſam rurſus erigere, ac propugnare adnititur; eamque ſub aſpectum lectorum ita proponit, perinde ac ſi certiſſima illa foret, uniceque citra dubium omne, ac controverſiam tenenda. Profecto, cum legerem, valde miratus ſum Authoris incredibilem confidentiam, qui cum nihil in medium proferat, quod jam funditus labefactatum non fuerit, nihil quod opinioni ſuæ novum aliquod lumen, aut robur adjungat, nec potiora, & illa quidem invictiſſima, adverſæ ſententiæ argumenta diſſolvat, quin & ea ſibi opponere ferme omnia prætermittat, pleniſſimam nihilominus ſibi victoriam accinit, ſuoſque adverſarios proſtraſſe ſe putat, cum quibus ne quidem congreſſus eſt. Id vero præ ceteris mihi viſum eſt nullo modo ferendum, quod cum ille communem Eccleſiæ doctrinam impugnet, quemadmodum in hoc opere palam me facturum confido, adverſarios tamen ſuos, viros utique nedum apprime catholicos, ſed etiam pietate, ac dignitate conſpicuos, quin & egregios aliquos e ſua Societate ſcriptores, Eminentiſſimum ſcilicet Pallavicinum, & P. Gabrielem Antoine (licet eorum nomina ſupprimat) in invidiam trahit, ac ſuſpicionem erroris, quaſi cum Bajo convenirent, & indulgentias utiles quidem, ac ſalutares voce tenus agnoſcerent, reipſa negarent: ſic enim ſcribit *pag.* 32. eos idcirco ita docere, *quia utilitas remiſſionis pœnarum per ſolutionem de theſauro Eccleſiæ ab his Authoribus, vel non agnoſcitur, vel ab aliis, ut agnoſcatur, ipſi nolunt*.

Hæc aliaque me in hoc opuſculo legentem, & attento animo conſiderantem non levia damna, quæ ex hujus lectione obvenire Chriſtiano populo facile poſſunt, vehementer impulere, ut illum dedita opera refutandum ſuſciperem, ac veritatem ſententiæ, quam defendo, ac certiſſimam cenſeo, plena in luce pro viribus ingenii mei collocarem. *Nuperus Author* (ſic enim eum ſemper appellare conſultius duco, quamquam minime veritus ille ſit nomen ſuum in libelli fronte præfigere) Diſſertationem ſuam inſcribit *De requiſitis*, *&* *non requiſitis ad lucrandas indulgentias*: & priorem quidem partem, quæ eſt *de Requiſitis*, ita paucis abſolvit, ut de ea in ſui operis titulo mentionem nullam facere debuiſſet. Nihil enim profert aliud ad eam adſtruendam, præter aſſertionem ſententiæ ſuæ, nimirum, quod *ſuppoſita in ſubjecto capacitate remota, quod homo ſit ratione utens, baptizatus &c.* de quibus nemo dubitat, *requiratur ex parte ipſius diſpoſitio proxima tum habitualis*, *ſcilicet habitus gratiæ, tum actualis*, *nempe executio Operis injuncti*: nihilque aliud præterea. Totus itaque eſt in aſſerenda parte altera, videlicet, *De non requiſitis*: triplicemque comminiſcitur hac de re contrariam opinionem, quæ una reapſe, ac ſola eſt, & controverſiam non explicat, ut par eſſet; ſed implicat potius, atque confundit. Hinc vero ſententiam noſtram, prout eam ſibi confinxit, aggreditur, & confutare molitur, non iis quidem principiis adhibitis, queis pertractandæ ſunt Theologicæ quæſtiones, ſed ſententia ipſa ſua, quæ ſub lite eſt, propoſita tamquam certa, ac penitus explorata, & ut ſummum ratiunculis iiſdem fulta, quæ a noſtris in nihilum ſæpius redactæ fuerunt, & authoritate plurium Caſuiſtarum, quæ nulla plane eſt in hac materia, ſicut & in aliis plurimis, Theologiam maxime moralem ſpectantibus. Nemo quippe neſcit, aut neſcire ſaltem deberet, quam facile in errorem labantur ii, qui deſertis ſinceris Theologiæ fontibus, unde puriores doctrinæ hauriuntur, humanis duntaxat ratiociniis quæſtiones Theologicas dirimere, ac ſtabilire præſumunt.

Brevi Nuperi Auctoris Diſſertationi aliam paulo fuſiorem in hoc opere opponimus, in qua argumentum hoc de Indulgentiis, & *Requiſitis* præſertim ad eas recipiendas diſpoſitionibus expendimus, ac nova fortaſſe methodo, eaque, niſi me opinio fallit, utiliore, & ad Authorem noſtrum, alioſque, qui cum ipſo ſentiunt, confutandos aptiore, proponimus, & illuſtramus. *Catholicæ Eccleſiæ doctrinam in conferen-*

ferendis, *ac recipiendis Indulgentiis* Opuſculum meum inſcribo: id quod nimium a me audacter dictum nulli videri velim: Siquidem argumenta, quæ profero in favorem ſententiæ noſtræ, huc collineant omnia, ut talem eſſe, qualem affirmo, ſatis evidenter oſtendant: quum ex iis promuntur principiis, quæ non aliud evincunt, niſi *Eccleſiæ doctrinam*, divina nempe Scriptura, Apoſtolica traditione, Patrum conſenſu, Conciliorum decretis, ſummorumque Eccleſiæ præſertim Romanæ Paſtorum auctoritatibus.

En vero paucis adumbrata totius Opuſculi mei facies & œconomia. Expoſita primum germana Indulgentiæ notione atque idea, fundamenti loco præſtituo, quæ univerſa Eccleſia in ſacra Tridentina Synodo *de Satisfactione & Indulgentiis* ſancivit. Deinde *de Requiſitis* diſſero ad earumdem valorem *ex parte conferentis*. Quo haud prolixiore oratione præſtito, ad præcipuam, qua de agitur, quæſtionem accedens, aſſerta & explicata vera ſententia, prout fuerat proponenda, eam primo loco defendo ſub iiſdem terminis, quibus probata eſt a Cardinali *Pallavicino*, & improbatur ab Authore noſtro. Tum vero ſententiam, prout frequentius traditur a noſtris Doctoribus, ac inter alios a P. Antoine, adſtruo atque confirmo Scripturæ ſacræ authoritate, veteris Eccleſiæ Catholicæ praxi, ac Summorum Pontificum ætatis quoque noſtræ, aliorumque inſignium virorum clariſſimis documentis. Ex quibus illud etiam conſtare facile poterit, quam longe a veritate abierit Nuperus Author, quantumque lectoribus ſuis imponat, dum Theologos omnes ſibi faventes, *paucis exceptis*, apud imperitos confidentiſſime venditat. H ſce momentis nonnullas adjicio rationes invictas, quæ Theologum virum maxime decent, erutas nempe ex catholicæ doctrinæ principiis, vel ſaltem iiſdem ſubnixas. Demum disjectis diſſipatiſque objectionibus, quæ adverſus ſententiam noſtram vel facta ſunt ab Authore, vel fieri facile poſſunt, Diſſertationem concludo quibuſdam corollariis e noſtra doctrina deductis, quæ utiliora viſa mihi ſunt, planeque neceſſaria.

CAPUT PRIMUM.

Vera ac germana Indulgentiæ notio, atque idea.

INdulgentia, prout hoc loco ſumitur, nihil aliud eſt, ſi proprie loqui velimus, niſi relaxatio, aut moderatio extra Sacramentum ab Eccleſia facta pœnæ temporalis, quam divina juſtitia exigit a peccatoribus pœnitentibus, quibus jam remiſſa fuere peccata, & pœna ſempiterna, quæ iis debebatur. Hinc Eccleſia, ſive ſupremi Eccleſiæ Paſtores tunc *Indulgentiam* concedere dicuntur, cum juxta facultatem ſibi a Domino traditam diſpenſandi cæleſtem theſaurum meritorum Chriſti, ac Sanctorum eas pœnas temporarias remittunt, quæ, ex divinæ Juſtitiæ Decreto, pœnitenti luendæ ſuperſunt, culpa jam virtute Sacramenti deleta. Non ergo Indulgentia peccatum dimittit, neque pœnam æternam, quæ lethalis pecatis conſecutio eſt: ſed neque attingit ullatenus diſpoſitiones, quæ neceſſariæ ſunt ad fructum ſacramenti pœnitentiæ obtinendum, converſionem ſcilicet cordis, peccatorum humilem confeſſionem, ac ſinceram eadem in ſemetipſo puniendi voluntatem. Diſpoſitiones haſce intactas relinquit, atque ſupponit, ſuaque virtus limitatur ad levandum peccatorem ita diſpoſitum en onere pœnæ, quod pro ſatisfactione ſuorum delictorum ſubire debuiſſet. Quanta porro ſit pœna temporaria, quæ juxta Divinæ Juſtitiæ leges peccato jam per pœnitentiam remiſſo reſpondeat, licet exploratum nobis compertumque minime ſit; illud tamen pro certo tenendum, gravem admodum eſſe, ut ex variis certiſſimis documentis colligere fas eſt, eamque majorem, minoremve, prout major, minorve fuerit peccati commiſſi gravitas, attentis etiam circumſtantiis, quæ peccati malitiam vel adaugent, vel imminuunt. Hoc ſenſu, ac ſpiritu ducta vetus Eccleſia regulas quaſdam ab initio conſtituit agendæ pro peccatis pœnitentiæ, quæ idcirco *Pœnitentiales Canones* dictæ ſunt, diverſas quidem pro locorum diverſitate, ſed in hoc omnes invicem conſentientes, quod pœnas graviſſimas a pœnitente ſubeundas præſcriberent: quorum Canonum etiam nunc habenda ratio eſt, cum, nedum magnus ſanctus Carolus Borromæus, aliique plures præſtantiſſimi Epiſcopi, ſed & ipſe Summus Pontifex Innocentius XII. eos edendos, vulgandoſque curaverit ad inſtructionem, ac directionem tum Confeſſariorum, tum pœnitentium.

Ex his Canonibus, quos omni prorſus ex parte nunquam adolevit Eccleſia, *Indulgentiarum*, quas confert, veluti forma profecta eſt, ut ex ipſa conſtat Eccleſiæ praxi ac diſciplina in Indulgentiis elargiendis. Sicut enim juxta Canones pro qualitate peccati injungebatur pœnitentia vel quadraginta dierum, vel unius, vel duorum, vel quinque, vel ſeptem, aut decem, aut quindecim annorum, vel etiam totius vitæ; ſic etiam varia ad hunc modum conſtituta ſunt indulgentiarum genera, quæ pœnitentiæ tempus vel contrahebant, vel ab ea penitus abſolvebant. Nam alia *quadragena* eſt, alia *ſeptena*, atque ita de ceteris partialibus, alia demum totalis aut *plenaria*. Sic, ut exemplo res clarior fiat, ſi quis debuiſſet ex canonum præſcripto per integrum annum pœnitentiam agere; Indulgentia *quadragena*, ſive ut alii vocant *Carena*, detrahebat ex hoc ſpatio quadraginta dies pœnitentiæ: aut ex decem, vel quindecim ſeptem annos, ſi *ſeptena* indulgentia erat: totum vero tempus pœnitentiæ peragendæ remittebat Indulgentia *totalis*, ſive *plenaria*. Quamvis autem pœnitentia a peccatoribus agenda ad eos *Canones* exacta, modo in Eccleſia non obtineat, in ea tamen perſeverat adhuc eadem praxis, ac diſciplina in Indulgentiis concedendis; ex qua illud colligere debemus, ſanctiſſimas illas pœnitentiæ regulas nunquam fuiſſe abrogatas, nec priſtinum ſuum omnem amiſiſſe vigorem.

At vero, quamquam juxta tenorem aut ſtatuta *Canonum pœnitentialium* ab Eccleſia confectorum concederentur olim, & nunc etiam concedantur indulgentiæ; abſit a nobis, ut cogitemus, eas valere dumtaxat *in foro Eccleſiæ*, adeo ut ab iis tantummodo canonicis pœnis pœnitentes abſolvant, non autem ab illis, quas Juſtitia divina a peccatoribus exigit ſive in præſenti, ſive in futuro ſæculo. Hæc ſententia, quam olim tempore D. Thomæ docuere nonnulli, prorſus obſoleta nunc eſt, & a nemine

Ca-

Catholicorum aſſerta, eamque refutavit S. Doctor *q.* 25. *ſupplem. art.* 1. *inquiens*: „ Quidam dicunt, „ quod (Indulgentiæ) non valent ad abſolvendum „ a reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio ſecun„ dum judicium Dei meretur: ſed valent ad abſol„ vendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit „ pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam e„ tiam obligatur ex Canonum ſtatutis. Sed hæc o„ pinio non videtur vera. Primo, quia eſt expreſ„ ſe contra privilegium Petro datum, cui dictum „ eſt, ut quod in terra remitteret, in cælo remit„ teretur. Unde remiſſio, quæ fit quantum ad fo„ rum Eccleſiæ, valet etiam quantum ad forum „ Dei. Et præterea Eccleſia hujuſmodi Indulgentias „ faciens magis damnificaret, quam adjuvaret: quia „ remitteret ad graviores pœnas, ſcilicet Purgatoriis, „ abſolvendo a pœnitentiis injunctis. Et ideo aliter „ dicendnm &c." Quin hæc ſententia conceptis verbis proſcripta videtur a Summo Pontifice Leone X., qui inter articulos Lutheri hunc quoque damnavit: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Juſtitiam Divinam*. Quare & ad hanc pœnam remittendam Indulgentias valere omnino dicendum eſt; modo tamen non deſint conditiones requiſitæ, auctoritas ſcilicet, & cauſa legitima in concedente, & diſpoſitiones neceſſariæ in ſuſcipiente.

Sed quamvis, ut dixi, obſoleta penitus ſit relata quorumdam antiquorum ſententia, & a nemine, quem ſciam, modo tradita, vel defenſa; eam tamen Nuperus Author affingere non veretur catholicis quibuſdam modernis Scriptoribus, quos ille confutandos ſuſcepit. Sic enim ſcribit *pag.* 29. poſtquam aſſeruiſſet charitatis intenſioris actus nullatenus conferre ad ampliorem Indulgentiam lucrandam: *ubi ſiſtas tantiſper Lector, & notes ab Neotericis nonnullis Authoribus confundi, & perperam accipi hoc vocabulum Indulgentiam: paſſim enim illud uſurpant pro remiſſione culpæ, & pœnæ æternæ &c.* Ne ullum quidem Author aſſignare poterit ex *Neoteoricis*, ut vocat, qui de Indulgentiis agens ita confundat & uſurpet *Indulgentiæ* vocabulum. Cur hoſtes pro libito fingit, ut in eos ſua jacula vibret? Verum illum ſequamur. II. ſubdit *aliquando illud uſurpari* (ab Neotericis certe) *pro remiſſione illarum pœnarum, quas vetus Eccleſiæ diſciplina injungere conſueverat, non ad ſatisfaciendum Deo, ſed ad aliorum exemplum, & coercitionem: unde derivari crediderim, quod ipſi ajunt, nempe Indulgentias non prodeſſe iis, qui non commiſerunt peccata publica: ſiquidem ii ſubjecti non erant pœnis canonicis*. Et nos quoque *pauliſper ſiſtere debemus*, ut curſim notemus turpiſſimas Authoris noſtri aberrationes. Fallitur ille, fallitque Lectores ſuos, dum non ex aliorum, ſed ex propria ſententia aſſerit, veterem Eccleſiam canonicas pœnas *injungere conſueviſſe, non ad ſatisfaciendum Deo, ſed ad aliorum exemplum & coercitionem*. Id tamquam errorem notat ipſe Bellarminus in Philippo Melanctone, & errorem *nullo modo ferendum* jure ac merito exiſtimat: quod ſatis eſſe debet pro plena ejuſdem confutatione (1). Fallitur ex conſequenti, dum ipſe tradit, *ſubjectos non fuiſſe pœnis canonicis, qui peccata publica non commiſerant*: hujuſque falſitatis convinci facile poterat a compluribus ſcriptoribus, qui hac de re diſſeruerunt, ac inter alios a D. C. Chardon, & ab ipſo ſuo Francolino. Poſtremo in errorem etiam impingit, ac ducit verbis illis, quæ ſequuntur: *Hæc tamen doctrina, quod Indulgentia conſiſtat in relaxatione talium pœnarum, ideſt in abſolutione ab obligatione pœnarum, quas Canones ſtatuere, improbatur communiter a Theologis cum Sancto Thoma, qui in ſuppl. n.* 25. *art.* 1. *ait: Hæc opinio non videtur vera &c.* aliud quippe eſt, quod Indulgentia non conſiſtat *tantummodo* in relaxatione pœnarnm, quas Canones pro puniendis peccatis ſtatuere: aliud, quod nullo pacto conſiſtat. Primum verum eſt, alterum falſum, neque hoc docetur a S. Thoma, qui laudato loco eorum dumtaxat rejicit opinionem, qui dicebant valere quidem Indulgentias pro foro Eccleſiæ, non autem Dei: contra quos utrumque diſerte conſtituit, *quod valent & quantum ad forum Eccleſiæ, & quantum ad judicium Dei ad remiſſionem pœnæ reſiduæ &c.* His de germana Indulgentiæ notione, atque idea prælibatis, ad quæſtionem, quæ in manibus eſt, diſcutiendam accedamus.

CAPUT II.

Proponuntur Decreta Concilii Tridentini de Satisfactione, & Indulgentiis.

UT Eccleſiæ Catholicæ doctrina de præſenti controverſia noſtra certius innoteſcat, præmittere lubet, veluti ſolidiſſimi fundamenti loco, quæ ſacraſancta Tridentina Synodus tum de ſatisfactione Deo a peccatore exhibenda, cujus quædam relaxatio Indulgentia eſt, tum de Indulgentiis ipſis definivit. Et ut a priore ordinamur, agit de ſatisfactione ſacrum Concilium *ſeſſ.* præſertim 14. ubi *c.* 2. decernit in primis, quod *ad eam novitatem, & integritatem, quam per Baptiſmum acquirimus, per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, ac laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus: ut merito pœnitentia laborioſus quidam baptiſmus a Sanctis Patribus dictus fuerit*. Tum vero *cap.* 3. Pœnitentiæ partes aſſignans: *Sunt autem*, inquit, *quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio: quia quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque peccatorum remiſſionem, ex Dei*

---

(1) En Bellarmini textus *lib.* 4. *de Indulg.* ubi refellit errores recentium hæreticorum circa Indulgentias. Scripſerat Philippus Melancton, *Satisfactiones apud veteres Chriſtianos nihil aliud fuiſſe niſi publicam excommunicationem, & certa ſigna reatus, atque etiam pœnas externas, quæ injungebantur publicis peccatoribus exempli, & diſciplinæ cauſa*. Reſpondens autem Bellarminus hæretico homini ait: *Sed illud nullo modo ferendum eſt, quod Philippus ſcribit, exempli ſolum, & diſciplinæ cauſa impoſitas ſatisfactiones in uſu fuiſſe apud veteres*: quod pluribus ſubinde probat.

Dei inſtitutione requiruntur, *hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*.

Uberius tandem de hac tertia Chriſtianæ pœnitentiæ parte diſſerens *cap.* 8. hæc inter alia ſtatuit : „ Sane & *Divinæ Juſtitiæ ratio exigere videtur*, ut „ aliter a Deo in gratiam recipiatur, qui ante „ baptiſmum per ignorantiam deliquerit : aliter ve„ ro, qui ſemel a peccati, & dæmonis ſervitute „ liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter „ templum Dei violare, & Spiritum Sanctum con„ triſtare non formidaverit. Et divinam Clemen„ tiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione „ peccata dimittantur, ut occaſione accepta, pecca„ ta leviora putantes, veluti injurii, & contume„ lioſi Spiritui Sancto, in graviora labantur &c. " Quod poſtea duobus aliis monumentis confirmat Œcumenica Synodus, ductis tum ex eo, quod hæc pœnitentiæ opera *ſecurior via ſit ad amovendam imminentem a Domino pœnam* : tum ex conformitate, quam oportet habere cum Chriſto, *qui pro peccatis noſtris ſatisfecit*. Atque ſubinde ita pergit : „ De„ bent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, „ & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, „ & pœnitentium facultate, *ſalutares & convenien„ tes ſatisfactiones injungere*; ne ſi forte peccatis con„ niveant, & indulgentius cum Pœnitentibus a„ gant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis de„ lictis injungendo, *alienorum peccatorum participes* „ efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatis„ factio, quam injungunt, non ſit tantum ad novæ „ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, „ ſed etiam ad præteritorum vindictam, & caſtiga„ tionem &c. " .

Hæc ſunt Tridentini Concilii de ſatisfactione decreta, quæ perpendens ſummus vir, & omni commendatione digniſſimus Jac. Benignus Boſſuetus in Paſtorali Inſtructione *pro Indulg.* ita inclamat gallico idiomate populum alloquens ſibi commiſſum : *Audite filii Eccleſiæ matris veſtræ verba. Illa vobis proponit magnos fletus, magnoſque labores, & baptiſmum laborioſum : illa vos edocet id exigere divinam juſtitiam. Hic Eccleſiæ rigor a primævo ſuo ſpiritu originem trahit, qui nunquam extinguetur : neque ipſa ceſſabit unquam bellum indicere laxitati, quam plures ſubinvehere moliuntur*.

Ex his porro ſacri Concilii Decretis plura colligere pronum eſt, quæ certa, firma, & inconcuſſa eſſe debent apud Catholicos omnes : atque illud in primis ſatisfactionem (quo nomine deſignantur, ut ex Concilio liquet, jejunia, vigiliæ, eleemoſynæ, preces, & quæcumque alia pietatis opera, incommoda, & moleſta naturæ ad debitum Deo pro peccatis ſolvendum aſſumpta) unam eſſe ex tribus Sacramenti Pœnitentiæ partibus, eamque, ſaltem quoad animi præparationem, neceſſariam omnino ad redintegrandam amicitiam cum Deo offenſo, & reparandam injuriam ipſi per peccatum illatam.

2. Satisfactionis hujuſmodi neceſſitatem non de aliquo tantum deſumi Eccleſiaſtico præcepto, ſed ex ipſo divino jure. Hoc enim nitidiſſime conſtat ex verbis ſacri Concilii aſſerentis, *divinam id exigere juſtitiam*, ut ad reconciliationis gratiam per Pœnitentiæ Sacramentum, acquirendam, *non ſine magnis noſtris fletibus, ac laboribus* perveniamus : illam eſſe *baptiſmum laborioſum*, & id genus alia jam recitata.

3. Satisfactionem hanc, ſive opera ſatisfactoria neceſſaria omnino eſſe, nedum *ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum vindictam, & caſtigationem* : atque adeo proportione aliqua reſpondere debere numero, & qualitati criminum. Id quoque diſertiſſime tradit ſacroſancta Synodus, pluresque affert obligationis hujuſce titulos, ſive rationes jam indicatas in textu.

4. Denique non eſſe in arbitrio, aut poteſtate Sacerdotum, ſive Miniſtrorum Eccleſiæ pœnas haſce ſatisfactorias ad libitum remittere, vel temperare : ſed ad eas pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate injungendas obſtringi divino præcepto. Non enim id Concilium ſolummodo conſulit, ſed expreſſe præcipit, ſive potius colligit ex jure Divino : *Debent ergo*, inquit, *Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere* : eorumque oculis ſubjicit periculum, cui, aliter ſe gerendo, ſemetipſos exponunt, inquiens, *ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera graviſſimis delictis injungendo, aliorum peccatorum participes efficiantur*.

Quæ cum omnia certiſſima ſint, atque extra diſputationis aleam poſita, quis non magnopere ſuccenſeat Nupero Authori noſtro, qui plane adverſa conſtituit ? Sub aſpectum primum veniant, quæ ſcribit ille duobus in locis Diſſertationis ſuæ. *Pag.* 31. refert, nonnullos Authores eſſe, qui ad Indulgentiam lucrandam *prærequirunt magnos fletus, & labores, ita ſcilicet exigente divina juſtitia, ut illi integre, ac plenarie ſatisfaciamus* „ ut ſcilicet, (ait „ ille) inſinuetur de præcepto naturali, ac divino „ eſſe, quod in hac vita jugi exterius ſatisfactioni „ exhibendæ inſiſtamus. Hoc autem præceptum na„ turale ac divinum Theologi paſſim negant poſt „ remiſſionem culpæ, prout videre eſt apud S. Thom. „ in 3. *p. quæſt.* 84. *art.* 8. & 9. " Hæc ille. Omittamus, quod Author Theologis denuo affingit, ipſos nempe requirere a peccatore *jugem exteriorem ſatisfactionem, ut divinæ juſtitiæ integre, ac plenarie ſatisfaciat* : Nam nemo unus hoc docuit. Omittamus etiam, quod perperam, ſummaque injuria pertrahat in ſui patrocinium doctrinam S. Thomæ : locis quippe laudatis non aliud negat, niſi *pœnitentiam exteriorem non oportere, quod duret per totam vitam* : alibi vero, nempe *q.* 12. *art.* 2. conceptiſſime tradit, ſatisfactionem *de jure eſſe divino*, immo *formaliter actum juſtitiæ* : ſolumque ea verba ſumamus, quibus Nuperus Author mentem ſuam patefacit, nimirum, *magnos fletus, ac labores non exigi a divina juſtitia, nec ſatisfactionem exteriorem poſt remiſſionem culpæ exhibendam eſſe ex naturali, ac divino præcepto* : id quod evidentius fit ex altero ejus teſtimonio.

Legitur iſtud *pag.* 41. his verbis expreſſum, quæ ſedulo attendi velim : *NIHILI vero*, inquit, *FACIENDUM EST pronunciatum illud, videlicet rigorem in ſatisfactione injungenda, vel ſuſcipienda voluntarie, ac ſpontanee per magnos fletus ac labores, fuiſſe olim, atque adeo hactenus eſſe ſpiritum proprium Eccleſiæ. Nam vel ſermo eſt de ſpiritu Eccleſiæ, quo ipſa & antiquitus, & de præſenti docet, de conſilio eſſe ob multiplicem utilitatem &c. & ſic* ve-

verum dicitur. Vel ſermo eſt de ſpiritu, quo ipſa de facto exigat & ſic falſum dicitur, ac legentibus imponitur.

Lectores hic appello nullo partium ſpiritu præventos, eoſque præcipue, quibus ex officio incumbit judicium ferre de ſcriptorum doctrinis. Ego quidem libere dicam, quod ſentio, pro ingenii mei tenuitate: Quamquam de animo, & conſilio Authoris noſtri non ambigam, quod rectum exiſtimo, mihi videtur, quod ea, quæ in hiſce duobus textibus ſcribit, apertiſſime pugnent cum decretis expoſitis Concilii Tridentini, atque adeo cum doctrina catholica. Concilium exerte finit, ad novitatem per baptiſmum acquiſitam, & per peccatum amiſſam pervenire nos minime poſſe per Sacramentum pœnitentiæ *ſine magnis noſtris fletibus ac laboribus*, *divinamque id exigere juſtitiam*. Auctor vero iiſdem Concilii verbis recte contradicens, rejicit *magnos hos fletus ac labores*, negatque *divinam id exigere juſtitiam*. Hoc in primo textu: ſed clarius adhuc in ſecundo, ubi, quantum ſaltem verba ſonant, quaſi deſpectui, ac ludibrio habens doctrinam Concilii: *Nihil faciendum*, ait, *pronunciatum illud*, *videlicet rigorem in ſatisfactione injungenda*, *vel ſuſcipienda per magnos fletus*, *ac labores fuiſſe olim*, *atque adeo hactenus eſſe ſpiritum proprium Eccleſiæ*. Cujus amabo eſt *pronunciatum illud*? Nonne Tridentini Concilii? Nonne Concilium ſemel atque iterum pronunciat, *id divinam juſtitiam exigere*, quod ſane divinum præceptum intonat? Nonne Miniſtros Dei conſequenter admonet de hoc divino præcepto, dum ait: *Debent ergo Sacerdotes Domini &c.*? Et in conſpectu hujus divini præcepti tam luculenter expoſiti, audet Nuperus Auctor merum *conſilium* obtrudere, *præceptum* negare? Profecto, niſi mentem ſuam magis Author declaret, occaſionem ſuis verbis præbet errori ejuſque doctrina gravi cenſura notanda videtur. Verum ad Decretum alterum Concilii proferendum, quod *Indulgentias* ſpectat, greſſum faciamus.

Decretum hoc habetur *ſeſſ.* 25. *cap. ult.* ubi Concilium ita loquitur: „ Cum poteſtas conferendi Indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit; ſacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem, ac ſacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, ac præcipit; eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem juxta veterem, ac probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur. Abuſus vero, qui in his irrepſerunt &c. emendatos, & correctos cupiens, præſenti decreto generaliter ſtatuit, pravos quæſtus &c. omnino abolendos eſſe. Cæteros vero, qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde provenerunt &c., mandat omnibus Epiſcopis, ut diligenter quiſque hujuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat &c., ut ad Summum Pontificem deferantur, cujus authoritate, & prudentia, quod univerſali Eccleſiæ expedit, ſtatuatur, ut ita ſanctarum indulgentiarum munus pie, ſancte, & incorrupte omnibus fidelibus diſpenſetur “.

Nihil ſapientius, accuratius nihil, atque conſultius dici poterat, quam in hoc ſacri Concilii decreto continetur. S. Eccleſia ab ipſo Chriſto Domino poteſtatem accepit conferendi Indulgentias in perſona Petri, aliorumque Apoſtolorum, quibus dictum eſt: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*: Quæ verba, ut ex ſanctis Patribus, & perenni Eccleſiæ traditione conſtat, nedum poteſtatem remittendi peccata, ſed relaxandi quoque, ſive moderandi pœnas peccatis debitas complectuntur.

2. Concilium teſtatur, Eccleſiam hac ſibi divinitus tradita poteſtate ab antiquis etiam temporibus uſam eſſe. Hoc evidenter patet tum ex facto Apoſtoli Pauli, qui inceſtuoſo Corinthio pœnitentiæ partem, quam pro delicto ſuo ſubire debuiſſet, authoritate Chriſti, ut ait ipſe, remiſit; tum ex libellis, quæ ſecundo ac tertio Eccleſiæ ſæculo a Martiribus tradi conſueverunt his, qui in canonica pœnitentia erant, quibus permoti Epiſcopi pœnas pro culpis promeritas, ſaltem quoad earumdem partem, ac durationem, relaxabant; tum ex aliis innumeris veteris Eccleſiæ exemplis, quæ paſſim occurrunt in Eccleſiaſtica hiſtoria.

3. Definit ſacroſancta Synodus, Indulgentiarum uſum utilem eſſe populo Chriſtiano, maximeque ſalutarem, eoſque anathemate damnat, qui eas inutiles eſſe effutiunt. Equidem Concilium non explicat, aut determinat, in quo ſita ſit Indulgentiarum utilitas, aut quo gradu, ſive menſura Chriſtiano populo ſint ſalutares. Sed tamen de hac utilitate, quam ſuo loco juxta Eccleſiæ ſenſum exponemus, dubitare nefas, certique fideles eſſe debent, firmiterque confidere, quod, modo debitis cum diſpoſitionibus indulgentiam recipiant, profutura ſibi ſit, nedum in facie Eccleſiæ, ſed etiam coram Deo, qui ratum habiturus eſt in cælis, quod ab Eccleſia fuerit condonatum in terris.

4. Concilium præcavere ſtudet abuſus, qui in concedendis indulgentiis, ac etiam recipiendis irrepere facile poſſunt, ac quandoque ſolent: atque adeo in earum diſpenſatione moderationem adhiberi cupit, *juxta veterem, ac probatam Eccleſiæ conſuetudinem, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur*. Hæc eſt diſciplina *pœnitentiæ*, *ſive ſatisfactionis* pro commiſſis delictis, quam *enervari* Concilium timet nimia indulgentias conferendi facilitate, nimiaque, quam rudiores ſæpe concipiunt, fiducia obtinendæ ſalutis via hac faciliore, atque ſuaviore. Porro hanc Eccleſiæ diſciplinam, quam ſuperius laudato a nobis decreto conſtituerat, Concilium ſartam tectam, quoad fieri poteſt, cuſtodiri vult, ac nullatenus infringi, ſive enervari. Tum vero eliminandos præcipit abuſus, qui vel ex pravis quæſtibus, vel ex ſuperſtitione, ignorantia, irriverentia aut provenere, aut provenire valent, ut ita ſanctarum Indulgentiarum munus pie, ſancte, & incorrupte omnibus fidelibus diſpenſetur.

Hæc ſola Œcumenici Concilii Decreta, attentius perpendantur, atque invicem conferantur, ſeponanturque præjudicia ex recentium plurium Canoniſtarum lectione profecta, ſatis, quin & abunde eſſe poſſent,

ut

ut falſitatis revinceretur Nuperi Authoris de *Indulgentiis* ſiſtema, aliorumque omnium, qui eamdem docuere ſententiam. Nihilominus valde, ut arbitror, proderit rem hanc accurate diſcutere, & veritatem, quam tueor, pleniore in luce collocare. Cum autem duplex in hoc argumento quæſtio excitetur, quarum altera indulgentias ſpectat *ex parte conferentis*, altera, & illa quidem gravior, *ex parte ſuſcipientis*, idcirco de priore in anteceſſum diſſeremus.

CAPUT III.

Agitur de requiſitis ad Indulgentiæ valorem ex parte conferentis.

QUamquam recentior Author, quem impugnamus, quæſtionem peculiarem non inſtituat *de requiſitis* ad indulgentiæ valorem *ex parte conferentis*; ita nihiloſecius ſe gerit in toto opuſculo ſuo, ut ſatis liqueat nihil aliud requirere præter illam in concedente authoritatem, quam nemo catholicorum negavit unquam, aut negat: perinde ac ſi ex mero arbitrio Prælatorum Eccleſiæ penderet indulgentiarum conceſſio, nulliſque limitibus circumſcripta eſſet eorum poteſtas. Quod cum pluribus in locis Author inſinuet, tum vel maxime *pag.* 46. ubi perſpicue docet, *non exigi aliquod pium opus ad effectum indulgentiæ*, etiam plenariæ *obtinendum*, *ita ut non poſſit Pontifex alio modo indulgentiam concedere*, ideſt abſque ullo opere injuncto, quod ut ſummum, inquit pag. 48. *requiritur per accidens*, ſi nempe Prælatus injunxerit. Qua in re a veritate longiſſime abit, ac ſententiam obtrudit, aut ſupponit, non modo falſam, ſed a communi etiam Theologorum vel laxiorum opinione abhorrentem. Illud ergo contra ego conſtituo tamquam *Eccleſiæ doctrinam*, ad indulgentiæ valorem, præter authoritatem in conferente, requiri piam ac juſtam conferendi cauſam. Tum addo juſtam, & rationabilem cauſam eſſe non poſſe, niſi proportionata quadantenus ſit indulgentiæ, quæ confertur. Quæ antequam probem, illud animadvertere conſultum duco ad invidiam omnem amoliendam, ad privatum hominem minime pertinere judicium de cauſis, ſive cauſarum idoneitate, quas habent, aut habere poſſunt Summi Pontifices in diſpenſandis indulgentiis, ſed unumquemque præſumere debere eas eſſe juſtas, ac rationabiles, niſi aliud nimirum evidenter conſtaret. Hoc poſito, a priore aſſertionis parte, quoniam in confeſſo eſt apud omnes, paucioribus me expediam.

Hanc ego confirmo iiſdem ferme momentis, quæ proferunt Cardinalis Bellarminus, vir in primis doctiſſimus, P. Gabriel Antoine, aliique. „ Primum „ hoc eſt, quoniam (inquit Bellarminus *lib.* 1. *de* „ *Indulgent. cap.* 12.) pœna (pro peccatis) expian„ da eſt *jure divino*“. (Videſis quam conſonet Nuperus Author cum hoc Societatis ſuæ clariſſimo lumine). „ Non poteſt autem Summus Pontifex ſine „ juſta cauſa diſpenſare in iis, quæ aliquo modo „ pertinent ad jus divinum: quoniam Miniſter Dei „ eſt, non Dominus. Id quod etiam videmus ac„ cidere in diſpenſatione juramenti, & voti. Rela„ xat enim obligationem nomine Dei, quando cau„ ſam habet hujuſmodi, ut credibile ſit id placitu„ rum Domino. Quod ſi pro arbitrio ſine ulla juſta „ cauſa diſpenſat, Deus non habet ratam diſpenſa„ tionem“. Quam rationem verbis aliis ita proponit inſignis alter ac primarius Summi Pontificis in Concilio Tridentino Theologus Petrus de Soto *lect.* 2. *de Indulgent.* „ Theſaurus, unde Indulgentiæ „ dantur, non eſt in manu Pontificis, ut pro ſuo „ libitu, cui vult, *donet efficaciter*: ſed apud Deum „ reconditus eſt. Quando igitur Deus, non probat, „ ſed apud Deum illicita eſt donatio, quomodo cre„ dendus eſt etiam ipſe donare, & quodammodo „ proferre ex theſauro ſuo ad verbum non recte æ„ ſtimantis Prælati? Quare indulgentia, ut ex par„ te conferentis ſit efficax, ſive valorem obtineat, „ talis ſit oportet cauſa conferendi, ut veroſimiliter „ probetur a Deo, rataque habeatur apud ſuam di„ vinam Clementiam“.

Præterea Summus Pontifex, ſicut nec alius ex Eccleſiæ Prælatis, non eſt Dominus, ſed merus diſpenſator theſauri ſpiritualis indulgentiarum. Diſpenſator autem eſſe debet fidelis & prudens, juxta illud Apoſtoli primæ ad Corinth. 4. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*: alioquin non diſpenſator, ſed diſſipator dicendus erit. Infidelis autem diſſipator ille cenſetur, qui bona Domini ſui ſine cauſa diſpenſat. Huic rationi majus lumen accedat ex decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. ita ſancientis: „ Sicuti publice expe„ dit, legis vinculum quandoque relaxare, ut ple„ nius evenientibus caſibus, & neceſſitatibus pro „ communi utilitate ſatisfiat; ſic frequentius legem „ ſolvere, exemploque potius, quam certo perſo„ narum, rerumque delectu petentibus indulgere, „ nil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgre„ diendas aditum aperire. Quapropter ſciant uni„ verſi, ſacratiſſimos canones exacte ab omnibus, „ &, quoad ejus fieri poterit, indiſtincte obſervan„ dos. Quod ſi urgens juſtaque ratio, & major „ quandoque utilitas poſtulaverit cum aliquibus di„ ſpenſandum, id cauſa cognita &c. erit præſtan„ dum: alioquin facta diſpenſatio ſubreptitia cenſea„ tur.“ Quibus ex verbis liquet, diſpenſationes etiam indulgentiarum factas ſine juſta cauſa, cum vim *ſacratiſſimorum Canonum* circa pœnitentiam infringant, *ſubreptitias*, aut *obreptitias* cenſendas eſſe, adeoque nullius valoris: quod etiam non ſemel ab Apoſtolica Sede declaratum eſt.

Demum neque ipſi Summi Pontifices talem in ſe poteſtatem agnoſcunt, ut indulgentias ſine juſta cauſa concedere valeant. Nam Clemens VI. in Extrav. *Unigenitus* expreſſe profitetur, Theſaurum Eccleſiæ ea lege Petro, ejuſque ſucceſſoribus fuiſſe concreditum, ut eum nonniſi *pro piis*, & *rationabilibus cauſis diſpenſent*; adeo ut, quemadmodum ipſemet exponit, ex hac diſpenſatione *fidelium augeatur devotio*, *fides ſplendeat*, *ſpes vigeat*, & *charitas vehementius incaleſcat*. Similiter Martinus V. in Conſtitutione edita in Concilio Conſtantienſi ſuſpectos de hæreſi interrogari jubet, utrum credant Summum Pontificem habere poteſtatem concedendi indulgentias *ex cauſa pia*, & *juſta*, plane inſinuans, ea poteſtate uti valide minime poſſe, ſi *pia*, ac *juſta cauſa* non ſuppetat. Quibus adde Innocentium III., qui in Concilio Lateranenſi plures indulgentias rejecit veluti *indiſcretas*, & *ſuperfluas*. Cur au-

autem, inquit Bellarminus, ita eas appellavit? *niſi quia abſonæ, inanes, & irritæ ſunt, de quibus recte dici poteſt illud S. Cypriani Serm. de lapſis: Irrita pax pernicioſa dantibus, & nihil accipientibus profutura.*

Nec illud objicias, indulgentias non inniti juſta cauſa operis injuncti, ſed meritis infinitis Chriſti Domini, quæ ſemper ſunt cauſa ſufficiens, immo longe excedens quarumcumque indulgentiarum conceſſionem. Quamvis enim hiſce meritis, ſanctorumque, veluti fundamento, indulgentiæ nitantur; ea tamen ſine juſta cauſa applicari nequeunt ab Eccleſiæ miniſtris, qui eorumdem nequaquam domini ſunt, ſed meri diſpenſatores, quorum poteſtas arbitraria non eſt, ſed ex Domini voluntate dependens, qui eos recte, ac prudenter ſe gerere voluit in theſauri ſui diſpenſatione.

Verum hæc ita certa ſunt, ut nec in controverſiam adduci queant. Quod in diſputationem vocatur, illud eſt, an ſcilicet quælibet pia cauſa ſufficiat ad indulgentias valide conferendas, an vero requiratur ulterius proportio aliqua operis injuncti cum ipſa indulgentia. Partem priorem docuerunt olim nonnulli, quos inter refertur etiam S. Thomas, ſed plane immerito, ut multis oſtenderem, niſi me diſputatio longius abduceret. Sed in ea certe ſententia eſt Nuperus noſter Author, ut jam prænotavi. Poſterior autem communior eſt, tum apud veteres, tum apud recentes Doctores, eamque veriorem judicat Card. Bellarminus, & abſolute defendit P. Gabriel Antoine (1), ut de reliquis taceam.

Hanc ego quoque ſententiam defendo: quæ tamen ut magis explicetur, duo præſertim obſervo cum laudato Eminentiſſimo Bellarmino: Primo ſcilicet ad cauſam juſtam ut plurimum duo requiri, nempe finem aliquem pium, Deoque gratum, cujus aſſecutio Deo magis placeat, quam ſatisfactio pœnitentialis, quæ per indulgentiam relaxatur, ut ita Prælatus merito cenſeatur fidelis, & prudens diſpenſator Theſauri cæleſtis, ac fideliter agere cauſam Domini ſui. Ulterius opus aliquod fini aſſequendo proportionatum ſit oportet. Nam licet finis Deo valde placeat; ſi tamen per opus injunctum congrue obtineri non poſſit, non videtur juſta cauſa concedendæ indulgentiæ: ut ſi verb. gr. plenaria indulgentia diſpenſetur iis, qui precatiunculam aliquam recitant pro hæreticorum converſione, *cauſa*, inquit ille, *non videbitur juſta: quoniam licet converſio hæreticorum res ſit maxima, & Deo gratior, quam pœnitentialis ſatisfactio multorum fidelium; vix tamen confert ad illud finem obtinendum breviſſima oratio*: atque adeo debet eſſe oratio fervens, ac diuturna. Hinc S. Thomas loquens de indulgentia aliquando concedi ſolita ſubſidium præbentibus ad templum in Dei honorem extruendum, docet (2), *tale auxilium intelligit, quod ſit conveniens ei, qui auxilium dat: & ſecundum hoc plus, vel minus de indulgentia conſequitur.*

Secundo obſervo ex eodem, omnes in eo convenire, ad cauſam juſtam non requiri, ut opus injunctum ſit in ſe ita ſatisfactorium, ut plane compenſet debitum pœnæ, quod remittitur per indulgentiam: ſive, ut ſcribit P. Antoine, „ ad cauſæ proportionem non „ requiri, ut opus injunctum ſit ita de ſe ſatisfa„ ctorium, ut per ſe plane compenſet, & tollat de„ bitum pœnæ. Nam tunc nulla fieret remiſſio per „ indulgentias, & ſic indulgentiæ forent prorſus i„ nutiles: ſed requiritur, & ſufficit, ut ſit propor„ tio inter cauſam, & indulgentiam, ita ut cauſa „ ſit ratio ſufficiens concedendæ indulgentiæ, & „ quælibet non ſufficiat pro qualibet indulgentia, ſed „ proportione quadam pro majore indulgentia requi„ ratur major cauſa “.

His animadverſis, prima noſtræ & communis ſententiæ probatio deſumitur ex Card. Cajetano *cap.* 8. *Tract. de Indulgent.* cujus de indulgentiis doctrina Odericus Raynaldi ad annum 1517. & ſeqq. ubique proponit tamquam *doctrinam Eccleſiæ Catholicæ*. „ Diſpenſatio, *inquit*, Theſauri cæleſtis cre„ dita Petro, ejuſque ſucceſſoribus, imitari debet „ diſpenſationem factam ab ipſo Chriſto. Conſtat „ autem, quod Chriſtus eumdem theſaurum diſpen„ ſat commenſurate, juxta concurrentes conditiones „ cauſarum mediarum, ut patet ex differenti diſpo„ ſitione ejuſdem per ſacramentum baptiſmi, quo „ tota pœna exſolvitur, & per ſacramentum pœni„ tentiæ, quo non tota pœna ſolvitur. Ergo ipſius „ Vicario commenſuratam quoque applicationem di„ cti theſauri creditam eſſe rationabile eſt. Et eſt „ tanto probabilior hæc ratio, quanto actio ſacra„ mentalis eminentior, & efficacior cauſa media eſt, „ quam actio juriſdictionalis, qua datur indulgentia “.

Altera probatio hæc eſt ab eodem Eminentiſſimo Authore paucis hiſce verbis propoſita: *quia*, inquit, *conſtat Prælatos omnes Eccleſiæ nonniſi miniſtros, & diſpenſatores eſſe. Tota igitur eorum poteſtas ſupra theſaurum Eccleſiæ infra limites diſpenſativæ potentiæ clauditur.* Quæ ratio in rem noſtram ita proponi, & amplius confirmari valet. Non ſolum diſpenſator infidelis, & diſſipator bonorum Domini ſui dicendus eſt, qui ea nulla ex cauſa diſtribuit, verum etiam, qui pro minima eadem profundit: in æſtimatione quippe morali idem omnino eſt, parvumque reputatur pro nihilo: quod aptiſſime explicatur exemplo duplicis indulgentiæ, quarum altera ſit 40. tantum dierum, altera decem, aut viginti annorum, vel etiam plenaria. Si prior abſque ulla cauſa collata, juſta non eſt, adeoque cenſetur inanis, & invalida: cur non potiori jure irrita fuerit poſterior, pro cauſa quidem aliqua, ſed leviſſima, conceſſa? quoniam in hac major apparet ſpiritualis theſauri diſſipatio, quam in priore, quemadmodum magis prodigeret regium theſaurum, qui centum mille aureos donaret pro exiguo aliquo officio in Regis honorem præſtito, quam qui quinquaginta pro nullo.

Atque hinc tertia alia probatio ſubnaſcitur. Nam juxta Doctores omnes ad Indulgentiæ valorem in conferente requiritur *juſta & rationabilis* cauſa. Juſta autem & rationabilis ea reapſe vocari nequit, quæ nullam habet cum effectu proportionem: planeque pervertunt, aut non ſatis percipiunt vocabulorum vim, qui *juſtam* quidem cauſam requirunt ad indulgentiarum collationem: & nihilominus pro quocumque

(1) Tract. de Indulgentiis quæſt. 8.
(2) In IV. diſt. 20. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 2. ad 3.

que etiam leviſſimo opere indulgentias quaslibet valide concedi poſſe contendunt.

Probatio quarta congrua nititur paritate; eodem nempe modo loqui par eſt de diſpenſatione indulgentiarum, ac votorum. At juxta communiorem Theologorum ſententiam diſpenſatio in votis facta ſine gravi cauſa, quæ gratior Deo ſit, quam voti ipſius adimpletio, judicatur invalida. Igitur hoc ipſum de indulgentiarum diſpenſatione ſentiendum.

Tandem in Decreto ſupra laudato Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. plures indulgentiæ a quibuſdam Epiſcopis conceſſæ repudiatæ fuere veluti *indiſcretæ ac ſuperfluæ*, adeoque inutiles. Cur autem *indiſcretæ*, & *ſupefluæ* dictæ ſunt? Num quia nullum pium finem earum conceſſioni Prælati appoſuerint? Quis hoc ſibi perſuaſerit? Dicendum igitur illud eſt, cauſam quidem piam aliquam extitiſſe pro iis conferendis, ſed non juſtam cauſam, rationabilem, ac proportionatam indulgentiis diſtributis, ac proinde inanem creditam fuiſſe ipſarum largitionem.

„ Quare (ſubdit appoſite Cardin. Bellarminus) „ laudandus merito eſt Clemens VII. quod decretum „ Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. & Decretum Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. de revocandis „ indulgentiis, *ad veterem*, *& probatam Eccleſiæ* „ *conſuetudinem*, executioni mandari ſtudet. Veteres „ enim parciſſimos fuiſſe in indulgentiis conferendis „ notiſſimum eſt. Siquidem Sergius II. trium tantum annorum indulgentiam dedit, & Paſchalis II. „ quadraginta ſolum dierum. Teſtatur quoque Innocentius III. cap. *cum ex eo*, *de Pœnit. & Remiſſ.* „ Apoſtolicam Sedem ſolitam eſſe ordinarie non extendere indulgentias ultra condonationem pœnitentiæ unius anni, vel quadraginta dierum: & juxta „ hoc Innocentii dictum Nicolaus IV. in Indulgentiis variis, quas conceſſit Eccleſiæ S. Praxedis, „ quæ leguntur in introitu Capellæ Sancti Zenonis, „ nunquam excedit annum unum, vel dies quadraginta. Denique S. Thomas in 4. diſt. 20. q. 5. „ art. 3. q. 2. ad 4. ſcribit: Venientibus ad limina „ Apoſtolorum ex regionibus ultramarinis dari Indulgentiam quinque annorum: ex regionibus ultramontanis trium annorum, ex aliis locis viciniotibus unius anni duntaxat ". De facto tempore S. Thomæ, ſi *Cruciatæ* indulgentiam excipias, nullæ aliæ a Summis Pontificibus concedebantur indulgentiæ, niſi vel quadraginta dierum, vel aliquot annorum, & quidem ſemper pro aliqua juſta, & rationabili cauſa, ut ex hiſtoria indulgentiarum compertum eſt.

Præcipuæ, quæ adverſum doctrinam noſtram objectiones fiunt, hæ ferme ſunt. Primo: Quod olim in veteri Eccleſia ad ſolam Martyrum commendationem concedebantur a Prælatis indulgentiæ. Secundo: Commune inter Theologos effatum eſt, *indulgentias tantum valere*, *quantum ſonant*. Tertio: Experientia ipſa conſtat ampliores ſæpe, ac plenarias ex levi cauſa concedi indulgentias. Quarto denique: ſi ratæ non eſſent Indulgentiæ ſine congrua cauſa collatæ, ſæpe, & quidem in re gravi deciperentur fideles a ſuis Paſtoribus: quod magnum videtur abſurdum.

Sed harum objectionum difficilis ſolutio non eſt. Ad primam reſpondeo, olim quidem Epiſcopos ad Martyrum in carceribus detentorum commendationem conſueviſſe tribuere pœnitentibus indulgentiam, ſive relaxare partem pœnitentiæ, quam juxta canones luere debuiſſent, ſed prius diligenter inſpecto ac cognito eorumdem fervore, ac fidelitate, qua per aliquod tempus eamdem impleverant. Nec profecto juſta deerat ita cum ipſis indulgendi cauſa, ut videlicet, dum Eccleſiam cernebant tantum deferre Martyrum precibus, ad tyrannorum ſupplicia conſtanter perferenda fideles inflammarentur.

Ad ſecundum dico locum habere effatum illud Theologorum, ſi eæ conditiones ſerventur, quæ neceſſario ſervandæ ſunt, tum ex parte concedentis, tum ex parte ſuſcipientis indulgentias: de quo poſtea. Ex parte autem concedentis præter authoritatem requiritur juſta concedendi cauſa: qua deficiente, Chriſtus Dominus ratam non habet applicationem meritorum ſuorum factam a ſuis Miniſtris indiſcrete ſe gerentibus. Porro ſapienter hic monet P. Antoine: *quod ſi indulgentia maxima*, *puta plenaria*, *concederetur ſine proportionata cauſa*, *non tamen ſine aliqua*, *ſed improportionata*; *quamvis non valeret quoad tantum effectum*, *nihilominus valeret pro minori effectu proportionato cauſæ*. *Nam tunc indulgentia quoad minorem effectum habet cauſam proportionatam*: *& ea eſt concedentis intentio*, *ut valeat quantum valere poteſt*, *& minor quæ in majore continetur*, *ſimul cum majore conceditur*. Et hæc quoad tertiam objectionem.

Nam quod ad ultimam attinet *de fidelium deceptione*, iiſdem verbis diluere placet, queis ſolvit Cardinalis ipſe Bellarminus, qui reſpondet „ nullum „ eſſe ut plurimum deceptionis periculum: quoniam „ non exiſtimamus indulgentias a Sede Apoſtolica „ ſine juſta cauſa dari. Tamen, ſicut fieri poteſt, „ ut aliquando indulgentia non ſortiatur effectum ob „ defectum ejus qui illam ſuſcipit, vel ob defectum „ authoritatis in eo, qui illam concedit, ita non „ debet videri abſurdum, ſi aliquando idem accidat ob defectum cauſæ: & Chriſtianus populus „ non ignorat ad fidem pertinere, quod ſit in Eccleſia poteſtas indulgentias concedendi; non autem „ quod in particulari non poſſit fieri, ut indulgentia vel non ſit rata, vel non proſit. Et ideo ſic „ accipiunt prudentes Chriſtiani Pontificias indulgentias, ut ſimul etiam ſtudeant dignos pœnitentiæ „ fructus ferre, ac pro ſuis peccatis Domino ſatisfacere ". Hæc poſtrema Ven. Cardinalis verba attentius ponderari velim a Nupero Authore noſtro qui ita in toto opuſculo ſuo fidenter loquitur de Indulgentiis, ac ſi nunquam de earundem valore, & effectu timendum foret. Si *prudentes* vocat Bellarminus illos Chriſtianos, qui *ſic indulgentias accipiunt*, *ut ſimul etiam ſtudeant dignos pœnitentiæ fructus ferre*; nonne *imprudentes* vocandi ſunt, qui aliter ſe gerunt, multoque magis, qui ut ſe gerant, animos adjiciunt, dum opera illa pœnitentiæ minime requiri alta voce deprædicant? Sed de hoc alias.

C A-

CAPUT IV.

De requiſitis ex parte recipientis indulgentias. Vera ſententia primum proponitur & explicatur. In quo conſiſtat Indulgentiarum utilitas.

Gravior modo, eaque ſummi momenti controverſia accurate diſcutienda ſuccedit de diſpoſitionibus requiſitis *ex parte recipientis Indulgentias*, ut effectum, pro quo conferuntur, obtineant, ſolvantque a pœnarum temporalium debito, quod quis peccando contraxit coram divina juſtitia, culpa jam per ſacramentum pœnitentiæ dimiſſa. Nuperus Author, quem impugnandum ſuſcepimus, recentium plurium Caſuiſtarum opinionem ſecutus, nihil aliud, ut non ſemel innui, quoad hanc partem, requirit, ultra remotas diſpoſitiones, quod homo baptizatus ſit, Eccleſiæ membrum &c., & executionem operis injuncti, quodcumque illud ſit, etiam leviſſimum (nam *per accidens* illud *exigi* docet) niſi ſtatum gratiæ, ſive charitatis habitualis in ſubjecto: quo poſito, quamlibet etiam ampliſſimam, atque plenariam, indulgentiam conſequi valet, ac reipſa conſequitur. Hoc autem ille probat, aut probare nititur ad examen vocando ſententias Theologorum adverſantium, quos ex libito partitur in claſſes duas, vel tres: eorum ſcilicet, qui ad lucrandas indulgentias exigunt *actum perfectæ charitatis*, & aliorum, qui vel *magnos fletus*, *atque labores*, vel *propoſitum* ſaltem requirunt, ſive *ſolicitudinem ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis* per opera propria. Atque hos refellere ſtudet non aliis fundamentis, ut jam præfati ſumus, quam ex arbitrio confictis, & authoritate Caſuiſtarum, quibus cauſam ſuam, vel unice, vel maxime fidit.

Revera duplex, aut triplex non eſt, ſed una eademque adverſa Theologorum ſententia, quamquam illam nonnulli diverſimode exponant. In hoc etenim conveniunt omnes, ut infra clarius fiet, quod præter ſtatum gratiæ, & executionem operis injuncti, quod exiguum nunc eſſe ſolet, dum indulgentiæ præſertim generaliter conferuntur, requiratur etiam ex parte ſuſcipientis tanquam conditio prorſus neceſſaria, ſaltem ad plenam earum aſſecutionem, ſincerum & efficax propoſitum ac ſolicitudo ſatisfaciendi juxta vires Deo pro peccatis, ferendique fructus dignos pœnitentiæ, facultati, ac infirmitati cujuſque accommodatos: adeout ex proportione hujuſce ſolicitudinis, ac devotionis etiam, pietatis, & charitatis fervore, quibus pœnitentiæ opera peraguntur, major, minorve percipiatur indulgentiæ fructus, ſive remiſſio temporalium pœnarum divinæ juſtitiæ debitarum. Hæc eſt paucis expoſita verbis hac de quæſtione ſententia, quam tum veteres omnes tradunt, tum plerique recentiorum, qui rem hanc exactius diſcuſſere ſecundum ea principia, quibus dirimendæ ſunt Theologicæ controverſiæ, & quam eſſe contendo *Catholicæ Eccleſiæ doctrinam*: Quod nemo arroganter a me dictum exiſtimet: idem quippe longe antea jam aſſeruit graviſſimus Author, & ampliſſimus Cardinalis Baronius, cujus alibi opportunius referam verba. Interim vero audire non pigeat Eminentiſſimum alium non minus purpura, quam pietate ac doctrina conſpicuum, qui non ſolum hoc idem affirmat, ſed etiam ſententiam quam defendimus, luculentius declarat.

Hic eſt Cardinalis Denoffius, qui in ſua celebratiſſima Inſtructione Paſtorali *de Pœnitentia* tot in linguas converſa, & Sedis Apoſtolicæ authoritate probata, ita ſcribit in rem noſtram: „ Mens Eccleſiæ in diſpenſandis Indulgentiis, hæc quidem „ eſt, nempe filiis ſuis beneficio indulgentiæ opem „ ferre, ut pœnæ debitum exolvant, cui ſolvendo „ impares ſunt, nonnulli quidem virium inopia, „ alii vero vitæ brevitate prohibiti, aut certe, quia „ vix aliquando pœnitentias peccatis convenientes „ impleverunt. Sed eximere non vult ab obligatione legis divinæ, quæ idoneos pœnitentiæ fructus „ facere jubet, neque deſides reddere, aut tardiores „ in operibus ſatisfactionis, quæ tantopere & in ſacris Scripturis, & a ſanctis Patribus commendata „ ſunt, ſedulo exercendis. Ideo Concilium Tridentinum tradit, nuſquam eſſe in Eccleſia ſemitam „ tutiorem, quam liceat evadere ſupplicia, quæ „ Deus peccantibus minatur, quam ut crebro quis „ in hujuſmodi operibus pœnitentiæ agendis occupetur, idque cum vero, & ſincero doloris affectu .... Hanc Eccleſiæ mentem multoties indicant Summi Pontifices in ſuis indulgentiarum litteris, quibus eas impertiri *ſe vere pœnitentibus* „ ajunt, his verbis ſignificantes ſinceram omnium „ delictorum deteſtationem, firmum animi propoſitum deinceps non relabendi, & voluntatem Deo „ appoſite ſatisfaciendi. Quum lapſus ad hunc modum animo eſt comparatus, & ſuis partibus ſedulo defungitur, ut divinam juſtitiam placare queat, „ Eccleſia, veluti pia mater, in auxilium accurrit, „ ut indulgentiæ beneficio quod reſtat debiti, ſolvat: „ vel plene, ſi plena eſt: vel in tantum, quantum illa „ confert. Hinc uſuvenit, ut plena indulgentia non „ omnibus, qui exuto peccandi affectu, præſcriptas „ conditiones adamuſſim præſtiterunt, ex aſſe cedat „ in plenam ſolutionem: quia non omnium eadem eſt debitorum ratio, neque eodem omnes „ ſtudio pro viribus egerunt, ut ea diminueretur: quarum rerum beneficii diſpenſator ſemper „ rationem habere cenſendus eſt ". Quod ſubinde roborat authoritate S. Bonaventuræ, ac Summorum Pontificum Bonifacii VIII., & Innocentii IV. *Quibus*, ſubdit, *ſatis indicant plenæ Indulgentiæ quemque fieri participem, tum ſecundum modum operum Pœnitentiæ, quæ fecerit, tum ſecundum piæ devotionis fervorem: atque ea ratione imminui debitum ſatisfactionis*.

Ex iis facile quiſque colligere valet, in quo ſita ſit Indulgentiarum utilitas, unde apertæ calumniæ convincat Nuperum Authorem, qui noſtræ doctrinæ defenſores traducere non veretur *pag.* 32., ac ſi eas prodeſſe nequaquam agnoſcerent, aut nollent, ut id agnoſceretur ab aliis. Agnoſcimus ſane, ac ut cæteri agnoſcant, vehementer optamus, indulgentiarum utilitatem, non eam quidem, quam ille ſibi ex quorumdam authoritate confinxit, ſed quam agnoſcit Eccleſia. Nonne magna utilitas eſt, quod ſinceri ac veraces pœnitentes per indulgentias remiſſionem pœnarum obtineant, quibus perferendis impares ipſi ſunt, quod integram Deo ſatisfactionem pro multis ſæpe gravibuſque peccatis reddere valeant, quam alias red-

reddere ipſi non poſſent, ſive ob virium defectum, ſive ob vitæ brevitatem? Si ob ingentem debitorum ſummam, quam ex inopia tua ſolvere minime poſſes, in teterrimum carcerem detrudendus eſſes, nonne magno te beneficio afficeret, qui ex ærario ſuo tuam ſuppleret impotentiam, debitumque integrum perſolveret? Nonne magnum & ipſæ percipiunt emolumentum juſtorum animæ, dum per indulgentias expiare facile poſſunt quotidianas, in quas incidunt, culpas, pro quibus maxima ipſis pœna in piacularibus Purgatorii flammis luenda foret? Nonne tum innocentes, tum pœnitentes, qui divinæ juſtitiæ pro noxis, ſive gravibus, ſive levibus ſatisfacere pro viribus ſtudent, ex indulgentiis pacem conſequuntur, & tranquillitatem conſcientiæ, fidentes profuturam ipſis piæ matris Eccleſiæ ſpiritualis theſauri largitionem, ratumque Deum habiturum in cælis, quod ipſa conceſſit in terris? Hæ, aliæque id genus ſunt utilitates, quas fideles acquirunt ex indulgentiarum diſpenſatione; ut nihil modo loquar de iis, quæ animabus etiam proveniunt in luſtrali igne detentis. Quamobrem pudere deberet Authorem noſtrum, quod nobis imponere auſus fuerit, vel indulgentiarum utilitatem non agnoſcere, vel nolle, ut ab aliis agnoſcantur.

CAPUT V.

Exponitur ac defenditur aſſerta noſtra ſententia ſub iis terminis, quibus a pluribus authoribus traditur.

Recentior Author *de Requiſitis &c.* duplicem, ut jam adnotavi, aut triplicem comminiſcitur eſſe ſententiam Theologorum, quos confutare aggreſſus eſt: cum cæteroquin una, eademque ſit, diverſo ſolum ſub aſpectu propoſita. Quapropter primo loco ſibi probandum ſumit, haud neceſſarium eſſe Charitatis actum pro indulgentiis acquirendis: atque ita quæſtionem proponit *pag.* 21. *Utrum ad lucrandas indulgentias, præter ſtatum gratiæ, & executionem operum, quæ injunguntur, requiratur actus Charitatis perfectæ, & quidem eo major, ſeu magis intenſus, quo major, & plenior fuerit indulgentia?* Aſſeritque primum, *non defuiſſe ex recentioribus, qui ſub quodam verborum involucro id affirmaverint:* utque iis Authoribus odium, & invidiam conflet, *videri*, inquit, eos ad id aſſerendum permotos fuiſſe propoſitione 66. in Bulla *Unigenitus* damnata; quod *Deus non remunerat, niſi charitatem: quoniam charitas ſola Deum honorat.* Eoſdemque præterea redarguit ſancti Bernardi verbis, qui *ſerm.* 55. in Cantica ajebat, nonnullos eſſe, *qui nocere, quam vincere malunt, & ne apparere quidem volunt, ſed ſerpere, ut gravius, ac ſecurius noceant.* Tum vero nullum charitatis actum exigi ſtatuit, pluraque ad id probandum congerit, quæ vel nullius momenti ſunt, vel extra quæſtionis orbitam divagantur, ex quibus nullum juſti ratiocinii ſuccum exprimas.

Quamquam Author haud recte exponat ſententiam, quam molitur refellere, revera Theologi non deſunt, qui, licet meliore in ſenſu, eam doceant, atque propugnent. Quinam vero ii ſunt, quos ille audacter ſugillat & carpit, ac ſi cum Queſnellii proſcripta doctrina convenirent, & *nocere, quam vincere mallent?* En præcipui: Adrianus VI. Pontifex Maximus, qui eam doctrinam, quam ut privatus Author tradiderat, ad Pontificium ſolium evectus, ſuprema authoritate firmare decreverat; Eminentiſſimus cardinalis Sfortia Pallavicinus, qui doctrinam Adriani refert, & approbat: S. Bonaventura, Richardus, Gabriel, Major, Joannes Gerſon, Innocentius Pontifex, ac Felinus, omnes a Pallavicino laudati; quibus adde Cajetanum, Natalem Alexandrum, alioſque complures. Tot, tantæque authoritatis ſunt ſententiæ hujus patroni, quos Nuperus Author traducere non erubeſcit, veluti *recentiores* ſuſpectæ doctrinæ reos, quin & malignos, *qui nocere malunt, quam vincere: & ne apparere quidem volunt, ſed ſerpere.* Verum audiamus, quomodo hæc ſententia explicanda ſit, & reapſe explicetur, quibuſque nitatur fundamentis.

Eam porro his verbis exponit citatus Eminentiſſimus Pallavicinus *lib.* 2. *c.* 4. *Hiſt. Concilii Tridentini*: „ Sententia, inquit, ab Adriano excogitata, „ qua tum omnium indulgentiarum largitio, ut rationi conſentanea defenditur, tum ſtimulantur fideles ad opera per eas injuncta peculiari pietate præſtanda, in eo verſatur, quod quodcumque opus honeſtum *oriri poteſt ab actu Charitatis magis, magiſque ferventi.* Unde, ſi operatio illa exterius conſideretur, prout conflat unum, atque idem meritum conjunctum cum voluntate interiore, a qua procedit, ejuſmodi ſemper eſſe poteſt, ut jure optimo Pontifex ejus gratia indulgentiam quantumvis amplam impertiatur. Quapropter Pontifex nunquam elargitur, nec ex irrito, neque prodige concedendo, quamcumque vel maximam indulgentiam ex quocumque vel minimo opere: cum habeat in animo eam concedere, quatenus peragatur opus *ea tanta charitate*, quanta ſatis eſt ad cauſam conſtituendam hujuſmodi conceſſioni congruentem. Cum vero *charitas hunc infra gradum adeſt*, ex mente Pontificis conceditur tanta pars indulgentiæ, quanta congrue concedi poſſit illius operis gratia eo modo peracti. Quare ex una parte fideles certo ſciunt ſibi aliquid emolumenti ex indulgentia obventurum, ubi divinæ gratiæ compotes, præſcriptum ſibi opus compleant: ex altera ſtimulantur ad illud, quam exactiſſime poſſunt, exercendum, quo uberiorem fructum inde decerpant. Præterea cum illis nunquam in comperto ſit opus eo pietatis ardore a ſe perfectum fuiſſe, qui ſatis fuerit ad plenam indulgentiam conſequendam, compelluntur, ne nova unquam opera piacularia prætermittant, quo perpetuo ex aliis, atque aliis indulgentiis ſubſidia ſibi comparent. Hanc autem opinionem non minus ingenioſam, *quam rationi concordem*, *valide* confirmavit Adrianus &c. „. Huc uſque Eminentiſſimus Pallavicinus. Uno igitur verbo hæc ſententia in hoc eſt poſita, quod major, minorve percipiatur indulgentiæ fructus juxta caritatis actualis Dei, fervoris pietatis ac devotionis, quibus perficiuntur opera injuncta in indulgentiarum largitionibus, intenſionem quo plane non excluduntur cætera laborioſa pœnitentiæ opera in peccatorum ſatisfactionem peracta, ad uberiorem, & etiam aliquando integram, atque plenariam indulgentiam acquirendam.

Hæc ſententia ita expoſita probatur primo, & quidem *valide*, ut ait Pallavicinus, Conſtitutione Summi Pontificis Bonifacii VIII. edita in promulgatione,

ne, ſive potius inſtitutione Jubilæi: ubi hortatur fideles ad exequenda ſtatuta opera, qua maxima poterunt devotione ac pietate, quo plenius, efficaciuſque indulgentiæ beneficio perfruantur. En verba Summi Pontificis, qui, cum prius decreviſſet populum Romæ degentem per vices triginta, extraneos vero quindecim inviſere, ac orare debere in Eccleſiis deſignatis, ad indulgentiam conſequendam, ſubdit ſtatim; *Unuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius, & devotius frequentabit*. Ex quo aperte colligitur, indulgentiæ fructum reſpondere menſuræ devotionis ac pietatis, qua injuncta opera adimplentur, eoſque plenius conſequi, qui ferventiore affectu, ſive charitate eadem exequuntur: quæ ipſa eſt conſequentia a Pallavicino illata.

Paria docuit ante Bonif. VIII. Innocentius IV. in cap. *quod autem de Pœnit.* inquiens: *Licet generaliter fiat indulgentia propter laborem, & propter pericula; tamen unus plus alio habet intra metam a Prælato conſtitutam, ſecundum quod plus devotus eſt, vel plus laborat, vel majoribus periculis ſe exponit*. Quæ plane cum iis conſentiunt, quæ tradit Præceptor Angelicus *in 4. diſt. 20. art. 3.* dicens: *Quando datur indulgentia indeterminate ei, qui dat auxilium ad fabricam Eccleſiæ, intelligitur tale auxilium, quod ſit conveniens ei, qui auxilium dat: & ſecundum hoc plus vel minus de indulgentia conſequitur*. Colligat vel ex hoc ſolo textu Nuperus Author, an S. Thomas ſuffragetur ſententiæ ſuæ, qua contendit, injunctum opus non requiri niſi *per accidens*, & quidem ad quamcumque etiam pleniſſimam indulgentiam lucrandam.

Quæ docent laudati duo Summi Pontifices, conſona plane ſunt cum veteri Eccleſiæ diſciplina in indulgentiis impartiendis. Eæ namque conferri ſolebant a Prælatis, ſpectato prius magna cum diligentia fervore charitatis, & devotionis affectu, quo peccatores ad Deum converſi pœnitentiæ canonicæ laborioſa opera peragebant. Hinc Cypriani temporibus, quamvis Eccleſiæ Præpoſiti magni penderent libellos, qui a Martyribus impetrabantur, pœnas tamen pœnitentibus impoſitas non relaxabant, niſi explorato prius, atque comperto eorumdem in agenda pœnitentia canonica fervore, ac ſedulitate, quibus eam gratiam, ſive indulgentiam promeriti fuiſſent. Hinc etiam in concilio Ancyrano anno 314. celebrato can. 5. & 22. ſtatutum eſt: *Indulgentiam ſolis illis concedendam eſſe, quorum zelus, & fervor in actione pœnitentiæ ipſos Epiſcopis commendabiles efficeret*.

Ad hanc ſententiam amplius confirmandam duo etiam argumenta conſpirant a ratione deprompta. Primo ſiquidem rerum ordini maxime conſentaneum videtur, ut indulgentiæ fructus reſpondeat piis diſpoſitionibus, quibus ad eam acquirendam accedimus, eoque major ille ſit, quo major etiam eſt charitas, pietas, atque devotio in perficiendis injunctis operibus pœnitentiæ. Sicut enim juxta Theologorum doctrinam uberior a Deo gratia confertur homini ad illam recipiendam magis diſpoſito; ita dicendum pariter eſt, pleniorem conſequi indulgentiæ, ſive pœnæ remiſſionis effectum, qui per ferventiores charitatis, aliarumque virtutum actus ſe ſe magis diſponit, & idoneum efficit ad gratiam hanc obtinendam. Atque hæc proportio ab ipſo Chriſto Domino conſtituta videtur, dum de Magdalena pœnitente pronunciavit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: remittuntur, inquam, nedum quoad culpam, ſed etiam quoad reatum pœnæ ob intenſiſſimum charitatis fervorem, quo ſibi ſingularem hanc miſericordiam, ſive remiſſionem promeruit. *Cum autem*, ſubjecit Chriſtus, *minus dimittitur, minus diligit*: adeo ut amplitudo indulgentiæ conceſſæ dimetienda ſit ex gradu, ac proportione charitatis, ac devotionis, ſive diſpoſitionis noſtræ ad eam recipiendam.

Hoc ſibi argumentum objicit Nuperus Author *pag.* 33. Quid vero reſpondet? *Indulgentiam datam a Chriſto Domino Magdalenæ fuiſſe quoad culpam & pœnam ex opere operantis ... non autem ex Theſauri Eccleſiaſtici diſpenſatione facta per Prælatos Eccleſiæ, qui non exigunt regulariter*, ſuppoſito ſtatu gratiæ *in ſubjecto, aut actum charitatis, aut ejus intenſionem tamquam conditionem pro majori vel minori diſpenſanda indulgentia*. Egregie oppido. Utique indulgentia a Magdalena acquiſita *facta non fuit per Prælatos Eccleſiæ;* qui ne tunc quidem erant, ſed immediate conceſſa a Chriſto Domino. Sed indulgentia, quæ fit a *Prælatis Eccleſiæ*, nonne aſſimilari debet, aut conformis eſſe cum ea, quæ fit a Supremo capite, & conditore totius Eccleſiæ? Quemadmodum ergo Chriſtus Dominus ſupremum caput, & conditor Eccleſiæ plenariam concedit Magdalenæ pœnitenti indulgentiam peccatorum ſuorum, tum quoad culpam, tum quoad pœnam, ob intenſiſſimam charitatem, qua ad ſe ipſum acceſſit; ita non alio modo parem, ſive plenariam indulgentiam concedere dicendi ſunt *Prælati Eccleſiæ*, qui meri ſunt ejus Miniſtri, adeo ut a Pœnitentibus non recipiatur, niſi pari charitate acceſſerint, ſive ita diſpoſiti, ut tanto beneficio ſe dignos efficiant. Atque hoc eſt, quod ſatis aperte profitentur ipſi Summi Pontifices Bonifacius, & Innocentius ſupra laudati cum docent, *plus mereri, & indulgentiam efficacius conſequi illos, qui amplius, ac devotius &c.* Quid enim aliud his verbis inſinuant, niſi majorem caritatis ac devotionis fervorem requiri ad pleniorem indulgentiam conſequendam: atque adeo valde intenſum illum eſſe oportere, ut ea ſit pleniſſima?

Aliud argumentum ſumitur ex exemplo ejuſdem Chriſti Domini, qui ex ſententia apud Theologos, & Sanctos Patres probatiſſima, poſt paſſionem, & mortem ſuam deſcendens ad inferos, & animas in pœnis Purgatorii detentas inviſens, non omnibus indulgentiam, ſanguine ſuo partam, ſive remiſſionem pœnarum liberaliter conceſſit, ſed iis dumtaxat, quæ ad hujuſmodi gratiam recipiendam ſingulari fide, ac ferventiore charitate, & devotione ſe ſe antea magis diſpoſuerant. Quis igitur neget, idem pariter eſſe ſentiendum ſervata proportione de Indulgentiis a Chriſti in terris Vicario collatis, iis nempe amplius prodeſſe, qui per hujuſmodi actus dignos ſe reddunt ampliore remiſſione?

Nihil reapſe huic doctrinæ opponit Recentior Author, quod refutare ſit opus. Quid enim refutandum eſt in oratione, in qua non aliud reperias, niſi quamdam verborum nihil ſolidi habentium congeriem? An forte, quod ille putida conjectatione commentus eſt, *videri* nempe doctrinæ aſſertæ defenſores damnata Queſnellii propoſitione permotos fuiſſe,

 Deus

Deus non remunerat niſi charitatem &c. ? Scilicet hac propoſitione ad illam ſententiam adſtruendam permoti ſunt longe ante, quam naſceretur Queſnellius, ſummi illi viri, & Eccleſiæ Catholicæ ornamenta præclariſſima, Innocentius, Bonifacius Romani Pontifices, S. Bonaventura, Cajetanus, Pallavicinus, Richardus, Gerſonius, aliique. An refellendum mihi erit, quod prima ſua probatione veluti firmiſſimum fundamentum præſumit, *ad lucrandas videlicet indulgentias nullam aliam diſpoſitionem ſimpliciter, & ex natura rei prærequiri ex parte ſubjecti, niſi ſtatum gratiæ?* Sed nonne hoc præſentis quæſtionis ſubjectum eſt? Nonne firmiſſimum hoc ſuum fundamentum oſtendimus prorſus eſſe futiliſſimum? Nonne penitus penituſque diruturn fuit, atque contritum tot argumentis noſtris, quæ omnia, uno dempto, ne attingere quidem auſus eſt? Illam præterire minime deberem turpem aberrationem Authoris, qui pag. 27. ut probet perfectam contritionem remittere etiam omnem pœnam temporalem peccatis debitam, profert authoritatem Doctoris Angelici ex 3. *p. q.* 86. (non 36.) *art.* 5. *ad* 1. qui in toto eo articulo, & in verbis ab Authore citatis non loquitur ullo pacto de reatu pœnæ temporalis, de quo locutus fuerat *art. præcedente;* ſed *de reliquiis peccati*, ſive pravis diſpoſitionibus, aut effectibus, quæ remanere ſolent in peccatore etiam poſt converſionem. Sed hoc expendere a meo inſtituto alienum puto, quemadmodum & ea, quæ inibi *pag.* 25. *&c.* interſerit de efficacia charitatis ad omnem culpam delendam, ubi rurſus abutitur S. Thomæ authoritate.

CAPUT VI.

Doctrina Eccleſiæ Catholicæ de Requiſitis *ex parte recipientis ad lucrandas Indulgentias ſub eo aſpectu propoſita, quo frequentius traditur, defenditur authoritate principiorum, quæ habentur in Divina Scriptura.*

JAm vero ſententiam noſtram ſub iis terminis vindicemus, ac comprobemus, quibus frequentius a noſtris defenditur: requiri videlicet *ex parte ſubjecti* ad indulgentias lucrandas, præter ſtatum gratiæ, propoſitum ſincerum & efficax ſatisfaciendi Deo pro peccatis, ſive faciendi fructus dignos pœnitentiæ: propoſitum, inquam, *ſincerum*, & *efficax*, quod nempe in actus convenientes prodeat juxta vires, ac facultatem ſubjecti, aliaſque, quæ occurrere poſſunt, ac ſolent, circumſtantias. Quod verbis aliis, ſed eadem ſententia ita exponit P. Gabriel Antoine: *Ad indulgentiam plenariam* (idemque dicas proportione ſervata de cæteris) *integre conſequendam, præter ſtatum gratiæ, & executionem omnium operum in Bulla injunctorum, requiritur propoſitum, & ſollicitudo ſatisfaciendi Deo per ſatisfactiones congruas, peccatis, & facultati, ac infirmitati proportionatas: ita ut proportione hujus ſollicitudinis, tamquam diſpoſitionis ad indulgentiæ effectum neceſſariæ, percipiatur major vel minor indulgentiæ fructus* (1).

Hanc ſententiam ita explicatam, quam ut *Eccleſiæ Catholicæ doctrinam* propugno, iiſdem argumentis probo, quibus cæteræ omnes probantur catholicæ veritates, argumentis ſcilicet ex ſacra Scriptura, ex Eccleſiæ traditione, ex Sanctis Patribus, ex Summorum Pontificum decretis, & Epiſcoporum conſenſione depromptis.

Age vero, ex primo fonte, ſacræ nimirum Scripturæ, argumentum hauriamus. Illud ita proponit laudatus *Antoine cap.* 14. *de Indulg.* „ Extat divinum præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ, hoc eſt opera pia, & pœnalia, quæ ſatisfacere valeant pro peccatis, ut explicat Concilium Tridentinum, a quo præcepto Eccleſia diſpenſare non poteſt. Imo ipſa Eccleſia contra hæreticos tuetur neceſſitatem ſatisfactionis pro pœna temporali. Et idem Conc. ſeſſ. 14. docet, generaliter pœnitentiam Chriſtiani lapſi præter contritionem, & confeſſionem neceſſario continere ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia &c. " Ita Antoine.

Hoc argumentum, ut ſua vis ipſi, & efficacia conſtet, omneſque diſpellantur offuciæ, quibus implicari ſolet, ſic proponere præſtat. Jure divino in ſacris libris afferto conſtitutum eſt, ut pœnitenti, reatu culpæ remiſſo, reatus pœnæ temporalis remaneat luendæ, ſive in hac vita, ſive in alia, juxta ejuſdem gravitatem, & meritum. Hæc propoſitio ita certa eſt, ut ſi quis eam neget, aut in dubium revocet, jam non inter catholicos, ſed heterodoxos recenſendus videatur. Ea namque apertiſſime conſtat ex pluribus, iiſque perſpicuis, Scripturæ textibus, & exemplis, quæ proſtant tum in veteri, tum in novo teſtamento: ex authoritate Sanctorum omnium Patrum, Summorum Pontificum, & Conciliorum etiam generalium, atque inter alia Oecumenicæ Synodi Tridentinæ, & Epiſcoporum conſenſione depromptis, ex quibus unius Sancti Caroli Mediolanenſis Archiepiſcopi ſatis mihi ſit brevem afferre ſententiam ex ſua Inſtructione Confeſſ. ubi ait: *Sacræ litteræ ab iis, qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, atque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu, & planctu.* Hæc igitur propoſitio major certiſſima eſt. Ad minorem venio: ſed quod divino jure conſtitutum eſt, firmum & conſtans ſit, oportet, nec ab authoritate Eccleſiæ ſolvi poteſt ulla indulgentiarum largitione: ſiquidem nulla Eccleſia poteſtate gaudet ſupra jus divinum, quod declarare quidem valet, ſi dubium ſit, vel obſcurum, aut juxta contingentium quandoque caſuum exigentiam exponere, non autem ſolvere, vel abrogare; ut ab ipſo Concilio Tridentino ſatis aperte colligitur, quod hac de cauſa definit contra hæreticos noſtri temporis neceſſitatem ſatisfactionis pro pœna temporali remiſſis peccatis debita, & pœnitentiam Chriſtianam conſiſtere docet, nedum in contritione, & confeſſione, ſed etiam in ſatisfactione per jejunia, eleemoſynas, & pia alia vitæ ſpiritualis opera. Igitur peccator per indulgentias non eximitur ab hac obligatione ſatisfaciendi Deo

(1) Cajetanus docuiſſe videtur, nihil omnino indulgentias prodeſſe his, qui hoc ſtudio, ſive propoſito careant, quamvis opera in Bulla injuncta etiam devote perficiant. Hanc ſententiam tanto cum rigore nos non defendimus, vereque ſcripſit ille non *eſſe communem*.

Deo operibus hiſce pœnalibus; atque adeo, qui ea, cum poſſit, præſtare abnuit, indulgentiæ, ſive pœnæ debitæ remiſſionis fructu privatur.

Confirmatur, magiſque urgetur hoc argumentum. Certum apud omnes eſt, adeo amplam eſſe non poſſe facultatem a Chriſto Domino Eccleſiæ conceſſam, ut contra ejus voluntatem Theſaurum meritorum paſſionis ſuæ ac Sanctorum applicare valeat. Quænam autem ſit in re præſenti voluntas Dei, diſcimus certiſſime, ac evidenter ex ipſa divina Scriptura, in qua, ut alia plura omittam teſtimoniis, præcipitur, *fructus pœnitentiæ*, & quidem *dignos*, hoc eſt juxta criminum qualitatem, & numerum, *faciendos eſſe* ab iis, qui deliquerunt. *Fructus* autem *pœnitentiæ* quinam præſertim ſunt? Aut in quo conſiſtunt, niſi in congruis pœnalis ſatisfactionis operibus, ex quibus etiam *pœnitentia* nomen ſumpſit? Ita exponunt hunc textum, ſimileſque alio ſancti Eccleſiæ Patres, & præ reliquis Sanctus Thomas *quodl.* 3. *q.* 12. *art.* 28. qui etiam in *ſuppl. qu.* 12. *art.* 2. eleganti ratione probat, ſatisfactionem hujuſmodi pro peccatis commiſſis *actum eſſe juſtitiæ* exigentis æqualitatem, aut ſaltem proportionem ejuſdem ad offenſam Deo irrogatam. Verum de Divinæ hac in re voluntatis diſpoſitione diſertiſſimum eſt teſtimonium laudatæ Synodi Tridentinæ, quæ ſtatuit, *divinam juſtitiam exigere* pœnalem hanc ſatisfactionem, adeoque *pœnitentiam baptiſmum eſſe laborioſum*. Quod confirmat pluribus rationibus: ac propterea gravi præcepto obſtringit *Sacerdotes Domini*, *ut pro qualitate criminum*, *& pœnitentium facultate ſatisfactiones injungant*. Si igitur ex his compertiſſima nobis eſt divinæ voluntatis diſpoſitio, non eſt in poteſtate Eccleſiæ, ut per indulgentias, quas confert, pœnitentes ſolvat ab hac obligatione, atque adeo ab iis operibus ſatisfactoriis, quas reddere poſſunt juſtitiæ divinæ. Unde inferendum eſt, indulgentias ab Eccleſia collatas non extinguere debitum a peccatoribus contractum faciendi fructus dignos pœnitentiæ, prout ſuppetunt vires, neque eas lucrari, qui id præſtandi ſincero carent, & efficaci propoſito.

Quid ſolidi huic argumento reponere valeant adverſæ ſententiæ defenſores, profecto me fugit. Reſpondere ſolent, (& reſponſionem hanc ſatis indicat non uno in loco Nuperus noſter Author) ad objectum ex Evangelio teſtimonium, *fructus dignos pœnitentiæ* intelligi poſſe de dolore, ac deteſtatione peccatorum, ac firmo propoſito ea deferendi, quæ neceſſaria omnino ſunt: quod ad ſatisfactionem autem ſpectat, eam ſuppleri per indulgentias.

Quam infirma & inepta ſit hæc reſponſio, facile perſpicient omnes, qui producta momenta parumper expenderint. Quapropter luderem plane operam, ſi eam pluribus refellendam ſuſciperem. Satis modo ſit hunc afferre, quæ ſcribit Ven. Bellarminus *cap.* 8. *lib.* 4. *de Pœnit.* ubi probat contra hæreticos dogma de ſatisfactione. „ Tertium teſtimonium, in„ quit, poſitum eſt in illis verbis Præcurſoris: *Fa„ cite fructus dignos Pœnitentiæ*: quod teſtimonium „ adverſarii *non recte exponunt* de novitate vitæ, & „ obſervatione legis divinæ. Nam *facere fructum „ dignum pœnitentiæ* eſt operari eo modo, quo de„ cet eum, qui pœnitentiam profitetur. Qui autem „ pœnitentiam profitetur, quod aliquem læſerit, „ non ſolum ceſſat a lædendo, nec ſolum cavet in „ futurum, ne quid in eum committat, ſed etiam „ damnum reſarcit, compenſat injuriam, malefacta „ corrigit &c. " Quod probat etiam textibus S. Gregorii Papæ, Ven. Bedæ, S. Petri Damiani, S. Joannis Chryſoſtomi, aliorumque. Nihil futili reſponſione exſufflandæ aptius, nihil ſuffundendis pudore adverſariis noſtris accommodatius.

CAPUT VII.

Eadem doctrina confirmatur perenni veteris Eccleſiæ traditione.

BEne, ac recte obſervat Nuperus Author *pag.* 14. ex Bellarmino, *unum ex iis ſignis*, *quibus internoſcuntur Catholica dogmata ab hæreſibus*, eſſe, quod illa perenni retro traditione *aſcendunt ad Evangelium*, *vel Apoſtolos*, ex quo recte etiam colligit, *Apoſtolicam*, *& divinam eſſe indulgentiarum originem*. Nos igitur eodem utemur hic argumento ad probandum, *Apoſtolicam*, atque adeo *divinam* eſſe traditionem de neceſſitate operum pœnitentiæ cum indulgentiis conjungenda. Si enim conſulamus Eccleſiæ praxim, atque diſciplinam ad Apoſtolos uſque perductam, clare deprehendimus, in ea ſemper uſum viguiſſe congruas exigendi a peccatoribus pro ſuorum qualitate delictorum ſatisfactiones conjunctas cum indulgentiis; quibus piiſſima mater earum vigorem moderari, ac veluti delinire conſuevit. Atque ut ab Apoſtolorum ævo, immo & ab ipſis Apoſtolis ordiamur:

Primum indulgentiarum exemplum, omniumque, quæ in Eccleſia conferuntur, veluti formam præbet Apoſtolus Paulus, qui ex authoritate, ut ipſe teſtatur, ſibi a Chriſto collata, remiſſionem quidem pœnæ, quam pro commiſſo flagitio Corinthius luebat, clementer indulſit, & indulgendam edixit; ſed non niſi poſt diutinam delicti ſui pœnitentiam, ut ex textu ipſius evidenter eruitur, *& ne abundantiori triſtitia*, ut inquit Apoſtolus, *abſorbeatur*. Neque tamen ab omni prorſus ſatisfactione Deo impoſterum reddenda, ipſum Paulus exemit, ut animadvertunt S. Jo. Chryſoſtomus, & ſanctus Thomas in hunc locum.

Creſcente Eccleſia Chriſtiana, celebres canones, qui *pœnitentiales* dicuntur, confecti ſunt, diverſi quidem pro diverſitate peculiarum Eccleſiarum, ſed qui omnes Eccleſiæ ſpiritum nobis exhibent in imponendis pro quolibet peccato graviſſimis pœnis, quas tamen moderari quandoque ſolebant Epiſcopi, (quod perinde erat ac indulgentiam tribuere) ſed nonniſi ob juſtas ac rationabiles cauſas, & pœnitentium fervores in iis ſubeundis, aliiſque circumſtantiis accurate perpenſis. Hinc S. Cyprianus iis non indulgendum admonuit, pro quibus Martyres intercedebant, niſi ſtuderent ipſi laborioſis pœnitentiæ operibus Deum placare, ac juſtitiæ divinæ ſatisfacere. „ Peto, inquit *Epiſtola* 13. ut eos, quos ipſi „ videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam *ſatis„ factioni proximam* conſpicitis, deſignetis nomina„ tim libello, & ſic ad nos fidei ac diſciplinæ con„ gruentes litteras dirigatis " : ut iis nimirum, ipſorum pœnitentia diligenter inſpecta, pacem & indulgentiam concederet. Atque hæc, ut alibi adver-

tit idem S. Pater, generalis tunc temporis erat Eccleſiæ praxis, ac diſciplina, ut Epiſcopi prius probarent lapſorum pœnitentiam, lacrymas, jejunia &c. ac tum demum ad preces Martyrum abſolutionem a peccatis ſimul & indulgentiam impertirent. „ Si precem (verba ſunt S. Epiſcopi) toto corde „ faciat, ſi veris pœnitentiæ lamentationibus & la„ crymis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui Do„ minum juſtis, & continuis operibus inflectat &c. „ roganti poteſt clementer ignoſcere (Epiſcopus): „ poteſt acceptum referre, quidquid pro talibus & „ petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes". Hinc quia in his indulgentiis tribuendis ad Martyrum commendationem abuſus aliqui irrepſerant; idcirco eos de medio tollere, ne invaleſcerent, pro virili conatus eſt; ſcripſitque hac ſuper re Epiſtolam (1) ad clerum Romanum, Pontificia Sede tunc vacante, in qua conqueritur *de quorumdam*, ut ait, *temeritate*, qui freti libellis martyrum, *Deo ſatisfacere detrectabant*; pluribuſque oſtendit pœnitentiæ a peccatoribus peragendæ neceſſitatem.

Sed quid reſponderit Eccleſia Romana a Cypriano conſulta, ſaltem ex parte, audire ne pigeat, ut omnibus liqueat, quam ſemper hæc omnium Eccleſiarum caput, ac mater tenax fuerit primævæ diſciplinæ. „Quid in pace tam aptum, (repoſuit illa, ne „ verba ipſius perſequar omnia,) aut in bellis per„ ſecutionis tam neceſſarium, quam *debitam ſeveri„ tatem divini vigoris* tenere? Quam qui remiſerit, „ inſtabili rerum curſu erret, neceſſe eſt. Nec hæc „ apud nos adverſus improbos modo ſupervenerunt „ repentina ſubſidia, ſed *antiqua apud nos ſeveri„ tas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua*: „ quoniam nec tantas de nobis laudes Apoſtolus „ protuliſſet, niſi jam exinde vigor rite radices „ fidei de temporibus illis mutuatus fuiſſet ..... „ *Abſit ab Eccleſia Romana* vigorem ſuum tam „ prophana facilitate dimittere, & nervos ſeve„ ritatis, everſa fidei majeſtate diſſolvere, ne „ properata nimis remedia, utique non profutura, „ præſtentur, & nova per miſericordiam falſam ve„ teribus vulnera imprimantur (2). Ubi enim po„ terit indulgentiæ medicina procedere, ſi medicus „ interrupta pœnitentia indulget periculis? Hoc non „ eſt curare, ſed occidere. Itaque oramus, ut effe„ ctus indulgentiæ ſubſequatur & pœnitentiam . . . „ Pulſent fores (Pœnitentes), adeant ad limen Ec„ cleſiæ, caſtrorum cæleſtium excubent portas, re„ ſumant precum ſuarum tubam .... Eorum, qui „ moras dilationis poſſunt ſuſtinere, in ſuſpenſo cau„ ſa teneatur. Eorum autem, quorum exitus di„ lationem non poteſt ferre, acta pœnitentia, & „ profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, „ votis duximus ſubveniri, Deo ſciente, quid de „ talibus faciat &c."

Verum alios afferamus hujus traditionis teſtes. Euſebius *lib.* 6. *hiſt. c.* 48. refert, poſt Decii Imperatoris perſecutionem, in qua non pauci ex fidelibus ob immanitatem tormentorum lapſi fuerant, Concilia plura coacta fuiſſe, in quibus lapſorum cauſa ſedulo diſcuſſa eſt, quidve cum ipſis agendum, deliberatum, omneſque Epiſcopi in hanc convenere ſententiam, indulgendum quidem eſſe, pacemque Eccleſiæ concedendam, ſed nonniſi iis, *quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpexerint*.

His conſona ſunt, quæ præſcripſit Concilium Ancyranum anno 314. celebratum, quod relaxationem pœnarum aliquam fieri quidem pœnitentibus permiſit, ſed nonniſi poſt diuturnam probationem. Sic enim *can.* 2. præſcribit de Diaconibus lapſis. *Si ex Epiſcopis aliqui adverterint eorum laborem aut humiliationem manſuetudinis, & voluerint abbreviare, penes ipſos erit poteſtas*. Et *Can.* 5. quoad alios pœnitentes dicitur: *Epiſcopi poteſtatem habeant examinato converſationis modo humanius cum iis agendi* . . *Ante omnia autem & præcedens vita, & quæ conſecuta eſt, diſcutiatur, & ita eis humanitas commenſuretur:* quod repetit *Can.* 7., & 16. idemque ſtatuitur in Concilio Laodiceno anni 320.

Sequitur Concilium Œcumenicum Nicænum I., quod traditionem Eccleſiæ ſuprema ſua Authoritate confirmat. Nam loquens C. 12. de indulgentia impertienda relapſis, *In omnibus*, ait, *inſtitutum, & genus pœnitentiæ convenit explorare. Quicumque enim metu, lacrymis, patientia, & bonorum operum ſtudio converſionem opere oſtendunt, hi definitum tempus auditionis implentes, merito orationibus communicabunt: poſtmodum vero licebit Epiſcopo humanius aliquid de illis cogitare*, ſive pœnitentiæ opera taxare, quoad perinde erat, ac indulgentiam elargiri.

Œcumenici Concilii ſtatuto morem gerens Synodus Arelatenſis II. poſt injunctam lapſis ſeptem annorum pœnitentiam, ita moderari eam poſſe decrevit: *De his*, inquit, *qui in perſecutione prævaricati ſunt, Nicæna Synodus ſtatuit &c. In arbitrio tamen ſit Epiſcopi, ut ſi eos ex animo errorem deflere, & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro Eccleſiaſtica humanitate ſuſcipiat*, contracto ſcilicet pœnitentiæ tempore.

Innocentius I. P. M. qui ſub initium ſæculi V. Petri ſedem obtinuit, de praxi Eccleſiæ Romanæ in indulgentiis conferendis præclarum hocce teſtimonium perhibet: *De pœnitentibus, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, quinta feria ante Paſcha remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad Confeſſionem pœnitentis, ac tunc jubere dimitti cum viderit congruam ſatisfactionem*.

Concilium Cartaginenſe celebratum anno 424. ſanxit *can.* 76., ut pœnitentes negligentiores in obeundis ſatisfactionis operibus *tardius recipiantur:* & *can.* 76. de iis loquens, quibus in articulo mortis conceſſa fuerit indulgentia; *ſi ſupervixerint*, ait, *ſubdantur ſtatutis pœnitentiæ legibus*.

Ne ſim prolixior, paucis perſtringam aliqua, quæ ſequioribus ſæculis de hac re conſtituta fuere. S. Baſilius in *Epiſt. ad Amphilochium* teſtatur, ſe in-

(1) Epiſt. 30.

(2) Epiſt. 31. inter Cyprianicas, in qua, ſicut & aliis documentis obſervandum, moris tunc fuiſſe pœnitentiam præmittere ad abſolutionem ſive pacem per Sacramentum oblatam.

indulgentias concedere iis tantum, *qui vitam miſericordia dignam oſtendunt*, *qui pœnitentiæ fructus monſtrant*. S. Gregorius Niſſenus *Epiſt. ad* Letoium, *pœnæ tempus contrahi converſis*, *ſi pœnitentiæ magnitudo tempus vincat*. Concilium Aurelianenſe anno 541. præſcribit Epiſcopis, ut indulgeant cum pœnitentibus, *cum eos viderint dignam pœnitentiam agere*. Concilium Triburienſe anno 890. varias quidem *can.* 2. *& ſeqq.* largitur indulgentias; nullam tamen ſine congrua ſatisfactione. Nicolaus I. P. M. anno 860. rigidam magno peccatori pœnitentiam injunctam mitigandam edicit, *ſi ejus converſionem & lacrymarum fontem floridis actionibus*, *& optimis operibus pullulare* conſtiterit. Concilium Saleguſtadienſe anno 1022. *cap.* 18. quia multi confiſi indulgentiis, quæ Romam petentibus concedebantur, pœnitentiam agere recuſabant, aperte eos monuit, *talem indulgentiam illis non prodeſſe*, *niſi prius juxta modum delicti ſui datam ſibi pœnitentiam adimpleviſſent*.

Verum quid pluribus opus eſt? Cum ex Eccleſiaſtica Hiſtoria compertiſſimum ſit, per decem circiter æræ Chriſtianæ ſæcula non niſi pœnitentiæ partem pœnitentibus eſſe dimiſſam, nec ullam *plenariam*, ut ajunt conceſſam fuiſse indulgentiam: poſtmodum vero per tria quatuorve ſæcula non niſi pro operibus quammaxime arduis, laborioſis, ac difficillimis, ex. gr. Indulgentiam, ut dicebatur, *Cruciatæ*, quam qui conſequi voluiſſent, adſtringebantur ad ſubeunda graviſſima incommoda longiſſimi, & aſperrimi itineris, ad bona ſua deferenda, patriam, familiam, vitamque ipſam evidenti diſcrimini exponendam: quæ ſane æquipolere poterant cunctis laboribus pœnitentiæ canonicæ, adhuc in Eccleſia vigentis. Quare mirum eſſe non debet docuiſſe S. Thomam (quod perperam objicit Nuperus Author) aliam tunc temporis requiſitam non fuiſſe ab illis pœnitentibus ſatisfactionem: quoniam, quæ aſſumebant ipſi, laborioſiſſima opera, *cedere* utique poterant *in locum ſatisfactionis*.

Colligamus igitur ex omnibus, quæ hoc capite dicta ſunt, traditionem Eccleſiæ de Indulgentiis cum ſatisfactione pro peccatis congrua neceſſario conjungendis. Hæc enim conſtans, & per tot ſæcula fuit Eccleſiæ tum Orientalis, tum Occidentalis praxis, ac diſciplina, contrahere quidem aliquando canonicæ pœnitentiæ tempus, moderari etiam inſpecto pœnitentium fervore, aliiſque perpenſis circumſtantiis, rigorem operum piacularium: non autem ab iiſdem penitus eximere delinquentes, ſi ea peragere potuiſſent. Sed numquid fortaſſis Eccleſia ab hoc ſpiritu, conſtantique æſtimatione lapſu temporum tandem deflexit? Id quidem nonnulli ſibi perſuadent, ſed perperam, ut *cap. ſequenti* perſpectum fiet.

CAPUT VIII.

Traditio de congrua ſatisfactione cum indulgentiis conjungenda ſemper immota permanſit in Eccleſia Catholica.

UT liquido conſtet, eumdem, quem hactenus oſtendimus, immobilem in Eccleſia Catholica ſemper permanſiſſe ſpiritum, ac perſuaſionem de neceſſitate conjungendi indulgentias cum congrua pro peccatis ſatisfactione, nullo alio aptiore uti poſſumus argumento, quam quod ex ipſa deducitur omnium Eccleſiarum capite, ac Matre, Eccleſia nimirum Romana, quæ per Summos, qui eam rexere, Pontifices, ita luculenter ac ſæpius elocuta eſt, ut nullum nobis de ſententia ſua reliquerit ambigendo locum. Quare teſtimonia referam Summorum Pontificum, non omnia quidem, ſed quæ in rem noſtram potiora videbuntur.

Primum teſtimonium, quod etiam producitur a a P. Gabriele *Antoine*, ſumitur ex Reſcripto Gregorii VII. qui Epiſcopo Lincolnienſi indulgentiam pro peccatis ſuis petenti, clementer quidem conceſſit, ſed ea lege, ac conditione, ut pro viribus Deo ſatisfaceret: *Abſolutionem*, inquit, *peccatorum tuorum*, ſicut rogaſti, *authoritate Principum Apoſtolum Petri*, *& Pauli fulti*, *tibi mittere dignum duximus; ſi tamen bonis operibus inhærendo*, *commiſſos exceſſus plangendo*, *quantum valueris*, *corporis tui habitaculum Dei mundum templum exhibueris*. In quem textum peculiari digna conſideratione ſunt, quæ ſubdit Eminentiſſimus Card. Baronius ad annum 1073. inquiens: *Ut appareat*, *Sedis Apoſtolicæ indulgentias illis communicari*, *qui*, *quantum ſuppetunt vires*, *bene operari non prætermittunt*: *non autem ignavis*, *otioſis*, *ac negligentia torpeſcentibus*. Quid his teſtimoniis tum Summi Pontificis, tum magni Annalium Eccleſiæ Parentis gravius, atque diſertius?

Gemina docent Urbanus II. & Gelaſius item II. Primus enim anno 1094. Plenariam conceſſit *Cruceſignatis* pergentibus ad Terræ ſanctæ liberationem indulgentiam: ſed tamen præſcripſit, *ut illud iter* peregrinationis proculdubio difficillimum, ac laborioſiſſimum *pro pœnitentia ſuſciperent*. Alter vero anno 1115. eamdem confirmans indulgentiam, adjecit: *Quoniam vos ipſos & veſtra extremis periculis objeciſtis*.

Innocentius III. in Decreto, quod ſuperius indicatum eſt, lato in Concilio Lateranenſi, quo poteſtatem coercuit Epiſcoporum quorumdam in indulgentiis conferendis, duas haſce aſſignat eam moderandi rationes: quod nempe *per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias & claves Eccleſiæ contemnuntur*, *& pœnitentialis ſatisfactio enervatur*. Mens proinde Summi Pontificis fuit, ut *pœnitentialis ſatisfactio*, quæ laborioſis admodum operibus jejuniorum, precum, eleemoſynarum tunc etiam peragi conſueverat, ſarta tecta perſiſteret, nec ullo pacto per indulgentias relaxaretur. Quod exemplo ſuo roboravit. Anno ſiquidem 1200. cuidam Pœnitenti, qui Romam perrexerat ad impetrandam ab ipſo abſolutionem, ejus quidem precibus benigne indulſit, ſed injuncto per undecim annos jejunio feriæ ſextæ in pane & aqua, nec relaxationem permiſit, niſi in æſtivo tempore. Alteri quoque impoſuit, ut tota vita ſua a carnibus abſtineret.

Vidimus ſupra quid egerit Bonifacius VIII. pro obtinenda indulgentia Jubilæi, quod primitus inſtituerat quodlibet anno centeſimo. Paulus II. qui revocavit illud ad quinquageſimum, in Bulla reductionis *Ineffabilis*, indicatis operibus, quæ ab iis omnibus peragenda fuerant, qui illud acquirere voluiſſent, ſubjunxit: *Attendant fideles*, *& ponderent peccatorum ſuorum ſarcinam*, *& ut mortis æternæ*, *ac damnationis detrimenta evitent*, *his*, *atque aliis meritoriis operibus peccata ſua ſtudeant expiare*, *ut ſaltem per hæc remedia*, *atque remiſſionum*, *& indulgentiarum largitionem hujuſmodi &c. ac Sanctorum meritis*, *& interceſſionibus adjuti ad æternam mereantur beatitudinem pervenire*.

Eadem veritas comprobatur ex formulis, quas adhibere ſolent Summi Pontifices in concedendis indulgentiis, quibuſque excitant fidelium animos ad opera pœnitentiæ ſtudioſe perficienda. His etenim, aliiſque plerumque utuntur ſimilibus verbis, ut fideles *redimant ſua peccata operibus pœnitentiæ*: ut *jejuniis*, *orationibus*, *ac eleemoſynis iram Dei placent*: ut *dignos pœnitentiæ fructus faciant &c.* Id patet ex Bullis S. Pii V. Sixti V. Clementis VIII. Urbani VIII. & Alexandri pariter VIII. Porro cur hiſce verbis Chriſti fideles tantopere urgerent ſupremi Pontifices, ſi pœnitentiæ opera conditio non forent plane neceſſaria, ut valeant prodeſſe indulgentiæ, quam conferunt, ad redimenda peccata, & exſolvendas debitas peccatorum pœnas?

Ulterius illud etiam in ſuis Indulgentiarum litteris profitentur Summi Pontifices, quod eis conferant *vere pœnitentibus*. Quid autem duo verba ſignificant? Juxta Eccleſiæ præſtantiſſimos Cardinales, & Epiſcopos, quos audire potius debemus, quam plures Caſuiſtas, qui ex arbitratu ſuo Pontificum verba in eos ſenſus detorquent, qui magis ipſis arrident; *veri pœnitentes* dicuntur, nedum ii, qui dolent de commiſſis flagitiis, cum propoſito etiam ea amplius non committendi, verum etiam, qui pro iiſdem ſatisfacere ſatagunt pœnitentiæ operibus: hoc enim nomen ipſum pœnitentiæ præſertim exprimit. Unum dumtaxat ex iis afferre præſtat, laudatum ſcilicet Cardinalem Denhoffium, qui in Paſtorali ſua Inſtructione ita loquitur: *Summi Pontifices Indulgentias impertiri ſe* vere pœnitentibus *ajunt*, *his verbis ſignificantes ſinceram omnium delictorum deteſtationem*, *firmum animi propoſitum deinceps non relabendi*, *& voluntatem Deo appoſite ſatisfaciendi* (per opera nempe illa pœnalia, quæ ſupra ſtatuerat ex Tridentino Concilio). *Cum lapſus ad hunc modum animo eſt comparatus*, *& ſuis partibus ſedulo defungitur*, *ut divinam juſtitiam placare queat*, *Eccleſia*, *veluti pia mater*, *in auxilium accurrit*, *ut indulgentiæ beneficio*, *quod reſtat debiti*, *ſolvat*.

Aliis quoque verbis jam a pluribus ſæculis eamdem conditionem apponunt Summi Pontifices in Indulgentia Jubilæi, quæ omnium præcipua ac certior eſt, nimirum *injuncta pro modo culpæ pœnitentia ſatiſfaturi*: ea utique pœnitentia, quam præſcribit Tridentina Synodus, gravique præcepto Dei Miniſtros ad eam imponendam obſtringit, *pro qualitate criminum*, *& pœnitentium facultate*: *quæ* videlicet *non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam*, *& infirmitatis medicamentum*, *ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam*, *& caſtigationem*. Quod ſi pœnitentia ex ipſa Summorum Pontificum voluntate commenſurata debet eſſe peccatis, ſive *pro modo culpæ*, eaque tamquam conditio requiritur ad indulgentiam lucrandam; nonne dicendum erit, indulgentias plenarias minime lucrari, qui eam pro viribus non adimplet?

Verum præ cæteris omnibus locupletiſſima ſunt æque ac ſplendidiſſima teſtimonia hujuſce rei a duobus edita Summis Pontificibus, qui hac ipſa ætate noſtra floruere. Primus eſt Innocentius XII., qui pro Jubilæo inſtante anni 1700., hanc de argumento noſtro Inſtructionem ex Cardinalium Congregatione ad hoc ſpecialiter deputata, edendam curavit. En ejus verba ſeria animi conſideratione perpendenda: „ Proponatur fidelibus utilitas, quam ex magna hac „ indulgentia conſequuntur: quatenus videlicet illius „ virtute, ac operatione remittantur illæ pœnæ, „ quas homo divinæ juſtitiæ debet: *modo* (N. B.) „ *divinæ gratiæ condigna ſatisfactione cooperetur*. Doceatur ergo populus, quod licet per Sacramentum „ Pœnitentiæ culpa, & æterna pœna remittatur; „ nihilominus, poſt remiſſionem delictorum, debi„ tum temporalis pœnæ, adeoque *grave onus ſatis„ factionis* remaneat, quod *copioſis eleemoſynis*, *ri„ goroſis jejuniis*, *ac difficilibus operibus pœnitentiæ*, „ ut tempore veterum fervidorum Chriſtianorum „ factum eſſe liquet *ex canonibus pœnitentialibus*, aut „ horrendis pœnis Purgatorii ſolvi deberet. Cum „ vero talia ſufferre humanæ infirmitati nimis grave „ foret; ideo Vicarius Chriſti tales ſatisfactiones per „ indulgentias *minuit* “. Vel hoc ſolum teſtimonium abunde deberet eſſe ad obſtruendum os, & corrigendam Nuperi Authoris, pluriumque Caſuiſtarum nimiam confidentiam, qua de indulgentiis loquuntur. Iſthæc ſane Summi Paſtoris inſtitutio nonne nitidiſſimam nobis exhibet indulgentiæ etiam Jubilæi notionem, atque ideam, ſimulque ſpiritum ac ſenſum Apoſtolicæ Sedis, atque adeo Eccleſiæ Catholicæ, in indulgentiis conferendis? Proſunt illæ quidem, & maxime proſunt fidelibus ex Eccleſiæ doctrina: hac tamen conditione neceſſario requiſita: *modo divinæ gratiæ*, ſive clementiæ, ac liberalitati, *condigna ſatisfactione cooperentur*. Non eximunt pœnitentes *a longis*, *ac difficilibus pœnitentiæ operibus*, quæ pro culparum qualitate *divinæ juſtitiæ debent*, quæque olim exigebat Eccleſia, ſed *minuunt* dumtaxat, hoc eſt ejus rigorem temperant, aut moderantur, ſive potius ſupplent id, quod ex imbecillitate noſtra præſtare ipſi minime poſſumus, vel *ſufferre grave nimium foret humanæ infirmitati*. Quare meo facile judicio, ab Eccleſiæ doctrina longe recedunt, qui aliam ſibi animo informant indulgentiarum ideam, nec ad eas lucrandas ſtudium congrue pro peccatis ſatisfaciendi Deo, veluti conditionem, requirunt.

At licet ſplendidum ſit laudatum Innocentii teſtimonium, omnemque diſcutere valeat ex animis dubitationem; adhuc nihilominus ſplendidius eſt, planeque omni ex parte decretorium, quod ſuppeditat Benedictus XIV. in ſuis litteris *de Præparatione ad annum univerſalis Jubilæi* 1750. in quibus illud in anteceſſum animadvertere opus eſt, Summum Pontificem locutum eſſe ut univerſalis Eccleſiæ Paſtorem, atque magiſtrum, ſive, ut inquiunt, *ex Cathedra*; nam datæ ſunt *ad omnes Patriarchas*, *Archiepiſcopos*, *atque Epiſcopos*, qui catholicam Eccleſiam repræſentant. In iis porro verſus finem prolixum ſermonem habet *de Indulgentiis*, quem, ne tædio afficiam lectores, in pauciora redigam. „ Illud vero „ (verba ejus ſunt) tum nobis, tum aliis, qui no„ ſtro loquentur nomine, curæ erit, ut clauſulæ „ illius, quam Bullæ noſtræ inſeruimus, *fidelibus* „ *vere pœnitentibus &c.* vis, & ſignificatio probe in„ telligatur. Illud idem re, atque exemplis demon„ ſtrabimus, quam futilis, atque inanis ſit illorum „ ſententia, qui a catholica communione extorres „ *perperam aſſerunt*, *indulgentiarum uſu pœnitentiam* „ *imminui*, *aut etiam de medio tolli* “. Hinc mentionem faciens de Inſtructione a ſe edita in Archiepiſcopatu Bononienſi: In hac, inquit, Inſtructione, „ omiſſis Theologorum diſceptationibus, univerſum

„ Dœ-

,, Diœceſis noſtræ populum monuimus, & hortati
,, ſumus, ut *occaſione Plenariæ Indulgentiæ*, quam
,, Prædeceſſor noſter Clemens XII. promulgaverat,
,, injunctis operibus *alia pietatis opera ſuperadderent*,
,, *ac dignos pœnitentiæ fructus facerent*, aureo illo
,, Ven. Cardinalis Bellarmini documento *ex T.* 2.
,, *Controv. lib.* 5. *cap.* 12. *Sic accipiunt prudentes*
,, *Chriſtiani Pontificias indulgentias, ut ſimul etiam*
,, *ſtudeant dignos pœnitentiæ fructus ferre*, *& pro*
,, *ſuis peccatis Domino ſatisfacere*. Sed & illud ad-
,, jecimus, quod Cardinalis Pallavicinus *in hiſtor.*
,, *Concil. Tridentin. lib.* 24. *cap.* 12. *num.* 6. ad-
,, notavit, *falſam nimirum eſſe illorum ſententiam*,
,, *qui rentur Chriſtianos propter indulgentiarum uſum*
,, *deſides fieri*, *atque a ſatisfactione*, *quæ Deo crimi-*
,, *num noſtrorum vindici præſtanda eſt*, *avocari* ". Ac relatis ſubinde Bonifacii VIII. verbis, quæ ſupra jam dedimus ,, hæc omnia, ſubdit, iis affinia
,, ſunt, quæ & nos ſupra inculcavimus, monentes,
,, ut præter opera, quæ præcipiuntur, *alia Chriſti*
,, *fideles exerceant pia opera*, *quæ ſpiritui*, *ac votis*
,, *Eccleſiæ conſona ſunt*. Nec alia ſubindicant ea ve-
,, teris formæ verba, quibus Prædeceſſores noſtri uſi
,, ſunt, & nos item utimur, cum populo ſolemni-
,, ter benedicimus: expleto quippe benedictionis ri-
,, tu, plenaria indulgentia conceditur: ac præterea
,, humiles ad Deum funduntur preces, ut adſtanti
,, populo, nedum *perſeverantiam in bonis operibus*,
,, ſed & cor *ſemper pœnitens tribuat*, hoc eſt *ad*
,, *nova pœnitentiæ opera*, *quibus præterita expiantur*
,, *crimina*, *rite comparatum*: quamvis aliunde bene
,, ſperare liceat, præteritorum criminum culpam,
,, pœnamque æternam in Pœnitentiæ Sacramento
,, fuiſſe dimiſſas, & temporalem, quæ ſupereſt, pœ-
,, nam, ope indulgentiæ, quæ prius conceditur,
,, fuiſſe dilutam ".

In hac Inſtructione Summi Pontificis totam Eccleſiam docentis, mens, & ſpiritus ipſius Eccleſiæ quoad indulgentias, tam clara luce refulgent, ut nullis plane offuciarum nubeculis obtenebrari valeant. Dilucide teſtatur in primis Supremus Chriſti Vicarius, *perperam aſſeri*, *indulgentiarum uſu pœnitentiam imminui*, *aut etiam de medio tolli*. Nonne hoc eſt, quod ſatis expreſſe aſſerit, Nuperus Author, dum nihil aliud ad lucrandam indulgentiam etiam plenariam requiri docet, niſi ſtatum gratiæ, & executionem levium illorum operum, quæ injungi ſolent, & hoc quoque *per accidens*? Diſerte deinde Summus Pontifex admonet, *alia pietatis opera injunctis ſuperaddenda eſſe*, *dignoſque pœnitentiæ fructus faciendos*; illud teſtimoniis confirmans Ven. Card. Bellarmini, & Card. Pallavicini, qui oppoſitam, Caſuiſtarum ſcilicet, ſententiam falſam aperte declarant, atque rejiciunt. Quid plura? Summus Eccleſiæ Paſtor luculentiſſimis verbis Chriſtifideles certiores facit, *alia*, *præter injuncta*, *exercenda illis eſſe pia Opera* ad indulgentias lucrandas, atque hæc *ſpiritui conſona eſſe*, *ac votis Eccleſiæ*: idque præterea juxta mentem ſuam eſſe pronunciat, ac Prædeceſſorum ſuorum, qui in ipſa Indulgentiæ, quam tribuunt, conceſſione, palam exigunt, & fuſis ad Deum precibus pro populo efflagitant, nedum *perſeverantiam in bonis operibus*, *ſed & cor ſemper pœnitens*, *hoc eſt ad nova pœnitentiæ opera*, *quibus præterita expiantur crimina*, *rite comparatum*. Ullum ne ſupereſt adverſariis perfugium, quo ſe recipiant, ut tam luculenti, ac decretorii teſtimonii vim eludant? Patet ne ipſis aditus ullus me coarguendi, quod ſententiam a me defenſam tamquam *Eccleſiæ Catholicæ doctrinam* vel in ipſa libelli fronte propoſuerim?

CAPUT IX.

Inſignium in Eccleſia virorum authoritate roboratur eadem doctrina. Quid de mente Card. Bellarmini dicendum ſit diſſeritur.

ADDUCTIS jam Summorum Eccleſiæ Pontificum diſertiſſimis teſtimoniis ſuperfluum videri facile poteſt alios adjungere: cum illa plane ſufficiant ad controverſiam omnem dirimendam. Nihilominus non abs re futurum arbitror, ſi curſim ſaltem commemorem nomina potius, quam teſtimonia inſignium aliorum in Eccleſia Virorum, qui idem omnino ſenſerunt, atque eamdem tenere doctrinam, tamquam doctrinam Eccleſiæ, de qua nemini dubitandum foret. Brevitatis gratia omittam veteres Doctores, ac inter alios Sanctos Thomam Aquinatem, Bonaventuram, & Antoninum Archiepiſcopum Florentinum, qui ſententiam quam defendimus tradidere conceptiſſimis verbis, ut me probaturum ſpondeo, ſi opus fuerit: & ad alia venio nobis propinquiora Eccleſiæ Catholicæ lumina, ac ornamenta.

Floruit ſæculo xv. præclariſſimus vir Cardinalis Nicolaus Cuſanus. Hic, dum per Germaniam Sedis Apoſtolicæ Legati fungeretur officio, Synodum in Belgio Provincialem coegit anno 1445., ubi inter alia declarandum curavit, *idcirco dari indulgentias*, *ut Eccleſia de Theſauro* (Chriſti) *ſuppleat*, *quod homo pro digna ſatisfactione ſentit ſibi deeſſe*, *quia multis obnoxius criminibus*, *dignam agere pœnitentiam vix poſſet*, *eo quod pro uno peccato mortali jam ſeptenis pœnitentia agi deberet*.

Quod idem ſenſerit Cardin. Cajetanus nullus ambigit; qui etiam videtur in nimium rigorem delapſus. At certe legitimam de indulgentiis ſententiam ſecutus eſt totius Eccleſiæ decus fulgentiſſimum Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanenſis S. Carolus, qui *pœnitentiales antiquos Canones* edidit, ut iis pro facultate, & viribus pœnitentium Confeſſarii juxta prudentiæ leges uterentur; & in Jubilæo anni 1575., quid agere debuerant Romam petentes ad illud lucrandum, præſcripſit his verbis populum alloquens:
,, Non id vobis ſatis videri debet, quod Urbem Ro-
,, manam, ac Eccleſias, & Reliquias Sanctorum vi-
,, ſendas adieritis: ſed huic quoque *veſtram*, *& per-*
,, *fectam pœnitentiam* adjungere debetis: quatenus
,, peregrinatio iſta in gratia Dei cum tali carnis ſen-
,, ſuumque veſtrorum mortificatione inſtituta, in ſa-
,, tisfactionem pro peccatis veſtris vobis eſſe poſſit ".

Suffragantur ſententiæ noſtræ Theologi Concilii Tridentini, quorum ſcripta ſuperſunt, ſcilicet Petrus Soto, ac Dominicus item Soto, Joannes Heſſelius, Andreas Vega, & Michael Medina Ord. Minor. qui juſſu Patrum Concilii diſquiſitionem *de Indulgentiis* elaboravit, iiſdemque Concilii Patribus inſcripſit. Suffragantur Cardinales Baronius, ac Denhoſſius jam laudati, Stephanus Cardinalis Le Camus Epiſcopus Gratianopolitanus, vir non minus vitæ Sanctimonia, quam doctrina conſpicuus: Benzonius Epiſcopus Lauretanus, Franciſcus Cajetanus Incontri Archiepiſcopus

ſcopus Florentinus, qui in ſua Inſtitutione Paſtorali 22. inter alia refert, ac probat relatum Baronii teſtimonium, *indulgentias* nimirum *Sedis Apoſtolicæ illis communicari, qui quantum ſuppetunt vires, bene operari non prætermittunt, non autem ignavis, otioſis, & negligentia torpeſcentibus*. Suffragantur Joannes Bragadenus Epiſcopus Veronenſis, modo ad Patriarchalem Venetorum Sedem ob egregia merita ſua jam translatus, ac cæteri Italiæ Epiſcopi, qui litteras Pontificias Benedicti XIV. de præparatione ad Jubilæum anni Sancti, ſuis Inſtitutionibus de re eadem inſeruerunt. His accedit tota ferme Gallicana Eccleſia, cujus Epiſcopi doctrinam noſtram veluti unice certam ac tutam tradiderunt vel in ſuis ad populum Inſtructionibus, vel in Catechiſmis, vel in Monitis Paſtoralibus. Ita (ut aliquorum ſaltem nomina commemorem) Gondrinus Archiepiſcopus Senonenſis, Godellus Epiſcopus Vencienſis, Labarius Epiſcopus Lectoratenſis, Genetus Epiſcopus Vaſionenſis, Daniel, & Guillelmus Epiſcopi Petrocoricenſes, magnus Boſſuetus Epiſcopus Condomenſis, & noviſſimis hiſce diebus Archiepiſcopi, ſive Epiſcopi Turonenſis, Antiſiodorenſis, Sueſſionenſis, Lucionenſis, Catalaunenſis, aliique, quorum authoritatem nemo, niſi audaciſſimus, parvipendat, immo non plurimi faciat, ac præferat Caſuiſtis omnibus diverſa opinantibus. Sed neque ex privatis Theologis plurimi deſunt, tum ſuperiorum, tum temporum noſtrorum ſententiæ noſtræ defenſores, ex quibus ſupra ſexaginta, productis ipſorum verbis, recenſet vir eruditiſſimus Euſebius *Amort*, quibuſque plures alios adjungere poſſem.

At numquid huic doctrinæ tanto Summorum Pontificum, ampliſſimorum Cardinalium, Archiepiſcoporum ac Epiſcoporum, Theologorumque præſidio munitæ contrarius dicendus erit Vener. Cardinalis Bellarminus? Hoc quidem fateri oportet, ſi ea dumtaxat ſpectemus, quæ ſcripſit ille *c.* 12. *lib. de Indulg.* Cæterum, ſi alia perpendamus clariſſimi viri teſtimonia, quæ tum eodem libro, tum inſequenti leguntur, cum noſtra ſententia mirifice conſentire deprehenditur. *Lib.* 1. *cap.* 10. cuidam objectioni reſpondens hæc habet: *Utilius quidem, & tutius pro ſe ſatisfacere, quam indulgentias quærere: ſed utroque utilius eſt, illud facere, & iſtud non omittere: & hoc eſt, quod BONI AUTHORES conſulunt, ut qui ſuſcipiunt indulgentias, non ceſſent a pœnitentiæ fructibus producendis, qui meritorii, & medicinales plerumque eſſe ſolent: & utilius eſt duobus pedibus iter facere, quam uno tantum*. En clariſſime in iis verbis expreſſa a Bellarmino conjunctio, quam nos etiam ſummopere ſuademus, indulgentiarum cum fructibus pœnitentiæ producendis. En quod conſulunt *Boni Authores* tamquam rem nedum utiliorem, ſed etiam tutiorem.

Cap. vero 12. Bellarminus idem eam profert, quam ſupra retulimus ex Bened. XIV. & Archiepiſcopo Florentino, ſententiam tota conſideratione digniſſimam: *Et ideo ſic accipiunt PRUDENTES Chriſtiani Pontificias indulgentias, ut ſimul etiam ſtudeant dignos pœnitentiæ fructus ferre, ac pro ſuis peccatis Domino ſatisfacere*. Si *prudentes* ſunt, Bellarmino teſte, *Chriſtiani, qui ſic indulgentias accipiunt*: igitur, eodem authore, *imprudentes* dicendi ſunt, qui aliter eas accipiunt; adeoque ſolliciti nequaquam ſunt *dignos pœnitentiæ fructus ferre, & pro peccatis ſuis Domino ſatisfacere*, multoque imprudentiores ii Theologi, qui exoticis opinionibus ſuis illos in hac deſidia ac negligentia confirmant.

Nec minus diſerte mentem ſuam Bellarminus patefacit *lib.* 2. *cap.* 6. Calvini argumento reſpondens: *Nos legimus*, inquit, *in antiquis Conciliis, indulgentias concedi ſolitas, non iis, qui ſe ſupra modum gravatos dicerent* (ſeverioribus illis pœnitentiis plurium annorum, quæ tunc pro peccatis injungebantur), *ſed qui pœnitentiam injunctam aliquanto tempore ſtudioſe, libenterque peregerant*: allegatque authoritates Concilii Ancyrani, & Œcumenici Nicæni I. atque inde concludit: *ubi clariſſime vides, indulgentiam dari diligentibus, negari negligentibus*. Si tunc temporis, juxta Bellarminum, indulgentiæ non dabantur, niſi *diligentibus*, ſive *ſtudioſe* peragentibus opera pœnitentiæ, negabantur autem *negligentibus*, quis aſſerat *negligentibus* etiam velle nunc Eccleſiam concedere? Si fideles, ſaltem *aliquanto tempore* in pœnalium operum exercitio permanere debuerant, num modo ab hoc onere exemptos dicemus ob indulgentias?

Sed & eo loco, qui opponitur, ita Bellarminus loquitur de Cajetani ſententia, ut eam plane ſibi non diſplicere ſatis oſtendat. Nam eam vocat *utilem*, *ac piam*: ſubdit autem, *ſed fortaſſe non veram*: ubi vides meticuloſe de eadem loquutum. At numquid etiam, ut addit, *contraria eſt communi aliorum doctrinæ*? Id verum quidem habet, ſi de illa loquamur, prout ab ipſo Cajetano defendi videtur, adeo ut nullum omnino percipiat ex indulgentia fructum, qui, licet devote perficiat opera injuncta, propoſito caret, ac ſtudio integre pro virium imbecillitate ſatisfaciendi Deo: & in toto hoc rigore communi aliorum doctrinæ contraria dici poteſt, nec nos ipſi eam amplectimur, nec alii frequentius amplectuntur Doctores ſententiæ noſtræ patroni, ut alibi jam adnotavimus. Cæterum quanti momenti ſit unica illa ratio a Bellarmino producta, quod nempe Pontifices non explicent eam conditionem, quam neceſſariam credimus, ex Bullis ipſorum recitatis jam coſtat, & amplius infra conſtabit.

CAPUT X.

Perſtringuntur Theologicæ rationes, quibus eadem veritas comprobatur.

MOmentis hactenus productis ex ſacris Litteris, & perenni Eccleſiæ catholicæ traditione, atque unanimi ſummorum Paſtorum conſenſu, præſtat attexere rationes aliquas, niſi me fallunt omnia, efficaciſſimas, quæ vel iiſdem nituntur firmiſſimis principiis, vel etiam a ſacris Conciliis, Summiſque Pontificibus inſinuantur. Quarum prima hæc eſt: Quemadmodum compertum eſt ex decretis tum veterum Conciliorum, tum ſupremorum Paſtorum, Eccleſia ſemper præcavendum maxime voluit, ne occaſione indulgentiarum laxaretur, aut enervaretur Eccleſiaſtica diſciplina pœnitentiæ, ſive ſatisfactionis reddendæ Deo pro peccatis. Quamquam enim modo non vigeat uſus *Canonum* illorum *pœnitentialium*, in quibus ſeveriſſimi olim pro quolibet lethali crimine piacularia opera injungebantur; expreſſa tamen Eccleſiæ mens ſemper fuit, ac modo eſt, ut *leviores* non ſint, quæ Pœnitentibus imponuntur, ſatisfactiones, ſed *pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes*, ut diſciplina Eccleſiaſti-

ca integra, prout fieri poteſt, cuſtodiatur, nec unquam enervari contingat. Hoc autem, admiſſa Nuperi Authoris noſtri, aliorumque Neotericorum ſententia, minime vitatur abſurdum. Ea quippe ſemel conſtituta, jam pro quibuslibet peccatis *leviores*, atque etiam *leviſſimæ* injungi valerent pœnitentiæ, dummodo pœnitentes indulgentias ſe recepturos promitterent, quæ plane, abſque alio onere, ſufficerent ad omnem pœnam, quam promeriti ſunt, relaxandam. Igitur hæc ſententia rejicienda eſt, tamquam Eccleſiæ menti penitus diſſentanea. Ego ſane non video, qua via incolumis ſervari queat dignitas, ac honor Eccleſiæ, quæ plurimas modo confert Indulgentias, & ſæpe quidem *plenarias;* neque tamen vult harum copia ſpiritum pœnitentiæ, ac ſatisfactionum extingui; niſi dixerimus, eas quidem omnibus elargiri benigniſſimam matrem, hac tamen, quam ſatis expreſſit, conditione, ut tantum quiſquam ex iiſdem percipiat, quantum juxta diſpoſitionem animi ſui, ac ſatisfaciendi ſtudium, capax eſt percipiendi, ſive, ut cum Auguſtino loquamur, *quantum, ut ſibi poſſent prodeſſe, meruerunt*.

Huic affinis eſt altera ratio ex eodem ducta principio, ſcilicet, quod ſi hæc foret indulgentiarum vis, atque efficacia, ut etiam pœnitentibus, qui ſincero carent propoſito, ac ſtudio ſatisfaciendi Deo, propriis, prout valent, laborioſis operibus, pœnam omnem culpis debitam remitterent, foveretur hominum negligentia, iique, tametſi ingentibus peccatorum debitis prægravati, deſidiores fierent in agenda pœnitentia: ut nemo non videt. Porro mens Eccleſiæ non eſt, citra omnem controverſiam, indulgentiis fovere pœnitentium ignaviam, quam potius graviori pœna puniendam exiſtimat, ut factum novimus, ipſo Bellarmino teſte, ex Concilio Ancyrano, & Œcumenico Nicæno I., aliiſque, quæ ſicut pœnitentibus ſtudioſis, atque ferventibus minuendum duxere Canonicæ pœnitentiæ rigorem; ita tepidioribus, ac deſidia torpentibus potius augendum.

Argumentum hoc ſibi objicit Nuperus Author *pag.* 38. Quid vero repoſuit? Nihil omnino ad rem. Reſpondet nempe, Eccleſiam *non fovere negligentiam noſtram, ſed juvare fidelium fragilitatem: quod ſi ipſi inde ſumant occaſionem remiſſius agendi, id eſt accidentarium incommodum, cui aliis mediis occurendum, & obviandum eſt.* At nemo adeo cæcus eſt, qui non percipiat, quam imbecilla, quam nulla ſit iſtiuſmodi reſponſio. Nos etenim, ut pluries dictum eſt, eas dumtaxat a pœnitentibus ſatisfactiones requirimus, quo indulgentiarum beneficio fruantur, quas ipſi juxta vires ſuas, ac facultatem redere poſſunt vindici Deo. Si igitur Eccleſia per indulgentias pœnitentes eximeret ab iis etiam ſatisfactionibus, quæ ipſorum ſunt infirmitati accommodatæ; nonne eorumdem negligentiam, & ignaviam foveret? Nonne inde merito ſumerent *occaſionem remiſſius agendi?* Sed *accidentarium*, inquit, *hoc incommodum eſt*. Qua ratione *accidentarium* vocat, quod ſuapte natura ex ſententia ſua proficiſcitur? Quibus *aliis mediis huic occurri* poteſt, ſi ſatisfactio reddenda Deo pro peccatis, ex doctrina S. Thomæ, & omnium Theologorum, immo Concilii Tridentini, fieri debet *per opera pœnalia, quibus* (verba ſunt Doctoris Angelici in *ſuppl. q.* 22. *art.* 1.) *aliquid ſubtrahatur a peccante: quæ ſubtractio fieri non poteſt per opus bonum, niſi pœnale ſit.*

Tertiam rationem ita proponit Cardinalis Cajetanus: „ Nullus indignus aliena ſatisfactione pro pœna ſibi debita conſequitur veraciter fructum indulgentiæ. Sed quilibet negligens ſatisfacere per ſeipſum eſt indignus aliena ſatisfactione pro pœna ſibi debita: ergo nullus negligens ſatisfacere per ſe ipſum acquirit fructum indulgentiæ “. Hoc eſt, per indulgentias nobis applicantur merita, ſive ſatisfactiones Chriſti Domini, ac Sanctorum. Ut autem hæc applicatio fiat, oportet, quod ea non reddamur indigni: neque enim indignis æſtimabilem hunc theſaurum diſpenſare intendit, etiamſi poſſet, Eccleſia. Quis vero *idignos* hac applicatione non judicet illos pœnitentes, qui, cum commode ſatisfacere poſſint per ſemetipſos, nec imbecillitate virium, vel alia juſta cauſa impediantur, ſatisfacere tamen detrectant, vitæque mollis oblectationibus æque perfrui ſtudent, ac ſi nullum coram Deo pro pluribus piaculis debitum contraxiſſent?

Nuperus Author, ut hoc argumentum eludat, diſtinguit *indignos*, & *non dignos:* & quidem *indignis* concedit nolle Eccleſiam applicare merita Paſſionis Chriſti, & Sanctorum: bene vero eadem applicare poſſe, ac velle *non dignis, ſi fuerint indigentes*. At enim vero, quis non contenendam potius, quam refutandam putet futilem hanc diſtinctionem? *Non ſunt* ergo *digni*, Authore noſtro aſſentiente, quibus applicentur Chriſti, ac Sanctorum merita, qui negligunt pro peccatis ſuis ſatisfacere, cum cæteroquin valeant. Sed ſi *digni non ſunt*, his etiam nolle Eccleſiam applicare merita Chriſti dicendum omnino eſt: cum ipſa prudenter, ac juſta cum ratione ſe gerat in diſpenſatione cæleſtis theſauri. Nec quidpiam valet, quod *indigentes ſint*. Quoniam hæc ipſorum *indigentia* voluntaria eſt, & ex turpi cauſa profecta, ex animi nempe torpore, ac ignavia damnabili, & haud plane abſimili *indigentiæ* pauperis, qui cum bene valeat, viribuſque polleat ad neceſſarium ſibi victum comparandum, laborare tamen refugit, mavultque deſidia ac otio torpeſcere: cujus adeo *indigentia*, non divitum miſericordiam, ſed potius indignationem meretur.

Quarta ratio ab eodem Cajetano verbis hiſce proponitur: „ In qualibet bene ordinata Republica, „ quantumcumque rationabilis adeſſe quandoque cauſa „ diſpenſandi communem theſaurum in cives gravato ære alieno, negligentes tamen ſolvere indigni „ cenſerentur adjutorio theſauri. Ex eo enim, quod „ poſſunt de ſuo ſolvere, & non curant, indignos „ ſe reddunt tali ſublevamine .... Cum igitur Eccleſia ſit a Deo ordinata; æquum non eſt, ut ſpiritualis diſpenſatione theſauri negligentes ſatisfacere „ pro dignis habeat ..... Non proſunt igitur Indulgentiæ negligentibus ſatisfacere per ſe ipſos „ quoniam indigni ſunt indulgentia “.

Etiam hic recurrit ab Adverſario producta diſtinctio de *indignis*, & *non dignis*. Verum ſi vis rationis probe attendatur, in auras ſtatim evaneſcit, ex eaque conficitur, negligentes ſatisfacere Deo pro peccatis indulgentias non lucrari, ſive *indigni* dicantur, ſive *non digni*. Ut illa ampliori in lumine collocetur, ponamus exemplum clementiſſimi Regis, qui miſericordia motus erga cives ære alieno gravatos, ærarium ſuum aperiat, facultatemque tribuat Vicario regni ſui, ut de illo recte prudenterque diſponat in miſerorum, aut indigentium ſolamen. Hic profecto pru-

prudenter agens, ac juxta rationabilem Regis voluntatem, non niſi illos adjutorio theſauri dignaretur, qui reapſe indigerent, nec haberent, unde debita ſolverent: eos vero, tamquam tanto beneficio indignos abs ſe repelleret, qui cum habeant, unde ſolvant ex bonis propriis, ſolvere tamen abnuunt, aut minime curant. Idem porro dicendum eſt in caſu, de quo agimus. Clementiſſimus Deus theſaurum meritorum Chriſti, ac Sanctorum aperit in Eccleſia, ac Vicario ſuo Summo Pontifici committit, ut recte de illo prudenterque diſponat in auxilium, ac levamen fidelium. Si hæc eſt, ut nemo negaverit, voluntas ſupremi Domini; ut recte Summus Pontifex, prudenterque de inæſtimabili theſauro diſponat, nec prodigat potius, illum quidem ad eos fideles ſublevandos confert, qui vere indigent adjutorio ipſius, nec habent reapſe, unde ſatisfacere queant: alios vero, qui, cum facile poſſint propriis operibus ſolvere debitum cum Deo contractum, recuſant tamen, ac otio & deſidia diffluere malunt, non intendit plane ad theſauri participationem admittere, atque adeo hi regia liberalitate neutiquam fruuntur.

Quinta ratio, quæ præcedentem amplius confirmat, hæc eſt: Sancti Eccleſiæ Patres in ea ſemper perſuaſione fuerunt noluiſſe Chriſtum Dominum applicari ab Eccleſia fructum paſſionis ſuæ peccatoribus poſt baptiſmum lapſis ſine propria ipſorum ſatisfactione. Igitur Eccleſia non habet poteſtatem per indulgentias ſic applicandi fructum paſſionis Chriſti, ut ceſſet ſtudium ac ſollicitudo ſatisfaciendi juxta uniuſcujuſque vires. Conſequentia legitima eſt: antecedens autem propoſitio probatur teſtimonio S. Juſtini Martyris *in Dial. cum Tryph.* Tertulliani *de Pœnit. cap.* 6. & 9. Origenis *Homil.* 15. *in Levit.*, S. Cypriani *in Serm. ad lapſos*, S. Ambroſii *lib.* 1. & 2. *de Pœnit. & ad Virginem lapſam cap.* 8. S. Baſilii *Homil.* 3. S. Jo. Chryſoſtomi *Serm. de Confeſſ.* aliorumque, qui luculentiſſime de hac re loquuntur. Unam tantum, ne ſim prolixior, aut alteram affero breviſſimam S. Auguſtini ſententiam. *In pſalmum* 43. ita ſcribit S. Doctor: *Converte te ad punienda peccata tua: quia impunita eſſe non poſſunt; puniendum ergo erit peccatum aut a te, aut ab ipſo.* Et in Pſ. 50. *Miſericordia eſt, ut* (Deus) *ignoſcat peccanti: juſtitia, ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris miſericordiam? peccatum impunitum manebit? Reſpondeat David, reſpondeant lapſi, & dicant: Non Domine, non erit impunitum peccatum meum &c.* Et Homil. 50. lib. 5. *Non ſufficit mores in melius commutare, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo.*

Validiſſima doctrinæ hujus confirmatio eſt, quæ ſumitur ex unanimi conſenſu Catholicorum Doctorum, quos inter eminet Bellarminus, in propugnanda adverſus Novatores abſoluta neceſſitate ſatisfactionis pro peccatis poſt baptiſmum commiſſis, & hac quidem potiſſima ratione ex Concilio Tridentino eruta: quod nec conveniens ſit, nec Chriſtus Dominus voluerit fructum paſſionis ſuæ relapſis poſt baptiſmum facile communicari, & abſque propria eorum ſatisfactione. Hoc pluribus teſtimoniis late probat Eminentiſs. Bellarminus *lib.* 4 *de Pœnit.* ac inter alia contra Kemnitium vindicans ſententiam S. Cypriani ait: *In Sacramento Pœnitentiæ ita Chriſti paſſio applicatur ad culpam, & pœnam æternam tollendam, ut tamen requirat ex parte noſtra opera laborioſa, quibus pro reatu pœnæ temporalis divinæ juſtitiæ ſatisfiat.* Atqui ſi ſemel obtineat adverſariorum ſententia, hæc ratio nullius roboris eſt, ac dogma de neceſſitate ſatisfactionis tanto Doctorum noſtrorum conatu & apparatu propugnatum hæreticorum riſui atque ludibrio exponitur. Cum enim indulgentiæ, & quidem plenariæ hodiedum obviæ omnibus ſint, facillimeque acquiri valeant; quid jam eſſet diſcriminis inter nos, ac Novatores, niſi quod hi plenariam debitorum ſuorum a Chriſto indulgentiam ſe obtenturos confiderent, media, quam recipiunt, benedictione Miniſtri; nos autem eamdem aſſequeremur ab eodem Chriſto, medio Summo Pontifice, cum onere plane leviſſimo recitandi aliquas preces, aut quid hujuſmodi peragendi: quod oppido aut nullius, aut valde exigui momenti eſt.

Aliud argumentum ſubminiſtrat nobis veteris Eccleſiæ diſciplina. Nam ſi per indulgentias Fideles eximerentur a debito præſtandi, quæ poſſunt, ſatisfactoria opera pro pluribus, iiſque ſæpe graviſſimis delictis contracto, a ſpecie quadam inclementiæ, & crudelitatis vindicari minime poſſet vetus Eccleſia, quæ per ſupra duodecim ſæcula pœnitentes ſubjecit aſperrimis atque diuturnis *Canonum pœnitentialium* pœnis. Cur enim tam ſevera diſciplina erga filios ſuos uſa eſt clementiſſima Mater, ſi eos poterat, aut ſe poſſe credebat ipſos tam gravi onere exſolvere faciliori indulgentiarum adhibito medio? Idem certe tunc erat, ac modo theſaurus meritorum Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, ac Sanctorum. Eodem omnino divino ſpiritu modo regitur, atque olim, Eccleſia. Homicidia, adulteria, fornicationes, ac cætera ejuſmodi crimina non minoris tunc erant, ac modo ſint, gravitatis, atque malitiæ: nec minor in Deo, & in Eccleſia pietas, vel juſtitiæ rigor. Quid ergo dicemus? Numquid haud rectam habuiſſe olim Eccleſiam de juſtitia divina, meritiſque peccati exiſtimationem? Abſit a nobis omnino tanta iniquitas. Non aliud igitur dicendum ſupereſt, niſi quod eodem nunc ſpiritu ducta, ac olim, pia Mater Eccleſia, indulgentias quidem fidelibus ſuis liberaliter elargiatur, onere tamen iiſdem relicto ſatiſfaciendi pro viribus divinæ juſtitiæ, ipſamque ex theſauro Chriſti ſupplere dumtaxat inopiam noſtram, pretiumque integrum pro ſolvendis debitis exhibere Deo, quod nos ipſi pro magnitudine eorum, ac noſtra paupertate non poſſumus: quemadmodum & vetus Eccleſia aliquando conſueverat.

Poſtremo loco argumentum ſubjicio, quod mihi ſemper viſum eſt ad perſuadendum omnes aptiſſimum: videlicet, quod veritas, quam defendimus, quædam ſit velut inſita fidelium mentibus, atque inſculpta ſententia, cui noctem quidem offundunt opiniunculis ſuis recentiores Caſuiſtæ, ſed eam penitus obliterare non valent; ſiquidem quid cauſæ eſt, cur veri pœnitentes, qui peccatis ſuis divinam ſe offendiſſe majeſtatem agnoſcunt, intime ſentiant ſe debitores pro iiſdem eſſe juſtitiæ divinæ, atque ex hoc intimo ſenſu permoveantur ad tribuendam ipſi pro viribus ſatisfactionem, & impigre exercenda pœnitentiæ opera, quamquam bene noverint apertum eſſe in Eccleſia theſaurum meritorum Chriſti, atque indulgentias lucrari ſtudeant? Nonne perſuaſum eſt omnibus, graviſſimis obnoxios eſſe purgatorii pœnis eos, qui non peracta prius pœnitentia deceſſerunt e vita, licet pie obierint, & plures in mortis articu-

lo

lo indulgentias ſuſceperint: unde Miſſarum ſacrificiis, orationibus, ac eleemoſynis ſolari, & a piacularibus flammis relevare ſatagimus? Cur tantopere vel Aſcetæ in libris ſuis, peccatoribus ad Deum converſis pœnitentiæ opera commendant: vel Confeſſarii, qui recte munere ſuo funguntur, prorſus neceſſaria declarant? Cur Sacri Oratores tanto ſpiritus fervore detonant e ſuggeſtibus dignos faciendos eſſe pœnitentiæ fructus, alteque invehuntur adverſus illos, qui eos facere renuunt, vitamque mollem, ac deſidioſam agunt? Cur inquam hæc & alia plura, niſi ex penitiore quadam perſuaſione, indulgentias quidem ex benignitate Eccleſiæ collatas prodeſſe plurimum, ſed nonniſi ea poſita ex parte pœnitentium conditione, quod ipſi, quantum ſuppetunt vires, Deo propriis operibus ſatisfacere ſtudeant?

CAPUT XI.

Objectiones quædam ſolvuntur.

Supereſt, ut objectiones aliquas ſolvamus, quæ vel fiunt, vel fieri facile poſſunt adverſus doctrinam hactenus propugnatam, quo luculentiſſima veritas nullis offuſa nubibus, undequaque refulgeat. Primam ſubindicat Nuperus Author *pag.* 44., ubi relata doctrina quorumdam, quos ipſe non nominat, per latus ſaltem impetit noſtræ ſententiæ defenſores, inquiens, *eamdem eſſe, vel certe affinitatem habere cum ea Baji damnata propoſitione num.* 6., *nimirum: Per paſſiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur, ut digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

Quid ex hac Baji propoſitione poſſit Author extundere adverſus doctrinam a nobis traditam, plane me latet. Euſebius Amort, qui in ſuo tractatu *de Indulgentiis* eamdem Baji propoſitionem expendit, reſpondit, errorem in eo conſiſtere, quod neget *merita Sanctorum concurrere ad conſtituendum theſaurum Eccleſiæ*: quod ut magis intelligatur, notandum eſt, duas eſſe de hac re inter catholicos Authores ſententias; quarum prima aſſerit Sanctorum merita concurrere ad indulgentias *per modum impetrationis, non autem ſolutionis*, hoc eſt ea per ſe non expungere reatum pœnæ temporalis, ſed offerri ab Eccleſia, ut Deum propitium peccatoribus reddat, eoſque dignos efficiat, quibus Chriſti merita per indulgentias applicentur. Altera vera ſententia contendit, Sanctorum merita ad indulgentias concurrere, nedum *per modum impetrationis, ſed etiam ſolutionis*. Ad hanc probandam Bajanæ propoſitionis damnatio adduci ſolet. Sed quidquid ſit de hac quæſtione, de qua in præſenti nulla diſputatio eſt, quis ita deſipiat, ut doctrinam, quam defendimus, cum priore ſententia confundat, vel ex ea argumentum ad nos impugnandos eliciat?

Secunda objectio, quam urget Author *pag.* 39. authoritate Bellarmini, ſumitur ex eo, quod *Romani Pontifices populos deciperent, ſi indulgentiam ea conditione proponere vellent, quam nunquam explicarent.*

Hanc objectionem jam præoccupaverat S. Bonaventura in 4. *diſt.* 20. *q.* 6. inquiens: *Indulgentiæ, quantum eſt ex poteſtate dantis, tantum valent, quantum promittunt. Non tamen cuilibet valet tantum, nec æqualiter omnibus; ſed ſecundum exiſtimationem ejus, qui indulgentiam fecit; quam* (N. B.) *NON OPORTUIT EXPRIMERE: quia omnes fideles debent illud in corde præſupponere, quod dona, & miſerationes Sancti Spiritus donentur cum æquo libramine.* Quare Fideles minime decipiuntur a Summis Pontificibus: quia non oportet, ut ab ipſis exprimatur conditio, quam noſſe omnes, ac firmiter tenere debent, eamque reapſe noverunt, ac tenent in corde veri fideles, qui Neotericorum doctrinis præventi non ſunt. Cæterum nunc certe temporis hæc objectio nulla veri ſpecie, aut ſimilitudine fieri poteſt: quoniam tam clare, ac diſtincte *conditionem* illam expreſſere Summi Pontifices, ut de ipſorum mente nemo dubitare valeat. Ut enim cæteros omittamus, quid luculentius dici poteſt in teſtimoniis, quæ ſupra *cap.* 8. poſtremo loco produximus? Clarius ne explicare poterat *conditionem*, de qua diſſerimus, Innocentius XII. quam afferendo, *virtute quidem, & operatione indulgentiæ Jubilæi pœnas illas remitti, quas homo Divinæ juſtitiæ debet, MODO* (en requiſita conditio) *divinæ gratiæ CONDIGNA ſatisfactione cooperetur?* Dilucidius ne loqui potuit in toto jam allato teſtimonio Benedictus XIV.? Quid enim evidentius verbis illis, quod *perperam aſſeritur indulgentiarum uſu pœnitentium imminui?* Quod *injunctis in Bulla operibus, alia pietatis opera ſuperaddenda ſint, ac dignos Pœnitentiæ fructus ferendos*, quos, *juxta aureum Ven. Bellarmini documentum*, indulgentiis jungunt *prudentes Chriſtiani?* Quod, *falſa ſit illorum ſententia, qui rentur, Chriſtianos propter indulgentiarum uſum deſides fieri, atque a ſatisfactione, quæ Deo criminum noſtrorum vindici præſtanda eſt, avocari?* Et alia plura, quæ ibi deſcripſimus. Si adeo perſpicue mentem ſuam aperiunt Summi Pontifices, eamque conditionem diſertis adeo verbis requirunt, non ipſi decipiunt populum Chriſtianum; ſed ſemetipſos decipiunt ignavi illi Chriſtiani, qui indulgentiis confiſi, Deo, prout valent, ſatisfacere non ſtudent, ac decipiuntur ab iis Theologis, qui laxis ſuis opinionibus illos in damnabili ſocordia confirmant.

Sed reponat quiſpiam, & hæc ſit tertia objectio: Si pœnitentia iis, qui peccaverunt, adeo neceſſarium eſt, eaque proportionem aliquam habere debet cum numero, ac magnitudine criminum; cur Summi Pontifices pro acquirenda indulgentia plenaria, puta Jubilæi, non aliud exigunt, niſi modica quædam opera, e. g. jejunium trium hebdomadæ dierum, eleemoſynam, & viſitationem quarumdam Eccleſiarum?

Hæc objectio, quamvis prima fronte non levem præſeferre videatur difficultatem, nullius tamen momenti eſt. P. Gabriel Antoine reſpondet, *Summos Pontifices poſſe tantum exigere opera, quæ ad finem indulgentiæ a ſe intentum requiruntur, ſemper tamen ſupponendo in ſuſcipientibus diſpoſitiones ad fructum indulgentiæ integre percipiendum neceſſarias, & aliarum obbligationum executionem.* Hæc reſponſio illuſtrari, magiſque roborari valet admodum idonea animadverſione, quæ fit ab aliis doctrinæ noſtræ defenſoribus. Summus Pontifex, inquiunt, Chriſtianis omnibus generatim indulgentiam exhibet, tam juſtis, quam peccatoribus, tam animabus innocentibus, aut cujuſque lethalis criminis expertibus, quam aliis, qui ſe plurimorum ſcelerum ſordibus contaminarunt:

runt: tam iis, qui ſe jam pœnitentiæ devoverunt, vitamque ſuam in continua pœnalium operum exercitatione traducunt, quam reliquis, qui vitam communem agunt, nec eis tantum virium ſuppetit, ut ſeveriora pro peccatis ſuis pœnitentia opera ſuſcipiunt, & exequantur. Quapropter in Jubilæo promulgando, ſive ſolemnioribus aliis indulgentiis, non alia Summus Pontifex facienda præſcribit opera pœnitentiæ, niſi quæ omnes, aut fere omnes perficere poſſint, nulluſque ad ea prætermittenda excuſationem prætexere facile valeat. Quin etiam, ſi hæc eadem opera vel ob ægritudinem, vel ob inopiam, vel ob aliam cauſam a quibuſdam peragi nequeant, facultatem Dei Miniſtris ea commutandi concedit. Verum Summus Pontifex, dum hæc, aut ſimilia præſcribit opera, neque affirmat, neque putat ea ſatis generaliter omnibus eſſe ad plenam indulgentiam conſequendam, adeo ut peccatores, qui multis etiam ſceleribus Deum offenderunt, ab omni alio onere exempti ſint ſatisfaciendi divinæ juſtitiæ: cum oppoſitum potius luculenter declaret, ut vidimus.

Demum opponi ſolet, indulgentias ab Eccleſia collatas, alias eſſe quadraginta dierum, alias ſeptem annorum, aut decem, aut quindecim &c. alias demum plenarias. Cur autem hæ *plenariæ* vocantur, niſi quia pœnam omnem temporalem prorſus planeque remittunt? Adduntque illud ſaltem a nobis negari non poſſe, multum detrahi per doctrinam noſtram virtuti indulgentiæ plenariæ, quæ limitationem ullam non videtur admittere.

Reſpondeo, nos jam plura dixiſſe initio hujus diſputationis de variis indulgentiis, ſeu de variis indulgentiarum nominibus, unde primitus repetuntur. Quod ad indulgentias vero *plenarias* præſertim attinet, lubens aſſentior, ita idcirco vocari, quia totam temporariam pœnam remittunt, ſi ſpectetur poteſtas Eccleſiæ concedentis: ideſt Eccleſia theſaurum meritorum Chriſti, ac Sanctorum aperit, plenamque remiſſionem temporalis pœnæ ex parte ſua impertitur; adeo ut ſi fideles ſint optime ad tantum beneficium recipiendum diſpoſiti, plenam & integram remiſſionem reapſe ſuſcipiant. At vero dicimus, illos fideles ad hoc beneficium recipiendum non eſſe diſpoſitos, qui opera ſua ſatisfactoria conjungere ad plenam debitorum ſuorum ſatisfactionem minime curant. Plenaria itaque dicitur indulgentia, quatenus de ſe plene, & integre ſupplet, quod ad integram deficit ſatisfactionem pœnitentium illorum, qui cum ſolliciti ſint in expiandis peccatis ſuis, ob eorum tamen vel multitudinem, vel gravitatem integre ſatisfacere nequeunt.

Hinc ad confirmationem verbis ipſis Card. Cajetani reſpondeo: *Nec aliquid propterea adimitur efficaciæ indulgentiarum, ſicut nihil adimitur efficaciæ Sacramentorum ex hoc, quod oporteat accedentes, ad illas eſſe digne diſpoſitos, ſi fructuoſa ſibi eſſe volunt. Soli ſiquidem indigni indulgentia ab illius fructu excluduntur.*

CAPUT XII.

Corollaria quædam ex tradita doctrina derivantur.

Corollarium primum. Illud his verbis deducitur a ſæpe a nobis laudato P. Gabriele Antoine: „ Ex dictis ſequitur, ad lucrandas indulgentias re„ quiri has conditiones ex parte recipientis, 1. ut „ ſit ſubditus concedentis: Nam conceſſio indulgen„ tiæ eſt actus juriſdictionis, qui valere non poteſt „ niſi erga ſubditos. 2. ut immunis ſit ab excom„ municatione majore, quippe quæ privat commu„ nione, ſeu participatione bonorum ſpiritualium „ Eccleſiæ diſpenſationi ſubjectum. 3. ut ſit in ſta„ tu gratiæ: nam pœna non remittitur, niſi remiſ„ ſa culpa, nec niſi amicis Dei. 4. ut opus omne „ injunctum ſaltem moraliter totum, & integre im„ pleatur; nam indulgentia ſub hac conditione con„ ceditur: Quibus omnibus merito additur a multis „ propoſitum ſatisfaciendi Deo per opera bona ſatis„ factoria, peccatis ſuis, & facultati, ac infirmitati „ propriæ proportionata “.

Corollarium ſecundum. Liquido conſtat ex iis, quæ allata ſunt, graviſſimis teſtimoniis, falſam eſſe quorumdam opinationem, qui cenſent nullum percipi fructum ex indulgentia puta plenaria, ſi tota & integre non recipiatur. Nam, ut alia plura omittamus, Bonifacius VIII. in Bulla Jubilæi aperte teſtatur, quod *unuſquiſque plus merebitur, & indulgentiam* certe plenariam *efficacius conſequitur, qui Baſilicas amplius & devotius frequentaverit*, quibus indulgentiæ fructum reſpondere majori vel minori fidelium devotioni pro comperto habet. Hoc etiam clarius exprimit Innocentius IV. in cap. *quod autem, de Pœnit.* dicens: *Licet generaliter fiat indulgentia propter laborem, propter devotionem, & propter pericula; tamen unus plus alio habet intra metam a Prælato conſtitutam, ſecundum quod plus devotus eſt, vel plus laborat, vel majoribus periculis ſe exponit*. Eadem eſt S. Thomæ, ac S. Bonaventuræ, doctrina. Primus enim in *ſuppl. q.* 25. *art.* 2. *ad* 3. ait: *Quando datur indulgentia indeterminate ei, qui dat auxilium ad fabricam Eccleſiæ, intelligitur tale auxilium, quod ſit conveniens ei, qui auxilium dat: & ſecundum hoc plus, vel minus de indulgentia conſequitur.* Alter vero *in* 4. *diſt.* 20. *q. ult.* inquit: *Qui dat indulgentias, cum eas tribuit, conſiderat cauſam, pro qua reputat eum dignum tanta gratia: & ſecundum quod plus vel minus accedunt homines ad illam cauſam, plus vel minus participant de indulgentia*. In quibus omnibus vides indiviſibilem non eſſe indulgentiæ fructum.

Corollarium tertium. Ad percipiendum integrum fructum Indulgentiæ plenariæ, ſeu remiſſionem totius pœnæ temporalis peccatis etiam venialibus debitæ, animus ſuſcipientis liber eſſe debet ab omni affectu cujuſcunque vel levioris peccati: alioquin non integre ſed partialiter dumtaxat indulgentiam conſequetur, ſi tamen aliæ conditiones non deſint. Ratio evidens eſt; quia in omnium ſententia relaxatio pœnæ peccatis debitæ neceſſario ſupponit culpam remiſſam: hæc autem nunquam remittitur, niſi animus ab ea ſit averſus. Hac de cauſa reprobi in inferno pœnas peccatorum venialium dabunt æternas: quia nunquam ipſorum maculam abſtergent, aut affectum ab iiſdem avocabunt. Ex quo merito infert Guillelmus Pariſienſis, eos, qui appetitiones ſuas in officio penitus continere non elaborant, atque adeo in plura labuntur venialia peccata, etiam poſt ſuſceptum Jubilæum multis nominibus debitores manere juſtitiæ divinæ, experturos acerbiſſimos Purgatorii cruciatus, quos ipſi parum curant.

Co-

Corollarium quartum. Conſequitur etiam ex dictis, nihil, vel parum prodeſſe indulgentias iis omnibus, qui cum vitam omnem tranſigant in vitiis, ac peccatis, Sacramento pœnitentiæ recepto, (quod ſæpius invalide ſuſcipiunt) ſibi perſuadent, ſe dubitum omne ſuorum criminum ſolvere poſſe coram divina juſtitia, mediis quibuſdam precatiunculis, quas recitare non omittunt pro obtinenda aliqua plenaria indulgentia, nullumque interim ſtudium impendunt, ut juxta vires ſuas Deo ſatisfaciant laborioſis pœnitentiæ operibus, quæ a vere pœnitentibus Tridentina Synodus exigit, & univerſa Eccleſia ſemper neceſſaria declaravit. Nec ſane præſumi poteſt, ignavis hiſce peccatoribus, qui ætatem omnem exegere in vitiis & inertia, eas etiam multum prodeſſe indulgentias, quæ pro mortis articulo conferuntur. Siquidem hæ quoque indulgentiæ conceduntur in ſupplementum pœnitentiæ, quam nunquam ipſi in vita ſua peregerunt, niſi forte valde intenſis doloris actibus, ac fervidis charitatis affectibus, quod raro contingit, ad obtinendam divinam miſericordiam ſe ſe diſponerent.

Corollarium quintum. Chriſtiani omnes, iique præſertim, qui plura commiſere gravia flagitia, ſolliciti eſſe debent in conjungenda pœnitentia cum indulgentiis, ſive in perficiendis pœnitentiæ operibus, ſimulque devote ſuſcipiendis indulgentiis, quatenus utroque medio divinæ juſtitiæ ſecurius ſatisfaciant. Hoc eſt aureum illud Cardinalis Bellarmini documentum, quod ſupra adduximus: nempe *utilius quidem eſt, ac totius pro ſe ſatisfacere, quam indulgentias quærere: ſed utroque utilius eſt illud facere, & iſtud non omittere: & hoc eſt, quod boni Authores conſulunt, ut qui ſuſcipiunt indulgentias, non ceſſent a pœnitentiæ fructibus producendis, qui meritorii, & medicinales plerumque eſſe ſolent, & utilius eſt duobus pedibus iter facere, quam uno tantum.* Cui & aliud addendum ſæpe repetitum ejuſdem Cardinalis teſtimonium, quod ſcilicet *prudentes Chriſtiani ſic accipiunt Pontificias indulgentias, ut ſimul etiam ſtudeant dignos pœnitentiæ fructus ferre, ac pro ſuis peccatis Domino ſatisfacere.*

Corollarium ultimum. Indulgentias extendi etiam ad juvandas animas in Purgatorio detentas, communis Catholicorum ſententia eſt. At non eodem modo viventibus, ac pie defunctis prodeſſe dicendum eſt. S. Thomas de hac re diſſerens in *ſupplem. q.* 71. *art.* 10. ita docet: „ Indulgentia principaliter quidem „ prodeſt ei, qui indulgentiam accipit, ſcilicet, qui „ facit hoc, pro quo indulgentia datur .... Unde „ cum mortui non poſſunt facere aliquid horum, pro „ quibus indulgentiæ dantur, eis *directe* indulgentiæ „ valere non poſſunt. *Secundario* autem, & *indirecte* profunt ei, pro quo aliquis facit illud, quod „ eſt indulgentiæ cauſa ..... Non enim eſt aliqua „ ratio, qua Eccleſia transferre poſſit communia „ merita (quibus indulgentiæ innituntur) in vivos, & non in mortuos. Nec tamen ſequitur, „ quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas e Purgatorio liberare: quia ad hoc ut indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conveniens indulgentias faciendi “. Hanc doctrinam ita exponunt alii Theologi, ut ſcilicet indulgentiæ pro vivis dentur per modum *abſolutionis*, & *ſolutionis*: pro defunctis vero per modum *ſuffragii* dumtaxat, ut ſæpe declararunt Summi Pontifices, ac præcipue Innocentius VIII., quatenus indulgentiam concedens, quæ animabus defunctorum applicari queat, eas non abſolvit a reatu pœnæ, ſed offert Deo ex theſauro ſatisfactionem Chriſti, quantum neceſſe eſt ad ſolutionem pœnarum, ſi pro iiſdem acceptare volit. Ad hoc vero, ut de indulgentiis viventibus conceſſis dictum eſt, requiritur in primis ex parte conferentis *cauſa conveniens*, ut inquit S. Thomas: *Non ſufficit autem pro cauſa*, ſubdit Bellarminus lib. 1. de Indulg. c. 14. *utilitas illarum animarum, vel gloria Dei, quæ redundaret ex animarum illarum liberatione. Nam ſi iſta ſufficerent, Chriſtus ipſe jam omnes animas liberaſſet. Itaque requiritur cauſa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei, & Eccleſiæ utilitatem, ſicut de indulgentiis pro viventibus diximus, itaut Summus Pontifex arbitretur gratiorem eſſe Deo rem illam, cujus gratia indulgentiæ conceduntur, quam executionem juſtitiæ, quæ exercetur in expiandis animabus Purgatorii.* Deinde cum ex doctrina illuſtriorum Theologorum, quam in ſuis reſcriptis probarunt plures Summi Pontifices, indulgentiæ ad mortuos non transferantur, niſi mediis viventibus, neceſſe eſt hos eſſe in ſtatu gratiæ, & injuncta opera modo debito perfeciſſe, quo indulgentiæ transferantur ad defunctos, iiſque profint. Demum, juxta Cajetanum, alioſque Theologos, requiritur ex parte animæ indulgentia ſublevandæ, præter ſtatum gratiæ, ut ſtuduerit, dum in terris ageret, ſatisfacere pro ſuis peccatis, ac mortuos ſuis juvare ſuffragiis, adeo ut de indulgentiarum fructu defunctorum animæ plus minuſve recipiant pro fervore charitatis, & ſtudio ſatisfaciendi, dum eſſent in corpore. Hæc plane ſententia videtur eſſe Doctoris Angelici, qui 3. *p. q.* 52. *art.* 8. ubi negat Chriſtum ſuo ad inferos deſcenſu omnes animas a Purgatorio liberaſſe, cuidam reſpondens S. Auguſtini authoritati ait: „ Dicendum, „ quod ex illa authoritate Auguſtini non poteſt con„ cludi, quod omnes illi, qui in Purgatorio erant „ fuerint a Purgatorio liberati: ſed quod aliquibus „ eorum fuerit hoc beneficium collatum: illis ſcilicet, „ qui jam ſufficienter purgati erant, vel etiam qui dum „ adhuc viverent, meruerunt per fidem, & devotio„ nem ad mortem Chriſti, ut eo deſcendente libera„ rentur a temporali Purgatorii pœna “. An vero, ſi omnes adſint requiſitæ conditiones, certum ſit quod anima, ad quam extenditur indulgentia plenaria, ſtatim liberetur e Purgatorio, quæſtionem omnium difficillimam Bellarminus appellat; pluresque, illud quidem affirmant, ſed plures etiam negant, ex quibus etiam ſunt Eccleſiæ Prælati doctiſſimi. Quare, cum res ſaltem incerta ſit, & incomperta, imprudenter agunt, judicio meo, qui vel in valvis, vel in aliis templorum locis tabellas apponunt cum inſcriptione illa, *Indulgentia cum liberatione animæ Purgatorii*, aut, *Hodie anima e Purgatorii pœnis liberatur*. Et hæc ſatis dicta ſint de hac quæſtione *de Indulgentiis*: quæ omnia ſubmitto judicio, & correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ, cujus me obſequentiſſimum filium profiteor.

FINIS TOMI SEPTIMI.

INDEX CAPITUM.

OCcaſio *præſentis opuſculi, ejuſque conſpectus.* pag. 361

CAP. I. *Vera ac germana Indulgentiæ notio atque idea.* 362

CAP. II. *Proponuntur Decreta Concilii Tridentini de ſatisfactione, & Indulgentiis.* 363

CAP. III. *Agitur de requiſitis ad Indulgentiæ valorem ex parte conferentis.* 366

CAP. IV. *De requiſitis ex parte recipientis indulgentias. Vera ſententia primum proponitur & explicatur. In quo conſiſtat Indulgentiarum utilitas.* 369

CAP. V. *Exponitur ac defenditur aſſerta noſtra ſententia ſub iis terminis, quibus a pluribus authoribus traditur.* 370

CAP. VI. *Doctrina Eccleſiæ Catholicæ* de Requiſitis *ex parte recipientis ad lucrandas indulgentias ſub eo aſpectu propoſita, quo frequentius traditur, defenditur authoritate principiorum, quæ habentur in Divina Scriptura.* 372

CAP. VII. *Eadem doctrina confirmatur perenni veteris Eccleſiæ traditione.* 373

CAP. VIII. *Traditio de congrua ſatisfactione cum Indulgentiis conjungenda ſemper immota permanſit in Eccleſia Catholica.* 375

CAP. IX. *Inſignium in Eccleſia virorum authoritate roboratur eadem doctrina. Quid de mente Card. Bellarmini dicendum ſit diſſeritur.* 377

CAP. X. *Perſtringuntur Theologicæ rationes, quibus eadem veritas comprobatur.* 378

CAP. XI. *Objectiones quædam ſolvuntur.* 381

CAP. XII. *Corollaria quædam ex tradita doctrina derivantur.* 382



INDEX GENERALIS.

Primus Numerus Tomum. 2. Paginam. 3. Numerum Marginalem deſignat.

A

Abbas Tonſuram & Minores Ordines conferre poteſt, T. 7. pag. 220. num. *9*.
Ablutio materia proxima Baptiſmi, T. *6*. *64*. 7. Quot modis fiat, *ibid*. *66*. 12. In capite facienda, *ib*. *65*. *9*.
Abortum procurare lethale peccatum, Tom. 4. 201. 5. Propoſitio damnata, *ib*. 202. *6*. Pœnæ latæ contra abortum procurantes, *ibid*. 7. Excommunicatio Epiſcopis reſervata, *ib*. Sunt irregulares, *ib*. 8. An liceat medicinam dare, ex qua ſequatur abortus, *ib*. 203. 2. & 204. 3. Matres attendere debent ne abortui cauſam dent, *ib*. 204. 4.
Abortivi quando licite baptizentur, T. *6*. 88. 5.
Abſolutio danda moribundo, T. 7. 65. 8. Quando ſub conditione, *ib*. 70. *6*. Nunquam extra mortis caſum danda ſub conditione, *ib*. 131. *6*. Abſolutio a cenſuris præmittenda abſolutioni a peccatis, *ib*. 7. Dari poteſt extra Confeſſionem, *ib*. *167*. 1. Vide *Confeſſarius*. *Cenſura*.
Abſtinentia definitur, T. 2. 125. 4. Varii ejus gradus, *ib*. V. *Jejunium*.
Acceptio Perſonarum definitur, T. 2. 103. 2. Locum habet in bonis ſpiritualibus diſpenſandis. *ibidem* 3. In Officiis & rebus temporalibus, *ib*. 108. 13. In exhibitione honoris & reverentiæ, *ib*. 14. In ferendis judiciis, *ib*. 15. Locum non habet in his quæ gratis offeruntur, *ib*. 109. 2. Nec in diſpenſationibus Matrimonii, *ib*. 4. Nec in electione eorum qui ſunt de gremio Eccleſiæ ad Beneficia, *ib*. 110. 5.
Acceſſio quomodo per eam acquiratur dominium, T. 4. 357. 2.
Acholytatus unus ex Minoribus Ordinibus, T. 7. 237. *9*. Ejus Officia. *ibidem*.
Actio humana a fine ſpeciem bonitatis ac malitiæ recipit, T. 2. 2. 2. A fine generatim recipit quod Moralis ſit. Speciem vero peculiarem ab objecto ſeu fine proximo, *ib*. 7. 2. Eadem numero in eſſe phyſico, multiplex eſſe poteſt in eſſe Morali, *ib*. 4. Speciem depromit ſive a fine operis ſive a fine operantis, *ib*. 8. *6*.
Actus humani Moralitas in quo ſita ſit, T. 2. 40. 1. Specifica ab objecto, *ib*. 2. Accidentalis ex circumſtantiis, *ib*. 3. Quæ deſcribuntur & explicantur, *ib*. 4. Illarum ordo & præminentia, *ib*.42.5. Ex illis peculiaris vel bonitas vel malitia, *ib*. *6*. Præſertim ex circumſtantia finis, *ib*. 7. Actus ex objecto bonus fieri poteſt malus, *ibidem* 8. Moralitas non eſt in arbitrii libertate ſita. *ibidem* *49*. 2. Et malitiam actui tribuunt circumſtantiæ & ordinem debent habere ad humanam rationem, *ib*. *6*. Non tribuunt niſi illi adeſſe vel ab eo abeſſe debeant, *ib*. 50. 7. Quando in ſpecie boni vel mali actum conſtituant, *ibid*. 8. Quando inducant peccatorum diverſitatem ſpecificam, *ib*. *9*. Idem actus ſimul bonus & malus eſſe nequit, *ib*. 12. Oppoſita ſententia videtur ab Eccleſia rejecta, *ib*. 52. 18. Datur actus in ſpecie ſua indifferens, *ib*. 43. *9*. Non vero in individuo, *ib*. 10. Probatur ex ſcripturis, *ibidem* 11. Solvitur objectio, *ibid*. ex D. Thom. Doctrina, *ibid*. 13. Et Eccleſiæ judicio aliquas propoſitiones damnantis. *ib*. 44. 14. Actus humani ſunt in finem honeſtum referendi ex naturali præcepto, *ib*. 15. Imo & in Deum ultimum finem, *ib*. 16. Eam docent plurimi Doctores & Epiſcopi, *ib*. 45. 17. Confirmat S. Th. doctrina, *ibid*. 18. Et ſcripturarum auctoritas, *ib*. 19. & *ſeq*. Probat Ratio, *ib*. 22. & *ſeq*. Adverſariorum criminatio diluitur, *ib*. 24. Actus humani ſunt in Dei honorem & gloriam dirigendi, *ib*.53. 23. Hæc doctrina a Cenſura vindicatur, *ibidem* 24. Ad eam tenendam hortandi fideles, *ib*. 25. Quorum conſcientiam ſcrupulis non gravat, *ib*. 54. 27.
Actus Fidei ſunt in præcepto. T. 3. 24. *9*. Quando eliciendi, *ib*. 10. V. *Fides*. Actus ſpei ſunt in præcepto, *ib*. 59. 11. Quando eliciendi, *ib*. 60. 12. Vide *Spes*. Actus Caritatis neceſſarii, *ib*. 107. 1. Quando ejus præceptum urgeat, *ib*. 108. 2. & *ſeq*. Vide *Caritas*. Actus Contritionis quando ſit ex præcepto eliciendus, T. 7. 14. 8. V. *Contritio*.
Actuum humanoram armonia, T. 2. 33. 5. Nullus datur actus voluntatis ſine aliquo actu intellectus, *ib*. 36. 5. Intentio finis quare in ſcripturis dicatur oculus, *ib*. *6*. Volitionem finis ſequitur ejus efficax intentio, *ib*. 33. *6*. Succedit conſilium, *ibid*. 7. Accedit conſenſus voluntatis, *ibid*. 34. 8. Quid ſit, *ibidem* 37. 11. Ad culpam non requiritur explicitus, ſufficit implicitus, *ibid*. 12. Conſenſui proxima eſt electio mediorum, *ib*. 34. *9*. Qui finem reſpiciunt, *ib*. 36. 8. In res poſſibiles ſolum fertur, *ib*. *9*. Electionis comes Imperium, *ibid*. 34. 10. Uſus activus admittendus reſpiciens media præſentia, *ibidem* 11. Poſtremo aſſecutio ſeu fruitio finis, *ibidem* 12.
Adjuratio definitur, T. 3. 180. 13. Duplex eſt, *ib*. 14. Conditiones ad rectam adjurationem, *ibid*. 184. 16. Quomodo liceat Deum & ſanctos adjurare, *ib*. 185. 18. Quomodo Dæmones, *ib*. 19.
Admixtio quid ſit, T. 4. 357. 4. Quomodo per eam acquiratur dominium, *ib*. 5. In admixtione pecuniæ quid faciendum, *ib*. 358. 3.
Admonitio. V. *Correctio fraterna*.
Adoleſcentibus quando licitum in Collegiis repræſentationes exhibere, T. 5. 129. 4.
Adoratio abſoluta qualis, Tom. 3. 180. *9*. Eſt actus Religionis, *ib*. 10. Adoratio Latreutica duplex, *ib*. 11. Duliæ, *ib*. 12.
Adulatio definitur, T. 4. 312. 15. Quale peccatum, *ib*. Adulatores pernicioſi, *ib*. 325. 3.
Adulteri peccant contra caſtitatem & juſtitiam, T. 5. 302. 1. Quid debeat Mœcus Marito ſi crimen palam fiat, *ib*. 2. Si proles ſit ſecuta quid ipſi proli debeat. *ib*. 3. Quid Marito, *ib*. 4. Quid hæredibus neceſſariis, *ib*. 303. 5. Si proles ſit dubia quid, *ib*. *6*. Si ex duobus Mœchis oriatur proles ad quid tenentur, *ib*. 7. Quid alter ſi uni illorum adultera filium ſupponat, *ib*. 304. 8. In defectu Adulteri tenetur adultera, *ib*. 305. *9*.

Quæ in dubio num ſit proles Adulterina non tenetur crimen ſuum pandere, *ib.* 10. Nec ſi periclitatur de vita, vel fama, *ib.* 11. An ſaltem ſpurio teneatur manifeſtare, *ib.* 14. Qua ratione damna ſarcire debeat, *ib.* 306. 15. *& ſeq.*

Adulterium turpe peccatum, T. 4. 229. 6. Quotupliciter committi poteſt, *ib.* 7. *&* 10. Committitur etiam conſentiente marito, *ib.* 8. *& ſeq.* Pęnæ contra adulteros, *ib.* 230. 11. Adulterium datur adulterio gravius, *ib.* 231. 5. Onus reſtitutionis inducit. V. *Reſtitutio*.

Adulti inviti invalide baptizantur, T. 6. 86. 1.

Affectus pius ad fidem neceſſarius, T. 3. 5. 10. Immoderatus divitiarum malus, T. 2. 213. 3.

Affinitas quid ſit, T. 7. 335. 1. Quotuplex, *ib.* 1. Modus cognoſcendi affinitatis gradus, *ib.* 336. 3. Eſt impedimentum dirimens Matrimonium, *ib.* 335. 3. Quouſque ſe extendat ex copula licita, *ib.* Quouſque ex illicita, *ib.*

Altare portatile Epiſcopis conceſſum, T. 6. 248. 3. In Altari celebrandum, *ib.* 249. 5. V. *Miſſa*.

Alluvio quid ſit, T. 4. 356. 1. Quomodo per eam acquiratur dominium, *ib.*

Ambitio, ejus inordinatio, T. 2. 197. 4. Regula pro dignoſcenda ambitionis gravitate, *ib.* 5. Aliæ Regulæ, *ib.* 6. *& ſeq.* Ambientes dignitates non ſunt abſolvendi, *ib.* 6. *& ſeq.* Peccant appetentes Beneficia cum cura Animarum, *ib.* 8. Simplex Beneficium appetere quando liceat, *ib.* 9. V. *Beneficium*.

Amentes quando valide baptizantur, Tom. 6. 86. 11. Quando confirmandi, *ib.* 131. 2.

Amor Caritatis neceſſarius in Sacramento Pœnitentiæ, T. 7. 33. 11. *& ſeq.* V. *Caritas*, *Attritio*.

Amor ſpei eſt magis & minus perfectus, T. 3. 55. 6. Amoris perfectioni non obeſt ſi Deus ametur cum aliquo ad nos reſpectu, *ib.* 7. Amor rerum omnium ordinatus, & inordinatus, *ib.* 80. 1. Amor Caritatis. V. *Caritas*.

Amphybologia. V. *Veritas*, *Juramentum*.

Apathia quid ſit, T. 2. 80. 10. Nulli conceditur in hac vita, *ib.*

Apoſtaſia ſpecies infidelitatis, T. 3. 37. 4. Multiplex eſt, *ib.* 37. 4. Ab Ordine & Religione. *ib.* 8.

Apoſtata quis ſit, T. 3. 43. 9. Quando ſit Excommunicatus, *ib.* 10. Et irregularis, T. 7. p. 191. 8.

Apparatus exterior quid ſit, T. 2. 134. 14. Decens & moderatus laudabilis *ib.* 15. Immoderatus vitioſus, *ib.* 16. Etiam ob defectum, *ib.* In mulieribus ſuperfluus, & immoderatus frequenter grave peccatum eſt, *ib.* 136. 19.

Appellatio Cenſuram ſuſpendit, T. 7. 165. 5. Non vero ſi non ſit legitima, *ib.*

Applicatio Miſſæ quomodo facienda, T. 6. 232. 1. *& ſeq.* præmittenda Confecrationi, *ib.* 234. 1. A quibus applicanda pro populo, *ib.* 235. 5.

Aqua Baptiſmi materia, T. 6. 63. 1. Quænam aqua idonea ad valorem, *ib.* Ad honeſtatem, *ib.* 64. 5. In Calice miſcenda, *ib.* 155. 6. Conditiones in mixtione ſervandæ, *ib.* 161. 7. Convertitur in ſanguinem, *ib.* 8.

Argumenta credibilitatis Fidei, T. 3. 6. 12. Quo lumine cognoſcuntur, *ib.* 7. 15.

Aſſecuratio quid ſit, T. 5. 100. 1. Quomodo ab aliis contractibus differat, *ib.* Eſt licitus contractus, *ib.* 2. Nonnullis ſervatis legibus, *ib.* 3. Quænam aſſecurationes illicitæ, *ib.* 4. *& ſeq.* Ad quæ pericula ſe extendat aſſecuratio, *ib.* 102. 9.

Aſſentatores pernicioſi, T. 4. 325. 3.

Aſperſio quando adhibita & adhibenda in Baptiſmo, T. 6. 70. 5.

Aſtrologi judiciarii non abſolvendi, T. 3. 271. 2.

Attentio neceſſaria in recitatione officii, T. 3. 201. 1. Quænam requiratur & ſufficiat, *ib.* 2. *& ſeq.*

Attritio quid ſit, Tom. 7. 28. 1. Ex timore gehennæ concepta bona eſt & honeſta, *ib.* 3. Non tamen omnino excludit voluntatem peccandi, *ib.* 4. *& ſeq.* Ex amore ſpei non ſufficit ad gratiam in Sacramento obtinendam, *ib.* 31. 10. Attritio ſervilis non operatur cordis converſionem, *ib.* 36. 1. Sufficere in Sacramento Pœnitentiæ non definivit Tridentinum, *ibid.* 2. Ea contenti non prudenter ſe gerunt, *ibid.* 38. 4.

Avaritia quid ſit, T. 2. 213. 1. Duplici virtuti opponitur, *ib.* 2. Quando opponitur juſtitiæ lethale peccatum eſt, *ib.* 3. At non ſemper ſi ſoli liberalitati opponitur, *ib.* 4. Vitium avaritiæ periculoſum, *ibid.* 222. 2. Idololatriæ comparatur ab Apoſtolo, *ibidem* 3. Avaritiæ ſtudent qui inordinate divitias diligunt, *ibidem* 4. Et qui divitiis congregandis nunquam modum ſtatuunt, *ib.* 224. 8. Et qui lites excitant, *ib.* 10. Avaritiæ filiæ, *ibidem* 215. 6. *& ſeq.*

Aucupium licitum quibuſdam poſitis conditionibus, T. 4. 350. 7.

B

B*Aptiſmi* varia nomina, T. 6. 60. 1. Definitio, *ib.* 2. Inſtitutio, *ib.* 3. Diſtinctio Baptiſmi Chriſti a Baptiſmo Joannis, *ib.* 61. 1. Baptiſmi materia proxima & remota, *ib.* 63. 1. 7. Sub conditione datur aliquando, *ib.* 69. 4. & 75. 3. Baptiſmi forma, *ib.* 70. 1. V. *Forma*. Baptiſmus in nomine Chriſti num aliquando datus, & valide, *ib.* 74. 1. Baptiſmus non iterandus, *ib.* 3. Baptiſmi Miniſter, *ib.* 76. 1. V. *Miniſter*. Subjectum Baptiſmi, *ib.* 83. 1. V. *Infantes*. *Monſtra*. *Infidelium filii*. *Abortivi*. *Adulti*. *Mortui*.

Baptiſmi neceſſitas, T. 6. 91. 1. Præceptum, *ib.* 92. 3. Quando obligare incœpit, *ib.* 4. Non ſuppletur fide parentum, *ib.* 2. Triplex Fluminis, Flaminis, & Sanguinis, *ib.* 93. 6. Votum Baptiſmi quando neceſſarium, *ib.* 94. 8. Iterari non poteſt, *ib.* 5. Nec ſemper ſub conditione repetendum, *ib.* 96. 5. Quando peccent iterantes, *ib.* Ubi dandum, *ib.* 97. 1. Quo tempore, *ib.* 99. 7. *& ſeq.* Cæremoniæ ſervandæ, *ib.* 100. 10. V. *Ceremoniæ*. Patrini adhibendi, *ib.* 12. V. *Patrini*.

Baptiſmi effectus, T. 6. 105. 1. Remiſſio peccati originalis & aliorum, *ib.* Remiſſio pœnæ, *ib.* 106. 2. Non tamen temporalis, *ib.* 108. 3. Gratia ſanctificans, *ib.* 105. 3. Dona Spiritus S., *ib.* 106. 4. Specialia auxilia gratiæ, *ib.* 5. Imprimitur Character, *ib.* 6. Sponſiones in Baptiſmo quid importent, *ib.* 7. Ficte ſuſceptus reviviſcit, *ib.* 109. 4. Eſt janua Sacramentorum, *ib.* 7. Baptiſmus etiam in prævie juſtificatis eſt Sacramentum mortuorum, Tom. 7. 27. 6.

Beatitudines pronuntiatæ a Chriſto, T. 1. 47. 1. Eorum ordo deſcribitur, *ib.* 49. 2. Singulæ explicantur, *ib.* 50. 3. *& ſeq.*

Beatitudo quid ſit, T. 2. 5. 10. Nequit in ullo creato bono conſiſtere, *ib.* D. Thomæ Doctrina, *ib.* 12. Errant ponentes beatitudinem in voluptatibus, *ib.* 8. 11.

Beguardorum errores, T. 2. 74. 16. Refelluntur ex D. Hieronymo, *ib.* 75. 17. ex S. Auguſtino, *ibid.* 18. Ex Decretis Concilii Africani *ib.* 19. Catholicæ oppoſitæ veritatis fundamentum a S. Auguſtino propoſitum, *ib.* 20. Alia de eodem argumento S. Thomæ Doctrina, *ib.* 76. 21.

Bellum ut ſit licitum quid requiritur, T. 4. 170. 12. Quo ſenſu uti liceat ſtratagematibus in bello, *ibid.* 14. Non licet indicere niſi urgentiſſima de cauſa, *ib.* 172. 3. Et certo conſtet de belli juſtitia, *ib.* 4. Abſtinendum a fœderibus cum infidelibus, *ib.* 173. 6. In bello etiam juſto innocentibus parcendum, *ib.* 7. V. *Duces. Milites.*

Beneficiarii tenentur de ſuperfluis ſuæ ſuſtentationi reditibus beneficii eleemoſynam dare, T. 3. 134. 21. *& ſeq.* Officium recitare, *ib.* 195. 4. Et quidem plures in choro, *ib.* 189. 4. Quo ritu, *ib.* 8. & pag. 192. 6. Quando reſidere teneantur, *ib.* 193. 7. Quamdiu abeſſe poſſint, *ib.* Quinam a reſidentia diſpenſati, *ibidem* 10. Non poſſunt adeſſe per alios, *ibid.* 194. 11. Quomodo obtineant quotidianas diſtributiones, *ib.* 12. Tenentur licet beneficium ſit tenue, *ib.* 198. 6. Licet non percipiant fructus, *ibidem* 8. *& ſeq.* Ad quid teneantur qui penſionem obtinent, *ibidem* 200. 13. Coadjutores non tenentur Officium recitare, *ibidem* 14. Omittentes reſtituere debent, *ibidem* 213. 1. *& ſeq.* Quando, *ib.* 3. Facienda non expectata ſententia judicis, *ib.* 215. 6. Non valent eleemoſynæ diſtributæ ante omiſſionem, *ib.* 7. Reſtituere debent & qui ſine debita attentione recitant, *ibidem*. Quantum ſit reſtituendum, *ibidem* 216. 10. Quando a reſtitutione diſpenſentur, *ibidem* 220. 4. *& ſeq.* Poſſunt ex reditibus Beneficii vivere, *ibidem* 259. 12. Et aliquid ſibi ſubtrahere ad ſuſtentationem conſanguineorum pauperum, *ib.* 12. *& ſeq.* Quando non ſatisfaciant præcepto erogandi ſuperflua, *ib.* 260. 15. *& ſeq.* Teſtamento de bonis Beneficii diſponere non poſſunt, *ib.* 261. 19.

Beneficium quid ſit, T. 3. 238. 1. Quotuplex, *ib.* 2. *& ſeq.* Conditiones ad illud conſtituendum, *ibidem* 229. 1. Ad illud quinam idonei, *ibidem* 230. 1. Requiritur divina vocatio, *ibidem* 2. Recta intentio, *ibidem* 3. Morum probitas, *ibidem* 4. Ætas legitima, *ibidem* 5. Tonſura, *ibidem* 6. Cœlibatus, *ibidem* 7. Scientia congrua, *ibidem* 8. Beneficia curata petere vitio non caret, *ib.* 232. 2. In concurſu licet ſe examini ſubjicere, *ib.* 3. Quinam peccent beneficia petentes, *ib.* 4. *& ſeq.* Illegitimi ad beneficia inepti, *ib.* 235. 11. Et Neophyti, *ib.* 12. Beneficia tenuiora penſionibus non gravanda, *ibidem* 14. Obtinentur per collationem, *ibid.* 236. 1. Per electionem, *ib.* 3. per præſentationem, *ibidem* 4. Beneficium indiget canonica inſtitutione, *ibidem* 238. 1. A quibus conferatur, *ibid.* 2. A beneficiis indigni repellendi, *ib.* 240. 1. & 241. 5. Quinam digni, *ib.* 240. 2. Quinam digniores, *ib.* 3. *& ſeq.* & T. 2. 105. 6. *& ſeq.* Beneficiorum pluralitas illicita, T. 3. 242. 10. *& ſeq.* Indignus petens Beneficium peccat, *ib.* 244. Sicut & dignus reſpectu dignioris, *ib.* 2. *& ſeq.* Indigenti etiam ſolum digno licet Beneficium ſimplex conferre, *ib.* 245. 8. Regulares tenentur digniores eligere in ſuperiores, *ibid.* 247. 14. Ad licitam Beneficiorum pluralitatem non ſufficit diſpenſatio, *ibidem* 15. Quid ulterius requiratur, *ibidem* 248. 16. *& ſeq.* Quot modis Beneficium vacare poteſt, *ib.* 261. 1. *& ſeq.* Beneficia pretio dare ſimonia eſt, *ib.* 306. 1. Patronus pro nominatione aliquid accipiens ſimoniacus eſt, *ibidem* 307. 2. Et conferens Beneficium pretio, *ibidem* 4. Et pecuniam conferens vel accipiens pro poſſeſſione, *ibid.* 5. Et ad redimendam vexationem juſtam, *ib.* 308. 8. Non vero injuſtam, *ib.* 9. Tranſactio quando ſimoniaca. *ib.* 309. 12. Beneficia nec a ſummo Pontifice pecunia dari poſſunt, *ib.* 310. 1. Nec in collatione Beneficii beneficiario novum onus addere, *ib.* 311. 2. V. *Electio*.

Beſtialitas graviſſimum crimen, T. 4. 250. 6.

Bigamiæ ſpecies & modi, T. 7. 195. 9. Quid ad eam conſtituendam requiritur, *ib.* 10. Irregulares quando afficiat, *ib.* 11. V. *Irregularitas*.

Blaſphemia definitur, T. 4. 97. 1. Quotuplex, *ibid.* 2. *& ſeq.* Graviſſimum ſcelus parvitatem materiæ non admittens, *ibidem* 98. 8. *& ſeq.* Peccant blaſphemantes ex conſuetudine, *ibid.* 11. Plures blaſphemandi formulæ, *ib.* 1. *& ſeq.* Blaſphemiæ in Deum ſpecie differunt a blaſphemiis in Sanctos, *ibidem* 7. Explicandum in Confeſſione in quem fuerint prolatæ, *ibidem* 101. 6. Ebrii blaſphemantes ex conſuetudine peccant, *ib.* 100. 7. Blaſphemantium pœnæ, *ib.* 1. *& ſeq.*

Blaſphemiæ peccatum ſolet ab Epiſcopis ſibi reſervari, T. 4. 101. 6. Blaſphemis differenda abſolutio, *ibid.* 7. Iiſdem vere pœnitentibus ſevera injungenda Pœnitentia, *ib.* 8. Graviter peccant judices blaſphemos juxta leges non punientes, *ib.* 102. 1. Debent ab auditoribus corrigi blaſphemantes; *ib.* 2. Si blaſphemiæ peccatum ſit reſervatum ſubeſt reſervationi etiam ex conſuetudine prolatum, *ib.* 3.

Bona ſuperflua quænam, T. 3. 129. 6. De bonis ſuperfluis ſtatui danda eleemoſyna, *ib.* 8. Quando etiam de bonis naturæ ſuperabundantibus, *ib.* 130. 9. Quænam bona ſuperflua ſtatui, *ib.* 131. 13. *& ſeq.* V. *Eleemoſyna*.

Bona reſpectu filiorum familias quænam ſint, Tom. 4. 341. 10. Bona vacantia quænam, *ib.* 356. 11. Ad quos pertineant, *ib.*

Boſſuetus vindicatus, T. 6. 217. 3. Docet neceſſitatem Caritatis in Sacramento Pœnitentiæ, T. 7. 33. 14.

C

Calvini hæretica doctrina rejicitur, Tom. 2. 49. 3. Catholica aſſeritur Doctrina, *ib.* 4.

Calumnia quid ſit, T. 4. 282. 2. Quale peccatum, *ib.* 5. Varii calumniandi modi, *ib.* 284. 8.

Cambium quid ſit, T. 5. 67. 1. Quotuplex, *ibid.* 2. An licitum, *ib.* 3. Et cui, *ib.* 4. Quo titulo lucrum in Cambio ſit licitum, *ib.* 5. Quale lucrum in Cambio ſit licitum, *ib.* 6. & 7. Cambium ſiccum a S. Pio V. reprobatum, *ib.* 8. Quæ dicenda ſint Cambia ſicca, *ib.* 68. 9. *& ſeq.* Ad rem Benedicti XIV. Doctrina, *ib.* 12. Servanda in ipſis realibus cambiis, *ib.* 13. Cambia Francofurtenſia, vel Lugdunenſia dicta illicita ſunt, *ib.* 69. 14. & 15.

Campſor non poteſt monetarum valorem augere, T. 5. 70. 1. Poteſt percipere lucrum ob locale cambium, quamvis tale cambium ſit illi valde commodum. *ib.* 71.

71. 4. An liceat Campſori monetam vilem tradere, pretioſiorem accepturus a Campſario, *ib.* 72. 5. Poteſt ille ab iſto fidejuſſionem petere, non autem majus lucrum majori periculo proportionatum, *ibid.* 6. Poteſt item exigere a moroſo Campſori quantum intereſt ne mora foret commiſſa, *ib.* 7.

Canones Pœnitentiales recenſentur, To. 7. 81. *& ſeq.* Non omnino aboliti, *ib.* 84. 1.

Canones Eccleſiæ. Eorum origo & notio, T. 1. 75. 8. Eorum auctoritas, *ib.* 9. Regula ſpectans Canonum collectio, *ib.* 10. Alia ſpectans Auctores Canonum, *ib.* 11. Eorum auctoritas, *ib.* 12. *& ſeq.* Quomodo per deſuetudinem dicantur abrogari, *ib.* 14. Quia eorum non urgetur obſervatio non ideo aboliti, *ib.* 15. Si inſtaurentur vim legis obtinent, *ib.* 16. Uſu Eccleſiæ conſecrati, ſunt obſervandi, *ibidem* 78. 17. Eorum ſpiritus & diſciplina attendenda, *ibidem* 18. Sunt ab Epiſcopis ad uſum revocandi, *ibidem* 75. 9. Revocati obligant, *ibidem*. Audiendi non ſunt Caſuiſtæ docentes *Canones per deſuetudinem abrogari*, *ib.* 81. 11. Quinam abrogari nullo modo poſſint, *ib.* 12.

Caritas multipliciter ſumitur, To. 3. 75. 1. Ejus definitio, *ib.* 2. Non acquiritur noſtris actibus, *ib.* 76. 3. Quomodo ad eam obtinendam agamus, *ibid.* 4. Eſt peculiaris virtus, *ibid.* 77. 6. Alias perficiens, *ib.* 10. Ejus prærogativæ, *ibid.* 78. 11. *& ſeq.* Ejus objectum primarium, *ib.* 80. 2. Formale, *ib.* 3. Caritatis amor explicatur, *ibidem* 81. 5. Eſt gratuitus, *ib.* 6. Eſt fruitionis, *ibid.* Talis eſſe poteſt ut juſtificationem non inducat, *ib.* 82. 9. *& ſeq.* Datur Caritas veri nominis a juſtificante diſtincta, *ib.* 83. 13. Talis eſſe poteſt quæ juſtificet impium, *ib.* 84. 15. Quænam ſit, *ib.* 17. Ejus dotes, *ibid.* 85. 20. *& ſeq.* Non eſt Spiritus S. inhabitans in nobis, *ib.* 86. 1. Quo ſenſu Deus dicitur Caritas, *ib.* 2. Sine Caritate imperfectæ ſunt virtutes, *ib.* 87. 3. Non eſt amor beatitudinis generatim inſpectæ, *ib.* 6. Differt ab amore concupiſcentiæ etiam caſtæ, *ib.* 8. Varii gradus Caritatis, *ibidem* 86. 15. Proximus ſecundarium Caritatis objectum, *ib.* 16. Augeri poteſt, *ibidem* 90. 1. Quomodo augeatur, *ibid.* 91. 3. Media ad augendam Caritatem idonea, *ib.* 5. *& ſeq.* Caritas directe minui nequit, *ib.* 93. 13. Solo peccato lethali deperditur, *ibidem* 94. 14. Et quidem uno, *ib.* 15. Amitti poteſt, *ib.* 95. 17. Caritatis incremento nullus terminus in hac vita, *ib.* 96. 3. *& ſeq.* Perfectior eſt Caritas Patriæ, quam viæ, *ibidem* 4. Quando actus Caritatis mereatur augmentum gratiæ, *ibidem* 97. 9. Non expellitur ab omni cupiditate, *ib.* 98. 13. Caritatis reſpectus ad plura bona, *ib.* 100. 1.

Caritas proximi præcepta, T. 3. 102. 4. Norma hujus amoris, *ib.* Omnes mortales diligendi, *ib.* 5. Etiam peccatores, & inimici, *ib.* 6. Sancti quoque Angeli & Beati, *ib.* 103. 7. Animæ in Purgatorio detentæ, *ib.* Non vero Dæmones & damnati, *ib.* 9. Corpus quoque recte amandum, *ib.* 10. Caritate interna proximum diligere tenemur, *ib.* 106. 8. Quomodo peccatores odiſſe poſſumus, *ib.* 9. Et illi velle malum temporale, *ib.* 10.

Caritas erga Deum eſt in præcepto, Tom. 3. 107. 1. Quando teneatur homo Caritatis actus erga Deum elicere, *ib.* 3. *& ſeq.* Modus diligendi Deum, *ibid.* 109. 7. Ad hoc implendum præceptum non ſufficit amor naturalis, *ib.* 111. 2. Nec quilibet actus amoris etiam ſupernaturalis, *ib.* 112. 3. Actus Caritatis frequenter eliciendi, *ib.* 6. Quinam directe violent præceptum Caritatis, *ib.* 114. 15. Solo Dei amore non impletur præceptum amandi proximum, *ibidem* 115. 2. A generali dilectione proximi non excludendi inimici, *ib.* 117. 10. Quid illis præſtare tenemur, *ib.* 11. *& ſeq.* Quinam hoc præceptum non impleant, *ibid.* 118. Quinam violent, *ibidem* 119. 5. *& ſeq.* In Caritate ordo ſervandus, *ibid.* 121. 1. Ordo interioris affectus, *ib.* 122. 4. Ordo exterioris beneficii, *ibidem & ſeq.* Quo ordine ſit proximum ſuccurrendum, *ib.* 123. 11. *& ſeq.*

Carnis comeſtio in die jejunii vetita, To. 5. 337. 6. V. *Jejunium*.

Caſtitas definitur, T. 2. 127. 7. Ejus excellentia, *ib.* Laudabilis eſt, *ib.* 8. Sed præcipua virginalis, *ibid.* 7. Eſt Matrimonio præferenda, *ibidem* 128. 8. Licite vovetur, T. 4. 214. 1. *&* 217. 2. Caſtitatis votum & in ſæculo emittere licet, *ib.* 3.

Cathedraticum dandum eſt Epiſcopo, T. 5. 430. 4. Num quoad quantitatem ſubjaceat præſcriptioni, *ib.* 432. 1.

Cauſæ negativæ quæ alterius damno cooperantur tres, T. 5. 258. 3. Inter non obſiſtentes qui numerandi, *ib.* 263. 17. Quando & quomodo cuſtodes vinearum &c. teneantur ad reſtitutionem, quod non obſtiterint, *ib.* 266. 8. Quando & quid vectigalium exactores, *ib.* 9. Quando impedientes miniſtros, qui ex officio debent impedire alterius damnum, *ibid.* 10. Mutus in ordine ad reſtitutionem qui dicatur, *ibid.* 267. 4. Confeſſarius non monens pœnitentem de onere reſtitutionis, quando teneatur damna ſarcire, *ibidem* 269. 2. Laxa ad rem hanc Pauli Segnerii doctrina, *ibidem* 270. 3. Teſtis a judice vocatus veritatem celans, aut fugiens in damnum alterius tenetur hoc ſarcire, *ib.* 271. 4. Mutus quando peccet ſolum contra caritatem, *ibidem* 5. Impediens volentem ex caritate clamare, quando ſit reſtitutioni obnoxius, *ibidem* 272. 6. Non manifeſtantes quando ad reſtitutionem teneantur, *ib.* 269. 5. & 6.

Cenſuræ definitio, T. 7. 154. 1. Diviſio, *ibidem* 2. *& ſeq.* Qui poſſint ferre Cenſuras, *ibidem* 155. 1. 2. Prælati Regulares poſſunt eas ferre, *ibidem* 3. V. *Excommunicatio. Suſpenſio*, *&c.*

Cenſus quid ſit, T. 5. 73. 1. Quotuplex, *ib.* 2. Cenſus reſervativus, licitus eſt, *ibid.* 3. Sicut realis conſignativus, *ib.* 74. 4. Hujus conditiones, *ibid.* 5. Ejuſdem declarationes, *ib.* 78. 1. Aliæ ex S. Pio V. *ib.* 74. 6. Quænam jus naturæ ſpectent, *ib.* 75. 8. & 80. 4. Quænam jus humanum, *ibidem* 9.

Cenſus perſonalis natura, T. 3. 76. 11. Tam jure poſitivo, *ibidem* 12. Quam naturali vetitus eſt, *ib.* 13. *& ſeq.* Neque ibi licitus ubi Bulla S. Pii V. non eſt acceptata, *ib.* 77. 17. Jure naturæ ſpectato cenſus realis perpetuus licitus eſt, *ib.* 78. 18. Quid de cenſu mixto dicendum, *ib.* 19. Quid de vitalitio, *ib.* 20.

Cenſus redimibilis ex parte emptoris illicitus, Tom. 3. 78. 2. Nequit obſtringi Cenſuarius poſt datum tempus ut Cenſum redimat, *ibid.* 79. 3. Poteſt apponi conditio ut nonniſi totum redimatur, *ibidem* 80. 5. Diviſo fundo frugifero, a quo penſio repetenda? *ibidem* 6. Contractui Cenſui non poteſt addi pactum aſſecurationis ſortis, *ibidem* 81. 7. Quo pretio vendi poſſunt cenſus, *ibidem* 8.

Ceremoniæ nomen quid deſignet, T. 6. 55. 2. Eorum vetuſtas, *ibid.* 4. Honeſtas, *ibid.* 56. 5. Utilitas, *ibidem* 6. Poteſt Eccleſia eas inſtituere, *ib.* 7. Nonnullæ Sacramentalia ſunt, *ib.* 57. 1. Quomodo peccent, qui omittunt, *ib.* 58. 3.

Ceſſatio a Divinis. V. *Interdictum*.

Character in aliquibus Sacramentis imprimitur, To. 6. 53. 1. Quid ſit, *ib.* Ejus effectus, *ib.* 55. 6. Ubi reſideat, *ib.* 54. 5. Eſt indelebilis, *ib.* 4.

Chirographa quando licet emere minori pretio, Tom. 5. 53. 9.

Chirurgi quando irregulares, T. 7. 197. 19. V. *Irregularitas*.

Choreæ moraliter inſpectæ an turpitudine vacent. T. 2. 240. 17. & T. 5. 119. 1. Prout a Chriſtianis haberi ſolent a Patribus, *ib.* 120. 3. Theologis, *ibid.* & ratione reprobatæ, *ibid.* 4. An ſemper lethale choreis intereſſe, *ib.* 121. 5. Juſtiſſime Paſtores ruſticis prohibent choreas habere, *ib.* 134. 10. Choreas agere diebus feſtis peccatum auget, *ib.* 8. & T. 4. 117. 12. *& ſeq.* V. *Opera ſervilia*.

Chriſma materia Confirmationis, T. 6. p. 119. 9. Debet eſſe benedictum ab Epiſcopo, *ib.* 120. 11. Et recenter, *ib.*

Chriſmatio pars eſſentialis Sacramenti Confirmationis, T. 6. 117. 5. Adhibita primis Eccleſiæ ſæculis, *ib.* 6. Facienda in fronte, *ib.* 120. 13. Manu Epiſcopi, *ib.* 122. 4. Signo Crucis, *ib.* 5.

Chriſtus Auctor Sacramentorum N. L. To. 6. p. 11. 1. Quomodo materias & formas inſtituerit, *ib.* 13. 3. Baptiſmi eſt Auctor, *ib.* 60. 3. Et Confirmationis, *ib.* 125. 1. Præſens eſt in Euchariſtia realiter, *ib.* 146. 8. Per tranſubſtantiationem, *ib.* 149. 5. Quandiu perſeveret, *ib.* 151. 8. Non poteſt videri oculo corporeo, *ib.* 152. 9. Eſt adorandus in Sacramento, *ib.* 153. 10. Uſus eſt verbis in confectione Euchariſtiæ, *ib.* 165. 1. Quibus, *ib.* 2.

Clandeſtinitas Matrimonium irritat, Tom. 6. 347. 1. Quando habeatur, *ibid.* 2. Quinam Parochus adeſſe debeat, *ib.* 3. Quinam ſit Parochus Vagorum, & Peregrinorum, *ib.* 7. Quando valeat ſine præſentia Parochi, *ib.* 349. 1. V. *Parochus*. Requiruntur duo teſtes, *ib.* 15. Unus nequidem cum Parocho ſufficit, *ib.* 6. Teſtes quinam eſſe poſſint, *ib.* 348. 15. Pœnæ in Religioſos non Parochos matrimonio aſſiſtentes, *ib.* 351. 8.

Clementia deſcribitur, T. 2. 128. 11.

Clericus poteſt ex ſuperabundantibus ſororem pauperem dotare, T. 4. 158. 12. V. *Beneficiati*. Quando liceat bello intereſſe, *ib.* 170. 13. Pœnæ in Clericum concubinarium, *ib.* 222. 9. V. *Eccleſiaſtici*. Gaudent privilegio Canonis, T. 7. 233. 3. Illorum percuſſores excommunicantur, *ib.* 176. 1. Quinam hoc privilegio priventur, *ib.* 178. 2. V. *Excommunicatio*. Requiritur in eis recta intentio, & finis, *ib.* 225. 4. Quinam ſtatum Clericalem eligere non debent, *ib.* 5. Servitio Eccleſiæ addicti eſſe debent, *ib.* 247. 1. Quænam illis communiter interdicta, *ib.* 248. 3. Arma deferre prohibentur, *ib.* 5. Venationes aliaque plura illis vetita, *ibid.* 6. *& ſeq.* Quibus ſubjiciantur pœnis non deferentes Tonſuram, & veſtem Clericalem, *ib.* 249. 2. Comam nutrire prohibentur, *ibid.* 250. 5. Et Matronis inſervire, *ib.* 6. Ac ebrietati indulgere, *ib.* 252. 7. Decreta pro Clericorum honeſtate a Tridentino innovata, *ibid.* 249. 1.

Cocholatis potus an jejunium frangat, T. 5. p. 360. 9.

Codicillus quid ſit. T. 5. 220. 8.

Cognatio triplex, Tom. 7. 330. 1. Carnalis, *ibid.* 2. Tria in ipſa diſtinguenda, *ibidem* 331. 3. Stipes, gradus, & linea, *ibidem* 4. *& ſeq.* In linea recta nunquam licita Matrimonia cognatorum, *ib.* 332. 9. Quando nulla in linea collaterali, *ib.* 10. Alia cognatio ſpiritualis, *ib.* 333. 11. Inter quos intercedat, *ib.* 12. Quid ad eam contrahendam requiratur, *ib.* 327. 3. Alia cognatio legalis, *ib.* 13. Inter quos intercedat, *ib.* 15.

Columbaria licite erigi poſſunt, T. 4. 350. 6.

Commodans ejus munera & onera, T. 5. 147. 4. Quando poſſit commodatum repetere ante tempus condictum, *ib.* 151. 2.

Commodatarius quæ ejus ſint obligationes, Tom. 5. 147. 2. Quando res commodatas propriis præferre debeat, *ibid.* 150. 1. Quando re commodata uti poſſit ultra conceſſionem, *ib.* 152. 3. Aliquando tenetur de caſu fortuito. *ib.* 4.

Commodatum quid ſit, quæque ejus natura, T. 5. 147. 1.

Communio quibus danda, T. 6. 180. 1. In morte petentibus largienda, *ib.* 181. 4. Publicis peccatoribus deneganda, *ib.* 183. 2. Sed danda occultis peccatoribus publice petentibus, *ib.* Frequens communio utilis, *ib.* 187. 8. Quotidiana raro concedenda, *ib.* 10. Non eſt de jure divino, *ib.* 204. 9. Nullum eſt præceptum communicandi in Sacrificio, *ib.* 189. 3. Communio quando per pollutionem nocturnam impediatur, *ib.* 199. 15. Num per conjugalem copulam, *ib.* 16. Qui cum ſola contritione communicavit debet quamprimum confiteri, *ib.* 202. 4. Quibus nec menſilis Communio permittenda, *ib.* 7. Quando abſtinendum. *ib.* 204. 8. Pietas & devotio ad Communionem neceſſariæ, *ib.* 10. Nulla Communio indifferens, *ib.* 208. 2.

Communio Paſchalis præcepta eſt, T. 5. 415. 1. Quinam hoc præcepto obligentur, *ib.* 2. Quo tempore, *ib.* 3. & 417. 2. *& ſeq.* Quo in loco, *ibid.* 415. 4. & 419. 5. *& ſeq.* Quibus diſpoſitionibus, *ib.* 417. 5. Quid ab hoc implendo præcepto excuſet, *ib.* 6. Superiorum erga pueros obligationes relate ad hoc præceptum, *ibidem* 1. Pœna in tranſgreſſores, *ib.* 423. 13.

Compenſatio occulta definitur, T. 4. 167. 8. Ejus conditiones a Theologis conſtitutæ, *ibidem* 9. Doctrina compenſationis recenter inventa, *ibidem* 10. Auguſtini menti adverſa, *ib.* 268. 11. *& ſeq.* Fere ſemper commutativæ adverſatur juſtitiæ, *ibid.* 270. 14. Semper vero legali, *ibid.* 15. *& ſeq.* Occultæ compenſationis conditiones expenduntur, *ib.* 271. 4. *& ſeq.* Laxæ opiniones refelluntur, *ibid.* Doctrina licitam dicens occultam compenſationem eſt bono communi infeſta, *ibidem* 274. 12. Effecta compenſatione quid Pœnitenti imponere debeat Confeſſarius, *ibid.*

Complicis nomen quando reticendum, quando in Confeſſione aperiendum, T. 7. 61. 8.

Compromiſſum quid ſit, T. 5. 165. 10. Differentia inter arbitrum & Arbitratorem, *ib.* Quinam Arbitri eſſe poſſint, *ib.* 11.

Concionator vanæ gloriæ culpa non vacat exquirens nobiliores ſuggeſtus. T. 2. 210. 10. Deum tentat qui imparatus publicas habet conciones, T. 3. 288. 7. Simoniæ reus eſt ſi propter lucrum concionetur, *ib.* 297. 8. Quando ſint turpis lucri rei, *ib.* 303. 9.

Concubinarii quomodo a Confeſſario tractandi, To. 4. 221. 7. & 225. 7. Pœnæ in illos latæ, *ibidem* 221. 8. Nulla eſt aſſignabilis cauſa legitima retinendæ concubinæ, *ibid.* 224. 8. Laxæ Caſuiſtarum Doctrinæ, *ib.* 226. 9. Quomodo tractandi qui nequeunt concubinam expellere, *ib.* 227. 10. Quomodo qui eam ejecerunt. *ib.* 11. Et qui licet non ſint, communiter Concubinarii reputantur, *ib.* 12. Pœnæ in Clericos con-

cubinarios latæ, *ib.* 222. 9. Quando illas incurrant, *ib.* 228. 13.

Concubinatus quid ſit, T. 6. 235. 7.

Concubitus inordinatus qualis, T. 4. 250. 7.

Concupiſcentia definitur, Tom. 2. 23. 12. Duplex eſt antecedens & conſequens, *ib.* 13. Conſequens ſemper eſt voluntaria, *ib.*14. Etiam antecedentes motus plerumque voluntarii ſunt, *ibid.* 28. 15. Quid in illis diſtinguendum, *ib.* 28. 16. *& ſeq.* Concupiſcentia nunquam voluntatem ad peccandum trahit ſine aliquo errore intellectus, *ib.* 29. 18.

Conditio contractibus appoſita multiplex, T. 5. p. 29. 2. Sola de futuro contingente reddit contractum conditionatum, *ib.* 3. De futuro neceſſario non ſuſpendit contractum, *ib.* 4. De re impoſſibili aut illicita, aut turpi nullum reddit contractum, *ib.* 5. Habentur tamquam non appoſitæ in Teſtamentis, *ib.* 6. Et in Matrimonio, *ib.* 30. 8. Si ſint contra ſubſtantiam Matrimonii nullum reddunt, *ib.* 7. Sponſalibus addi poſſunt, T. 7. 259. 6. V. *Sponſalia*. Non in Matrimonio dum in facie Eccleſiæ celebratur, *ib.* 289. 2. V. *Matrimonium*.

Conductio quid ſit, T. 5. 82. 1. Quæ ejus materia, *ib.* 84. 1. Quando finem accipiat, *ib.* 86. 8.

Conductor quinam, T. 5. 82. 1. Ejus onera, *ib.* Quando penſionem ſolvere debeat, *ib.* 84. 9. Tenetur locatori ex culpa lata, & levi, *ib.* 85. 3. Poteſt ſublocare, *ib.* 4. An teneatur totam penſionem ſolvere ſi rem deſerat ante condictum, *ibid.* 5. Uberiorem reddens agrum conductum a quo expenſas repetere poſſit, *ib.* 87. 9.

Confeſſarius interrogatus de auditis in Confeſſione quomodo ſe gerere debeat, T. 4. 8. 13. & pag. 15. 13. eſt illi neceſſaria ſcientia, T. 7. 101. 3. & 7. Quando illa careat, *ib.* 4. *& ſeq.* Quæ neceſſario noſſe debet, *ib.* 5. Qualis & quanta ſcientia illi neceſſaria, *ib.* 102. 7. A Probabiliſmo abhorreat, *ibid.* 6. Eſt fortitudo illi neceſſaria, *ibid.* 8. Nulla ſpe vel timore rapiatur, *ibid.* 9. Defectus ſcientiæ non reddit ſemper nullam Confeſſionem, *ibid.* 103. 2. Quodnam judicium efformare debeat de qualitate & quantitate peccatorum, *ibid.* 4. Non tenetur ſequi opinionem Pœnitentis, *ib.* 5. Num aliquando poſſit ſe illi conformare, *ib.* 6. Indiget juriſdictione ad valide abſolvendum, *ib.* 105. 1. Approbatus in una Diœceſi poteſt alienos ſubditos ad ſe advenientes abſolvere, *ibidem* 108. 8. Regulares quando non indigent Epiſcopi adprobatione, *ib.* 9. Illicite excipiunt Confeſſiones ſine licentia proprii Prælati; *ib.* 113. 4. Indigent ſpeciali Epiſcopi approbatione pro Monialibus, *ib.* 114. 5. Parochus non eget approbatione niſi dimiſſa Parœcia, *ibid.* 6. Non poſſunt Confeſſarii a reſervatis abſolvere, *ibid.* V. *Reſervatio*. Conceſſa ſibi juriſdictione limites non excedant, *ib.* 126. 9. Differre debent aliquando prudenter abſolutionem, *ib.* 131. 1. Quibus & quomodo, *ib.* 2. *& ſeq.* Aliquando neceſſario differre debent, vel negare, *ib.* 132. 4. *& ſeq.* Neganda verſantibus in occaſione proxima voluntaria, *ib.* 6. Differenda verſantibus in neceſſaria, *ibidem* 133. 7. Et conſtitutis in occaſione proxima reſpectiva, *ibid.* 8. Recidivis & conſuetudinariis, *ibid.* 9. Inimicitias & odium foventibus, *ib.* 135. 11. Ignorantibus rudimenta Fidei, *ibidem* 12. Non reſtituentibus res alienas, *ib.* 13. Qui in occaſione verſantur peccandi, ſed nondum peccarunt, non ſunt abſolvendi niſi ab ea recedant, *ib.* 136. 14. Non ſemper abſolvendi recidivi etiam poſt aliquam emendationem, *ib.* 137. 2. Quid agere debeat Confeſſarius obnoxius tentationibus carnis in Confeſſionali, *ib.* 139. 6. Tenetur Pœnitentes interrogare, *ib.* 140. 2. & T. 1. p. 279. 1. Quomodo, T. 7. 141. 3. Ignorantes edocere, *ib.* 5. & T. 1. pag. 281. n. 4. *& ſeq.* Munus Doctoris & Medici implere, *ib.* 142. 7. Opportuna remedia ſuggerere, *ib.* Quænam ſint opportunæ interrogationes faciendæ, *ib.* 144. 3. In Confeſſione mulierum obſervanda, *ib.* 4. Confeſſarius ſumma cura deligendus, *ib.* 146. 11. Non facile mutandus, *ib.* 12. Duplicem non licet habere, *ib.* 65. 7. Secretum cuſtodire debet, *ib.* 148. 1. V. *Sigillum*.

Confeſſio Fidei eſt in præcepto, T. 3. 25. 13. Quando obligat, *ib.* 14.

Confeſſio peccatorum Euchariſtiæ præmittenda, T. 6. 195. 3. Et celebrationi Miſſæ, *ib.* 219. 7. Eſt a Chriſto inſtituta, T. 7. 46. 1. Ejus uſus perpetuus in Eccleſia, *ib.* 3. Eſt neceſſaria neceſſitate medii, & præcepti, *ib.* 47. 5. Quos obligat, *ib.* 48. 6. Quando obligat, *ib.* 7. Eſt ore facienda, *ib.* 49. 9. Num aliquando publica, *ib.* 50. 1. Aliquando per nutus & ſcripturam, *ib.* 2. Eſt præmittenda perceptioni Sacramentorum, *ib.* 51. 4. Veracitas in ea neceſſaria, *ib.* 52. 1. Integra eſſe debet, *ib.* 4. V. *Peccata*. Aliæ Confeſſionis conditiones, *ib.* 61. 10. Quando Pœnitens excuſetur ab integritate Confeſſionis, *ib.* 63. 1. Quando dimidiare liceat, *ibidem* 64. 3. Quando liceat communicare non præmiſſa Confeſſione. T. 6. 195. 5.

Confeſſio annua ſtricte præcepta, T. 5. 406. 1. Quos hoc præceptum obſtringat, *ib.* 3. Præcipit confeſſionem validam mortalium, *ibid.* 407. 4. *& ſeq.* Ore proprio pœnitentis factam, *ib.* 408. 7. An proprio Sacerdoti, *ib.* 409. 8. Quo tempore obliget, *ib.* 410. 9. *& ſeq.* Excuſat impotentia, *ibid.* 411. 12. Pœnæ in hujus præcepti violatores latæ, *ib.* 13. Elapſo anno ſtatim implendum præceptum, ſi antea impletum non fuerit, *ibid.* 410. 11. Una Confeſſione duobus annis non ſatisfit, *ibid.* 412. 3. Aliquando præveniendus anni terminus, *ib.* 413. 3. *& 7.* Quando periculum gravis damni excuſet ab hoc implendo præcepto, *ib.* 414. 8.

Confirmationis varia nomina, T. 6. 112. 1. Ejus definitio, *ib.* 2. Eſt verum Sacramentum, *ib.* 113. 3. Non mera cæremonia, *ib.* 115. 2. Materia adhibita ab Apoſtolis, *ib.* 116. 2. V. *Chriſma*. Forma adhibenda, *ib.* 122. 1. *& ſeq.* Chriſtus ejus Auctor, *ib.* 125. 1. Ejus Miniſter ordinarius 126. 3. Extraordinarius, *ibid.* 127. 4. Imprimit characterem, *ibid.* 137. 5. Eſt in præcepto, *ib.* 135. 2. Quando urget, *ib.* 134. 8. Iterari non poteſt, *ib.* 137. 7. Sacrilegus eſt ſuſcipiens in lethali peccato, *ib.* 138. 2. Patrini in Confirmatione adhibendi, *ib.* 139. 2. Præmittenda Confirmatio ſumptioni Euchariſtiæ, *ib.* 142. 4.

Conjuges ſibi debent invicem amorem, alimenta, & vitæ individuam ſocietatem, Tom. 4. 154. 1. *& ſeq.* Uxor debet Marito obedientiam, & ſubjectionem, *ib.* 3. *&* 155. 7. Peccant Mariti adhærentes mulieri etiam ſolo ſervitutis titulo, *ib.* 156. 1. Peccant conjuges ex nimia zelotypia, *ib.* 2. Non tenetur Maritus alimenta dare adulteræ, *ib.* 157. 5. Uxoris peccata contra obedientiam viro debitam, *ib.* 9. Non poteſt uxor de bonis familiæ diſponere, *ib.* 158. 10.

Conjugum officia in uſu Matrimonii, T. 7. 307. 1. V. *Matrimonium*.

Conſcientia definitur, T. 1. 267. 2. Explicatur definitio, *ib*. 3. Doctrina S. Thom., *ib*. 4. Dicta SS. PP. de conſcientia explicantur. *ib*. 5. Non eſt habitus ſed actus, *ib*. 268. 6. Multiplex diviſio, *ib*. 7. & *ſeq*. Mala non eſt proprie conſcientia, *ibid*. 267. 3. Quid ſignificet conſcientia inquinata. *ibid*. 271. 5. Alia recta, alia erronea, *ib*. 270. 1. Regulæ pro conſcientia recta, *ib*. 271. 5. Pro conſcientia erronea, *ib*. 273. 8. Conſcientia non eſt prima regula actuum humanorum, *ib*. 276. 1. & *ſeq*. Quos non excuſet conſcientia erronea, *ib*. 278. 11. Nulla conſcientia fieri poteſt ut prava fiat bona. *ib*. 12. & 284. 10. Difficile definitur quando conſcientia erronea ſit invincibilis, *ib*. 279. 18. Quænam conſcientia certa, *ib*. 291. 1. Quotuplex ſit, *ib*. 2. & *ſeq*. Quænam Conſcientia dubia, *ib*. 5. & *ſeq*. V. *Dubium*. Conſcientia probabilis quænam, 303. 1. & *ſeq*. V. *Probabiliſmus*. Conſcientia ſcrupuloſa quando, *ib*. & *ſeq*. V. *Scrupulus*.

Conſuetudo definitur, T. 1. 187. 2. D. Thom. Doctrina, *ib*. Multiplex conſuetudo, *ib*. 188. 3. Non obtinet vim legis contra jus naturale & divinum, *ib*. 4. Æque poteſt obligare ac lex, *ibid*. 189. 5. Ut obliget debet eſſe utilis bono communi, *ibidem* 6. Eſt neceſſaria frequentia actuum, *ib*. 7. Debet induci a Communitate, *ib*. 8. Et animo ſe obligandi, *ib*. 190. 9. Diuturnum effluat tempus, *ib*. 10. Vim obligationis obtinere poteſt ſine aſſenſu Principis, *ib*. 11. Ceſſare poteſt & abrogari, *ib*. 12. Interpretatur legem etiam divinam, *ib*. 191. 13. Legem humanam abrogare poteſt, *ib*. 14. Aliquando corruptela eſt, non conſuetudo, *ib*. 192. 15. Conſuetudo ab aliquibus inducta non prævalet conſuetudini univerſæ Eccleſiæ, *ib*. 16. Non inducitur niſi a majori parte communitatis, *ib*. 194. 2. Multitudo etiam ſuperiori ſubjecta introducere poteſt conſuetudinem, *ib*. 195. 3. Non eſt neceſſaria notitia juridica conſuetudinis ad inducendam legem, *ib*. 4. Nequit induci actibus ex ignorantia elicitis, *ibid*. 5. Præſcripta jus inducit etiam ſine aſſenſu Principis, *ib*. 6. Ad præſcribendam ſatis eſt ſpatium decem annorum, *ibidem* 7. Aliquorum Probabiliſtarum ſententiæ refelluntur. *ibid*. 8. & *ſeq*. Diſcrimen inter conſuetudinem ac præſcriptionem, *ib*. 196. 10. Conſuetudo aliquando locum habet in una Civitate, & non in alia ejuſdem Principis, *ib*. 11. Sæpe non auſert totam legem, ſed partem, *ib*. 12. Si vim legis obtinet obligat totam communitatem, *ib*. 13. Etiam Clericos, *ib*. 14. Duo aut tres actus non ſufficiunt ad inducendam conſuetudinem, *ibid*. 15. Sunt aliquæ conſuetudines quæ vim legis non obtinent, *ibid*. 16. In dubio num obliget eſt ſervanda conſuetudo, *ib*. 197. 17. Non poteſt prævalere contra jus naturale & divinum, *ib*. 18. Quænam evellendæ a Paſtoribus Eccleſiæ, *ib*. 19. Quænam non facile mutandæ, *ibidem* 20. Ad diſcernendum quænam evellendæ & quænam ſervandæ adhibenda eſt cura, *ib*. 21.

Conſenſus. V. *Contractus*, *Matrimonium*.

Conſentiens in alterius damnum quando ad reſtitutionem teneatur, T. 5. 260. 12. Qui numero ſufficienti ſuffragiorum ſuum adjungit in damnum alterius tenetur ad reſtitutionem, *ib*. 263. 16. Sicuti & qui damnum inferret ob denegatum ſuffragium, *ib*. 265. 4. Milites communi conſenſu caſtrum diripientes ſinguli tenentur in ſolidum, *ib*. 6.

Conſulens alterius damnum quis, quidve reſtituere debeat, T. 5. 267. 1. revocato conſilio an onere ſolvatur reſtitutionis, *ibid*. 2. Suadens minus damnum quando liber ſit ab onere reſtitutionis, *ib*. 269. 1.

Contractus variæ acceptiones, T. 5. 2. 1. Definitiones, *ib*. 2. 3. Diviſiones, *ib*. 3. 7. & *ſeq*. Contractus innominati quatuor claſſes, *ib*. 8. Obligatio quæ oritur ex contractu naturalis eſt, *ib*. 5. 2. & pertinet ad juſtitiam commutativam, *ib*. 2. 5. Quilibet contractus reſultat ex promiſſione & acceptatione, *ib*. 5. 3. Conſenſus neceſſarius eſt in contractibus, *ib*. 6. 1. Non ſufficit ſi ſolum exterius ſimuletur, *ib*. 2. Quid ſi adſit animus vere contrahendi, ſed non ſe obligandi, *ib*. 3. & 13. 1. An quis poſſit in materia gravi velle ſe obligare ſolum ſub levi, *ib*. 6. 4. Quinam dolus irritet contractus, qui non, *ib*. 7. & *ſeq*. Ignorantia, error, inadvertentia qualiter contractus irritent, *ib*. 8. 1. An ſemper, *ib*. 2. V. *Error*.

An metus irritet contractus. V. *Metus*.

Ad contrahendum inhabiles ſunt infantes, T. 5. 16. 2. & furioſi, *ib*. 3. Quomodo inhibitum ſit pupillis contrahere, *ib*. 17. 4. Quomodo minoribus, *ib*. 18. 5. Contrahere poſſunt in proprium commodum, *ib*. 19. 2. Etiamſi contrahant auctoritate Tutorum aut Curatorum ipſis conceditur reſtitutio in integrum, *ib*. 20. 3. Qualiter a contractibus arceantur prodigi, *ib*. 18. 6. Quinam defectu Dominii contrahere nequeant, *ib*. 22. 7. & *ſeq*. Quinam ex legum diſpenſatione, *ib*. 19 2.

Contractuum materia quotuplex, T. 5. 20. 1. Res impoſſibilis non eſt materia contractus, quid ſi ex parte tantum ſit impoſſibilis, *ib*. 27. 1. & 2. Res non exiſtentes quibus ſub aſpectibus eſſe poſſint materia contractus, *ib*. 3. & *ſeq*. & 28. 2. Qua ratione res alienæ, *ib*. 22. 6. Res propriæ, *ib* 7. Res incertæ, *ib*. 8. Dupliciter poteſt materia contractus eſſe illicita, *ib*. 23. 10. Quid de contractibus lege vetitis & irritatis, *ib*. 11. Quid de vetitis ſolum, *ib*. 12. Contractus verſantes circa materiam jure naturæ illicitam ante executionem nulli ſunt & irriti, *ib*. 13. Imo vero etiam poſt executionem, *ib*. 24. 14. *ad* 22. Quid ſibi retinere poſſint Meretrices, *ib*. 25. 19. & 28. 4. Contractuum materia remota, *ib*. 26. 23. Forma, *ib*. 27. 24.

Contractus conditionati, T. 5. 28. 2. & *ſeq*. & 34. 6. V. *Conditio*. Jurati, *ib*. 30. 9. Juramentum non firmat contractum de re illicita, *ib*. 31. 11. Sicut nec lege poſitiva irritum ob bonum commune, *ib*. 13. Firmat vero contractum nullum, cum juramentum ſervari poteſt abſque peccato, *ibidem* 12. Contractus ſolemnitatibus a jure requiſitis celebrati nec in foro conſcientiæ validi ſunt, *ibid*. 32. & *ſeq*. Contractus ſub modo, *ib*. 1. Ex cauſa, *ibid*. 33. 2. ad diem, *ib*. 3. Sub disjunctione, *ib*. 4. Sub deſignatione, *ib*. 5.

Mora in contractibus quid ſit & quotuplex, Tom. 5. 34. 1. Conditiones ut mora ſit vere culpabilis, *ib*. 2. & *ſeq*. Aliquando mora purgari poteſt, *ib*. 35. 5. Qui eſt in mora culpabili tenetur ad intereſſe, *ib*. 38. 1. In moroſum culpabilem debitorem transfertur periculum rei conventæ, *ibid*. 2. Quibus modis finiantur & diſſolvantur contractus, *ibid*. 37. 10. & *ſeq*. Contractus pro communi utilitate invecti, *ibidem* 39.

Contractus trinus quomodo ineatur, T. 5. 89. 8. Illicitus oſtenditur, *ib*. 9. & *ſeq*. An licitus ſola aſſecuratione ſortis, ſed ſine lucri aſſecuratione, *ib*. 96. 23.

An cum aſſecuratione lucri, ſed ſine aſſecuratione ſortis, *ib.* 24.
Contractus Mohatra illicitus, T. 5. 56. 7. Ad gaudendum illicitus, *ib.* 59. 4.
Contritio tria involvit, T. 7. 12. 1. Debet eſſe ſupernaturalis & vera, *ibidem* 2. Quando talis non eſt, *ibid.* 13. 1. Univerſalis, *ibidem* 3. Omnia & ſingula peccata deteſtari debet, *ibidem* 2. Eſt neceſſaria neceſſitate medii, & præcepti, *ibid.* 4. Quando urgeat præceptum, *ibid.* 5. *& ſeq.* Debet eſſe formalis & explicita, *ibid.* 18. 4. Quando ita perfecta ut ſtatim juſtificet, *ibid.* 1. Talis non eſt neceſſaria in Sacramento Pœnitentiæ, *ibidem* 19. 2. Oppoſita tamen doctrina damnata non eſt, *ib.*3. Etiam cum caritate conjuncta non ſemper juſtificat ſine Sacramento, *ibid.* 3. *& ſeq.* Eſt cauſa juſtificationis, *ibid.* 24. 1. Ex ſola Dei miſericordia, *ibidem* 2. Et vi Sacramenti, *ibid.* 25. 4. Contritio imperfecta quænam, *ibid.* 28. 1. V. *Attritio*. Contritio ex caritate neceſſaria ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, *ib.* 38. 3. & qua Deum diligat ſuper omnia, *ib.* 39. 5.
Contumelia definitur, Tom. 4. 295. 2. Tribus modis infertur, *ib.* 4. Eſt de ſe peccatum lethale, *ib.* 5. & 6. Aliquando ſolum veniale, *ib.* 7. Quando culpa vacet, *ib.*297. 8. Levis, ratione perſonæ fit gravis, *ib.* 9. Ex iræ impetu non facile excuſatur, *ib.* 10. Non licet contumeliis contumelias repellere, *ib.* 11. Quomodo in Confeſſione aperienda, *ib.* 307. 1. Quid dicendum de turpibus quibuſdam vocibus a populo paſſim uſurpatis, *ib.* 2. Quantum dedeceant virum Eccleſiaſticum. *ib.*
Convicium definitur, To. 4. 296. 3. eſt de ſe lethale peccatum, *ib.* 5. & 6.
Cooperans. V. *Reſtitutio*.
Cooperatio ad malum ſpecies ſcandali, To. 3. 160. 1. Propoſitio damnata ab Innocent. XI., *ib.* 2. Ejus nonnullorum explicationes rejiciuntur, *ib.* 3. Indifferentia actionum unde ſumenda, *ib.* 4. Actio de ſe indifferens ſi ſit alterius peccato cooperativa fit mala, *ib.* 161. 5. Proinde ad vitandum malum non evadit licita, *ib.* 162. 6. Aliud cooperari peccato, aliud non impedire peccatum, *ibid.* 7. Poteſt quis alterius actioni malæ cooperari quin cooperetur peccato, *ib.* 8. Quid de cooperatione doceant Theologi, *ib.* 11. Eorum doctrina expenditur, *ib.* 163. 12. *& ſeq.* Quando habeatur cooperatio alterius peccato, *ib.* 164. *n.* 1. *& ſeq.*
Correctio fraterna definitur, T. 3. 142. 1. Eſt de præcepto naturali, *ib.* 143. 3. Quemlibet obligat, *ib.* 5. Quando, *ib.* 6. *& ſeq.* Quando omitti poſſit in delictis etiam occultis, *ib.* 145. 12. Quando peccent qui eam omittunt. *ib.* 146. 1. Magis obſtringit Prælatos & Superiores. *ib.* 3. & Concionatores, *ib.* 147. 5. Aliquando facienda etiam ſine ſpe fructus, *ib.* 7. Et quando ſperatur fructus in futurum, *ib.* 148. 8. Peccata etiam præterita corrigenda, *ib.* 9. Aliquando licet inferioribus Superiores corrigere, *ibid.* 147. 6. Non eſt omittenda ſpe quod ab aliis fiat, *ib.* 150. 14.
Crimen matrimonium dirimit, T. 7. 338. 1. Quot modis committatur, *ibid.* Quando conjugicidium inducat hoc impedimentum, *ib.* 2. Quando adulterium cum homicidio, *ib.* 3. Quando matrimonium cum adulterio, *ib.* 339. 5. Quando adulterium cum promiſſione Matrimonii, *ib.* 6.
Culpa duplex, alia Theologica, alia juridica, To. 5. 246. 6. Hæc triplex, lata, levis, & leviſſima, *ib.* 147. 3. Ex culpa Theologica oritur onus reſtitutionis, *ib.* 228. 7. Quid ſi illa ſit ſolum venialis, *ib.*8. & leviſſima, ſed animo nocendi perpetrata, *ib.* 232. 6. An totum damnum ſit reparandum ex ea ortum, *ib.* 228. 10. *& ſeq.* In contractibus ex ſola culpa juridica onus incumbit reſtitutionis *ibidem pag.* 230. *n.* 12.
Cultus diſparitas impedimentum matrimonii, Tom. 7. 344. 1. Inter quos habeatur, *ibid.* Intercedit etiam inter catechumenum & fidelem, *ib.* 346. 1. Non vero inter hæreticos, *ib.* 284. 4.
Curator quid debeat minori, T. 5. 164. 8.
Curioſitas quid ſit, T. 2. 130. 4. Quotupliciter hoc vitium incurratur, *ib.* 131. 5. *& ſeq.* Quandoque peccatum lethale eſt, *ib.* 132. 7.

D

DEbitum rite ſolvit qui creditori ſuo in extrema neceſſitate reddit quod debet, T. 4. 271. 3.
Decalogi præcepta ſcienda, T. 3. 21. 3. Ejus definitio *ib.* 172. 2. Omnia in ipſo continentur præcepta, *ibidem* 3. Convenienter poſita, *ibidem* 173. 5. Quid jubeat I. Præceptum, *ibidem* 174. 8. Ad ejus obſervantiam omnes tenentur, *ibidem* 1. Non ſunt obſervatione impoſſibilia, *ibidem* 175. 3. Sunt quidem difficilia, *ibidem* 4. Alia affirmativa, alia negativa, *ib.* 6.
Decimæ quid ſint, T. 5. 425. 1. *& ſeq.* Quotuplices, *ib.* 3. Quo præcepto debeantur, *ib.* 427. 8. *& ſeq.* Quo modo decimarum ſolutio taxanda, *ib.* 428. 2. Quo titulo ſint ſolvendæ, *ib.* 429. 4. Debentur Epiſcopo, *ib.* 3. Parochis, *ib.*430. 5. *& ſeq.* Clericis beneficiatis, *ibidem* 431. 7. Aliquando Regularibus, *ibidem* 8. Et Laicis, *ibidem* 432. 9. In diviſione aut unione Parœciæ num uniendæ & dividendæ & Decimæ, *ib.* 433. 2. *& ſeq.* Sunt ſolvendæ non deductis tributis, *ib.* 4. Quo tempore ſint ſolvendæ, *ib.* 5. Quo in loco, *ib.* 434. 6. an vi exigi poſſint a Parocho, *ib.* 9. an poſſint dari in feudum, *ib.* 435. 10. Solvere debent decimas fideles omnes, *ib.* 1. An infideles, *ib.* 436. 2. *& ſeq.* Clerici, *ib.* 4. An Parochi, & Epiſcopi, *ib.* 436. 5. *&* 439. 2. An Regulares, *ib.* 437. 6. *& ſeq.* 438. 4. *& ſeqq.* An conſuetudo liberet ab hoc onere, *ibid.* 447. 9. An Privilegium, *ib.* 440. 7. An pauperes debeant decimas, *ib.* 438. 1. An non ſolum locans, ſed conducens prædium, *ib.* 441. 8. An debeantur decimæ non ſolum ex prædiis, ſed & perſonis, *ib.* *&* 442. 4. Decimæ Novalium, *ib.* 441. 2. *& ſeq.* Ovium in duplici loco paſcentium; *ib.* 444. 3. Decimæ ſolvendæ etſi non petantur, *ib.* 442. 6. Pœnæ in fraudantes decimas latæ, *ib.* 7.
Defectus ad ſubſtantiam rei vendendæ pertinentes ſunt manifeſtandi, T. 5. 42. 7. Quando ſi ſolum circa qualitates, *ib.* 43. 8. in quantitate, & in pondere onus reſtitutionis inducit, *ib.* 10. etiamſi bona fide inductus, *ib.* 11. *&* 46. 9. Utrum locum habeat condonatio, *ib.* 54. 12.
Degradatio. V. *Suſpenſio*.
Delectatio definitur, To. 2. 56. 1. Non omnis mala; *ib.* 2. Prava non eſt in appetitu niſi dependenter a voluntate, *ib.* 57. 3. Eſt lethale peccatum poſita materiæ gravitate, *ib.* 58. 5. In probabili periculo delectatio-

ctationis pravæ non licet ſe negative habere, *ibid.* 6. Peccat qui reſiſtere negligit, *ibid.* 59. 7. Illicita delectatio de re nunc vetita licet olim conceſſa aut concedenda, *ibid.* 8. Et de opere in ſe malo licet commiſſo abſque peccato, *ibid.* 60. 12. Unde ſumatur gravitas moroſæ delectationis, *ibid.* 58. 5. Deliberata de rebus venereis lethale peccatum, *ibid.* 64. 4. Eadem malitia coinquinatur delectatio qua ſordet objectum, *ibid.* 6. De rebus ſolum illicitis quia vetitis præceptis poſitivis non eſt ſemper illicita, *ibidem* 8. Species mali de quo quis delectatus eſt in Confeſſione eſt aperienda, *ibidem* 65. 9. Non licet gaudere de morte Patris in ebrietate illata, *ibid.* 66. 16. Nec de quocumque opere per ſe malo, *ibid.* 17. Tamburini laxa doctrina, *ibidem* 18.

Denunciatio criminis occulti quando Superiori facienda, T. 3. 145. 12. & 149. 10. Non poteſt præcipi a Prælatis prætermiſſa correctione fraterna, *ib.* 146. 15. Debet fieri duobus adhibitis teſtibus, *ib.* 150. 13.

Depoſitarii onera & munia, T. 5. 150. 8. aliquando obligatur ex culpa leviſſima, *ib.* 152. 5. Quando non peccet ſi re depoſita utatur, *ibid.* 6. aut depoſitum non reddat, *ib.* 153. 7. Quando Eccleſia vel Monaſterium non tenetur de depoſito facto, *ib.* 8.

Depoſiti definitio, natura & materia, T. 5. 149. 7. & *ſeq.*

Depoſitio. V. *Suſpenſio*.

Deſiderium etiam inefficax rei de ſe malæ peccatum eſt, T. 2. 59. 9. Conditionatum vero quando malum, *ib.* 60. 10. Quando conditio malitiam auferat, *ib.* 60. 11. Doctrina S. Thom. *ib.* 62. 18. Conſectaria ex ea Doctrina, *ib.* 63. 11. Doctrina Buſembai rejicienda, *ib.* 65. 12. Nonnullæ propoſitiones damnatæ, *ib.* 66. 13. Vitia Mulierum ſibi mala deſiderantium, *ib.* 15.

Deſperatio definitur, T. 3. 72. 1. Multipliciter contingere poteſt, *ib.* 2. Eſt proprie in voluntate, *ib.* 3. Poteſt eſſe abſque infidelitate, *ibid.* 4. Eſt crimen graviſſimum, *ib.* 75. 5. Duplex ejus cauſa, *ib.* 7.

Detractio definitur, Tom. 4. 284. 6. Plures ejuſmodi, *ib.* 8. & *ſeq.* Quandoque ſolum venialis nec vera, *ib.* 285. 10. & *ſeq.* & 286. 15. & *ſeq.* Quando cum injuſta revelatione conjuncta, *ibid.* 14. etiam uni facta ſine cauſa, illicita, *ibidem* 285. 13. Nec publica crimina ſemper licet vulgare, *ibidem* 286. 16. Non licet detrahenti detractione reſpondere, *ibidem* 288. 19. Num liceat in judicio, *ib.* Detractio per famoſos libellos, *ib.* 290. 21. Quando peccet detractionem audiens, *ib.* 22. Propoſitiones damnatæ, *ib.* 291. 1. An peccet qui detrahit ſolaminis gratia, *ibid.* 293. 6. & qui crimen publicum alio evulgat, *ibidem* 7. Et qui ſola loquacitatis gratia, *ibid.* 294. 8. Defunctis detrahere peccatum, *ib.* 11. Quænam a Detractore in Confeſſione aperienda, *ib.* 295. 12.

Devotio definitur, T. 3. 178. 2. Ejus cauſa, *ib.* 179. 3. Eſt actus Religionis, *ib.* 5. In quo conſiſtat, *ib.* 182. 5.

Deum colere & adorare tenemur, T. 3. 183. 7. Ejus nominis invocatio quando leviter vel graviter violetur, T. 4. 5. 7. Deum diligere tenemur. V. *Caritas*.

Diaconatus, num ſit Sacramentum, T. 7. 217. 2. Quid ſit, *ib.* 242. 1. Solus Epiſcopus illum conferre poteſt, *ib.* 2. Materia & forma, *ib.* 3. Poteſtas in eo collata, *ib.* 4.

Diaconus ſolemniter baptizare poteſt, T. 6. 82. 5. Ex commiſſione & in neceſſitate, *ibid.* Et Euchariſtiam miniſtrare, *ib.* 175. 3. Alia ejus officia, T. 7. p. 242. 4. Scientia requiſita, *ib.* 5.

Diſpenſatio definitur, T. 1. 159. 2. Doctrina S. Th. *ib.* 161. 1. Diſpenſationis diviſio, *ib.* Regulæ in diſpenſatione ſervandæ, *ib.* 162. 4. & *ſeq.* Quando ceſſante cauſa ceſſet diſpenſatio, *ib.* 168. 16. Num ceſſet morte concedentis, *ib.* 17. Quinam diſpenſare poſſint, *ib.* 169. 2. & *ſeq.* Non poſſunt diſpenſare ſine juſta cauſa, *ib.* 165. 10. Falſa quorumdam oppoſita doctrina, *ib.* 171. 10. Num ſine cauſa conceſſa nedum illicita, ſed & invalida, *ibid.* 173. 4. Ad diſpenſationem obtinendam quid requiratur, *ib.* 175. 24. Formulæ petendæ diſpenſationis, *ibidem*. In impedimentis impedientibus qui diſpenſare poſſint, T. 7. 351. 2. Quid poſſint Epiſcopi in diſpenſando a dirimentibus Matrimonio ſupervenientibus, *ibid.* 3. Quid in præcedentibus, *ib.* 353. 10. Regulares diſpenſare non poſſunt impeditos ut debitum petant, *ib.* 352. 4. Eſt reſervata Summo Pontifici diſpenſatio in impedimentis dirimentibus, *ib.* 353. 8. Quid poteſt Epiſcopus vi conſuetudinis, *ibidem* 354. 11. In quibus diſpenſet Sacra Pœnitentiaria, *ibid.* 1. Veritas requiſita in petitione diſpenſationis, *ibid.* 355. 2. Conditiones præſtitutæ in diſpenſatione quomodo implendæ, *ib.* 3. Satisfactiones in diſpenſatione indictæ ſunt implendæ, *ibid.* 357. 6. Præſtanda in executione diſpenſationis, *ib.* 350. 4.

Diſtributiones quibus dandæ, T. 3. 194. 12. & 218. 4. In quo conſiſtant, *ib.* 217. 1. Quomodo applicentur, *ibid.* 218. 3. Abſentes quando legitime percipiant, *ib.* 5. & *ſeq.* & *p.* 223. 12. & *ſeq.*

Divinatio definitur, T. 3. 269. 1. Quænam ſuperſtitioſa, *ib.* 2. Per Dæmonis invocationem expreſſa, *ib.* 4. Per tacitam quænam, *ibid.* Per ſortes, *ibid.* 270. 7. Per aſtra, *ib.* Per ſomnia, *ib.* 272. 6. Ex motu, volatu, cantu animalium, *ib.* 7. Per ſortes quando licita, *ib.* 273. 8.

Diviſio rerum ſolo jure Gentium inducta, T. 4. 337. 3. & *ſeq.* Jure tamen naturæ cuſtodienda, *ibid.* 342. 1. Quando locum non habeat, *ib.* 339. 7.

Divites multi habent ſuperflua, T. 3. 132. 15. Niſi ſibi caveant de ſalute æterna periclitantur, *ib.* 233. 16.

Divortium quid importet, T. 7. 304. 6. Quotuplex, *ib.* A thoro licitum ex communi conſenſu, *ib.* 7. Et cauſa fornicationis, *ib.* 8. Non tamen ſemper, *ib.* 305. 9. Quando Maritus teneatur divortium facere a fornicaria, *ib.* 10. Aliæ cauſæ divortii, *ib.* 11. & *ſeq.* Facto divortio quid liceat innocenti, *ibid.* 306. 2. Poſt divortium non tenetur vir uxorem adulteram recipere, *ib.* 307. 4. Revocata a viro tenetur redire, *ib.* 5. Uxor raro tenetur a viro adultero per divortium recedere, *ib.* 6. Sævitia legitima divortii cauſa, *ib.* 306. 15.

Doctrinæ Caſuiſtarum quantum diſtant a doctrina Chriſti, T. 1. 59. 10.

Dolor. V. *Attritio*. *Contritio*.

Dolus in contractibus quid ſit, T. 5. 7. 5. Quotuplex, *ib.* 6. 6.

Domini tenentur ſervis tum in temporalibus, tum in ſpiritualibus providere, T. 4. 159. 6. Famulis vero juſtam mercedem, *ib.* 162. 7. Non poſſunt dimittere ſine juſta cauſa ante conſtitutum tempus, *ib.* 8.

Dominii materia ſunt res omnes ſublunares, T. 4. 346. 1. Licite jure gentium invecta ſervitus hominum, *ib.* 2. Non habet homo dominium ſuæ vitæ & membro-

brorum, *ib.* 347. 3. Nec Reſpublica vitæ ſubditorum, *ib.* 4. Homo eſt ſuæ famæ & honoris dominus, *ib.* 5. Quinam ſint juſti tituli acquirendi Dominium, *ib.* 6. Occupatio, *ib.* Inventio, *ib.* 351. 10. Præſcriptio, *ib.* 359. 6. Negotiatio, *ib.* 361. 10. *& ſeq.* In acquirendo & ſervando dominio civiles leges ſunt attendendæ, *ib.* 360. 6. Apum Dominium quomodo acquiritur, *ib.* 4. Ad quem pertineat dominium Arboris in confinio duorum dominorum poſitæ, *ib.* 358. 2.

Dominium generatim ſumptum definitur, Tom. 4. 328. 7. Duplex, *ib.* 8. Plenum & perfectum, *ib.* 329. 10. Quod dominium habuerit Chriſtus in terris, *ib.* 338. 5. Eccleſia legitimum obtinet ſuorum bonorum, *ib.* 6. Ad quos horum bonorum dominium & adminiſtratio pertineat, *ib.* 342. 3. Religioſi dominii incapaces, *ib.* 339. 7. Unde hæc incapacitas, *ib.* In communi tamen capaces eſſe poſſunt, *ib.* 342. 4. Sunt capaces etiam infantes, & amentes, *ib.* 340. 8. Non privantur peccatores, *ib.* 354. 3. Servi non omnino incapaces, *ibidem* 340. 9. Quos limites habeat dominium in ſervos, *ibidem* 343. 5. Filii-familias bonorum caſtrenſium domini ſunt, *ibidem* 344. 6. & quaſi caſtrenſium, *ibidem.* De illis diſponere non poſſunt Parentes, *ibidem.* Bonorum quæ adventitia dicuntur dominium habent filii-familias, non uſumfructum, *ibidem* 341. 12. Illorum quæ profectitia dicuntur nec dominium nec uſum fructum, *ibidem* 13. Peccant ſi illa ſibi uſurpent, *ibidem* 344. 7. Quodnam dominium conveniat Uxoribus, *ibidem* 341. 14. Bona paraphernalia ſubſunt dominium uxorum, *ibidem* 345. 8. Uxor de bonis communibus quomodo diſponere poſſit inſcio marito, *ib.* 9.

Dona Spiritus S. explicantur, T. 2. 77. 23.

Donatio definitur, T. 5. 141. 10. Ejus ſpecies, *ibid.* An egeat inſinuatione, *ib.* 11. Alia inter vivos, alia cauſa mortis, *ib.* 142. 12. Quinam donare poſſint, *ib.* 13. Donationes inter Conjuges non ſemper irrevocabiles, *ib.* 14. Non ſemper donatio Patris facta filio, *ibid.* 143. 15. quando donatio revocari poſſit, *ib.* 16. Non poteſt revocari ab hæredibus, *ibidem.* Facta ob cauſam, vel ſub onere quando valida, *ib.* 146. 5. An ceſſet donatio ſi proles illegitima fiat legitima, *ib.* 6. Donationes interdictæ quænam, *ib.* 147. 7.

Dos quid ſit, T. 5. 166. 14. Bona dotalia duplicis generis, *ib.* 15. Quinam donare poſſint, vel debeant, *ib.* 16. Quid faciendum de dote ſoluto Matrimonio, *ib.* 167. 17. Non ſemper filiabus quæ nubunt invitis parentibus deneganda dos, *ib.* 168. 4.

Dubium duplex, T. 1. 292. 3. Qui agit dubitans peccat, *ib.* 292. 5. Dubium non poteſt deponi pro arbitrio, *ib.* 293. 8. Aliud tenendum in dubiis circa res, & circa perſonas, *ib.* 9. *&* 301. 7. In dubiis tutior pars eligenda, *ib.* 6. Allucinatio Tamburini circa notionem dubii, *ib.* 300. 1. Dubium eſt quod dicitur probabile, *ib.* 2. Aliud juris, aliud facti, *ib.* 292. 4. Diſcrimen excogitatum inter hoc duplex dubium, *ib.* 300. 4. Media pro dubiis deponendis neceſſaria, *ib.* 5. Regulæ certæ pro deponendo dubio *ib.* 302. 12. Dubius de Cenſura quid agere debeat, T. 7. 163. 2.

Duces belli in quibus peccare poſſint, T. 4. 174. 8. *& ſeq.*

Duellum duplex, Tom. 4. 207. 11. Quid ſit duellum proprie dictum, *ib.* 12. Eſt omni jure vetitum, *ibidem* 13. Nunquam licitum, *ibidem.* Propoſitiones damnatæ, *ibid.* 15. *& ſeq.* Pœna in duellantes, *ib.* 206. 17. Deneganda etiam Eccleſiaſtica ſepultura, *ib.* 211. 9.

E

Eccleſia habet poteſtatem ferendi leges, T. 1. p. 83. n. 5. Objecta refelluntur, *ib.* 6. Num poſſit præcipere actus mere internos, *ib.* 74. 7. Penes quos ſit hæc poteſtas, *ib.* 7. Regula generalis, *ib.* 85. 9. Limites utriuſque poteſtatis Eccleſiaſticæ, & civilis, *ib.* 10. Doctrina S. Thom., *ib.* 11. Ex Scripturis quæſtio determinatur, *ib.* 12. Gelaſii teſtimonium, *ib.* 12. Eccleſiæ defenſores ſunt ſeculares Principes, *ib.* 86. 13. Non eſt formale Fidei objectum, T. 3. 8. 5.

Eccleſiaſtici tenentur bonum exemplum præbere, T. 4. 163. 1. A ſecularibus negotiis abſtinere, *ib.* 164. 2. Vita probi Eccleſiaſtici deſcribitur, *ib.* Venatio illis vetita, *ib.* 350. 8. quæ permiſſa, *ib.* 351. 9. Peccant ſi clamoroſæ venationi vacent, *ib.* 356. 8. Illis vetita negotiatio. V. *Negotiatio.* Et cambia tam activa, quam paſſiva, T. 5. 70. 8. Et ludi, *ib.* 6. præſertim aleatorii, *ib.* 106. 12. Maxime Regularibus, *ib.* 107. 14. Canones hæc vetantes non ſunt abrogati, *ib.* 13. Aſſiſtentia Theatris, *ib.* 126. 16. Et Comœdias agere in Monaſteriis, *ib.* 126. 17. *& ſeq.* Profanis ſpectaculis intereſſe, *ib.* 127. 1. Choreas agere, *ib.* 128. 2. Perſonam induere Regularibus interdictum ſub pœna excommunicationis, *ib.* 3. V. *Clericus. Beneficiati.*

Electio mediorum proxime ſequitur conſenſum in finem, T. 2. 34. 9. Electio in bonis ſpiritualibus cadere debet ſuper digniorem, *ib.* 104. 3. *&* T. 3. 238. 3. *& ſeq.* Beneficia nonniſi dignioribus concedenda, T. 2. 106. 10. *&* T. 3. 240. 1. *& ſeq.* Quando Beneficium conferri poſſit digno, T. 2. 107. 11. *&* T. 3. 233. 5. V. *Beneficium.*

Eleemoſyna eſt in præcepto naturali, T. 3. 129. 3. Et divino, *ib.* 4. De quibus bonis danda eleemoſyna, *ib.* 8. In quibus neceſſitatibus danda, *ib.* 130. 9. *& ſeq.* Ejus locum non ſupplet mutuum, *ib.* 12. Facienda de bonis propriis, *ib.* 133. 17. Non ex injuſtitia partis, *ib.* 18. Per ſimoniam acquiſita in pauperes eroganda, *ib.* 134. 19. Num ex male partis, *ib.* 20. Superflua Beneficiato in eleemoſynam danda, *ib.* 21. V. *Beneficium.* De eleemoſyna laxæ doctrinæ rejiciuntur, *ib.* 135. 1. In probabili vitæ periculo conſtitutis danda eleemoſyna, *ib.* 136. 4. De ſuperfluis ſtatui danda, *ibid.* Et in publica neceſſitate, *ib.* 129. 4. Quinam violent præceptum eleemoſynæ, *ib.* 5. Num liceat ſuperflua pauperibus ſubtrahere ad altiorem ſtatum obtinendum, *ibid.* 6. Ex juſtitia aliquando danda eleemoſyna, *ib.* 135. 7. Non differenda eleemoſyna in morte, *ib.* 9. Quando dare poſſint filii-familias, *ibidem* 139. 10. Quando uxores, *ibidem* 11. Quando famuli, *ibidem* 140. 12. Quando Tutores, & Curatores, *ib.* 13. Quando Regulares, *ib.* 14. Etiam malis danda, *ib.* 15. In eleemoſynis aliquis ordo ſervandus, *ib.* 141. 16. Eleemoſyna non ſibi attribuant Confeſſarii, T. 7. 97. 3.

Emphyteuſis natura, T. 4. 334. 6. Quando jure ſuo privari poteſt Emphyteuta, *ibid.* 336. 3. quid ſit & quo-

quotuplex, T. 5. 81. 1. Emphyteutæ jura, *ib.* 2. onera, *ib.* 3.

Emptio quid ſit, T. 5. 41. 1. quinam emere poſſint, *ib.* 2. V. *Venditio*.

Emptor quid præſtare debeat venditori erranti in ſuum detrimentum, T. 5. 43. 12. Non licet emptori gravamen imponere venditori ultra pactum, *ib.* 53. 10. Emens pro alio quando nil ſibi lucrari poſſit, *ib.* 57. 11. & *ſeq.* & 60. 6. Quando poſſit, *ib.* 58. 14. Procuratores quando ſibi emere poſſint res dominorum, *ib.* 60. 7.

Epicheja, ejus expoſitio, T. 1. 149. 2. Doctrina S. Th. *ib.* 148. 1. & *ſeq.* quomodo faciendum judicium de bono & æquo, *ib.* 150. 7. Non ad omnes ſpectat de bono & æquo judicare, *ib.* 8. Regulæ ex Jure Canonico, quæ huic judicio inſerviunt, *ib.* 9. Aliæ ex jure civili, *ib.* 151. 10. Aliæ ex Tullio, *ib.* 153. Non debent confundi cum interpretatione legis, *ib.* 154. 1. Falſæ Caſuiſtarum doctrinæ, *ib.* 155. 3. & *ſeq.* In æquali utrinque probabilitate non datur Epichejæ locus, *ib.* 5. Nec in lege naturali aut divina poſitiva, *ib.* 156. 6. Nec in humanis legibus irritantibus, *ib.* 7. Quando locum habere poſſit, *ib.* 8. & *ſeq.* Regulæ pro recto uſu Epichejæ, *ib.* 10.

Epiſcopatus non eſt Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum, T. 7. 217. 4. Sed eſt verus Ordo, *ib.* Ejus materia & forma, *ib.* 246. 12. A pluribus Epiſcopis eſt conferendus, *ib.* 247. 13. Illum appetere non licet, T. 2. 207. 7.

Epiſcopus quando poſſit conſanguineis beneficia conferre, T. 2. *pag.* 109. *num.* 3. & T. 3. 246. 10. Aliquando peccat ſi a minori ad majorem Epiſcopatum tranſeat, Tom. 2. 209. 13. Eſt Miniſter Baptiſmi primarius, Tom. 6. 76. 1. & Ordinarius Confirmationis, *ibid.* 126. 3. Peccat ſi omittat conferre, *ib.* 131. 5. Eſt Miniſter Euchariſtiæ, *ibid.* 154. 1. & Pœnitentiæ, Tom. 7. 100. 1. Poteſt abſolvere a Cenſuris, *ibid.* 166. & *ſeq.* Eſt Miniſter Sacramenti Ordinis, *ibid.* 218. 1. Subditi Epiſcopo pro ordinatione quinam, *ibid.* 219. 3. ratione originis, *ib.* 4. Ratione beneficii, *ibid.* 6. Ratione domicilii, *ibidem* 5. Regularium proprius Epiſcopus quinam, *ibidem* 7. Quam debeat habere in ordinando intentionem, *ibidem* 221. 4. Tonſuram conferre non poteſt in alieno territorio, *ibid.* 235. 2. Nec alterius ſubdito, *ibid.* Quando poſſit ordinare familiarem ſuum, *ibid.* 240. 2. Duplex in ipſis poteſtas, *ib.* 245. 10. Sunt Presbyteris ſuperiores, *ibid.* 11. Tenentur reſidere, *ib.* 246. 14. Eminens in illis ſcientia requiritur, *ib.* 15.

Error quando a culpa excuſet. V. *Conſcientia*. *Ignorantia*. Error in contractibus quando illos vitiet, T. 5. 9. 3. & *ſeq.* Quando ſi verſetur circa qualitates rei, *ib.* 5. Quando dedit cauſam contractui, *ib.* 10. 6. Quando dici debet verſari circa ſubſtantiam rei, *ib.* 14. 5. aut perſonam, *ib.* 6. Ad quid teneatur deceptor, *ib.* 3. Error eſt impedimentum dirimens Matrimonium, T. 7. 327. 2. Quando illud irritum reddat, *ib.* 2. & *ſeq.*

Euchariſtiæ varia nomina, T. 6. 144. 1. Definitio, *ib.* 145. 3. 5. Eſt verum Sacramentum, *ib.* 145. 6. Continet vere & realiter Corpus Chriſti, *ib.* 146. 8. Eſt ceteris excellentius, *ibid.* 148. 1. R tio Sacramenti in quo ſita, *ibid.* 2. Materia Pa & vinum, *ib.* 154. 1. V. *Panis*. *Vinum*. Fo conſecrationis, *ib.* 165. 1. Quæ pro conſecratione corporis, *ib.* 3. & 166. 5. Quænam neceſſaria pro conſecratione Calicis, *ib.* 167. 7. Quando non ſit miniſtranda Euchariſtia, *ib.* 177. 2. Danda petentibus in Sacrificio, *ib.* 3. Extra Sacrificium licet miniſtrare, *ib.* Non danda ſine licentia in Oratoriis privatis, *ib.* 179. 6. Quibus danda, *ib.* 180. 1. Num infantibus, *ib.* 2. Non deneganda in extremo vitæ pœnitentibus, *ib.* 182. 6. V. *Viaticum*. Extat præceptum de Euchariſtia ſumenda, *ib.* 184. 1. Quando urgeat, *ib.* 185. 2. Ad illud implendum non eſt neceſſaria communio intra Miſſam, *ib.* 189. 3. Euchariſtia eſt ſumenda ſine conſcientia culpæ lethalis, *ib.* 195. 1. Hinc a peccatore præmittenda Confeſſio, *ib.* 3. V. *Confeſſio*. Non danda omnibus etiam poſt confeſſionem, *ibid.* 203. 7. Jejunium illi præmittendum, *ibid.* 198. 9. V. *Jejunium*. Gratiam confert ſanctificantem, *ibidem* 206. 1. V. *Gratia*. Peccata venialia remittit, *ibidem* 3. Et pœnam, *ibidem* 4. Alii effectus, *ibidem* & *ſeq.* Quomodo producantur, *ibidem* 208. 1. V. *Communio*. Non eſt danda reo ad purgationem, T. 3. 287. 3.

Evictio quid ſit, T. 5. 63. 12. Ad quid teneatur venditor ſi res ſit evicta, *ib.*

Examen conſcientiæ confeſſioni præmittendum, T. 7. 53. 5. Ejus defectus non excuſat ab integritate Confeſſionis, *ib.* 57. 1. & 68. 1.

Examinatores judicare non tenentur quinam ſit dignior pro Beneficio niſi interrogentur, T. 2. 111. 13. & T. 3. 246. 9.

Excommunicati alii vitandi, alii non vitandi, Tom. 7. 170. 3. Tribus bonis privantur, *ib.* 2. quando Sacramenta ab ipſis valide adminiſtrentur, *ib.* 171. 5. Illicite recipiuntur, *ib.* 174. 1. Et privantur ſuffragiis Eccleſiæ, *ib.* 172. 8. Sunt inhabiles ad Beneficia, *ib.* 9. juriſdictione privantur, *ib.* 10. Communicatione publica & privata, *ibidem* 11. Communicantes cum ipſis excommunicantur, *ib.* 173. 14. Beneficia obtinent invalide, *ibidem* 174. 4. Repelluntur ab electione canonica, *ibid.* 175. 7. Vaſſalli Principi excommunicato ſubeſſe & parere debent, *ibid.* 176. 9. Excommunicantur publici percuſſores Clerici, *ibid.* 176. 1. A quibus abſolvi poſſunt, *ib.* 178. 7. Excommunicantur Monomachi, *ib.* 180. 1. Quando, *ibid.* 2. Patrini & ſocii illorum *ib.* 3. Alii quoque, *ib.* 4. A quibus poſſint abſolvi, *ib.* 10.

Excommunicatio definitur, T. 7. 170. 1. quibus bonis privet, *ib.* 2. Excommunicatio minor quænam, *ib.* 173. 15. Excommunicatio non fertur in corpus politicum, *ib.* 176. 10. Quinam illi ſubjiciantur, *ib.* 173. 16. Quinam ab ea poſſint abſolvere, *ib.* 166. 1. & *ſeq.* quinam ab ea incurrenda excuſentur, *ib.* 161. 1. & *ſeq.*

F

Famæ diſpendium quando pati liceat, T. 4. 289. 20. Fama ab honore diſtinguitur, *ib.* 284. 6. Pluribus modis læditur, *ib.* 8. Quomodo reſtituenda, *ib.* V. *Detractio*. *Reſtitutio*.

Faſcinatio ex Diaboli operatione poteſt oriri, Tom. 3. 276. 5. Faſcinatio vulgaris falſa, *ib.* 278. 1.

Feſtorum obſervantia ab ipſa proficiſcitur naturali lege, T. 4. 105. 1. Poſſunt ab Eccleſia Feſta inſtitui, *ibid.*

ib. 106. 7. Sunt ſanctificanda, *ib.* 107. 2. Externis etiam Religionis officiis, *ib.* 108. 5. & poſitivis actibus, *ib.* 109. 1. Non ſola auditione Miſſæ dies Feſtus ſanctificatur, *ib.* 110. 4. *& ſeq.* Licet Eccleſia ſolam Miſſæ auditionem præcipiat, *ibid.* 111. 2. Quo præcepto divinum non coarctavit, *ib.* 112. 3. Quando gravis culpæ rei qui ſolam Miſſam audiunt, *ib.* 111. 4. & 8. V. *Opera ſervilia*.

Feudum quale afferrat dominium, T. 4. 333. 3. quomodo a jure ſuo decidat Feudatarius, *ibid.* 336. 4. Feudatarii jura & onera, *ib.* 334. 7.

Fidejuſſio definitur, T. 5. 154. 1. Ejus conditiones, *ib.* 2. *& ſeq.* Diviſiones, *ib.* 155. 4. Quinam fidejubere poſſint, *ib.* 5. Quando mulier, *ibid.* 159. 1. Quæ fidejuſſoris obligatio, *ib.* 155. 6. Quando deſinat & incipiat actio fidejuſſionis, *ib.* 7. An poſſit petere a debitore principali indemnitatem damnorum quæ ſubiit, *ibid.* 159. 2. Pro fidejuſſione non licet pretium accipere, *ib.* 3. Sed pro liberatione ab ejus onere, *ib.* 162. 6. Quando cadat fidejuſſio, *ibid.* 7. Peccat qui fidejubet ſciens non eſſe ſolvendo, *ib.* 5. An ſemper liberato principali debitore liberetur fidejuſſor, *ib.* 7.

Fides bona, ſive bona fides non in omnibus cauſis ſuffragatur, T. 2. 102. 15. Injuſta ſententia ſpoliatus quando rem ſuam poſſit recuperare, *ib.* 16.

Fides virtus Theologica definitur, T. 3. 3. 2. Ejus objectum materiale, *ib.* 4. Formale, *ib.* 4. 8. Quænam ad illam pertineant, *ib.* 8. 3. Fidei analyſis, *ib.* 9. 7. Fides Dæmonum, *ib.* 8. Fides divina non eſt in hæreticis, *ib.* 10. 13. ſemper neceſſaria ad ſalutem, *ib.* 13. 2. Articuli Fidei in omni ſtatu neceſſario credendi quinam, *ib.* 16. 11. Aliquando implicite, *ib.* 12. modo explicite, *ibid.* 17. 15. Quinam fidei articuli ex præcepto ſciendi, *ibid.* 21. 1. *& ſeq.* Quomodo ſciendi, *ibid.* 22. 2. Fidei actus interni ſub præcepto, *ib.* 23. 5. Quando obligat per ſe, *ib.* 6. *& ſeq.* Quando per accidens, *ib.* 24. 11. Fides eſt exterius profitenda, *ib.* 25. 12. Quando hoc præceptum obliget, *ib.* 14. *& ſeq.* Fidei profeſſio a quibus emittenda, *ib.* 26. 20. *& ſeq.* Nunquam neganda, *ibid.* 25. 16. Quando denegata cenſeatur, *ib.* 32. 2. *& ſeq.*

Filii jubentur honorare parentes, T. 4. 128. 1. Quid illis debeant, *ib.* 129. 1. Liberi ſunt in electione ſtatus, *ib.* 131. 8. Peccant ſi illis inconſultis Matrimonium celebrent, *ibidem* 9. *&* Tom. 7. 260. 7. *&* 269. 11. Quando valeant licite contrahere, *ibidem* 273. 8. Valet illorum Matrimonium, *ibid.* 273. 7. Nati ex Matrimonio in faciem Eccleſiæ celebrato bona fide, licet nullo, ſunt legitimi, *ibid.* 288. 3. Peccant aliquando ſi eam ducere recuſent delectam a parentibus, T. 4. 132. 10. Filiorum peccata contra Parentes, *ibid.* 1. *& ſeq.* Tenentur illis ſubvenire, *ib.* 136. 1. *& ſeq.* Poſſunt ad eorum neceſſitate levandam Clauſtro exire, *ib.* 4. *&* 137. 5. Nec poſſunt Religionem ingredi ſi eorum egeant opera, *ib.* 135. 5. Quodnam dominium illis competere poſſit. V. *Dominium*. Quibus de cauſis poſſint exhæredari a parentibus, *ib.* 145. 10.

Finis præceptorum ceremonialium V. T. qualis, T. 1. 39. 7. Finis omnium præceptorum Caritas, *ib.* 47. 2. Ex fine colligenda Civilis legis materia, *ib.* 4. Quinam ſit finis Legum civilium, *ib.* 68. 1. Quomodo illum aſſequantur, *ib.* 2. Finis legis Eccleſiaſticæ præ oculos habendus, *ib.* 72. 1. Finis legis dupliciter deſinit, *ib.* 149. 2. Si ceſſat contrarie lex ceſſat, *ib.* 3. Duplex finis, intrinſecus, & extrinſecus, *ib.* 4. Si perſiſtit finis intrinſecus lex non ceſſat, *ib.* 5. Quando ceſſante fine ceſſet lex, *ib.* 6. *& ſeq.* Si finis ita ceſſet, ut lex injuſta fiat non eſt obſervanda, *ib.* 159. 1. Si ceſſet univerſim etiam negative ceſſat lex, *ib.* 160. 6. Ceſſante negative fine legis in particulari non ceſſat legis obligatio, *ib.* 8. P. Viva reprehenditur, *ib.* 9.

Finis ultimus & unicus admittendus, T. 2. 2. 3. qualis ſit peccantis lethaliter, *ib.* 4. 6. *& ſeq.* juſti venialiter peccantis, *ib.* 5. 8. De ultimo fine vero diſſenſio inter Gentiles, *ib.* 9. Finis ultimus non eſſe poteſt ullum creatum bonum exterius, *ib.* 10. Nec interius, *ib.* 6. 11. Sed ſolus Deus clare viſus, *ib.* V. *Beatitudo*. Quomodo homo agat propter finem, *ib.* 7. 1. A fine recipiunt actiones humanæ quod ſint morales, *ib.* 2. Finis alius operis, alius operantis, *ib.* 3. Actio humana ſemper ab aliquo fine ſpeciem depromit, *ib.* 8. 6. Homines ſemper tendunt in ultimum finem Beatitudinis, *ib.* 7. Ejuſdem hominis non poſſunt eſſe plures ultimi fines, *ib.* 8. Finis alius *quo*, alius *cujus gratia*, *ib.* 10.

Fœnerator pecuniæ fœnebris dominium non adipiſcitur, T. 5. 200. 1. Non tenetur reſtituere fructus mere induſtriales, *ib.* 2. Bene vero naturales & mixtos, *ib.* 3. quibus ſubjiciatur pœnis, *ib.* 4. Peccant qui illi cooperantur, *ib.* 201. 5. Quomodo cum fœneratoribus ſe gerere debeat Confeſſarius, *ib.* 6.

Forma Sacramentorum quænam, T. 6. 37. 4. Debet eſſe determinata, *ib.* 38. 5. Eſt pars intrinſeca Sacramenti, *ib.* 39. 2. Ejus mutationes ſubſtantiales, & accidentales, *ib.* 40. 3. Regula diſcernendi mutationem accidentalem a ſubſtantiali, *ib.* 4. Varii mutationum modi, *ib.* 6. *& ſeq.* Quando adhibenda forma conditionata, *ib.* 46. 6. Forma Baptiſmi qualis, *ib.* 70. 1. Quid in illa neceſſarium, *ib.* 71. 3. Mutationes verborum ſemper illicite, & aliquando invalidam formam reddunt, *ib.* 73. 6. Forma Confirmationis, num Oratio, *ib.* 122. 1. An verba Epiſcopi, *ib.* 2. Forma qualis apud Græcos, *ib.* 124. 6. Forma Euchariſtiæ, *ib.* 166. 3. Forma conſecrationis Panis, *ib.* 167. 5. Calicis quænam eſſentialis, *ib.* 7. Valide una ſpecies ſine alia conſecratur, ſed illicite, *ibid.* 170. 4. Forma Sacramenti Pœnitentiæ, T. 7. 127. 1. Importat actum judicialem, *ib.* 2. Non fuit a Chriſto determinata, *ib.* 3. olim in uſu fuit forma deprecativa in Eccleſia Græca, *ib.* 4. & in Latina, *ib.* 128. 7. Valida fuit, *ib.* Modo adhibenda ſola indicativa, *ib.* 129. 11. Verba formæ integre recitanda, *ib.* 1. Invocatio SS. Trinitatis non eſt de eſſentia, *ib.* 2. At neceſſaria expreſſio ſubjecti, *ibid.* 130. 4. Senſus formæ effectivus, *ib.* 5. Non licet abſolvere ſub conditione niſi in articulo mortis, *ibid.* 131. 6. Præmittenda abſolutio a Cenſuris abſolutioni a peccatis, *ib.* 7. Forma Extremæ Unctionis debet eſſe deprecativa T. 7. 203. 9. Aliquando obtinuit indicativa, *ib.* 10. Non omnia verba formæ ſunt de eſſentia, *ibidem* 204. 4. Forma ſacræ Ordinationis in communi, *ib.* 221. 1. Forma Oſtiariatus, *ibid.* 234. 6. Lectoratus, *ib.* 7. Exorciſtatus, *ib.* 8. Acolythatus, *ib.* 9. Subdiaconatus, *ibid.* 236. 1. Diaconatus forma duplex, *ibidem* 242. 3. Presbyteratus quoque duplex, *ibid.* 243. 2. & 3. In Matrimonio quænam forma, *ib.* 276. 7.

Fornicatio quid ſit ex S. Thom. T. 4. 220. 2. eſt jure naturæ illicita, *ibid.* 3. Propoſitio damnata, *ib.* 224. 1. Ejus malitia nec a rudioribus poteſt ignorari, *ib.* 2.

ib. 2. Gravius peccatur commiſſa cum publica meretrice, *ib.* 3. & cum ſua, vel aliena ſponſa, *ibid.* 225. 4. & cum infideli, *ib.* 5. A viro quam a muliere, *ib.* 6. V. *Concubinatus. Meretricium.*

Fortitudo definitur, T. 2. 113. 1. Ejus actus, *ib.* 2. Ejus partes, *ib.*114.4. Martyrium ejus actus præſtantiſſimus, *ib.* 115. 5. V. *Martyrium.* Vitia fortitudini oppoſita, *ib.* 117. 10.

Fratres quid ſibi invicem debeant, Tom. 4. 155. 10. Quid debeat frater fratribus a Patre legitima privatis, *ib.* 158. 11.

Furtum melius a Theologis definitur, quam a Juriſconſultis, T. 4. 252. 1. *& ſeq.* Quid inepte additum in definitione, *ibid.* 257. 3. Quid rei alienæ nomine ſignificetur, *ib.* 253. 3. Pluribus modis committitur, *ib.* 4. Num ſpecie differant hi modi, *ib.* Furti gravitas, *ib.* 254. 6. Quantitas requiſita ad lethale peccatum, *ibid.* 8. *& ſeq.* Minuta furta in lethale peccatum excreſcere poſſunt, *ibid.* 255. 10. Modi expenduntur quibus hoc poteſt contingere, *ib.* 11. *& ſeq.* Furari per jocum peccatum eſt, *ib.* 257. 1. Furtum eſt rem alienam accipere licet dominus ea non utatur, *ib.* 2. Non vero rem alienam accipere ſententia Judicis, *ib.* 248. 4. Nihil refert ſi materia gravis vel tota ſimul, vel per partes accipiatur, *ib.* 5. Furti rei vendentes menſuris, & ponderibus deficientibus utentes, *ib.* 259. 6. Qui mutuum petunt ſcientes ſe non eſſe ſolvendo, *ibid.* 7. Qui aliena quam tractant pecunia utuntur, *ib.* 260. 8. Alii rei furti ex Catechiſmo Romano, *ibid.* 9. Furti reus eſſe poteſt, qui rem propriam ex aliena manu eripit, *ib.* 10. Non furantur qui ſpicas poſt terga metentium colligunt, *ib.* 262. 9. Quando rei furti filii-familias, *ib.* 261. 1. *& ſeq. &* 263. 1. Laborantes cum Patre non poſſunt ſibi clam mercedem ſurripere, *ib.* 261. 4. Rei furti ſunt parentes bona filiorum diſſipantes, *ib.* 3. Quando reæ ſint furti uxores, *ib.* 5. *& ſeq. &* 262. 2. Quando opifices, *ib.* 263. 7. *&* 264. 5. Quando Ruſtici, *ib.* 262. 8. & 264. 6. *& ſeq.* Regulares, *ib.* 262. 10. Famuli, *ib.* 263. 3. Domini, *ib.* 4. Quando excuſet a furto neceſſitas. V. *Compenſatio.*

G

GRatia in Sacramentis confertur, Tom. 6. pag. 46. n. 2. Quotuplex ſit, *ibid.* 48. 6. Peculiaris & propria cujuſque Sacramenti, *ib.* 49. 10. Infunditur in Baptiſmo, *ibid.* 106. 3. In Confirmatione, *ib.* 135. 1. Aliquando etiam prima, *ibid.* 138. 10. In Euchariſtia, *ib.* 205. 2. Non æqualis in omnibus, *ib.* 209. 3. In pœnitentia datur gratia remiſſiva peccatorum, T. 7. 54. 6. Peculiaris gratia Sacramenti Extremæ Unctionis, *ibid.* 211. 4. Matrimonii, *ib.* 296. 19. & 20.

H

H*Abitatio* quid ſit, T. 4. 335. 10.

Hæres calumniatoris ad quid teneatur, T. 4. 320. 3. Ad quid hæres fœneratoris, T. 5. 201. 6. Ad quid poſſeſſores malæ fidei, *ibid.* 244. 4. Ex teſtamento minus ſolemni tenetur in eo contenta legata implere, *ib.* 209. 3. Falſa aliquorum doctrina, *ib.* 210. 4. Tenetur onera implere, *ib.* 210. 5. Hæres quinam inſtitui poſſint, *ib.*211.5. An filii naturales, *ib.* 213. 7. An ſpuriis, *ibid.* 8. *&* 216. 5. Quinam ſint hæredes neceſſarii, *ib.* 214. 9. Ab inteſtato, *ib.* 10. Liberi, *ib.* 11. Subſtituti *ib.* 12. Hæres homicidi vel furis qui capite plectitur, num teneatur damna reſarcire, *ib.* 312. 7.

Hæreſis definitio, T. 3. 41. 1. Pertinacia hæreſis propria, *ib.* 3. Eſt gravius peccatum quam aliæ infidelitatis ſpecies *ibid.* 47. 8. Dubitatio quando ſi cum hæreſi conjuncta, *ib.* 42. 6.

Hæretici fide carent, T. 3. 10. 13. Sunt infideles, *ib.* 37. 4. Dubius in fide hæreticus, *ib.* 42. 4. Pœnæ temporales in ipſos latæ, *ib.* 44. 13. Spirituales, *ibid.* 14. Eorum libri prohibiti, *ibid.* 45. 18. Hæreticus non eſt qui Eccleſiæ ſe ſubmittit, *ibid.* 47. 9. Licet erret errore culpabili, *ib.* 10. *& ſeq.* Qui exterius tantum hæreſim pronuntiat non eſt hæreticus, *ibid.* Quando qui dubitat de fide peccet, *ib.* 48. 17. Quinam hæreticos abſolvere poſſit. V. *Excommunicatio. Cenſura.* Sunt irregulares. V. *Irregularitas.*

Hierarchia in Eccleſia, T. 7. 215. 1. Non in carnis ſucceſſione, ſed in electione ſita, *ib.* 2. Quibus conſtet, *ib.* 3.

Hiſtriones quinam ſint, T. 2. 133. 12. Doctr. S. Th. *ib.* Abſolutionis capaces non ſunt, niſi artem deſerant, T. 5. 129. 5.

Homicida quid debeat interfecto & ejus hæredibus, T. 5. 308. 4. An, & quantum reſtituere pro injuria perſonali, *ib.* 6. pro damnis realibus, *ib.* 7. Familiæ, *ib.* Creditoribus, 309. 9. & eis quos cæſus ex caritate alebat, *ib.* 308. 8. *&* 310. 2. Qui interficit ſervato moderamine inculpatæ tutelæ ad nihil tenetur, *ib.* 3. Quid ſi occiſus ante mortem occiſori pacem dederit, *ib.* 4. Caſualis homicida non ſemper ab onere reſtitutionis liber eſt, *ib.* 311. 5. Si innocens propter homicidium vexetur, quando reus teneatur illius damna ſarcire, *ib.* 312. 6.

Homicidii indirecti nomine quid proprie ſit intelligendum, T. 4. 203. 9. *& ſeq.* Quinam rei ſint Homicidii indirecti, *ib.* 204. 5. *& ſeq.* V. *Suicidium. Duellum.*

Homicidium quodnam ſit vetitum præcepto *Non occides*, T. 4. 177. 1. Quotuplex ſit, *ib.* 2. Licitum eſt ex publica auctoritate, *ib.* 178. 3. Non vero privata, *ib.* 7. Non licet ſeipſum occidere, *ib.* 5. Sed ea aliquando præſtare, ex quibus indirecte ſequatur mors, *ib.* 6. Plura ſunt vetita præcepto *non occides*, *ibid.* 179. 8. Quænam delicta plecti poſſunt mortis pœna, *ib.* 180. 2. Non licet innocentem tradere Tyranno occidendum, *ib.* 5. Ut licitum ſit homicidium debet ſervari juris ordo *ib.* 181. 6. An peccent qui publice proſcriptos occidunt, *ib.* 7. Reis ad mortem damnatis concedendum eſt tempus confitendi & S. Euchariſtiam ſumendi, *ib.* 8.

Homicidium in propriæ vitæ defenſionem, etiam privata auctoritate patratum, quibus poſitis conditionibus, licitum eſt, T. 4. 182. 1. Explicantur hæ conditiones, *ib.* 2. *& ſeq.* Laxæ Caſuiſtarum doctrinæ refelluntur, *ib.* 183. 6. Cur Sancti Patres nec homicidium in propriæ vitæ defenſionem probaverint, *ibid.* 184. 7. Licitum neutiquam videtur ad defendendam alterius vitam injuſtum aggreſſorem occidere, *ibid.* 8. *& ſeq.* Quid ſi aggreſſus conſanguineus ſit? *ibid.* 185. 10. Abſolute illicita occiſio latronis

ob ſola bona temporalia ſervanda, *ibid.* 11. *ad* 20. Adverſa ſententia refellitur, *ib.* 188. 19. Nec licet occidere ad famam conſervandam, *ib.* 190. 21. & *ſeq.* Nec parantem inſidias, *ib.* 191. 3. Non licet reis occidere juſtitiæ miniſtros, *ib.* 4. nec cuilibet arma capere contra inermem, *ib.* 193. 5. Neque privato occidere innocentem ad propriam ſervandam vitam, *ib.* 6. Poteſt aggreſſus ſuam prætermittere defenſionem, ne aggreſſor æternum pereat, *ib.* 7. Quatenus publicos latrones liceat occidere, *ib.* 194. 10. Caſuiſtarum laxæ doctrinæ refelluntur, *ib.* 11. Nunquam licet privato occidere Tyrannum, *ib.* 197. 3. & *ſeq.* Multo minus Regem juſto titulo Regnum tenentem, *ib.* 3. Non licet Marito occidere uxorem in adulterio deprehenſam, *ibid.* 199. 8. Neque ſi ille Rex ſit, niſi ſervata judicii forma, *ib.* 200. 3. Neque violentum ſtupratorem in defenſionem pudicitiæ, *ib.* 199. 9. Obſiſtere tamen debet aggreſſus omni alio conatu, *ib.* 201. 4.

Homo agit propter finem, T. 2. *p.* 2. 1. Diverſo modo a ceteris creaturis, *ib.* 7. 1. Non tamen ſemper, *ib.* 3. 4. Tendit neceſſario ad beatitudinem, *ib.* 8. 9. Eſt libero præditus arbitrio, *ibid.* 31. 1. Non eligit ex neceſſitate, *ib.* 37. 10. Uti poteſt bonis creatis, *ib.* 38. 13. Quibus, *ibid.* 14. Frui non poteſt niſi bono increato, *ibid.* 16. Imperare poteſt per voluntatem aliis potentiis, *ibid.* 38. 15. Non debet appetere delectabilia propter ſe, *ib.* 52. 19. Vigilare in delectabilium electione, *ib.* 53. 21. Queis actionibus in finem tendere, *ibid.* 22. Et in Dei gloriam, *ibid.* 23. Quantumvis perfectus eget Oratione, jejunio &c., *ib.* 80. 11. Poteſt ab omni peccato etiam veniali per breve tempus abſtinere, *ib.* 12. Eſt illi impoſſibile præcavere omnia mala quæ contingunt, *ib.* 87. 3.

Honeſtas publica quid ſit, T. 7. 336. 1. Unde oriatur, *ib.* 2. Orta ex Sponſalibus validis non excedit primum gradum, *ib.* 337. 3. Non oritur ex nullis, *ib.* Orta ex Matrimonio rato dirimit uſque ad quartum gradum, *ib.* 4. Hoc impedimentum eſt perpetuum, *ib.* 338. 8.

Honor quomodo a fama differat, T. 4. 284. 6. Læſus reſarciendus, *ib.* 318. 10.

Humilitas neceſſaria ad ſalutem, T. 2. 205. 22. Ejus erga Deum officium, *ibid.* 23. Alterum erga proximum, *ibid.* 24. Neceſſaria Prælatis, *ib.*

Hypocriſis deformitas, T. 2. 201. 14. Hujus peccati qualitas declaratur ex D. Th. *ibid.* 15. & *ſeq.*

Hypocritæ quinam dicendi, T. 2. 201. 15.

I

J*Actantia* definitur, T. 2. 200. 13. Quomodo in ea peccetur, *ib.* 201. 2.

Idololatria. V. *Infidelis*.

Idolotytis quando veſci liceat, T. 3. 35. 15.

Jejunium ejuſque ſpecies, T. 2. 126. 5. Naturale non frangitur niſi ſumatur quod nutrit, vel nutrire poteſt, *ib.* 137. 5. Præmittendum ſumptioni Euchariſtiæ, T. 6. 198. 9. Non admittit parvitatem materiæ, *ib.* 12. Quænam illud frangant, *ib.* 13. & *ſeq.* Non licet infirmo non jejuno communicare, licet diutius Communione carere debeat, *ibid.* 205. 11. Præmittendum celebrationi Miſſæ, *ib.* 222. 13. Neomyſta celebrare non valet non jejunus, *ibid.* 225. 7. Non licet celebrare ad dandum Viaticum ſine jejunio, *ib.* 222. 13. Quando Sacerdos non jejunus celebrare poſſit, *ib.* 14. Jejunium abſolute quo ſenſu ſit a natura præceptum, T. 5. 336. 1. Et quomodo ab Eccleſia, *ib.* 2. Eſt actus virtutis, *ibid.* 3. Per illud non imminuitur humana libertas, *ib.* 4. Conceditur una tantum refectio, *ib.* 5. Indicitur abſtinentia a carnibus, *ib.* 337. 6. Et hora determinata. *ib.* 7.

Jejunium quadrageſimale ab Apoſtolorum tempore cœptum, T. 5. 337. 8. Aliud indicitur in quatuor temporibus, *ib.* 9. Et pluribus aliis anni Vigiliis, *ib.* 10. Feria ſexta & ſabbato ſola præcipitur abſtinentia a carnibus, *ib.* 11. & p. 355. 13. Nullo præcepto indicitur jejunium in Adventu omnibus fidelibus, *ib.* 338. 12. Aut in Rogationibus, *ib.* 339. 13. Præceptum jejunii obligat ſub gravi, *ib.* 1. Eſt affirmativum & negativum, *ib.* 2. Unica comeſtio eſt pars potior in jejunio, *ib.* 3. An liceat jejunium die Dominico, *ib.* 340. 4. Statuta jejunii dies commutari poteſt ab habente auctoritatem, *ib.* 5. Quid carnis nomine veniat, *ib.* 1. & pag. 344. 2. & *ſeq.* Prohibetur in Quadrageſima uſus ovorum, & lacticiniorum, *ib.* 341. 3. & 344. 3. & *ſeq.* Non autem vini, *ib.* 342. 5. Quinam ſint a lege jejunii immunes, *ib.* 6. An qui ſolo pane vivere deberent, *ib.* 7. Admittit parvitatem materiæ, *ib.* 343. 8. Quanta hæc ſit, *ib.* 9. Quando Regulares in ſuis jejuniis veſci poſſint ovis & lacticiniis, *ib.* 344. 1. Die jejunii quoties quis carnes comedit, toties peccat, *ib.* 4. Licet jejunium ſit ex voto, *ib.* 345. 5. A lege abſtinentiæ a carnibus liberat neceſſitas, *ib.* 1. & *ſeq.* Et diſpenſatio aliquibus Provinciis vel diœceſibus conceſſa, *ib.* 346. 3. A ſolo Summo Pontifice, *ib.* 348. 1. Diſpenſatio privata quas requirat cauſas, *ib.* 346. 4. Cui ſit concedenda, *ib.* 349. 2. Non illi qui lacticiniis veſci poteſt, *ib.* 350. 3. Concedenda a Medico, *ib.* 347. 6. Adprobanda a Parocho, *ib.* 7. Uterque peccat ſi inconſiderate concedat, *ib.* & 350. 4. & *ſeq.* Diſpenſatus a carnium abſtinentia non diſpenſatur a jejunio, *ibid.* 348. 8. Vel ut carnes comedat in ſerotina refectiuncula, *ib.* 10. & 354. 10. Quæ eſculenta cum carnibus miſceri poſſint, *ib.* 348. 9. & 353. 9. Quibus carnibus veſci poſſint, *ib.* 352. 8. Non licet domeſticos cogere veſci carnibus œconomiæ cauſa, *ib.* 351. 6. Licet veſci carnibus & lacticiniis a diſpenſatis in cœna diebus dominicis, *ibid.* 352. 8. Non omnibus licet veſci carnibus in die Natalis Domini Fer. 6. vel ſabbato cadentis, *ib.* 355. 13. Quænam eſſe debeat unica comeſtio in jejunio, *ib.* 357. 1. & *ſeq.* Quæ liquida jejunium frangant, *ib.* 359. 7. & *ſeq.* Qui pluries in die jejunii comedit, toties peccat, *ibid.* 363. 3. Refectio circa meridiem, *ibidem* 365. 2. Falſæ Caſuiſtarum doctrinæ, *ibid.* 367. 4. & 372. 1. & *ſeq.* Veſpertina refectiuncula licita, *ibidem* 374. 1. Qui cibi in ea conceſſi, *ibid.* 375. 2. & *ſeq.* & 377. 2. & *ſeq.* Quænam quantitas, *ib.* 376. 5. & 379. 4. & *ſeq.* Quos lex jejunii obliget, *ibid.* 380. 1. & *ſeq.* & 384. 1. Senes quando jejunare debeant, *ib.* 381. 4. & *ſeq.* & 385. 3. & *ſeq.* Advenæ, Peregrini, Vagi quando lege jejunii particularis teneantur, *ib.* 383. 6. & *ſeq.* Quando Regulares, *ibid.* 387. 6. Impotentia a jejunio excuſat, *ibidem* 388. 2. & *ſeq.* Labor, *ibid.* 390. 5. & *ſeq.* Pietas ſeu Caritas, *ibidem* 391. 9. & *ſeq.* Non ſoluti a lege jejunii conjugati, *ib.* 393. 1. Quando prægnan-

gnantes, & lactantes, *ib.* 394. 2. Uxores, *ib.* 395. 3. *& ſeq.* Exercentes artes laborioſas, *ib.* 5. *& ſeq.* Quinam titulo pietatis ſint a jejunio liberi, *ib.*397. 8. *& ſeq.* Falſæ nonnullorum doctrinæ, *ib.* 399. 10. An conſuetudo excuſet, *ibid.* 400. 12. Cooperantes violationi jejunii peccant, *ib.* 401. 1. *& ſeq.* Pœnæ in violatores jejunii, *ib.* 403. 7.

Ignorantia quomodo involuntarium cauſet, T. 2. 24. 17. Ejus diviſio, *ib.* Conſequens non cauſat involuntarium, *ibid.* 18. Antecedens inducit involuntarium, *ib.* 19. Quando excuſat vel non excuſat a culpa, *ib.* 25. 20. D. Thomæ Doctrina, *ib.* & pag. 30. 21. Eſt voluntaria, & peccatum ex omiſſione diligentiæ debitæ, *ibid.* 30. 22. Quando in contractibus tollat conſenſum, T. 5. 8. 1. *& ſeq.* Ignorantia myſteriorum fidei invincibilis non eſt inter Chriſtianos admittenda, T. 3. 29. 7. Ignorantia reſervationis non excuſat, T. 7. 123. n. 1. Quando excuſet a Cenſuris, *ib.* 162. 3.

Illegitimi, alii naturales, alii ſpurii, T. 5. 213. 6. & T. 7. 194. 7. Sunt irregulares, *ibid.* Num expoſiti ſint pro illegitimis habendi, *ib.* 198. 2. Quando nati ante Matrimonium ſint illegitimi; *ib.* 3. Tales non ſunt nati ex Matrimonio bona fide contracto licet nullo, T. 5. 216. 4. Quid filiis illegitimis præſtare debeant parentes, T. 4. 142. 14.

Immerſio in Baptiſmo adhibetur, T. 6. 61. 12.

Impedimenta Matrimonii quænam, T. 7. 321. 1. Eccleſia poteſt ea ſtatuere, *ib.* 2. Quænam poteſtas competat & laicæ auctoritati, *ib.* 322. 7. Duplicis generis ſunt, *ib.* 9. Impedientia tantum recenſentur, *ib.* 10. Et dirimentia, *ib.* 11. Sacrum tempus impedit Matrimonium, *ib.* 323. 1. Et Eccleſiæ vetitum, *ib.* 324. 2. Nec non ſponſalia, *ib.* 3. V. *Sponſalia*. Sicut & Votum, *ib.* 4. V. *Votum*. Error dirimit Matrimonium, *ib.* 326. 2. V. *Error*. Conditio ſervitutis quando, *ib.* 327. 6. V. *Servitus*. Nec non votum ſolemne, *ib.* 329. 1. V. *Votum*. Et Ordo ſacer, *ib.* 330. 5. V. *Ordo*. Cognatio, *ib.* 1. V. *Cognatio*. Affinitas, *ib.* 335. 1. V. *Affinitas*. Publica honeſtas, *ib.*1. V.*Honeſtas*. Nec non crimen, *ib.*338. 1. V. *Crimen*. Ligamen, *ib.* 340. 1. V. *Ligamen*. Coactio, *ib.* 4. V. *Metus*. Impotentia, *ib.* 341. 1. Diſparitas cultus, *ibid.* 344. 1. V. *Cultus*. Raptus quandiu dirimit Matrimonium, 345. 3. V. *Raptus*. Et Clandeſtinitas, *ib.*347. 1. V. *Clandeſtinitas*. Quis diſpenſare poſſit, *ib.* 351. 1. *& ſeq.* V. *Diſpenſatio*.

Impotentia dirimit Matrimonium, T. 7. 341. 1. Quid ad veram impotentiam requiratur, *ib.*4. Quo jure dirimat Matrimonium, *ib.* 5. Impotentia ſuperveniens Matrimonio illud non dirimit, *ib.* 142. 7. Quænam ſit impotentia reſpectiva, *ib.* 8. Si tolli non poſſit dirimit Matrimonium, *ib.* 9. Triennalis experientia adhibenda, *ib.* 2. Non tollenda maleficio, *ib.* 343. 4.

Inceſtus ſpeciale peccatum, T. 4. 231. 2. Gradus conſanguinitatis, vel affinitatis in confeſſione aperiendus, *ib.* 232. 3. & 235. 1. Inceſtus ſpiritualis, *ib.* 2. Pœnæ in inceſtuoſos, *ib.* 236. 6.

Incontinentia quid ſit, T. 2. 57. 3.

Infamia quando irregularitatem inducit, T. 7. 196. 14. V. *Irregularitas*.

Infans in utero Matris baptizari non poteſt, T. 6.83. 2. Martyrium in ipſis defectum Baptiſmi ſupplet. *ib.* 95. 1.

Infidelis quando teneatur fidem amplecti, Tom. 3. 11. 57. *&* 24. 7. Inculpabiliter ignorans Fidei myſteria quando damnetur, *ib.* 18. 5. Quando illuminabitur a Deo, *ib.* 19. 9. Quibus & quando liceat cum infidelibus diſputare, *ib.* 38. 5. Vel communicare, *ib.* 7. Quando ad fidem amplectendam compelli poſſint, *ib.* 39. 9. *& ſeq.* Quando Dominium poſſint habere ſuper fideles, *ib.* 40. 10. Num baptizari poſſint illorum infantes, *ib.* 12. Non ſunt ad Religionis ſacra ſpectanda admittendi, *ib.* 46. 3. Quid in communicatione cum ipſis cavendum, *ib.* 4. Quando eorum filii valide baptizentur. T. 6. 85. 8. Quando licite, *ib.* 86. 9. *&* 89. 7.

Infidelitas definitur, T. 3. 37. 1. Duplex eſt, *ibidem.* Tres ejus ſpecies, *ibid.* Quando impediat Matrimonium. V. *Cultus diſparitas*.

Injuſtitia definitur, T. 2. 91. 8. Eſt ſpeciale peccatum, *ib.* 93. 11. Quot modis committatur, *ib.*91. 9. Quo ſenſu intelligendum illud effatum, *nullus patitur injuſtum volens*, *ib.* 10. Injuſtitia legalis ſpeciale peccatum, *ib.*93. 11. Quælibet injuſtitia ex genere ſuo lethale peccatum eſt, *ib.* 14. V. *Juſtitia*.

Inobedientia explicatur, T. 2. 200. 12.

Intentio quid ſit, T. 6. p. 22. 1. Requiritur ad valorem Sacramenti, *ib.* 2. Quænam, *ibidem* 3. *& ſeq.* Quando iteranda Sacramenta defectu intentionis, *ib.* 28. 2. Quinam ea careant, *ib.* 29. 6. Eſt & in ſuſcipientibus neceſſaria, *ib.* 30. 2. Qualis, *ib.* 31. 3. *& ſeq.* Non eſt pars Sacramenti, *ib.* 38. 1. Quomodo habeatur in Euchariſtia conficienda, *ib.* 162. 9. Non tollitur oblivione, *ib.*

Interſtitia ſervanda, T. 7. 229. 4. Poteſt in ipſis Epiſcopus diſpenſare, *ib.* 228. 1. V. *Ordo*.

Inventio juſtus titulus Dominii, T. 4. 351. 10. Quænam res inventæ ſint inventoris, *ib.* 11. Inventus theſaurus ad quem ſpectat, *ibid.* 12. *& ſeq.* Quænam res derelictæ, *ib.* 352. 14. Inventor ad quid teneatur, *ib.* 13. *&* 356. 9. Scrutarii invenientes ad quid teneantur, *ib.* 10.

Involuntarium definitur, T. 2. 20. 1. Duplex eſt, *ib.* Ejus cauſæ aſſignantur, *ib.* 2. V. *Metus*. *Ignorantia*. *Concupiſcentia*.

Irregularitas definitur, T. 7. 187. 1. Ejus diviſiones, *ib.* 2. Aliæ ex defectu, aliæ ex delicto, *ib.* 188. 3. Num ignorantia excuſet ab irregularitate, *ibid.* 5. Quinam irregularitati ſubjiciantur, *ib.* 1. Irregularitas Beneficii impedit conſecutionem, *ibid.* 189. 2. Irregularis non facit fructus ſuos, *ib.* 3. Irregularitas ex homicidio, *ib.* 1. Quando ex caſuali, *ibid.* 190. 3. Quis ab ea diſpenſet, *ib.* 4. Ex prava Ordinum ſuſceptione, *ib.* 191. 6. Ex violatione Cenſurarum, *ib.* 7. Ex iteratione Baptiſmi, *ib.* 190. 5. Num ex homicidio in defenſionem vitæ, *ib.* 191. 1. Ordines ſuſcipiens ante Confirmationem non eſt irregularis, T. 6. 134. 9. Irregularitas ex vitio corporis, T. 7. 193. 1. Ratione deformitatis, *ibid.* 2. Quis ab ea diſpenſet, *ib.* 4. Ex defectu ætatis, *ib.* 5. Illegitimi quando irregulares, *ib.* 194. 7. & Bigami, *ib.* 195. 9. Quinam in iis diſpenſare poſſunt, *ib.* 12. Num Prælati Regulares, *ibidem* 196. 13. Ex infamia, *ibidem* 14. Quomodo tollatur, *ibidem* 16. Ex defectu lenitatis, *ibidem* 197. 17. Expoſiti irregulares, *ib.* 198. 2. Et Bigami aliquando cum una uxore, *ib.* 5. Infirmitas ſuperveniens Ordinato quando illum reddit irregularem, *ib.* 4.

Irriſio definitur, T. 4. 298. 12. Quandoque grave peccatum eſt, *ib.* 13. *&* 308. 3. Eo gravius quo major eſt debita reverentia. *ib.* 4. Quale peccatum uti verbis Sacræ Scripturæ ad irriſionem, *ib.* Superiores aliquando ſine culpa irrident, *ib.* 309. 5.

Judaiſmus infidelitatis ſpecies, T. 3. 37. 4. Judæorum azima comedere quando liceat, *ib.* 47. 5. Quando cum illis epulari, *ib.* 6. Medicos adhibere, *ib.* 7.

Judex peccator occultus ſententiam proferens leviter peccat, T. 2. 95. 3. Secus ſi ſit peccator publicus, *ib.* 4. Ejus ſententia injuſta non obligat, *ib.* 97. 9. Falſa Wiclephi doctrina rejicitur, *ib.* 100. 4. Non peccat damnans in judicio reum, licet privata ſcientia innocentem agnoſcat, T. 1. 277. 5.

Judicium prout eſt actus juſtitiæ definitur, T. 2. 94. 1. conditiones ad ipſum requiſitæ, *ibid.* 2. Secundum leges ſcriptas proferendum, *ib.* 97. 10. Abſque legitima auctoritate perverſum eſt, *ib.* 98. 12. Judicia Tyrannorum ſunt perverſa, ſed obligant, *ib.* 99. 13. Injuſtum eſt quoties juſtitia violatur, *ibid.* 1. Non vero dum ſervatur æqualitas, *ib.* 100. 2. Licet agere in judicio contra raptorem, *ib.* 3.

Judicium temerarium adverſatur juſtitiæ, T. 2. 100. 5. non obligat ad reſtitutionem, *ib.* 6. Non eſt temerarium cum ſuppetunt ſufficientes cauſæ ad judicandum, *ib.* 7. Viri timoratæ conſcientiæ regulariter metuere non debent de temerario judicio, *ib.* 101. 9. judicium temerarium aliquando grave, aliquando leve peccatum, *ibid.* 11. Aliquando peccatum leve objectum eſt judicii graviter mali, *ib.* 12. Quando judicium vere temerarium dicendum, T. 4. 279. 1. Quænam ſint de quibus temere judicare peccatum grave ſit, *ib.* 280. 4. Quid ſi verſetur circa ignotam perſonam, *ib.* 279. 3. Non eſſe neceſſe ad temerarium judicium ut advertat ad levitatem motivorum, *ibid.* 4. Ejus malitia non pendet a veritate, vel falſitate objectiva, *ib.* 280. 5. Fama & rumor a judicii temeritate non ſemper excuſat, *ib.* 6. Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum perſonis meticuloſis, *ib.* 282. 11.

Juramenta Caſtitatis, Religionis, &c. ſunt ſummo Pontifici reſervata, T. 4. 34. 8.

Juramentum unde dictum, T. 4. 2. 1. Juramenta non ſunt ſemper Chriſtianis vetita, *ibid.* 2. Juramenti definitio, *ib.* 4. Juramenta aliqua pendent ab intentione jurantis, alia non, *ibid.* 3. 6. & *ſeq.* Juramentorum diviſiones, *ib.* 3. 10. Conditiones, *ib.* 11. Omnia ſunt ejuſdem ſpeciei, *ibid.* 4. 1. Non tamen omnia perjuria ejuſdem malitiæ, *ib.* 2. Imo aliquando multiplicis, *ib.* 3. Formula illa *per Deum* eſt verum juramentum, *ib.* 4. Quænam loquendi formulæ non ſint juramenta, *ib.* 5. 5. Formulæ juramenti execratorii, *ib.* 6. Qui juramento confirmat aliquid etiam leve, de quo moraliter certus non eſt, ſemper lethaliter peccat, *ib.* 6. 1. & *ſeq.* & eſt proinde perjurus, *ib.* 11. 1. & *ſeq.* An liceat homini privato ab eo juramentum petere qui prævidetur pejeraturus, *ibidem* 12. 5. An judici, *ibid.* 6. An ab eo qui juraturus eſt per falſos Deos, *ib.* 13. 7. Qui reſtrictione mentali, vel amphibologiis utitur in juramento reus eſt perjurii, *ib.* 9. & *ſeq.* Aliquam deordinationem involvit legitimæ æquivocationi juramentum addere, *ibid.* 15. 14. jurans poteſt peccare venialiter, & mortaliter defectu juſtitiæ, *ib.* 17. 3. & 4. Defectus judicii in ſe ſpectatus non conſtituit reum gravis criminis jurantem, *ibidem* 5. Poteſt tamen conſtituere prout ſecum affert conſuetudinem jurandi & periculum pejerandi, *ib.* 6. Conſuetudinis jurandi quadruplex gradus, *ib.* 18. 8. Qui tenetur prava pejerandi conſuetudine, non eſt capax abſolutionis quouſque eam abjecerit, *ib.* 9. Nec etiam prima vice eſt abſolvendus niſi de ejus emendatione conſtet, *ib.* 19. 12. Peccat lethaliter qui paſſim & frequenter jurat, licet caveat ne falſum juret, *ib.* 18. 10. Et multo magis qui non attendit ad rei juratæ veritatem, vel falſitatem, *ib.* 19. 11. Hæc conſuetudo eſt in Confeſſione aperienda, *ib.* 20. 5. Juramenta hyperbolica, *ib.* 19. 1. Ex ſubreptione, *ib.* 3. Promiſſoria duplicem reſpiciunt veritatem, alteram dicti, alteram facti, *ib.* 21. 1. Alterutra deficiente promittens peccat lethaliter, *ib.* 1. & *ſeq.* Debet eſſe in promittente aliqua intentio ſe obligandi, *ib.* 5. & *ſeq.* Peccant qui rem malam promittunt, *ib.* 22. 7. & 24. 6. Proinde juramentum promiſſorium debet reſpicere rem bonam, poſſibilem & licitam, *ib.* 24. 5. Neque cedentem in damnum communitatis, *ib.* 25. 7. Juramentum non ludendi, *ib.* 9. Conditiones juramenti promiſſorii, *ib.* 26. 12. Juramenta contractibus adjecta, quando obligent, quando vero non, *ib.* 1. & *ſeq.* & 28. 2. & *ſeq.* Metu extorta ſunt ſervanda, *ib.* 27. 7. Doloſa ad quid obligent, *ib.* 28. 8. Ad quid dolo extorta, vel ex errore præſtita, *ib.* 9. & 10. Qui aliquid acquiſivit ratione juramenti invalido contractui adjecti ad reſtitutionem tenetur, *ib.* 1. Juramentum non ambiendi dignitates, *ib.* 30. 1. Qua ratione violetur, *ib.* 3. Juramenta eorum qui in aliqua communitate recipiuntur, *ib.* 4. & 5. & 32. 1. & 2. Notariorum, Scribarum, &c. *ibid.* 31. 6. De ſervando ſecreto, *ib.* 7. Pluribus modis ceſſat obligatio juramenti *ib.* 33. 1. & *ſeq.*

Juriſdictionis poteſtas quænam ſit, T. 7. 105. 1. Duplex, *ib.* 106. 3. Neceſſaria ad valide abſolvendum, *ib.* 2. Delegata quomodo habeatur, *ib.* 4. Qui ordinaria pollent juriſdictione quando uti poſſint in aliena Diœceſi, *ib.* 107. 5. Prælati delegatam juriſdictionem valent coarctare, *ib.* 109. 10. Juriſdictio putativa aliquando ſufficit, *ib.* 11. Non vero probabilior ſi vera haberi poſſit, *ib.* 181. 13. Poſſunt Epiſcopi conceſſam juriſdictionem etiam Regularibus revocare, *ib.* 115. 7. Juriſdictio dubia non ſufficit, *ib.* 110. 12. Non ceſſat morte, vel tranſlatione Epiſcopi, *ib.* 116. 9.

Jus Gentium definitur, To. 1. 62. 2. Cur & quando inſtitutum, *ib.* 4. Dupliciter aliquid dicitur de jure gentium, *ib.* 5. Quid complectatur, *ib.* 63. 1. & *ſeq.* Quænam univerſaliter requirantur ad jus gentium, *ib.* 64. 4. Unde ejus oriatur obligatio, *ib.* 5. & *ſeq.* In quo differat a jure naturali, *ib.* 65. 7. In quo a jure civili, *ib.* 8. Jus eſt juſtitiæ objectum, To. 2. 89. 2. Triplex eſt, *ib.* Quomodo a juſtitia reſpiciatur, *ib.* 3. Aliæ juris diviſiones, *ib.* 4. Jus non eſt cum dominio confundendum, Tom. 4. 327. 1. Jus activum definitur, *ib.* 2. Explicatur, *ib.* 3. Qui ſint injurii dicendi, *ib.* 4. Aliud in re, aliud ad rem, *ibidem* 328. 5. Horum verum diſcrimen, *ibidem* 332. 7. Latius patet quam dominium, *ibid.* 328. 4. Quodnam ſit jus naturale, *ibidem* 330. 1. Quodnam poſitivum, *ib.* 2. Dividitur in Canonicum & Civile, *ib.* 331. 5. Jus paternum dominativum, & œconomicum explicatur, *ib.* 6. Jura alia enumerantur, quæ ad dominium non aſſurgunt, *ib.* 333. 2. & *ſeq.*

Juſpatronatus definitio, T. 3. 237. 5. Quid Patrono debeatur, *ib.*

Juſtitia in communi definitur, T. 2. 89. 1. & 5. Ejus objectum, *ib.* 3. Ejus ſpecies ſive partes, *ib.* 90. 6. Juſtitia legalis diſtinguitur ab aliis virtutibus, *ibidem* 93. 9. Circa quid verſetur juſtitia diſtributiva, *ib.*

ib. 7. Et circa quæ commutativa, *ib.* Quo ſenſu vocetur ab Auguſtino Amor Deo ſerviens, *ib.* 92. 1. Ejus actus primarius, *ib.* 2. Eſt ad alterum, *ib.* 3. Legalis eſt vera juſtitia, *ib.* 4. In Principe reperitur, & in ſubditis, *ib.* 5. Diſtributivæ, & commutativæ materia qualis, *ib.* 93. 6. Non verſatur circa paſſiones, *ib.* 7. tenet medium rei, non rationis, *ib.* 8. Quibus virtutibus præmineat, *ib.* 6. 9. Quando quis peccet contra juſtitiam legalem, *ib.* 10. *& ſeq.* Juſtitia diſtributiva quo modo a commutativa diſtinguatur, *ib.* 102. 1. Juſtitia vindicativa, *ib.* 99. 1.

L

LAici quid Eccleſiaſticis debeant, T. 4. 167. 4. debent ſuis Paſtoribus obedire, *ib.* 5. Peccant Eccleſiaſticos dehoneſtantes, *ibidem* 4.

Lectoratus unus ex minoribus Ordinibus, T. 7. 234. 7. Ejus materia, munia, & officia, *ibid.*

Legatum quid ſit, Tom. 5. 218. 1. Quotuplex, *ibidem* 2. Quando reddendum, *ibid.* 3. Quo in ſtatu res legata debeatur legatario, *ibidem* 219. 4. An cum ſuis fructibus, *ibid.* 5. Quænam ſint legata conditionata, *ibidem* 6. Quænam ſub demonſtratione, *ib.* 7. Legatario res legata accepta quando iterum debeatur, *ibid.* 220. 1. Legata ad pias cauſas ſunt implenda, *ibidem* 207. 13. Corruunt reſciſſo per Judicem teſtamento, *ib.* 208. 14. Niſi aliter hæres promiſerit, *ib.* 209. 15. Legata pia indeterminata quomodo implenda, *ib.* 220. 3. Quid de legato cum pacto ne nubat, *ib.* 221. 4. Num legata pro dotandis ad Matrimonium puellis dari poſſint ingredientibus Religionem, *ib.* 5. Non licet a Teſtatoris voluntate recedere, *ib.* 222. 6. Quid ſi de ejus voluntate dubitetur, *ib.* 223. 7. Quid ſi legatum ſit incertum, *ib.* 8.

Legem ferre poſſunt poteſtates civiles, Tom. 1. 82. 1. *& ſeq.* In quibus ſit poteſtas ferendi leges civiles, *ibid.* 83. 4. Etiam Eccleſiæ Rectoribus convenit poteſtas ferendi leges, *ib.* 5. *& ſeq.* Quibus hæc poteſtas conveniat, *ibid.* 84. 7. *& ſeq.* Limites utriuſque poteſtatis civilis & Eccleſiaſticæ, *ibid.* 85. 10. Principum etiam malorum legibus obediendum, *ib.* 87. 1. Quas leges condere poſſint Principes tum ſeculares, tum Eccleſiaſtici, *ibidem* 89. 7. Temporales Principes quomodo ſubjiciantur legibus Eccleſiæ, *ib.* 90. 9. Leges ferre poteſt Epiſcopus, *ib.* 91. 13. *& ſeq.* Quænam poteſtas conveniat ferendi leges Capitulo & Conciliis, *ib.* 14. *& ſeq.* Quænam Regularibus, *ib.* 17.

Leges quæ non obligant quænam ſint, Tom. 1. 93. 1. *& ſeq.* Non valet lex quæ ſub culpa non obligat, *ib.* 94. 4. Nec quæ obligat leviter in materia gravi, vel oppoſita, *ib.* 5. Legis tranſgreſſio ex contemptu ſemper lethale peccatum, *ibid.* 95. 8. Lex humana non obligat cum gravi periculo, *ib.* 96. 9. Aliquando tamen obligare poteſt, *ib.* 10. Quando leges Eccleſiaſticæ ſub gravi obligent, *ib.* 100. 4. *& ſeq.* Peccat qui voluntarie impedimentum apponit obſervantiæ legis, *ib.* 102. 16. *& ſeq.*

Legis veteris Sacramenta, T. 6. p. 9. 5. Quænam fuerint, *ib.* Solis Judæis neceſſaria, *ib.* 6. Quandiu ſalutaria, *ib.*

Legis novæ varia nomina, T. 1. 40. 1. Ejus definitio, *ibid.* 2. Variæ ejus excellentiæ ſupra legem veterem, *ib.* 41. 3. *& ſeq.* Alio modo indita dicitur in cordibus hominum, *ib.* 43. 1. Quotquot Sancti ſuere ad novam legem pertinere, *ib.* 2. *& ſeq.* Errores Harduini & Berujerii, *ib.* 4. Figmenta Montaniſtarum & Turcarum, *ib.* 44. 7. Duplex genus præceptorum novæ legis, *ib.* 2. *& ſeq.* Præcipit actus tum exteriores, tum interiores, *ib.* 47. 1. Quænam ſint in Evangelio præcepta, quænam conſilia, *ibid.* 4. Lex Evangelica non præcipit niſi caritatem, & damnat cupiditatem, *ibidem* 48. 7. *& ſeq.* Quomodo in hoc peccent Caſuiſtæ, *ibidem* 49. 10. Præcepta novæ legis ad uſum gratiæ pertinentia. *ib.* 1. V. *Beatitudines*. Pertinentes ad directionem interiorem morum, *ibidem* 53. 1. *& ſeq.* Alia præcepta, *ibid.* 55. 1. *& ſeq.* Nedum ad Religioſos pertinet, ſed & ad ſeculares, *ib.* 56. 2. Error, & abſurda Berujerii interpretatio, *ib.* 57. 3. *& ſeq.* Diſcrimen inter doctrinam Chriſti & Caſuiſtarum, *ib.* 59. 10.

Legis mutatio quid ſit, T. 1. 138. 1. *& ſeq.* Leges humanæ ſubſunt mutationi, *ib.* 2. Non tamen excedit a propria legis ratione, *ib.* 141. 2. Non ſine gravi cauſa mutandæ, *ib.* 139. 3. peccat qui abſque gravi motivo legem mutat, *ib.* 141. 3. Quinam poſſint legem mutare, vel abrogare, *ib.* 139. 4. *& ſeq.*

Legis interpretatio quid ſit, T. 1. 143. 1. Quotuplex, *ib.* Interpretatio doctrinalis quando locum habeat, *ibid.* 2. *& ſeq.* Lex in favorabilibus amplianda, *ib.* 144. 8. Quando extendenda ad alia, *ib.* 10. *& ſeq.* Interpretatio autentica a quo fieri poſſit, *ib.* 146. 1. *& ſeq.* Interpretatio uſualis ad quid deſerviat, *ib.* 3. Lex odioſa quomodo extendenda, *ib.* 5. Quomodo lex favorabilis, *ib.* 6. *& ſeq.* Interpretatio legis per Epichejam, *ib.* 148. 1. V. *Epicheja*.

Lenocinium graviſſimum crimen, quo modo puniendum, T. 4. 223. 15.

Lex divina poſitiva neceſſaria, Tom. 1. 52. 1. *& ſeq.* Ejus definitio, *ib.* 54. 5. Quæ præcepta ad eam pertineant, *ib.* 6. Certa eſt, *ib.* 52. 1. Legem divinam poſitivam ſequi debemus, licet videatur oppoſita legi naturali, *ibid.* 51. 2. Ex defectu ſtudii legis divinæ ortæ abſurdæ Caſuiſtarum opiniones, *ibid.* 3. Leges humanæ juſtæ ſi legi divinæ conſentiant, *ib.* 4. Humano præcepto non parendum ſi divinæ legi adverſetur, *ib.* 52. 5.

Lex æterna Dei definitur, T. 1. 7. 1. Nihil ei deficit ad veræ legis rationem, *ib.* 2. Leges omnes juſtæ ab ea derivantur, *ibid.* 1. Quo pacto, *ibidem*. Ei ſubduntur omnia creata, *ibid.* 3. Eſt prima & ſuprema regula moralis honeſtatis, *ibid.* 8. 5. Non ſunt diſtinguendæ plures leges æternæ, *ibidem* 9. 3. Complectitur & legem divinam poſitivam, *ib.* 4. Quidquid approbat bonum eſt, & quidquid reprobat malum, *ib.* 6. Hallucinatio diſtinguentium legem æternam per ſe, & per accidens, *ib.* 10. 10.

Lex Eccleſiaſtica definitur, T. 1. 72. 1. In quo cum lege civili conveniat, *ib.* 2. In quo differat, *ib.* 3. Monitum SS. Auguſtini & Thomæ, *ib.* 4. An poſſit præcipere actus internos, *ib.* V. *Canones*. Finis legis Eccleſiaſticæ, *ib.* 79. 1. Obſervandæ, quando ſiunt a Prælatis Eccleſiæ, *ib.* 2.

Lex humana civilis definitur, T. 1. 65. 1. Ejus qualitates & conditiones, *ib.* 66. 3. Quomodo derivetur a lege naturali, *ibidem* 5. Præcepta in lege civili alia communia, alia peculiaria, *ibidem* 67. 6. Quænam legis civilis materia, *ibid.* 8. Quænam ab ipſa prohibeantur, & præcipiantur, *ibidem* 9. *& ſeq.* Quomodo lex civilis conſtitui debeat, *ib.* 68. 11. Ejus objectum

ctum & finis, *ib.* 1. Non poteſt præcipere actus interiores, *ib.* 3. Eſt regula ſubordinata & dependens, *ib.* 69. 4. Non eſt menſura certiſſima, *ib.* 5. Debet eſſe poſſibilis, *ib.* 8. Probabiliſtarum ſententia rejicitur, *ibidem* 70. 10. Quando non obligat, *ib.* 11. Neceſſe non eſt ut referatur in bonum ſingulorum, *ib.* 12. Quomodo congruat Religioni, *ib.* 15. Pſeudopoliticorum doctrina impia, *ibidem* 70. 16. Lex Civilis juſta eſſe debet, *ibidem* 17. Duplex genus præceptorum legis civilis, *ibidem* 18.

Lex naturæ qualis, T. 1. 11. 1. Eſt participatio legis æternæ, *ib.* 2. Impreſſa humanæ menti, *ib.* 4. Applicata & promulgata ab ipſa ſua conditione, *ib.* 12. 5. Errant legem naturalem excludentes, *ibidem*, prout in nobis lex non eſt, *ib.* 13. 6. Legis naturæ primum & principale præceptum, *ibidem* 14. 1. Ad quid revocetur, *ibid.* 2. Ex primo & principali præcepto deducitur Deum eſſe colendum, *ibidem* 15. 1. Et diligendum, *ibid.* 2. Media ad hæc præcepta ſervanda, *ibid.* 16. 3. Alia præcepta ex primo deducta, *ibid.* 4. *& ſeq.* Alia ex juriſtis deducta rejiciuntur, *ibid.* 17. 9. Limitatio Salmaſii rejicitur, *ib.* 10.

Lex naturalis eſt univerſalis, T. 1. 17. 1. Quo modo eadem apud omnes, *ib.* 2. Nullus ab ejus obligatione exemptus, *ibid.* 18. 4. Non poteſt aboleri a corde, *ib.* 1. Deletur quoad applicationem ad opera particularia, *ib.* 19. 1. Falſum inter arma ſilere leges, *ib.* 5. Eſt immutabilis, *ibid.* 1. Quomodo mutatio improprie dicta illi convenire poſſit, *ib.* 20. 5. In quibus præceptis illa mutatio convenire poſſit, *ib.* 7. *& ſeq.* Quænam præcepta legis naturalis deſinere poſſint ob materiæ mutationem, *ibid.* 22. 9. Lex naturalis eſt certa, *ib.* 23. 1. Quomodo aliqua ad ipſam pertinentia ſint incerta, *ibidem* 3. Hobeſii ſententia refellitur, *ibidem* 24. 1. Falſum res morales non eſſe demonſtrationis capaces, *ibidem* 3. Unde oriatur diſſenſio de honeſtate eorum, quæ ad legem naturæ ſpectant, *ibid.* 5. Æquivocatio Probabiliſtarum diſſipatur, *ibidem* 25. 8. Clara eſt lex naturæ, *ibidem* 26. 1. Quare aliqui hanc claritatem non videant, *ibidem* 3. *& ſeq.* Legi naturæ repugnet ſequi opinionem minus probabilem, *ib.* 28. 5.

Lex vetus bona fuit & utilis, Tom. 1. 32. 1. Et perfecta etiam, ſpectata temporis conditione, *ibid.* 33. 2. Ejus indoles & natura, *ibid.* 3. Per Angelos data Judæis ſolis, *ibid.* 4. Ejus præceptorum diſtinctio, *ib.* 34. 5. Moralia præcepta continentur in Decalogo, *ib.* 7. Præcepta ceremonialia quo ſenſu poſitiva, *ib.* 35. 9. Ipſorum diviſio, *ib.* 10. Præcepta judicialia quadruplicis generis, *ibid.* 37. 16. Quomodo obligare deſierint, *ib.* 18. Qualis ſit diviſio legis in veterem & novam, *ib.* 38. 1. Vetus non juſtificabat, *ib.* 2. Urgebat per minas & promiſſiones temporales, *ib.* 3. Præceptorum ceremonialium duplex finis, *ib.* 39. 7.

Lex ut obliget eſt promulganda, Tom. 1. 103. 1. *&* 106. 2. Quid ad promulgationem ſufficiat, *ib.* 107. 2. Ubi ſit promulganda, *ib.* 3. *& ſeq.* Num ſufficiat promulgatio Romæ facta, *ib.* 108. 8. *& ſeq.* Lex promulgata etiam eam ignorantes obligat, *ib.* 107. 4. V. *Obligatio*. Quinam legibus humanis ſubdantur, *ib.* 111. 4. *& ſeq.* Quando Peregrini & Vagi teneantur legibus locorum, *ib.* 115. 13. *& ſeq.* Peccant qui data opera a proprio territorio diſcedunt, ut legem effugiant, *ib.* 116. 15. Perfectos & juſtos homines legibus non ſubdi affirmare hæreticum eſt, *ib.* 118. 6. Legislator tenetur legibus ſuis, *ibidem* 113. 8. Et Generales Ordinum Regularium Legibus Ordinis, *ibidem* 119. 9. Falſa doctrina de exemptione Clericorum a poteſtate ſeculari, *ib.* 10. *& ſeq.*

Lex pœnalis quænam & quotuplex, Tom. 1. 122. 1. Quando Lex pœnalis obliget in conſcientia, *ib.* 2. Falſa Navarri & Salmanticenſium doctrina, *ibidem* 127. 1. *& ſeq.* Quando pœna incurritur, *ibidem* 123. 7. Quando ignorantia excuſet a pœna, *ib.* 128. 6. Vide *Pœna*.

Lex irritans duplex, Tom. 1. 124. 8. Irritatio aliquando habet rationem pœnæ, *ib.* 10. Unde dignoſci queat, num actus qui irritatur ſimul prohibeatur, *ib.* 11. *& ſeq.* Ignorantia, & metus non tollunt irritationem, *ib.* 125. 13.

Lex tributorum, T. 1. 125. 14. V. *Tributum*.

Lex dubia, T. 1. 132. 1. Dubium promulgationis, *ib.* 133. 3. Dubium num ſit uſu recepta, *ib.* 4. Num legislator ſit legitimus ſuperior, *ib.* 5. Dubium de juſtitia legis, *ib.* 134. 7. Num præceptum vel conſilium contineat, *ib.* 8. An adſit ſufficiens cauſa excuſans a lege, *ib.* 9. An legem impleverim, *ib.* 10. Alia dubia, *ib.* 11. *& ſeq.*

Lex humana ceſſat pluribus modis, T. 1. 157. 1. Ceſſante fine, *ib.* V. *Finis*.

Lex humana ſubeſt diſpenſationi, Tom. 1. 161. 1. Quid ſit diſpenſatio, *ibid.* *& ſeq.* Diſpenſationis diviſio, *ib.* 162. 3. Regulæ in diſpenſatione obſervandæ, *ib.* 4. *& ſeq.* Quænam juſta diſpenſatio, *ibid.* 166. 13. Quænam invalidæ Diſpenſationes, *ib.* 167. 14. *& ſeq.* V. *Diſpenſatio*. Lex tollitur privilegio, *ib.* 176. 1. V. *Privilegium*. Et contraria conſuetudine, *ib.* 186. 1. V. *Conſuetudo*.

Lex definitur ex S. Th. T. 1. 1. 1. Ejus notio explicatur, *ib.* 2. Eſt ordinatio rationis practicæ, *ib.* 3. In bonum communitatis, *ibidem* 4. Ejus diſcrimen a præcepto, *ibidem* 6. Debet eſſe promulgata, *ibidem* 7. Conſtat propoſitionibus univerſalibus practicis, *ibidem* 3. 3. Lex permiſſiva quos obliget, *ib.* 4. 6. Eſſe debet lex juſta & honeſta, *ib.* 7. Ex ſe firma & perpetua eſt, *ib.* 10. promulgata ſubditos obligat, *ib.* 5. 11.

Libellus famoſus, T. 4. 290. 21. Onera Libellum famoſum edentes, *ib.* 322. 5.

Libertas arbitrii admittenda, Tom. 2. 31. 1. Ejus radix proxima, *ib.* 32. 2. Non conſiſtit in ſola immunitate a coactione, *ib.* 3. Non eſt illi infenſa phyſica præmotio, *ib.* 4. Libertatem oppugnantes hoſtes ſunt Religionis, & Politiæ, *ib.* 35. 1. Non fuit extincta in Adamo, *ib.* 2. Reprobanda propoſitio Janſenii, *ib.* 36. 3. Qualis libertas ſit in homine ponenda, *ib.* 4. Effulget in Mediorum electione, *ib.* 7. Libertas convenit in electione ſtatus, T. 4. 147. 8. *&* T. 7. 284. 5.

Ligamen dirimit Matrimonium, T. 7. 340. 1. Certa ſit oportet mors conjugis ad Matrimonium celebrandum, *ib.* 2. Celebratum bona fide, ſi prior conjux appareat, diſſolvendum, *ib.* 3.

Locatio definitur, T. 5. 82. 1. Locationis materia, *ib.* 84. 1. Quando finem habeat, *ib.* 86. 8.

Locatoris onera & officia, T. 5. 82. 2. *& ſeq.* Tenetur vitia locatæ rei pandere, *ib.* 83. 4. Tributa ſolvere, *ib.* 5. Quando ſtatutam penſionem remittere, *ibidem* 6. Qui operam ſuam locat ad quid teneatur,

ibid. 8. & 86. 6. An poſſit operam ſuam pluribus locare, *ibidem* 7. Locator tenetur de culpa levi, *ibidem* 85. 3.

Lotariæ ludus quid ſit, T. 5. 109. 17. Num culpa vacet, *ib.* Quid requiritur ne ſit iniquus, *ib.* 118. 8.

Ludus quo pacto accipiatur, T. 2. 132. 8. Moderatus licitus, *ibid.* 9. Conditiones requiſitæ ut licitus ſit, *ibid.* 10. Quinam exceſſus in ludo, *ibid.* Peccant qui ob lucrum ludunt, *ibid.* 134. 13. etiam moderatum, *ib.*

Ludus definitur, T. 5. 103. 2. Triplex eſt, *ibid.* 1. Lucri cauſa illiberalis eſt ludus, *ib.* 3. Ludi alii mere artis, alii ſolius ſorti, alii mixti, *ib.* 4. Ludi induſtriæ liciti, *ib.* 104. 5. Aleatorii illiciti, *ibid.* 6. Imo quandoque peſſimi, *ib.* 8. & *ſeq.* Ipſi liberales ludi injuſti, ſi non adſit æqualitas, *ib.* 111. 19. & 116. 4. Quando in ludo juſtitia violetur, *ib.* 111. 20. & *ſeq.* Quando victor ad reſtitutionem teneatur, *ib.* 112. 22. An retineri poſſit lucrum ex ludo aleatorio, *ib.* 113. 23. Principum leges aleas vetantes non ſunt contraria conſuetudine abrogatæ, *ib.* 124. 24. Peccat qui ludo etiam liberali magnam pecuniæ quantitatem exponit, *ib.* Aleatores non ſunt abſolvendi niſi deſiſtant, *ib.* Ludus turpis. V. *Chorea. Spectacula.*

M

Magia definitur, T. 3. 275. 1. Quomodo Magica queant dignoſci, *ib.* 2. Salutatores inter Magos habendi, *ib.* 3. Et Enſalmatores, *ibid.* 4. Faſcinatio operatio magica, *ib.* 276. 5. Sagæ, Lamiæ, Strigæ inter Magos habendæ, *ibid.* 277. 11. Pœnæ in eos latæ, *ib.* 13. Lucrum ex Magia num retinere liceat, *ib.* 282. 10. Num uti ſciéntia per Magiam acquiſita, *ib.* 281. 7.

Magiſtri officia, Tom. 4. 164. 3. Munere ſuo non ſatisfaciunt ſi non ſint & de morum probitate ſolliciti, *ib.* 166. 3.

Magnanimitas definitur, T. 2. 117. 11. Ei contraria vitia explicantur, *ib.*

Magnificentia definitur, ejus contraria vitia explicantur, T. 2. 118. 12.

Maledictio quid ſit, Tom. 4. 303. 16. Quando ſit lethale peccatum, *ib.* 17. Non excuſantur ex habitu maledicentes, *ib.* 303. 18. Quando rationem habet contumeliæ, *ibidem* 304. 19. Quando peccatum ſit maledicere creaturis irrationabilibus, *ib.* 21. Unde ſpeciem peccati deſumat, *ib.* 310. 11. Quænam in confeſſione aperienda, *ib.* 311. 12.

Maleficium quid ſit, T. 3. 276. 6. Triplex, *ibidem* 7. Dantur maleficia, *ib.* 277. 9. Remedia adhibenda, *ib.* 8. Non licet maleficium maleficio tollere, *ibid.* 10. Nec per ritus vanos, *ib.* 279. 6. Nec a Dæmone petere ut maleficium tollat, *ib.* 278. 2. Nec ponere ſigna a Dæmonio præſtituta ad tollendum maleficium, *ib.* 281. 8. Nec verberibus Magum cogere ad tollendum maleficium, *ib.* 9.

Malum alicui optare quando liceat, T. 4. 304. 22.

Mandans nocumentum alterius tenetur omnia damna reparare, T. 5. 261. 9. & *ſeq.* Niſi revocet mandatum ante executionem, *ibidem* 11. Quid ſi Mandatarius præſtitutos limites excedat, *ibidem* 264. 2. Qui damnum alterius ratum habet non tenetur ad reſtitutionem, *ib.* 3. Quid de illo qui alterum rogat ut damnum inferat, *ib.* 1. Mandantis quænam obligationes, 261. 9. & *ſeq.*

Mandatarius ejus onera & munia, T. 5. 163. 3. Mandati formam præterire non debet, *ib.* 167. 1. Mandatarii gratuitum eſt officium, *ib.* 2.

Mandatum contractus ſpecies, quid ſit, T. 5. 163. 1. Quando finem habeat, *ib.* 164. 4.

Manſuetudo quid ſit, T. 2. 129. 12.

Manum impoſitio in Confirmatione eſſentialis, To. 6. 116. 3. & *ſeq.* Non eſt neceſſaria in Sacramento Pœnitentiæ, T. 7. 11. 6. Non tamen omittenda, *ibid.* In Diaconatu omnino neceſſaria, *ibidem* 242. 3. Sicut & in Presbyteratu, *ib.* 243. 2. Et Epiſcopatu, *ib.* 246. 12.

Martyres non ſunt morientes in bello contra infideles, T. 2. 120. 2. Non omnis reſiſtentia palmam Martyrii eripit, *ib.* 3. Martyres non ſunt qui moriuntur inſervientes peſtilentia afflictis, *ib.* 121. 5.

Martyrium præſtantiſſimus fortitudinis actus, T. 2. 115. 5. Aliæ virtutes in eo emicant, *ib.* 6. Martyrii conditiones, *ib.* 7. Plures ejus gradus, *ib.* 116. 8. Perficitur paſſionis tolerantia, *ib.* 9. Omnia virtutum opera poſſunt eſſe Martyrii cauſa, *ib.* 120. 1. Martyria minus proprie quænam ſint, *ib.* 121. 4. Juſtificationem affert ex opere operato, T. 6. 95. 2. Supplet etiam in infantibus Baptiſmum, *ib.* 1.

Mater lactare debet filios ſuos, T. 4. 140. 5. & *ſeq.*

Materia Sacramentorum qualis, T. 6. 37. 2. Eſt pars intrinſeca Sacramenti, *ib.* 39. 2. Quomodo applicanda, *ib.* 40. 3. Ejus mutationes, *ib.* 42. 12. Non eſt adhibenda materia dubia, *ib.* 45. 4. Baptiſmi materia remota, *ib.* 63. 1. V. *Singula Sacramenta.*

Matrimonium definitur, T. 7. 275. 3. Cauſæ illud conſtituentes, *ib.* 4. Triplex diviſio, *ib.* 276. 5. Nullum de eo præceptum, *ib.* 6. Ut Sacramentum definitur, *ib.* 1. Ejus materia, forma, & Miniſter, *ib.* 277. 7. Quo fine celebrandum, *ib.* 281. 3. Copula carnalis ad ejus eſſentiam non requiritur, *ibid.* 4. Conditio tamen prævia eam excludens nullum reddit, *ib.* 282. 5. Celebratum ante pubertatem nullum, *ibidem* 283. 2. Inter abſentes per Procuratorem licitum, & validum eſt, *ibidem* 3. Procuratoris conditiones, *ibidem* 285. 1. Quando licitum inter Catholicos & Hæreticos, *ibidem* 3. Conſenſus in eo eſſe debet verum, *ibidem* 2. Illum apponere tenentur ficte contrahentes, *ibidem* 3. Exterioribus ſignis manifeſtatus, *ibidem* 287. 6. Et moraliter præſens, *ibidem* 288. 1. Ex metu quando nullum, *ib.* 287. 7. Graviter peccant qui ad Matrimonium cogunt, *ibidem* 289. 6. Conditionatum quando validum, *ib.* 1. Sub conditione non celebratur in facie Eccleſiæ, *ibidem* 2. Quando conditiones de re impoſſibili illud reddant nullum, *ib.* 291. 4. Quando conditio ſit contraria perpetuitati Matrimonii, *ib.* 292. 5. Matrimonio convenit unitas, *ibid.* 293. 4. V. *Polygamia.* Conſummatum eſt indiſſolubile, *ib.* 295. 13. Ratum vero diſſolvi poteſt, *ibid.* 14. Per ingreſſum in Religionem, *ib.* Num per Pontificis diſpenſationem, *ib.* 299. 6. Non vero Voto Caſtitatis, *ib.* 298. 4. Vel ſuſceptione Ordinis, *ib.* Nec ob adulterium, *ib.* 297. 3. Quando per converſionem ad fidem, *ib.* 299. 7. Matrimonii uſus honeſtus & licitus, *ibid.* 296. 17. Non tamen ſolius voluptatis gratia, *ib.* 302. 15. Vel ad ſedandam concupiſcentiam, *ib.* 303. 16. Vel ad ſanitatem obtinendam, *ib.* 17. & T. 2. 53. 20. In eo confertur

gratia ſanctificans, *ib.* 296. 19. Et alia propria Sacramenti, *ib.* 20. Hujus gratiæ munia & beneficia, *ib.* 21. Matrimonio opponitur Repudium, *ib.* 303. 1. V. *Repudium*. Matrimonio præmittendæ Denunciationes, *ibid.* 315. 2. Quinam in illis diſpenſare poſſit, *ib.* 3. Peccant celebrantes Matrimonium cum aliquo impedimento, *ib.* 4. Et in peccato, *ibid.* 5. Matrimonia infidelium in gradibus prohibitis non ſunt dirimenda, *ib.* 334. 2. Matrimonium privigni cum noverca validum, *ib.* 336. 2. Aliquando diremptum ſententia Eccleſiæ eſt inſtaurandum, *ibid.* 343. 3. Non facile præſumendo maleficio ejus uſum impediri, *ibidem* 4. In dubio de ejus validitate eſt in ejus favorem judicandum, *ibid.* 344. 5. Quænam illud vel impediunt, vel dirimunt, *ibid.* 354. 1. & *ſeq.* V. *Impedimentum*.

Medici quando rei ſint procurati abortus, To. 4. 203. 2. Quando homicidii indirecti, *ib.*

Mendacium definitur, T. 4. 305. 25. Nunquam licitum, *ib.* 26. & 311. 13. Falluntur qui aliquando culpa vacare docent, *ib.* Triplex Mendacium, *ib.* 306. 27. Quando ſit grave peccatum, *ibidem* 28. Quando ſolum veniale, *ib.* 29. Mentiri in Confeſſione quando ſit grave peccatum, *ib.* 311. 14. & T. 7. 51. 2. & *ſeq.* Ad mendacium pertinet ſimulatio, adulatio, jactantia, & hypocriſis, T. 4. 312. 15.

Meretrix gravis criminis rea, Tom. 4. 222. 10. Quomodo cum illa ſe gerere debeat Confeſſarius, *ib.* 11. & *ſeq.*

Metus definitur, T. 2. 20. 4. Dividitur, *ib.* Quæ fiunt ex metu ſunt mixta ex voluntario, & involuntario, *ibid.* 5. Diſcrimen inter vim & metum, *ibidem* 22. 10. Non eodem modo vis & metus involuntarium cauſant, *ib.* 11. Quomodo facta ex metu & voluntaria ſint & involuntaria, *ibidem* 12. Non excuſat metus in iis quæ ex ſe mala ſunt, *ib.* 21. 6. In contractibus qualis ſit & quotuplex, Tom. 5. 10. 7. Metus naturalis non irritat contractum, *ib.* 11. 8. Dummodo non deſit conſenſus, *ibidem* 9. Sicut nec metus ab extrinſeco injuſte incuſſus, *ib.* 9. 10. Poſſunt tamen in irritum revocari, *ibidem* 9. & *p.* 15. 9. Licet metus fuerit a tertia perſona incuſſus, *ibidem* 10. Jure poſitivo non ſunt irriti, ſed irritandi, *ib.* 11. 11. Nonnulli excipiuntur, *ibid.* Metus gravis juſte incuſſus non infirmat contractum, *ib.* 9. 12. & 15. 10. Metus levis quomodo infirmet contractus, *ib.* 12. 15. Quomodo reverentialis, *ib.* 16. Preces importunæ quomodo obſint valori contractus, *ib.* 13. 17. Quando dirimat Matrimonium, T. 7. 340. 4. V. *Vis*.

Miles pugnare poteſt pro ſuo Principe quando ſibi non conſtat de injuſtitia belli, Tom. 4. 174. 10. Peccare poteſt pugnando in bello etiam juſto, *ibid.* 11. Ejus obligationes, *ib.*

Mimi ſunt in ſtatu perverſo, nec poſſunt abſolvi niſi artem deſerant, T. 5. 129. 5.

Miniſter Sacramentorum quiſnam, T. 6. 14. 1. Eſt vera cauſa ipſorum, *ib.* 15. 3. Non officit ejus improbitas, *ib.* 5. Miniſtrorum diſtinctio, *ib.* 18. 1. Peccant ſi indigne miniſtrent, *ib.* 15. 6. Et indignis, *ib.* 17. 9. Miniſter Baptiſmi præcipuus Epiſcopus, *ib.* 76. 1. Et Sacerdos, *ib.* 77. 2. Aliquando & Diaconus, *ib.* 3. In neceſſitate quilibet, *ib.* 4. Improbitas Miniſtri efficaciam non impedit Baptiſmi, *ib.* 110. 6. V. *in ſingulis Sacramentis*.

Miſſa audienda de præcepto, Tom. 5. 316. 1. A quibus, *ib.* 2. Integra, *ib.* 3. Qui in hoc peccent, *ib.* 317. 4. Quomodo audienda, 319. 1. & *ſeq.* Ubi audienda, *ib.* 323. 1. Quinam ab hoc præcepto diſpenſentur, 328. 1. & *ſeq.*

Miſſa verum Sacrificium, T. 6. 214. 9. Privata licita, *ibid.* 224. 3. Miſſæ quando præmittenda Confeſſio, *ibid.* 4. Jejunium præmittendum, *ibidem* 225. 13. Neomyſta non jejunus non valet primum ſacrum celebrare, *ib.* 7. Non licet celebrare ſtatim poſt commiſſum peccatum, *ib.* 8. Effectus Miſſæ, *ibid.* 227. 1. & *ſeq.* Ejus valor, *ibidem* 5. Fructus triplex, *ib.* 228. 7. V. *Sacrificium*. Miſſa pro defunctis quo ritu dicenda, *ibid.* 231. 6. Licet eleemoſynam pro ea accipere, *ibidem* 236. 1. A quibus taxanda congrua eleemoſyna, *ibidem* 238. 6. Nonniſi ſemel in die celebranda, *ibid.* 250. 1. Quando plures liceat, *ib.* 2. & *ſeq.* & *p.* 254. 2. & *ſeq.* Quando vetita celebratio *ibid.* 251. 4. Qua hora celebranda, *ibid.* 5. Quo idiomate, *ibidem* 252. 8. Veſtes & alia ad eam celebrandam neceſſaria, *ibidem* 9. & *ſeq.* Non licet abrumpere, *ibidem* 255. 6. Nec ſine Miſſali celebrare, *ibidem* 257. 8. Miſſæ partes præcipue quænam, *ibidem* 257. 1. Qualis culpa illarum omiſſio, *ibidem* 2. Matutini recitatio Miſſæ præmittenda, *ibid.* 258. 5. Rubricæ Ritus & Ceremoniæ ſervandæ, *ibid.* 3. & *ſeq.* Devote celebranda, *ib.* 260. 10. & *ſeq.* Miſſa pro ſponſo tempore vetito non celebranda, *ib.* 250. 3. Plures Miſſæ uno tempore audiri nequeunt, To. 1. 102. 14.

Modeſtia definitur, T. 2. 129. 13.

Mollities peccatum lethale, T. 4. 239. 1. Jure naturæ vetita, *ib.* 240. 2. & *ſeq.* Nec ad vitam ſervandam licita, *ib.* 4. Quando poſſit eſſe ſine peccato, *ibid.* 5. Quando malitiam induit alterius peccati, *ibid.* 6. Quando ſit volita in cauſa, *ib.* 241. 7. Regulæ ad hoc plures, *ibid.* 8. & *ſeq.* Nonnullæ Caſuiſtarum opiniones rejectæ, *ib.* 245. 1. & *ſeq.*

Moneta pretioſa mutari non poteſt in deteriores per Miniſtros, T. 5. 70. 2. Quando nec privatis liceat, *ibidem* 71. 3.

Monialium dos quomodo licita, T. 3. 317. 8. In earum receptione quænam illicita, *ib.* 318. 2. Nec propinæ Monialibus dandæ, *ib.* 319. 4. Nec uberiorem exigere dotem ob aliquem puellæ defectum, *ib.* 5. Nec prandia, munera, jocalia, *ib.* 6.

Monomachia, T. 4. 207. 11. V. *Duellum*.

Monſtra quando Baptiſmi inepta, Tom. 6. 84. 6.

Montes pietatis alii puri, alii mixti, T. 5. 197. 9. Conditiones Montis puri, *ib.* Et mixti, *ibid.* Quando liceat in ipſis pecunias deponere, *ibidem*.

Mora in Contractibus quænam ſit, T. 5. 34. 1. Quæ conditiones requirantur ad eam *ib.* 35. 2. & *ſeq.* Quomodo purgetur, *ib.* 5. Ad quid teneatur moroſus debitor, *ib.* 39. 2. & *ſeq.*

Mortui Baptiſmi incapaces, T. 6. 90. 10.

Mulier quando cogi poteſt ad Religionis ingreſſum, T. 4. 148. 11. Non licet illi aſſumere veſtem virilem, T. 5. 133. 8. Reſtituere debet pretium turpitudinis, *ib.* 248. 3. & 5.

Murmuratio quale peccatum, T. 4. 305. 24.

Mutilatio vetita præcepto non occides, Tom. 4. 203. 1. Non licet pueros evirare, *ib.* 203. 1.

Mutuum quid ſit, T. 5. 169. 2. Debet eſſe gratuitum, *ib.* 3. Qui dare mutuum poſſint, *ib.* Mutuantis & Mutuatarii officia, *ib.* 172. 12. Quid reſtituendum ratione accepti mutui, *ib.* 178. 10. Quid obſervandum in reſtitutione pecuniæ, *ib.* 11. Aliquando non peccat qui mutuum petit ſub uſuris, *ib.* 179. 12.

N

Neceſſitas proximi triplex, Tom. 3. 128. *6.* & To. 4. 265. 1. In communi neceſſitate non licet aliena ſurripere, *ibid.* 2. Nec in gravi, *ibid.* 3. S. Thomæ Doctrina declaratur, *ib.* 170. 2. In extrema quantum liceat accipere, *ib.* 266. 4. Rei acceptæ in extrema neceſſitate non ſemper dominium acquiritur, *ibidem* 267. 7. Quinam dicendi in extrema neceſſitate, *ib.* 266. 5. & *ſeq.* Res furto ablata, licet in extrema neceſſitate conſumpta, eſt reſtituenda, *ib.* 270. 1. In qua neceſſitate urgeat præceptum eleemoſynæ, T. 3. 130. 3. V. *Eleemoſyna*.

Negotiatio triplex, Tom. 4. 361. 10. Lucrativa quomodo exerceatur, *ibidem* 362. 11. Quam ſit periculoſa, *ibid.* 12. & *ſeq.* Quid præ oculis habere debeant Mercatorum Confeſſarii, *ibidem* 14. & 368. *6.* Eſt Eccleſiaſticis vetita, *ibid.* 10. & *ſeq.* Et etiam mixta, *ibidem* 364. 19. Non vero œconomica, *ibid.* 20. & 370. 11. Lucrativa negotiatio vetita etiam Clericis in Minoribus tantum conſtitutis, *ibid.* 368. 7. Pœnæ in Clericos negotiatores, *ibid.* 8. Clericis nec per alios negotiari licet, *ibidem* 369. 9. Quando peccent lethaliter negotiando, *ibidem* 10. Quomodo illis conceſſum opificium, *ibidem* 370. 12. Quæ artes & opificia ſint Eccleſiaſticis interdicta, *ibid.* 371. 13. Licita Clericis negotiatio urgente neceſſitate, *ib.* 14.

Nuptiæ ſecundæ & ulteriores licitæ, T. 7. 282. 7. Solemnitates nuptiarum quando interdictæ, *ib.* 324. 1. Ad ipſas ſolemnitates ſpectat conſummatio Matrimonii, *ib.* 225. 2.

O

Oblatio definitur, T. 5. 445. 5. Oblationum uſus, *ib.* 6. Obligatio, *ib.* 7. & *ſeq.* De quibus facienda, *ibid.* 446. 9. Quibus debeatur, *ib.* 10. & *ſeq.* Quænam ſint in præcepto, *ibidem*. Ad quos ſpectent, *ibidem* 447. 4.

Oblatio Euchariſtiæ, Tom. 6. 212. 2. V. *Euchariſtia*, *Sacrificium*.

Obſervantia vana ſuperſtitionis ſpecies, Tom. 3. 267. 6. Ejus definitio, *ib.* 270. 8. Quando habeatur, *ib.* 9. & *ſeq.* & 271. 10.

Occaſio peccandi exponitur, Tom. 2. 326. 1. Ejus diviſio, *ibid.* 2. Notiones occaſionis proximæ datæ a Caſuiſtis, *ibidem* 327. 4. Refutantur, *ib.* 5. Vera notio exhibetur, *ib.* 328. 6. Quæ ſequuntur conſectaria, *ibid.* 7. & *ſeq.* Quæ remedia adhibenda, *ib.* 9. Caſuiſtarum Doctrinæ, *ib.* 10. & *ſeq.* Corolaria deducta, *ibidem* 331. 15. D. Thomæ doctrina exponitur, *ibid.* 332. 16. Occaſio proxima male expoſita a Liguorio, Tom. 7. 132. 6. Alia occaſio proxima dicitur *per ſe* ſtans, *ib.* Neganda abſolutio conſtitutis in occaſione proxima voluntaria, *ibidem* 132. 6. Quinam ſint in occaſione proxima, *ibidem*. Abrumpenda etiam cum diſcrimine vitæ, famæ, & bonorum, *ib.*

Occupatio definitur, Tom. 4. 349. 1. Quo ſenſu occupata dicantur omnia, *ib.* 2. Animalia domeſtica occupationi minime obnoxia, *ibid.* 3. At vero ſylveſtria, *ibid.* 350. 4. & *ſeq.* Quando & hæc occupari non poſſint, *ib.* 5. Columbas ad ſe trahere fraude non licet, *ib.* 6.

Officium Divinum definitur, Tom. 3. 188. 2. Quibus conſtet partibus, *ibidem* 3. Onus illud recitandi, *ib.* 189. 1. Quinam obligentur, *ib.* 2. Quinam publice & in choro, *ib.* 4. Quando inutiliter recitatur, *ib.* 3. Quo ritu recitandum, *ib.* 190. 7. Integre, *ib.* 9. Clare & diſtincte, *ib.* 10. Quot eſſe debent Religioſi in Choro, *ib.* 191. 11. Superiores quando a Choro diſpenſare poſſint, *ib.* 1. Cantus minime vetitus, *ib.* 2. Beneficiarius quo ritu Officium recitare debeat, *ib.* 192. 4. & *ſeq.* V. *Beneficiatus*. Quinam ad privatam recitationem obſtricti, *ib.* 195. 1. & *ſeq.* Regulares etiam extra Conventum morantes, *ib.* 196. 1. Devote recitandum, *ib.* 201. 1. Attentio requiſita, *ib.* 2. & *ſeq.* Ritus ſervandus, *ibid.* 203. 7. & *ſeq.* Quotidie & integre recitandum, *ib.* 9. Non licet officium pro officio recitare, *ibidem* 10. Nec ordinem invertere, *ibid.* 11. Voce recitare non mente ſola, *ib.* 204. 12. Congruo tempore, *ib.* 13. Quinam hoc præceptum non impleant, *ib.* 205. 1. & *ſeq.* Qui dubitant num recitaverint recitare tenentur, *ib.* 206. 5. Qui unam horam omittit graviter peccat, *ib.* 207. 9. Et qui Officio addita omittit, *ibid.* 10. Licet cum ſocio recitare, *ibidem* 11. Non tamen intervertere, vel interrumpere, *ibidem* 208. 13. & *ſeq.* Excuſat a recitatione impotentia phyſica, *ibidem* 209. 2. Et ægritudo, *ibidem* 3. Quandoque oblivio, *ib.* 210. 4. Carentia Breviarii, *ibidem* 5. Quando Cenſura, *ibidem* 6. Quando Conciones habendæ, *ibidem* 7. Vel Confeſſiones excipiendæ, *ibidem* 8. Qui totum non poteſt ad partem tenetur, *ibidem* 10. Qui ſolus non valet ſocium adhibeat, *ibidem* 211. 11. Aliquando tempus præveniendum, *ibidem* 12. Cœcutientes ad quid teneantur, *ibidem* 1. Qui Breviario carent, *ib.* 212. 2. Qui grave damnum timent, *ib.* 4. Ordinati etiam per vim & metum tenentur Officium perſolvere, *ib.* 5. Privilegia a recitatione Officii ſtricte intelligenda, nec dilatanda, *ib.* 213. 8. & *ſeq.*

Oleum Sanctum, T. 7. 201. 1. V. *Extrema Unctio*.

Opera mortificata per Pœnitentiam reviviſcunt, T. 7. *p.* 4. *n.* 8. Pro ſatisfactione debent eſſe pœnalia, *ib.* 76. 1. Quænam ſint, *ib.* 2. & *ſeq.*

Opera ſervilia triplicis generis, T. 4. 114. 2. Ordinata ad divinum cultum non prohibita die Feſto, *ib.* 3. Inter ea peccatum mortale enumerandum, *ib.* 115. 4. & *ſeq.* Choreæ, ſpectacula, Theatra ſanctificationi diei contraria, *ib.* 13. & *ſeq.* Alia opera diebus feſtis vetita, *ib.* 120. 1. Barbam radere quando licitum, *ib.* 121. 5. Non licet tranſcribere, nec characteres typographos componere, *ib.* 122. 6. Cauſæ licita reddentes opera ſervilia diebus feſtis, *ib.* 124. 11. & *ſeq.* Mercatus nundinæ quomodo permiſſæ diebus feſtis, *ib.* 125. 13. Brevitas temporis a gravi culpa excuſat, *ib.* 15. Et diſpenſatio totaliter, *ib.* 126. 16.

Oratio definitur, Tom. 3. 179. 6. Duplex, *ib.* 7. Eſt in præcepto, *ib.* 8. Quando obligat, *ib.* 182. 6. Oratio publica in Choro, *ib.* 188. 1. V. *Officium Divinum*.

Oratoria publica quænam, Tom. 5. 324. 3. & *ſeq.* Quænam privata, *ib.* 4. Quinam in iſtis celebrare poſſint, *ib.* 327. 6. Oratorium domeſticum ab Epi-

copo concedi non poteſt, T. *6.* 244. 5. Quinam poſſint jubere Miſſam celebrandam, *ib.* 245. *6.* Quomodo conſtruendum, *ib.* 7. Viſitandum, *ib.* 8. Nonniſi unica Miſſa celebranda, *ib.* *9.* Quinam intereſſe poſſint, *ib.* 246. 11. Oratoria publica eſſe debent benedicta, *ib.* 1. A quo, *ib.* 248. 4.

Ordines recta ſerie ſuſcipiendi, T. 7. 224. 7. Dimiſſoriæ quando neceſſariæ, *ib.* 8. Aliæ conditiones, *ib.* 224. 1. & *ſeq.* Intentio recipiendi Ordines, *ib.* 2. Quo tempore conferendi, *ibid.* 226. 1. Debent conferri in Miſſa, *ib.* 2. Ab ipſo Ordinante celebranda, *ib.* 3. Interſtitia ſervanda, *ib.* 226. 4. Et tempora conſtituta, *ibid.* 227. 5. Regulares extra tempora poſſunt Ordines ſuſcipere, *ib.* 5. Ab interſtitiis Epiſcopi diſpenſare poſſunt, *ib.* 228. 1. Non licet Minores Ordines & Subdiaconatum eodem die conferre, *ib.* 2. Nec duos Majores, *ib.* 229. 3. Ordinis Sacramentum confert gratiam, *ib.* 1. Imprimit Characterem, *ibidem* 230. 3. Ordinum minorum inſtitutio antiquiſſima, *ibidem* 234. 5. Ordinum Minorum materia & forma, *ibidem* 6. Subdiaconatus, *ib.* 236. 2. Diaconatus, *ib.* 242. 3. Presbyterii, *ib.* 243. 2. Ordo Sacer quando dirimat Matrimonium, *ib.* 330. 5. Quomodo in hoc impedimento diſpenſet Eccleſia, *ib.* *6.*

Ordo definitur, T. 7. 215. 3. Eſt verum Sacramentum, *ib.* 216. 5. Unum tantum, *ib.* 8. A Chriſto inſtitutum, *ibidem* 4. Ordinum numerus, *ibidem* 217. *9.* Presbyteratus certe Sacramentum, *ibid.* 1. Diaconatus quoque proxime ad fidem, *ib.* 2. Cæteri Ordines num ſint Sacramenta, *ib.* 3. Tonſura non eſt Ordo, *ibidem* 4. Epiſcopatus eſt Ordo, *ibid.* Ordinis Miniſter Epiſcopus, *ibid.* 218. 1. Alii quoque poſſunt aliquos Ordines conferre, *ib.* 219. 8. Quid poſſint Abbates, *ibid.* *9.* Materia Ordinis manus impoſitio, *ibid.* 221. 1. Et inſtrumentorum porrectio, *ibidem* 2. Quænam pro minoribus Ordinibus, *ibid.* 5. Contactus phyſicus materiæ neceſſarius, *ibidem* 222. *6.* Quinam idoneum Ordinum ſubjectum, *ibidem* 1. Eſſe debet baptizatum, *ibidem*. Confirmatum, *ibidem* 2. Rationis uſum habentem, *ibidem* 3. Non invitum, *ibidem* 223. 5. In gratia conſtitutum, *ibid.* *6.*

Ornatus mulierum vanus, & ſuperfluus quinam, Tom. 2. 135. 17. Sancti Thomæ Doctrina, *ib.* 18. Grave quandoque peccatum, *ib.* 19. Extrema laxitatis & rigoris in hac re vitanda, *ib.* 20. S. Antonini Doctrina, *ib.* Provocans ad libidinem grave peccatum eſt, *ib.* 139. 12. Et quando grave affert familiæ incommodum, *ib.* 13.

Oſtiariatus unus ex Minoribus Ordinibus, To. 7. 234. 4. Ejus materia & forma, *ib.* Oſtiarii Officia, *ib.*

P

Pactum retrovenditionis quid ſit, T. 5. 54. 2. In favorem ſolius vendentis licitum, *ib.* 55. 3. Conditiones ſervandæ, *ibidem* 4. Illicitum in favorem ſolius ementis, *ib.* 5. Et in favorem utriuſque, *ibid.* 56. *6.* Quo pretio res vendita redimenda, *ibidem* 2. An liceat eam rem locare venditori, *ib.* 58. 3.

Pactum commiſſorium, T. 5. 57. 10.

Paganiſmus infidelitatis ſpecies, T. 3. 37. 4. V. *Infidelitas*.

Panis materia Sacramenti Euchariſtiæ, Tom. *6.* 154. 1. Qualis eſſe debeat, *ib.* 2. Azimus a Latinis, fermentatus a Græcis uſurpandus, *ib.* 155. 4. & 160. *6.* Ejus quantitas pro conſecratione, *ibid.* 150. 8. Quinam ineptus, *ib.* 157. 1. & *ſeq.*

Parentes tenentur ad temporalem curam filiorum, To. 4. 140. 2. Etiam dum ſunt in utero Matris, *ib.* 3. & *ſeq.* Mater eos debet proprio lacte nutrire, *ibidem* 5. Alimenta aliaque neceſſaria præſtare, *ibidem* 141. 7. & *ſeq.* Æqualitatem inter filios ſervare, *ib.* 12. Quando contra has obligationes peccent parentes, *ib.* 142. 1. & *ſeq.* Invigilare debent & pro chriſtiana filiorum educatione, *ib.* 146. 1. & *ſeq.* Peccant ſi ſcandalo illis ſint, *ib.* 148. 1. & *ſeq.* Si eos non corrigunt, *ib.* 149. *6.* Non vero poſſunt carcere coercere, *ib.* 8. Nec ad Religioſum ſtatum cogere, *ib.* 11. Rectæ educationis ars difficilis, *ib.* 152. *in Reflexio*. V. *Pater*.

Parochi munia, T. 4. 164. 4. Prædicationis officium illi incumbit, *ib.* 165. 5. & *ſeq.* Matrimonio aſſiſtentia neceſſaria ad valorem, T. 7. 347. 2. V. *Clandeſtinitas*. *Matrimonium*.

Pater quando primogenituram inſtituere poſſit, Tom. 4. 141. 12. & 144. 8. Nequit ſine juſta cauſa filium exhæredare, Tom. 5. 315. 1. Quænam ſint juſtæ cauſæ, *ib.* 2.

Patientia definitur, T. 2. 118. 13. Ejus officia, *ib.*

Patrimonium, T. 7. 239. 4. V. *Titulus*.

Patrini quid debeant ſpiritualibus filiis, T. 4. 148. 12. In Baptiſmo adhibendi, Tom. *6.* 100. 12. Quot eſſe debeant, *ibidem*. Spiritualem contrahunt cognationem, *ibid.* 101. 14. Quid præſtare teneantur, *ib.* 104. 7. Et in Confirmatione adhibendi, *ibid.* 139. 2. Unus tantum, *ibidem* 4. Ejus officia, *ibidem* 3. Quinam ab hoc officio repellantur, *ib.* 5. Non confirmatus non debet eſſe in confirmatione Patrinus, *ib.* 142. 3.

Patronus Beneficii quis, & quid illi debeatur, T. 3. 237. 5. Quando ad beneficium debeat præſentare, *ib.* 238. 4. Num poſſit ſeipſum præſentare, *ibidem* 5. & 311. 3. Patronus fundans Beneficium, quo ipſe fruitur ſimoniam non committit, *ibidem* 238. 3. Bene vero ſi quid temporale pro præſentatione accipiat, *ibid.* 307. 3. Non valet præſentationem alteri cedere, ut ipſe præſentetur, *ib.* V. *Præſentatio*. *Poſtulatio*.

Pauper in extrema neceſſitate quid valeat ſurripere, T. 3. 135. 4. Num acceptum reſtituere teneatur, *ib.* V. *Furtum*.

Peccata contra naturam quænam, Tom. 4. 238. 1. Plura ſunt, *ib.* 2. Et graviſſima, *ib.* 239. 3. Specie diſtincta, *ib.* 4. Unumque alio turpius, *ib.* 5.

Peccata in Confeſſione manifeſtanda, Tom. 7. 52. 1. Omnia & ſingula, *ibidem* 53. 4. Quoad ſpeciem, *ibidem* 53. 7. Et numerum, *ibidem* 54. 8. Et circumſtantias aggravantes, *ib.* *9.* & *ſeq.* Effectus peccati, *ibidem* 56. 15. Conſuetudo peccandi, *ibidem* 57. 16. Aliæ circumſtantiæ, *ibid.* 58. 3. Complicis perſona quando, *ib.* *6*0. 8.

Peccati originalis notio, Tom. 2. 153. 1. Definitio, & explicatio, *ib.* 154. 2. & *ſeq.* Propagatum in omnes, *ib.* 155. 4. Oppoſiti errores refelluntur, *ibidem* 5. Excipiendus Chriſtus, *ib.* *6.* An excipienda & B. Virgo non eſt de fide, *ib.* 156. 7. Eccleſiæ hac de re ſtatuta, *ibidem* 8. Peccat qui illi non obedit, *ib.* 161. 3. Non traducitur per imitationem, *ibid.* 160. 1. Sed modo a D. Th. explicato, *ib.* 2. Parvuli in ori-

originali peccato decedentes cæleſti regno privantur, *ib.* 161. 4. Sfondrati opinio exploditur, *ib.* 5. Alia quoque rejicitur, *ib.* 6. *& ſeq.* Etiam ſeorſim a fide valde probabilis ſuppetit ratio exiſtentiæ peccati originalis, *ibidem* 8. Ejus effectus, *ibidem* 157. 12. Doctrina Sancti Thomæ, *ib.* 156. 10. *& ſeq.* Ignorantia effectus peccati originalis, *ib.* 157. 13. Malitia, *ib.* 158. 14. Infirmitas, *ib.* 159. 15. Concupiſcentia, *ib.* 16. Ejus inordinatio nequit dici naturalis, *ib.* 162. 9. Quæ tamen magis in uno ſe prodit, quam in altero, *ib.* 10. Nonnulli hæc vulnera minus extenuant, *ib.* 10. Illorum cognitio utilis ad praxim, *ib.* 163. 13.

Peccati mortalis, & venialis diſtinctio admittenda, T. 2. 185. 1. Errores refelluntur, *ib.* 190. 1. *& ſeq.* Difficile eſt diſcernere grave peccatum a veniali, *ibid.* 185. 2. Nonnullæ aſſignantur Regulæ, *ib.* 186. 3. *& ſeq.* Peccatum veniale ad mortale diſponit, *ibid.* 189. 10. Plura venialia unum mortale efficere non poſſunt, *ib.* 11. Pluribus modis de ſe veniale, fieri poteſt mortale, *ibidem* 12. Modi explicantur, *ibid.* 190. 13. *& ſeq.* Veniale peccatum finem legis non evertit, *ib.* 191. 3. Triplex ejus differentia, *ib.* 4. Nimia præfidentia in determinandis levibus & gravibus peccatis vitanda, *ib.* 5. Caſuiſtarum doctrina rejicitur, *ib.* 192. 8. Non venialiter peccaret qui omnia peccata venialia vellet committere, *ibid.* 11. Qui peccata venialia negligunt ſunt in damnationis periculo, *ib.* 12. Quibus ſignis colligi poſſit an tentationi gravi conſenſum præbuerit, *ibidem* 193. 14. Peccant qui de peccatis gloriantur, *ib.*

Peccatores licet providi non habent tamen prudentiam œconomicam, T. 2. 88. 7.

Peccatorum diſtinctio ſpecifica varie explicatur a Theologis, T. 2. 171. 1. Sancti Thomæ doctrina, *ib.* 2. *& ſeq.* Eam inducit objectum formaliter conſideratum, *ib.* 172. 5. Regulæ ad diſcernendam peccatorum ſpecificam diſtinctionem, *ib.* 7. *& ſeq.* Non eſt repetenda ex prudentum ſenſu, *ib.* 175. 1. Nec ex circumſtantia notabiliter aggravante, *ib.* 2. Peccatum omiſſionis ſpecificatur ex objecto, *ib.* 4. Finis ſæpe ſpeciem mutat, *ib.* 5. Quam mutationem non inducit præceptorum diverſitas, *ibidem* 7. Sed ſæpe ex exceſſu, vel defectu diverſa habetur peccati ſpecies, *ibidem* 177. 11. Major vel minor gravitas peccati unde deſumatur, *ib.* 174. 14. *& ſeq.* Peccata ſpiritualia carnalibus graviora, *ib.* 178. 18. Et fidelium quam infidelium, *ib.* 19. Et Religioſorum, quam ſæcularium, *ib.* Circumſtantiæ peccati explicantur, *ib.* 177. 12. *& ſeq.* Unde deſumenda numerica peccatorum diſtinctio, *ib.* 179. 1. *& ſeq.* Quando exteriores actus numero multiplicentur, *ibidem* 181. 6. Ex ceſſatione multiplicantur, *ibidem* 8. Et ex morali interruptione, *ibidem* 10. Quando in furto multiplicentur peccata, *ib.* 183. 4. Quando in audiendis confeſſionibus, *ibidem* 6. Laxæ quædam doctrinæ rejiciuntur, *ibidem* 7. *& ſeq.* Quando numerus dici non poſſit quid aget Confeſſarius, *ibidem* 10.

Peccatum ex gravi metu commiſſum minus grave reputatur, Tom. 2. 28. 14. Peccati definitio, *ib.* 142. 2. *& ſeq.* Deum offendit, *ib.* 3. *& ſeq.* Excludit omnes virtutes infuſas, *ib.* 149. 1. Etiam ut rationi oppoſitum, eſt offenſa Dei, *ib.* 2. Vaſquezii opinio refellitur, *ib.* 3. Ratio formalis peccati in quo ſita, *ib.* 150. 4. Peccati multiplex diviſio, *ib.* 143. 5. Peccatum ex malitia explicatur, 145. 7. Peccans ex habitu peccat ex malitia, *ib.* 8. Et qui eligit quod malum eſſe novit, *ib.* 7. Peccatum Angeli & Protoparentum fuit ex malitia, *ib.* 8. Pluribus modis ex malitia peccatur, *ib.* 9. Primus peccati effectus macula in anima, *ib.* In quo ſita, *ibid.* 146. 10. Non diſtinguitur re a peccato habituali, *ib.* 152. 13. Alter effectus reatus pœnæ, *ibid.* 146. 11. Peccatum eſt aliquando pœna alterius peccati, *ibid.* 152. 14. Pœna peccato gravi debita qualis, *ibid.* 147. 12. *& ſeq.* Veniale aliquando æterna pœna punitur, *ib.* 152. 15.

Peccatum philoſophicum ab Eccleſia damnatum definitur, T. 2. 164. 3. *& ſeq.* Supponit ignorantiam invincibilem exiſtentiæ Dei, *ibid.* 166. 5. Sententia Molinæ & Arriaga, *ib.* 6. Illud admittunt qui actualem expoſcunt ad malitiam peccati advertentiam, *ib.* Nonnullæ Caſuiſtarum aberrationes oſtenduntur, *ib.* 8. *& ſeq.*

Pecunia non eſt locationis & conductionis materia, T. 5. 175. 4. De ſe ſterilis, *ibidem* 5.

Pedum lotio non eſt Sacramentum, T. 6. 7. 5.

Penſionarii ad quid teneantur, T. 3. 198. 7. Quando ſint reſtitutioni obnoxii, *ib.* Conditiones requiſitæ ad penſiones obtinendas, *ib.* 231. 9.

Perjurium quid ſit, T. 4. 35. 1. Semper lethale peccatum, *ib.* 2. Et graviſſimum, *ib.* 3. Pœnæ in perjurios latæ, *ib.* 4.

Permutatio Beneficii quando licita, T. 3. 237. 8. Quando ſimoniaca, *ib.* 308. 7.

Perſeverantia definitur, To. 2. 119. 16. Eſt virtus & ſpeciale donum Dei, *ib.* Vitia illi oppoſita, *ib.* 17. Quomodo in propoſito neceſſaria, T. 7. 42. 3. V. *Propoſitum*.

Pertinacia definitur, To. 2. 203. 18. Quando lethale peccatum, *ib.*

Pignus definitur, T. 5. 156. 8. Ejus diviſiones, *ibid.* 157. 9. *& ſeq.* Quæ res oppignorari poſſunt, *ib.* 11. Quodnam jus & obligatio ex pignore creditori conveniat, *ib.* 158. 12. *& ſeq.* Si ad tertium deveniat quando conveniri poſſit, *ib.* 159. 15. Quænam in pignus recipi nequeunt, *ib.* 162. 8.

Piſcatio de ſe licita, T. 4. 350. 7. Vetita diebus feſtis, *ibidem* 8. Quando concedenda, *ib.*

Pœna conventionalis in contractibus quid & quotuplex, T. 5. 35. 6. Non eſt abſolute illicita, *ibidem* 36. 7. Nonnullis addere vetitum, *ibidem* 8. Mutuo adjecta eſt uſuræ palium, *ib.* 9. Qui fidem frangit tenetur eam ſolvere, *ib.* 39. 4. Locum tenet aliquando amiſſio Arrhæ, *ib.* 3. Appoſita a legibus aliquando ſolvenda ante judicis declarationem, T. 1. 128. 3. Ab ea quando ignorantia excuſet, *ib.* 4. *& ſeq.* Pœnæ contra Hæreticos, T. 3. 44. 13. Contra Simoniacos, 324. 1. *& ſeq.* Contra Monomachos. V. *Duellum*. Contra Clericorum percuſſores. V. *Clericus*.

Pœnitentia definitur, T. 7. 2. 1. Eſt vera virtus, *ib.* 3. Ad juſtitiam pertinens, *ib.* 5. Ejus objectum, *ib.* 6. Ejus actus imperantur a Caritate, *ibid.* 2. Eſt neceſſaria neceſſitate medii, & præcepti ad ſalutem, *ibid.* 4. 4. Tollit reatum culpæ & pœnæ æternæ, *ib.* 7. Pœnitentia eſt Sacramentum, *ibidem* 7. 4. Ejus definitio, *ibidem* 5. Neceſſitas, *ibidem* 6. & 10. 5. Materia, *ibidem* 8. 7. Forma, *ibid.* 9. Eſt inſtitutum a Chriſto, *ibid.* 9. 1. Diſtinguitur a Baptiſmo, *ibidem* 2. Pluries ſuſcipi poteſt, *ibidem* 10. 3. V. *Contritio*. *Confeſſio*. *Satisfactio*. Eſt etiam in prævie ſanctificatis Sacramentum mortuorum, *ibid.* 27. 6. Utrum poſſit eſſe validum & informe, *ibid.*

70. 7. Pœnitentia publica nec abolita, nec abolenda, *ibidem* 85. 3. V. *Canones Pœnitentiales*. *Satisfactio*.

Polygamia ſimultanea Matrimonio adverſatur, Tom. 6. 293. 6. Quomodo legi naturali adverſetur, *ibid.* 7. Quomodo in lege veteri conceſſa fuerit, *ib.* 294. 8. In lege Evangelica omnino illicita, *ib.* 9. Succeſſiva licita eſt, *ib.* 10. Secundæ & ulteriores nuptiæ ſunt Sacramentum, *ib.* 11.

Poſſeſſio quid ſit, quæ ejus conditiones, T. 4. 335. 12. Num proſit in dubio de licita acquiſitione, Tom. 4. 365. 2.

Poſſeſſor bonæ fidei quinam, T. 5. 233. 1. Ad quid teneatur quando novit rem eſſe alienam, *ib.* 2. & 234. 1. Quid ſi res non amplius extet niſi in æquivalenti, *ibid.* 233. 3. & 234. 2. Aut elapſum ſit præſcriptionis tempus, *ib.* 233. 4. Quos fructus debeat reſtituere, *ibidem* 234. 5. & 236. 5. Ad quid quando venditor malæ fidei poteſt reſtituere, *ib.* 234. 3. An ſemper poſſit expenſarum compenſationem a Domino petere, *ibid.* 236. 4. Num poſſit furi rem reſtituere ut pretium recuperet, *ib.* 237. 6. Ad quid teneatur ſi rem alienam alteri vendidit, *ib.* 238. 7.

Poſſeſſor malæ fidei quinam, & ad quid teneatur, To. 5. 239. 1. & *ſeq.* Res in ejus manu ſibi deterior fit, melior autem Domino, *ibid.* 240. 3. Si rem conſumpſit quid debeat reſtituere, *ib.* 241. 5. Quos rei fructus, *ib.* 6. Quas expenſas poſſit a Domino repetere, *ib.* 7. Reſtituere debet, licet res eſſet penes dominum peritura, *ib.* 242. 1. Pœnam tenetur ſolvere poſt ſententiam judicis, *ib.* 3.

Poſtulatio ad Beneficium quid ſit, T. 3. 237. 6.

Poteſtatis Civilis, & Eccleſiaſticæ limites, T. 1. 85. 10. & *ſeq.* Civilis non extenditur ad ſpiritualia, *ib.* 89. 3. Poteſtas alia ordinis, alia juriſdictionis, Tom. 7. 244. 1. V. *Confeſſarius*.

Præceptum quomodo a lege diſtinguatur, T. 1. 2. 6. Primum & univerſale legis naturæ præceptum, *ibid.* 12. 1. & *p.* 15. 1. Præceptorum limitatio a Schmauſio facta reprobanda, *ibidem* 17. 10. In quibus præceptis naturæ locum habeat mutatio, *ibid.* 20. 3. Quæ deſinere poſſint ratione mutationis materiæ, *ib.* 22. 9. Quæ præcepta ad legem divinam poſitivam pertineant, *ibidem* 31. 6. Humano præcepto non obediendum ſi repugnet divino, *ib.* 32. 5. Præcepta legis veteris triplicia, *ib.* 34. 5. V. *Lex*. Novæ legis præcepta ad juſtificationem diſponunt, *ib.* 44. 6. Duplex genus præceptorum novæ legis, *ib.* 2. Diſcrimen præceptorum a conſiliis novæ legis, *ibid.* 47. 3. Quid reſpiciant evangelica præcepta, *ibid.* 48 8. Præcepta Chriſti quæ continentur in ſermone Chriſti in monte, *ibidem* 49. 1. & *ſeq.* Præceptum de bono exemplo præbendo, & fugienda vana gloria, *ibidem* 53. 2. De vitandis cauſis & occaſionibus peccati, *ibidem* 4. De Hypocriſi & jactantia fugienda, *ibidem* 54. 1. Temere de proximo non judicandum, *ibidem* 55. 5. Ingrediendum per anguſtam portam, *ib.* 8. Voluntas Dei implenda, *ibidem* 56. 10. Quæ Chriſtus in monte dedit, præcepta ſunt non conſilia, *ib.* 1. Præcepta legis civilis quænam, *ib.* 67. 6. & *ſeq.*

Præſcriptio definitur, T. 4. 359. 1. Eam probant leges civiles, *ib.* 2. & *ſeq.* Ab uſucapione diſtinguitur, *ib.* 360. 5. Conditiones ad legitimam præſcriptionem, *ib.* 6. Titulus, *ib.* 7. Bona fides, *ib.* 8. Tempus legitimum, *ibidem* 361. 9. Legitima affert dominium & in foro conſcientiæ, *ib.* 365. 1. Prudens dubium ſuperveniens poſſeſſionem bona fide inceptam non abrumpit, *ibidem* 2. Quænam ignorantia præſcriptionem impediat, *ib.* 366. 3. Quando majorum bona vel mala fides proſit vel obſit, *ib.* 4. Non omnia præſcriptioni ſubſunt, *ib.* 5.

Præſentatio ad Beneficia quid ſit, T. 3. 237. 4.

Præſentatus Examen debet ſubire, *ib.* 239. 6.

Præſumptio quid ſit, T. 2. 198. 8.

Precaria Eccleſiaſtica quæ dicatur, T. 5. 149. 6.

Precarium quid ſit, quæ accipientis precarii obligationes, T. 5. 149. 5.

Presbyteratus eſt Sacramentum, T. 6. 217. 1. Ejus materia, *ib.* 243. 2. Ejus forma, *ib.* Varii Presbyterorum gradus, *ib.* 6. V. *Ordo*, *Clericus*.

Pretium rerum duplex, T. 5. 46. 3. Augetur vulgaris pretii latitudo, *ib.* 4. Vendentis affectu, *ib.* 47. 7. Non vero ementis, *ib.* 6. Nec utriuſque neceſſitas juſtum augendi, vel minuendi pretii titulum exhibet, *ib.* 48. 8. Mercium ultro oblatarum pretium decreſcit, *ib.* 9. Rerum ſub haſta venditarum pretium quale, *ib.* 10. Utrum rem liceat vendere quantum venditori placuerit, *ib.* 9. Pretium rei ſingularis perfectionis, *ib.* 49. 12. Fraudibus vendere ſummo pretio vetitum, *ib.* 50. 1. Mercatores carius quam alii vendere poſſunt, *ib.* 2. Pretium legale nec augere, nec minuere licet, *ib.* 3. Quid ſi ſit aperte injuſtum, *ib.* 51. 4. Quando vendere ſummo vel infimo pretio liceat, *ib.* 5. Qui novit pretium brevi minuendum quomodo vendere poſſit, *ib.* 52. 7. An liceat debitori ſuum debitum a creditore minori emere, *ib.* 8. Chyrographa & credita minori emere pretio quando liceat, *ib.* 53. 9.

Primitiæ quid ſint, T. 5. 444. 1. & *ſeq.* Quo præcepto debeantur, *ibidem* 445. 3.

Principis officia, T. 4. 197. 1. Quem finem reſpicere debeat Princeps in regimine, *ib.* 168. 2. Media ad hunc finem, *ib.* 6. Digniores debet ad officia ſeligere, *ib.* 7. Non expedit officia vendere, *ib.* 169. 8. Quando liceat bellare, *ib.* 11. & *ſeq.* Tenetur Eccleſiam tueri, *ibidem* 171. 1. Juſtitiam adminiſtrare, *ibid.* 2. Quando ſcorta tollerare, *ibidem* 223. & *ſeq.* Ambitum prohibere poſſunt, Tom. 2. pag. 112. n. 16.

Privilegium definitur, Tom. 1. 176. 1. Multiplex ejus diviſio, *ib.* 2. Quinam dare poſſint privilegia, *ibidem* 177. 3. & *ſeq.* Quid cavendum in privilegiis concedendis, *ib.* 178. 6. Privilegia Regularibus conceſſa non poſſunt auferri ab Epiſcopis, *ib.* 7. Nec iſta præjudicium inferre juribus Eccleſiarum, *ib.* 179. 8. Quinam privilegiis donari poſſint, *ib.* 10. Cui conceſſa cenſeantur, *ibidem* 11. Cauſa juſta requiritur ad dandum privilegium, *ibidem* 12. Privilegia non amplianda, *ib.* 180. 13. Quando irrita ſint, *ib.* 15. Quando ceſſent, *ibidem* 181. 17. Poſſunt revocari, *ibid.* 18. Quando revocata cenſeantur, *ibid.* 19. Non eſt de ſubſtantia privilegii ut ſcriptum ſit, *ibidem* 182. 1. Quando fidem non faveat ſcriptura privilegii, *ibidem* 2. Differt Privilegium a Reſcripto etiam Pontificio, *ibidem* 3. Quando diſpenſatio cum privilegio confundatur, *ibidem* 4. Quid requiratur ad perpetuitatem privilegii, *ibidem* 183. 5. Pro interno foro conceſſum non valet in externo, *ibidem* 7. Non derogat juri Epiſcoporum, *ibidem* 9. Privilegiati ſua privilegia oſtendere debent, *ibidem* 10. Propter abuſum ſubtrahi poſſunt, *ibidem* 11. Falſa Caſuiſtarum doctrina, *ibidem* 184. 12. Privilegiis a Tridentino revocatis non licet uti, *ibidem* 13. & *ſeq.*

ſeq. Etiam tacite revocantur privilegia, *ibidem* 16. Doctrina merito proſcripta, *ib.*185. 18. Aliæ rejectæ, *ib.* 184. 14. *& ſeq.* Regulares non habent privilegium diſpenſandi in votis, To. 4. 84. 16. Nec concedendi facultatem petendi debitum inceſtuoſis, T. 7. 352. 6.

Probabiliſmus expoſitus a P. Bovio, T. 1. 327. 2. A P. Lacroixio, *ibid.* 329. 5. Num auctoritas extrinſeca probabilitatem inducat, *ibid.* 7. Quid de hoc ſentiant Probabiliſtæ, *ibidem* 330. 8. *& ſeq.* Numerus Auctorum requiſitus ad probabilitatem, *ibidem* 10. Quinam claſſici, *ibidem* 331. 11. *& ſeq.* Admiſſo Probabiliſmo doctrinæ etiam falſæ pro veris ſunt habendæ, *ibid.* 333. 1. *& ſeq.* etiam proſcriptæ a Sede Apoſtolica, *ibidem* 5. Probabiliſmus coarctari nequit, *ibidem* 334. 7. Ab ipſo innumeræ effluunt corruptelæ, *ibidem* 335. 1. *& ſeq.* Probabiliſmus modo minime moderatus, *ibid.* 337. 3. *& ſeq.* Refellitur probabiliſmus argumento ex ipſo lumine naturæ, *ibid.* 340. 2. Ex confeſſione probabiliſtarum, *ibid.* 3. Ex auctoritate Gentilium, *ibid.* 4. Ex obligatione conformandi actiones ad legem Dei, *ibidem* 344. 6. Ex neceſſitate conſtituendi falſitatem cognitam pro regula actionum, *ibidem* 345. 8. Ex ratione agendi hominum prudentum, *ibidem* 9. Ex definitione Concilii Viennenſis, *ibid.* 347. 1. Ex deciſione caſus Innoc. III. *ibid.* 2. Ex damnatione propoſitionum, *ib.* 348. 3. Ex damnatione primæ propoſitionis ab Innocent. XI. *ibid.* 4. Ex damnatione propoſitionis de Judice, *ibid.* 349. 6. Ex damnatione tenuis probabilitatis, *ibidem* 350. 8. Ex damnatione quartæ propoſitionis de infideli, *ibid.* 351. 9. Ex univerſali conſideratione dictarum propoſitionum, *ibid.* 10. Probabiliſmus non inducit moralem certitudinem de honeſtate actionis, *ibid.* 353. 1. *& ſeq.* Reflexa Probabiliſmi principia refelluntur, *ibid.* 354. 3. *& ſeq.* Refellitur probabiliſmus ex novitate doctrinæ, *ibid.* 357. 1. Ex veteri doctrina obtinente cum ſurrexit Probabiliſmus, *ibidem* 359. 3. *& ſeq.* Ex generali conſpiratione Eccleſiæ contra ipſum, *ibidem* 360. 5. *& ſeq.* Ex Decretis & legibus Epiſcoporum, *ibidem* 361. 9. Et Eccleſiæ Romanæ, *ibidem* 365. 10. *& ſeq.* Quid egerint contra Probabiliſmum Pontifices Summi, *ibidem* 366. 11. *& ſeq.* Probabiliſmus certe falſus, *ibidem* 370. 1. Non poteſt eſſe regula humanarum actionum, *ibidem* 2. Non eſt regula tuta in conſcientia, *ibidem* 373. 3. *& ſeq.* In periculo damnationis verſantur qui ſecundum probabiliſmum dirigunt, *ibidem* 374. 5. Et qui diriguntur, *ibid.* 375. 6. Qui docent, *ibidem* 378. 9. Epiſcopi Probabiliſmum inſectari debent, *ibidem* 379. 10. Et Principes tanquam bono publico noxium, *ib.* 381. 11.

Probabiliſtæ. V. *Probabiliſmus*.

Promiſſio definitur, Tom. 5. 137. 1. Ejus conditiones ex parte objecti, *ibidem* 2. Ex parte modi, *ibidem* 3. Obligat ex fidelitate, *ibid.* 138. 4. *& ſeq.* Sub gravi, *ibidem* 5. *& ſeq.* Quandoque ex juſtitia, *ibid.* 139. 7. Quando ceſſet ejus obligatio, *ib.* 9. Quando juramento fulcitur quomodo obliget, *ibidem* 144. 1. *& ſeq.* Promiſſioni poſt acceptationem onus addi non poteſt, *ib.* 146. 4. Promiſſio Matrimonii, To. 7. 254. 1. V. *Sponſalia*.

Propoſitum in Confeſſione neceſſarium, T. 7. 41. 1. Eſſe debet univerſale, *ib.* 2. Firmum & conſtans, *ib.* 42. 3. Efficax, *ib.* 4. Formale & explicitum, *ib.* 43. 1. Quando deſit, *ib.* 44. 2.

Proteſtantes vane ſe jactant de illuſtrata morum diſciplina, T. 1. 27. 1.

Providentia pars prudentiæ præcipua, T. 2. 82. 1. V. *Prudentia*.

Prudentia definitur, Tom. 2. 82. 1. Ejus actus, *ibid.* 2. *& ſeq.* Ejus finis, *ib.* 3. Ejus partes integrales, *ib.* 4. *& ſeq.* Ejus partes ſubjectivæ, *ib.* 83. 9. Vitia prudentiæ oppoſita, *ib.* 84. 12. *& ſeq.* Nimia rerum temporalium ſolicitudo prudentiæ adverſa, *ib.* 15. Et futurorum, *ib.* 16.

Pudicitia quid ſit, & in quo ſita, T. 2. 128. 9.

Puer ſine baptiſmo moriturus in puteum projici nequit ut baptizetur, T. 2. 14. 14.

Pufendorfius falſo moralitatem actuum humanorum in imputativitate vitæ reponit, *ib.* 49. 1.

R

Rapina ſpecie differt a furto, T. 4. 252. 5. Quinam rapinæ rei ſint, *ibid.* 260. 11. ad quid teneantur *ibid.*

Raptor rigoroſe non eſt qui ſibi deſponſatam rapit, T. 4. 236. 6. Nec qui mulierem conſentientem, *ib.* 235. 7. *&* T. 7. 345. 6. Raptori quando deneganda abſolutio, T. 4. 237. 8.

Raptus impedimentum Matrimonii, T. 7. 345. 4. Illud dirimit, *ib.* Antiqui Canones de raptu, *ib.* Decretum Tridentini, *ib.* Ad raptum requiritur abductio de loco ad locum, *ibid.* 5. Et quidem violenter, *ib.* 6. Mulieris non viri, *ib.* 7. Dirimit, licet fiat libidinis cauſa, *ib.* 8. Non vero cauſa captivitatis, *ib.* 346. 4. Pœnæ in Raptores, *ib.* 10. 10. *&* T. 4. 233. 10. Habetur raptus ſi mulier diſſentiat, T. 7. 346. 2. Non vero ſi ipſa raptui conſentiente diſſentiant Parentes, *ib.* 345. 6. In poteſtate raptoris conſtituta valide alteri nubit, *ib.* 346. 3.

Raptus tripliciter ſpectari poteſt, T. 4. 233. 7. Quid ad Raptum requiratur, *ib.* 8. Quando gravius cenſendum crimen raptus, *ib.* 235. 3. Crimen raptui affine, *ib.* 236. 6.

Recidivis differenda abſolutio, T. 7. 134. 9. Quinam ſint recidivi, *ib.* 10.

Recipiens quinam dicendus, T. 5. 262. 12. *& ſeq.* *&* 265. 5. Quando ad ſarcienda damna teneatur, *ib.*

Regulares cartis luſoriis ludere ſine culpa nequeunt, T. 5. 116. 3. V. *Eccleſiaſtici*. Quæ illis vetitæ donationes, *ib.* 147. 7. Quæ teſtamenta procurare in favorem Religionis, *ib.* 257. 7. *& ſeq.* Franciſcanus abſtinentiam violans die Veneris duplex peccatum committit, & quilibet Regularis præceptum ſui Superioris violans, T. 2. 177. 8. & 10.

Relatio operum in Deum eſt præcepta, T. 3. 113. 11. Quomodo impletur hoc præceptum, *ibidem* 114. 13. Quando urgeat, *ib.* 113. 9. Non ſemper eſt neceſſaria actualis, ſed ſufficit virtualis, *ib.* 10.

Religio definitur, T. 3. 177. 1. Ejus objectum, *ibid.* 2. Dei cultus ad Religionem pertinet, *ib.* 4. Eſt virtus præſtantiſſima, *ib.* 178. 5. Ejus actus, *ib.* 1. Non eſt virtus Theologica, *ib.* 181. 1. Eſt tamen ſupernaturalis, *ib.* 3. Sanctitatis nomen meretur, *ib.* 4.

Religioſus. V. *Eccleſiaſtici*. *Clerici*. *Regulares*.

Reliquiæ Sanctorum venerabiles, Tom. 3. pag. 183. n. 9. Peccant qui eas furantur, *ib.* 10. Qui vendunt vel emunt, *ib.* 11.

Renunciatio beneficii quid ſit, T. 3. 237. 7. Quomodo a reſignatione diſtinguatur, *ib.* V. *Reſignatio*.

Repudium diſtinguitur a Divortio, T. 7. 303. 1. Nunquam licitum, *ibid.* Doctrina S. Tho. de Repudio apud Hebræos *ib.* 3.

Res ſacræ venerationis dignæ, To. 3. 184. 12. Laicis quando eas contrectare licitum, *ib.* 13. Non licet in profanos uſus convertere, *ib.* 14. Profanæ in pios & meros uſus converti poſſunt, *ib.* 15.

Reſervatio caſuum, in quo conſiſtat, Tom. 7. 116. 1. Quinam poſſint ſibi caſus reſervare, *ib.* 2. Regulares Prælati quos caſus poſſint reſervare, *ib.* 3. Caſus Summo Pontifici reſervati, *ib.* 117. 4. Epiſcopi quos ſibi caſus reſervare valeant, *ib.* 6. In caſibus reſervatis notanda, *ib.* 118. 7. Mere interna reſervationi non ſubjacent, *ib.* 8. Externa mortalia ſubſunt reſervationi, *ib.* 9. Reſervanda graviora, & atrociora, *ib.* 119. 10. Et certa, *ib.* 11. Num dubia ſint a reſervatione libera, *ib.* 12. Quinam poſſint a reſervatis abſolvere, *ib.* 1. Quid conceſſum Epiſcopis a Tridentino, *ib.* 120. 3. Regularium privilegia revocata, vel diminuta, *ib.* 121. 5. A quibus caſibus nequeant abſolvere, *ib.* 6. Quibus privilegiis gaudeant quoad ſuos Coreligioſos, *ib.* 9. A quibus caſibus nec eos valeant abſolvere. *ib.* 122. 10. In articulo mortis nulla reſervatio, *ib.* 123. 3. Ignorantia reſervationem non tollit, *ib.* 1. Quinam impediti accedere ad Pontificem, poſſint ab Epiſcopis abſolvi, *ib.* 2. Quinam Prælati Regulares poſſint ſuos ſubditos a reſervatis abſolvere, *ib.* 124. 4. Inculpabiliter oblitus reſervata debet legitimo Miniſtro exponere, *ib.* 125. 6. Non licet abſolvere indirecte a reſervatis, *ib.* 124. 5. Data abſolutio a non habente facultatem nulla eſt, licet data bona fide, *ib.* 125. 7. Quando reſervationi ſubſit delinquens extra diœceſim reſervantis, *ib.* 126. 8.

Reſignatio quomodo differat a renunciatione, T. 3. 237. 7. Quando illicita, *ib.* 8. Epiſcopis quando licita, *ib.* 238. 9. Eſt facienda digniori, *ib.* 245. 7. Quando non valeat reſignatio, *ib.* 262. 1. In favorem determinatæ perſonæ quando illicita, *ib.* 2. Facta in manu Pontificis quid efficiat, *ibidem* 264. 5. Reſignatio ob ingreſſum in Religionem, *ibidem* 6. Quando ſimoniaca, *ibidem* 308. 6.

Reſtitutio quid ſit, T. 5. 226. 1. Differt a ſatisfactione, *ib.* 3. Eſt neceſſaria ad ſalutem, *ib.* 227. 4. Neceſſitate medii & præcepti, *ib.* 230. 1. Hoc præceptum eſt affirmativum, & negativum, *ib.* 227. 5. Locum habet ſolum in violatione juſtitiæ, *ib.* 6. Ex qua culpa oriatur onus reſtitutionis, *ib.* 7. & *ſeq.* Ex quibus aliis cauſis, *ibid.* 230. 13. Ad reſtitutionem pertinet mercedis ſolutio, *ibid* 2. Eſt ſtatim facienda, *ibid.* 232. 3. Caſus fortuitus excuſat a reſtitutione, *ibid.* 230. 4. Et ignorantia invincibilis, *ibid.* 5. Reſtitutio ex re accepta, vel injuſta acceptione, *ib.* 233. 1. V. *Poſſeſſor.* Quid & qua culpa reſtituendum ex contractu, *ib.* 244. 1. & *ſeq.* & 248. 1. & *ſeq.* Et ex quaſi contractu, *ib.* 245. 5. Contractus illicitus quando ad reſtitutionem obliget, *ib.* 246. 7. & *ſeq.* Pretium pro actione ex juſtitia debita reſtituendum, *ib.* 249. 6. Non autem debita ex caritate, *ibid.* 250. 7. Datum liberaliter ob actionem etiam ex juſtitia debitam quando retineri poſſit, *ibid.* 251. 8. Damnum ſecutum ex actione licita quando ſarciendum, *ib.* 251. 2. & *ſeq.* Quando ex illicita, *ib.* 252. 4. & *ſeq.* Impediens a conſecutione alicujus boni quando ad reſtitutionem teneatur, *ib.* 8. & 256. 4. & *ſeq.* Quantum reſtituere debeat, *ib.* 254. 12. Quando teneatur de damno a beſtia feroci inducto, *ib.* 255. 2. Vel ex domo ſuper aliam ruente, *ib.* 3. Quid & cui reſtituere debeat beneficium conferens indigno, *ib.* 256. 4. Qui bona communia male diſtribuit, *ib.* 5. Cooperantes alterius damno ſunt reſtitutioni obnoxii, *ib.* 258. 1. Plures cooperandi modi, *ibidem* 2. & *ſeq.* Tenentur ſi ſint in vera culpa damni, *ib.* 4. Quando tales ſint, *ib.* 260. 7. Quid in dubio, *ib.* 8. Cauſæ negativæ cooperantes alterius damno, quantum, & quo ordine reſtituere debeant, *ib.* 7. & *ſeq.* Qui bonis cedunt num ſint a reſtitutione liberi. *ib.* 276. 4. & *ſeq.* Reſtitutio eſt ad æqualitatem facienda, *ib.* 275. 1. Cui facienda, *ib.* 273. 4. An ſatis ſit reſtituere creditori domini, *ib.* 276. 3. Quid ſi dominus ſit ignotus, *ib.* 274. 4. & *ſeq.* Vel notus ſolum in communi, *ib.* 276. 2. Quo tempore facienda reſtitutio, *ib.* 8. & 279. 7. Detinentes rem alienam ſunt in ſtatu damnationis, *ib.* 275. 8. Et incapaces abſolutionis, *ib.* 279. 8. Depoſitum quando quis poſſit recuſare, *ib.* 275. 4. Quando reſtitutio ſemel facta, ſit iterum facienda, *ibid.* 278. 6.

Reſtitutio ex debito, vel delicto, quo ordine facienda, T. 5. 295. 1. Quinam creditores ex lege civili præferendi, *ib.* 283. 8. & *ſeq.* Inter creditores qui ordo ſervandus, *ib.* 10. Leges prælationis non ſunt mere pœnales, *ib.* 286. 1. Res credito vendita venditori reſtituenda, *ib.* 2. Creditoribus privilegiatis integra reſtitutio facienda, *ib.* 287. 4. Non vero uni ex privatis cum damno aliorum, *ib.* 5. Quo loco facienda reſtitutio, *ib.* 284. 12. & *ſeq.* Cujus & quantis expenſis, *ib.* 285. 14. Debita ex contractu, quando & ubi ſolvenda, *ibid.* 287. 6. Excuſat in reſtitutione impotentia phyſica, *ibidem* 288. 1. Damnum ſpirituale, *ibid.* 295. 2. Amiſſio proprii ſtatus, *ibid.* 288. 3. Famæ juſte acquiſitæ, *ibid.* 289. 4. Scandalum, *ibid.* 5. Quomodo hæ cauſæ excuſent a reſtitutione, *ibid.* 6. A qua liberat creditoris condonatio, *ibidem* 7. Quando uni facta proſit aliis debitoribus, *ibid.* 292. 5. Quando ſufficiat condonatio tacita, *ibid.* 293. 6. Non excuſat donatio a debitore creditori facta, *ib.* 7. Nemo tenetur ſe in ſervum vendere ut reſtituat, *ib.* 290. 2. An ære alieno gravatus poſſit Religionem ingredi, *ib.* 291. 3. An excuſet a prompta reſtitutione lucrum ſperatum, *ib.* 292. 4. An debita incerta extinguantur per compoſitionem a Pontifice conceſſam, *ib.* 293. 8. Damna illata in bonis ſuperioris ordinis num ſarcienda per bona ordinis inferioris, *ib.* 295. 1. & *ſeq.* Quomodo damna in bonis ſupernaturalibus, *ib.* 296. 3. Vel naturalibus, *ib.* 4. Ad quid teneatur qui alium a Religioſo ſtatu deteruit, *ib.* 5. & 299. 2. Ad quid artium Magiſtri negligenter onus ſuum implentes, *ib.* 1. V. *Stuprator. Adulter, Homicida.*

Reſtitutio famæ facienda, T. 4. 314. 1. Et quidem ex juſtitia, licet bona fide læſerit, *ib.* 319. 1. Ad temporalia quoque damna ſarcienda tenetur, *ib.* 214. 3. & *ſeq.* Diverſo modo reſtituenda a diſamatore, & calumniatore, *ib.* 315. 5. & 320. 2. Quomodo retractare ſe debeant, *ib.* 322. 6. Qui ſe invicem diſamarent quid præſtare debeant, *ib.* 320. 4. Famam nemo tenetur reſtituere cum diſpendio melioris boni, *ib.* 316. 4. Quinam a reſtitutione famæ excuſentur, *ib.* 8. Condonatio non ſemper liberat a reſtitutione famæ, *ib.* 322. 6. Num fama ſit pecunia ſarcienda, *ib.* 316. 9. Locum non habet occulta compenſatio, *ib.* 322. 7. Hæredes diffamatoris vel calumniatoris ad quid teneantur, *ib.* 320. 3. Reſtituendus & honor læſus; *ib.* 318. 10. Quomo-

do ſe gerere debeat Confeſſarius cum filiis qui parentes inhonorant, *ibid.* 329. 8.

Retractus gentilitius licitus, Tom. 5. 57. 9. Fraudes quæ ipſum vitiare poſſunt, *ib.* 59. 5.

Revelatio divina ſola ratio credendi, Tom. 3. 8. 5. V. *Fides*.

Revelationes privatæ quam fidem mereantur, Tom. 3. 8. 6.

Rex. V. *Princeps*.

Rubricæ in Miſſa ſervandæ, Tom. 6. 258. 4.

S

Sacerdos Baptiſmi Miniſter, Tom. 6. 76. 2. Non ſemper licite baptizat, *ib.* 78. 6. Extraordinarius Confirmationis, *ibidem* 125. 4. V. *Confirmatio*. Quando Abbates confirmare poſſint, *ibidem* 130. 3. Miniſter Euchariſtiæ, *ibidem* 173. 1. Et diſpenſator, *ibidem* 174. 2. Quo ritu debeat Euchariſtiam recipere, *ibidem* 177. 1. Sacrificii Miſſæ, *ibid.* 218. 4. Sua poteſtate licet malus non privatur, *ibidem*. Confeſſionem celebrationi præmittere debet, *ibidem* 219. 7. Quando ſola contritione celebrare poſſit, *ibidem* 220. 8. Tenetur quamprimum confiteri, *ibid.* 221. 11. Et aliquando celebrare, *ibidem* 223. 2. Jejunus celebrare debet, *ibidem* 222. 13. Miniſter Extremæ Unctionis, Tom. 7. 204. 1. Et aliquorum Ordinum, *ibid.* 219. 8. Num Sacramenti Matrimonii, *ibidem* 277. 7. V. *Miniſter*. *Confeſſarius*.

Sacramentorum materia & forma, Tom. 6. *pag.* 37. & *ſeq.* V. *Materia*. *Forma*. Effectus, *ibid.* 46. 2. & *ſeq.* V. *Gratia*. Conferunt Gratiam ex opere operato, *ibidem* 49. 1. Ut cauſæ phyſicæ, *ibidem* 50. 2. Imprimunt aliqua characterem, *ibidem* 53. & *ſeq.* V. *Character*. V. *Singula Sacramenta*.

Sacramentum definitur, Tom. 6. 2. 2. Differentia a Sacramentis Vet. L., *ibidem* 3. 6. Numerus Sacramentorum, *ibid.* 7. Analogia, *ibid.* 4. 8. Ordo, *ibid.* 9. Quomodo ſint ſigna, *ibid.* 5. 1. Requiſita ad Sacramenti conſtitutionem, *ibid.* 6. 4. Quid ſignificent, *ibidem* 3. & *ſeq.* Nulla Sacramenta in ſtatu innocentiæ, *ibidem* 7. 2. In ſtatu naturæ aliqua, *ibidem* 3. In ſtatu legis plura, *ibidem* 9. 5. Solis Judæis data, *ibidem* 6. Alia in nova lege, *ibid.* 7. Quæ partim iterabilia, *ibidem* 11. 5. Auctor Sacramentorum Novæ Legis Chriſtus, *ibidem* 1. & *ſeq.* Eorum Miniſtri, *ibid.* 14. 1. & *ſeq.* V. *Miniſter*. Non licet Sacramenta ſimulare, *ibidem* 17. 11. Quando tenentur Miniſtri Sacramenta præbere, *ibidem* 16. 7. Miniſtrorum intentio neceſſaria, *ibid.* 21. 1. & *ſeq.* V. *Intentio*. Soli viatores Sacramentorum capaces, *ibidem* 30. 1. Requiſita in illis ut valide ſuſcipiant, *ibidem* 2. & *ſeq.* Ut fructuoſe, *ib.* 32. 6.

Sacrificium definitur, Tom. 6. 212. 2. Deo debitum, *ibidem* 213. 5. Triplex in V. L., *ibid.* 6. Miſſa Novæ Legis Sacrificium, *ibid.* 214. 9. V. *Miſſa*. De eſſentia Sacrificii non eſt effuſio Sanguinis, *ib.* 216. 1. In quo conſiſtat, *ibidem* 2. & *ſeq.* Neceſſaria utriuſque ſpeciei conſecratio, *ib.* 218. 4. Quinam offerentes, *ibid.* 1. & *ſeq.* Poſſunt plures unum & idem Sacrificium offerre, *ibid.* 223. 1. Sacrificii effectus, *ibid.* 227. 1. & *ſeq.* Illius valor, *ib.* 3. Fructus triplex, *ib.* 228. 7. Pro quibus offerri poſſit, *ib.* 9. & *ſeq.* Pro damnatis offerri nequit, *ib.* 229. 11. Pœnam remittit, *ib.* 230. 1. Quomodo proſit ad remiſſionem culpæ, *ibidem* 2. Prodeſt etiam ex opere operantis, *ibid.* 4. Quomodo pluribus proſit, *ibidem* 231. 7. Quomodo facienda applicatio, *ibidem* 232. 1. & *ſeq.* Ubi offerendum, *ib.* 243. 1. & *ſeq.* V. *Oratorium*. Quomodo ſupplendum ſi abrumpatur, *ib.* 259. 7. Hoſtia in ipſo conſecrata ſumenda. *ib.* 260. 9.

Sacrilegii definitio, Tom. 3. 283. 6. Quomodo committatur. *ib.* 7. & *ſeq.*

Sacrilegium ſpecies luxuriæ, Tom. 4. 234. 12. Quotuplex, *ib.* 14. Ratione loci ſacri, *ib.* 15. Quot modis loca ſacra ſacrilegio polluantur, *ib.* 16. Ratione perſonæ ſacræ, *ib.* 13.

Satisfactio non eſt neceſſario præmittenda Communioni Tom. 6. *pag.* 196. *n.* 6. Quid ſit, Tom. 7. *pag.* 73. *n.* 1. Neceſſaria & utilis, *ib.* 2. Deo ſatisfacit de condigno, *ib.* 74. 4. Eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, *ib.* 75. 5. In peccato peracta vim non habet ſatisfaciendi, *ib.* 3. Antiqua Eccleſiæ diſciplina in ſatisfactione imponenda, *ib.* 78. 1. & *ſeq.* Satisfactio duplex, *ib.* 86. 1. Medicinalis quomodo præſcribenda, *ib.* 2. Satisfactoria eſt de præcepto imponenda, *ib.* 4. Et quidem in opere alias non debito, *ib.* 87. 5. Et juxta Canones, *ib.* 88. 7. Etiam pro venialibus injungenda, *ib.* 90. 2. Quando & a quo commutanda, *ib.* 92. 5. Tenetur Pœnitens acceptare, *ib.* 94. 1. Quando poſſit recuſare, *ib.* 2. Prompte debet implere, *ib.* 95. 3. Per ſe, & non per alium, *ib.* 4.

Scandalum definitur, Tom. 3. *pag.* 151. *num.* 1. Duplex, *ib.* 2. Paſſivum non eſt ſpeciale peccatum, *ib.* 152. 3. Quid ad ſcandalum dandum requiratur, *ib.* 7. Scandali rei quinam ſint, *ib.* 153. 10. Non ſunt violanda præcepta juris naturæ propter ſcandalum, *ib.* 11. Opera bona quandoque omitti poſſunt, *ib.* 12. Quandoque & veritas reticenda, *ib.* 154. 13. Juſtitiæ opera quando omitti poſſint, *ib.* 14. Actiones indifferentes omittendæ ad vitandum ſcandalum, *ib.* 15. Bona temporalia quando negligenda, *ib.* 155. 16. Scandali rei ſunt Pictores, *ib.* 156. 1. & *ſeq.* Quando Religioſi, *ib.* 3. Qui timore ſcandali non reprehendunt, *ib.* 157. 7. Juvenes qui ſecreto cum puellis converſantur, *ib.* 8. Uxor non debet jejunium de præcepto omittere ob mariti ſcandalum, ſed poteſt voluntarium, *ib.* 10. Quando poſſit Miſſam omittere ad illud vitandum, *ib.* 158. 11. Impediendum ſcandalum cum aliquo incomodo, *ib.* 156. 18. & 160. 18. Scandalum quandoque onus reſtitutionis inducit, *ib.* 159. 15. Maritus quando ſit ſcandali reus erga uxorem, *ib.* 16. Quando Superiores ſubditos vexantes, *ib.* 17. Tenentur aliquando utilitati temporali renunciare ob ſcandalum, *ib.* 160. 18. Rei ſunt ſcandali fatuos ad blaſphemias vel maledictiones provocantes, *ib.* 20. Species ſcandali in Confeſſione aperienda, *ib.* 21.

Scientia, ad minores Ordines ſuſcipiendos requiſita, T. 7. 235. 10. Ad Subdiaconatum, *ib.* 236. 6. Ad Diaconatum, *ib.* 243. 5. Ad Presbyteratum, *ib.* 244. 7. In Epiſcopis, *ib.* 247. 15. Confeſſariis valde neceſſaria, *ib.* 100. 3.

Secretum cuſtodiendum, Tom. 4. 300. 4. Ejus cuſtodia

dia & ad fidelitatem pertinet & ad juſtitiam, *ib.* 6. Obligat ſub gravi in re gravi, *ibidem* 7. *& ſeq.* Quid ſi res putetur levis, *ib.* 8. Uni etiam revelare ſecretum, grave eſt peccatum, *ibidem* 301. 12. Rem licito modo cognitam ſub ſecreto quando liceat revelare, *ib.* 300. 8. Qui injuſte reſcivit quando teneatur etiam cum periculo cuſtodire, *ib.* 311. 11. Non licet ſecreti manifeſtationem extorquere, *ib.* 302. 14. Peccant alienas epiſtolas aperientes & legentes, *ib.* 15. Vel legentes etiam apertas, *ib.* 310. 10. Non licet Prælato perſonam detegere, quæ crimen illi detulit, *ib.* 9. Secretum Confeſſionis, T. 7. 148. 1. V. *Sigillum*.

Servitus dirimit Matrimonium, T. 6. 327. 6. Quas poſtulat conditiones, *ib.* 7. Quando non dirimat, *ib. & ſeq.* Quando ſupervenit Matrimonio, *ibidem* 329. 6. Quot modis tollatur, *ib.* 7. Servi Matrimonio apti vel inepti in quatuor claſſes diſtincti, *ib.* 327. 6. Quorum matrimonia nulla ſint, *ib.* Non egent conſenſu domini ad matrimonii valorem, *ib.* 328. 3. Num domini vel uxori debeant obtemperare, *ib.* 4.

Servorum duplex genus, T. 4. 158. 1. Quadruplici titulo quis fieri poteſt alienus ſervus, *ib.* 2. *& ſeq.* Horum officia erga Dominos, *ib.* 159. 7. Non ſpoliantur omni dominio, *ib.* 8. Quando eis fugere liceat, *ib.* 160. 1. Fugientibus non licet bona Domini ſurripere, *ib.* 161. 2. Quatenus bona ſervorum ad Dominum pertineant, *ib.* 4. Quid debeant Domino ſi uxorem ducant, *ib.* 163. 10. Servi conducti plura debent Domino, *ib.* 160. 9. Ad reſtitutionem tenentur ſi bona Domini ſibi commiſſa perire ſinant, *ib.* 162. 5. Res dominorum uſurpare nequeunt, *ib.* 162. 6. Nec ante conditum tempus recedere, *ibid.* 163. 9. Servitus realis, perſonalis, & mixta, *ib.* 334. 11. & 240. 9.

Sigillum Confeſſionis perpetuum in Eccleſia, Tom. 7. pag. 148. 1. Ad ejus cuſtodiam triplici titulo obſtricti Confeſſarii, *ib.* 2. Ex quacumque Confeſſione oritur Sacramentale ſigillum, *ib.* 3. Quænam ſub ſigillo cadant, *ib.* 149. 4. Quando loqui fas ſit de auditis in Confeſſione & extra, *ib.* 5. Nec cum ipſo Pœnitente de auditis in Confeſſione loqui licet, *ib.* 6. Quando concedenda ſchedula de peracta Confeſſione, *ibidem* 7. Non licet uti notitia Confeſſionis in externa gubernatione, *ibid.* 150. 8. Nec ad quodcumque grave damnum vitandum audita in Confeſſione pandere, *ib.* 9. Sigilli violatio ſemper lethale peccatum, *ibid.* 151. 1. Sigillo tegendum quidquid onerоſam reddit Confeſſionem, *ibidem* 2. Præter Confeſſarios & alii lege ſigilli tenentur, *ib.* 3.

Simonia definitur, Tom. 3. pag. 291. 1. Quotuplex, *ibidem* 2. *& ſeq.* Quid pretii nomine veniat in Simonia, *ibidem* 292. 7. *& ſeq.* Dicitur Hæreſis, *ib.* 293. 1. Qui eam ſimulat peccat, & eſt Simoniacus, *ibidem* 294. 3. Rei Simoniæ quinam, *ibidem* 4. *& ſeq.* Quænam Simoniæ materia, *ibid.* 296. 1. *& ſeq.* Prædicare ob lucrum Simonia, *ib.* 297. 8. Quidquid pro ſpirituali datur Simoniacum eſt, *ibid.* 298. 13. Licet non detur ut pretium, *ibidem* 14. Non licet dare pretium pro Baptiſmo, *ib.* 300. 1. Nec pro Confirmationis Chriſmate, *ibidem* 301. 3. Nec pro Ordinibus, *ibidem* 303. 7. Aliquando nec pro Matrimonio, *ibidem* 8. Quandoque Simonia committitur omiſſione, *ibidem* 10. In Beneficiorum collatione, *ibidem* 306. 1. V. *Beneficium*. Simonia eſt aliquid dare pro interceſſione, *ibidem* 312. 5. Num liceat prandia inſtruere, *ibid.* 315. 6. Quando interveniat in permutatione Beneficii, *ibidem* 10. *& ſeq.* Simonia confidentialis quænam, *ibid.* 315. 15. *& ſeq.* Simonia pro ingreſſu in Religionem, *ibidem* 316. 1. Quid dare conceſſum ſit, *ibidem* 2. Quid ſtatuerit Concilium Tridentinum, *ibid.* 317. 7. Dotem dare pro Monialibus licet, *ib.* Quando in Defunctorum ſepultura habeatur Simonia, *ibidem* 9. *& ſeq.* Pœnæ in Simoniacos, *ibidem* 320. 1. *& ſeq.* Necnon onus reſtitutionis, *ib.* 321. *& ſeq.* Quid poſſint Epiſcopi in abſolutione a ſimonia, *ib.* 324. 8.

Simulatio quid ſit, & quale peccatum, T. 4. 312. 15.

Sobrietas definitur, T. 2. 127. 6.

Societas contractus definitur, Tom. 5. p. 88. 1. Multiplex eſt, *ibidem* 2. Conditiones ut ſit licita, *ib.* Omnia in ſocietate poſita toti Societati communia ſunt, *ibidem* 97. 1. Quinam non ſocius, ſed locator dicendus, *ibidem* 98. 2. Qui uni Societati ſe obligavit, num & alteri obligare ſe poſſit, *ib.* 102. 8. Quando ſocius teneatur damna Societati a ſe illata reparare, *ibidem* 9. Expenſæ ſunt ex penu Societatis ſarciendæ, *ib.* 10. Quando finem habeat Societas, *ib.* 100. 11. Quid faciendum finita Societate, *ib.* 97. 25.

Societas animalium quando illicita, T. 5. 98. 3. Quando diviſio facienda, *ib.* 4. Quæ conventiones licitæ, *ib.* 5. *& ſeq.* Ad quem ſpectent detrimenta & damna, *ib.* 99. 7.

Sodomia crimen graviſſimum, T. 4. 248. 1. Tripliciter committi poteſt, *ib.* 2. Quæ declaranda in Confeſſione, *ibid.* 249. 3. Pœnæ in Sodomitas præſertim Clericos latæ, *ib.* 5.

Solicitatio ad turpia in Confeſſione grave crimen, T. 7. 143. 10. Quando committatur, *ib.* 145. 5. Solicitantes ſunt denunciandi, *ib.* 8. Quando habeatur ſolicitatio ex parte modi, *ib.* 5. Ex parte loci & temporis, *ib.* 6. Ex prætextu & occaſione Confeſſionis, *ib.* 7. Pœnæ contra ſolicitantes latæ, *ib.* 146. 9. Falſo accuſantes de ſolicitatione excommunicati, *ib.* 10.

Specificatio quid ſit, & quodnam jus tribuat, Tom. 4. 358. 6.

Spectacula diverſi ſunt generis, T. 5. 121. 5. Quænam raro culpa vacant, *ib.* 122. 6. Quæ pernicioſa, *ib.* 7. Quæ permittenda, *ib.* 8. Quænam periculi plena, *ib.* 9. Diebus Feſtis habita culpam augent, *ib.* 133. 9. Illis intereſſe illicitum, & vetitum Clericis, T. 7. 248. 4. V. *Theatra*. *Choreæ*.

Spes varie accipitur, Tom. 3. 50. 1. Ut paſſio ubi ſedem habeat, *ib.* 2. Non eſt abſque amore, *ibidem* 51. 3. Spei Theologicæ definitio, *ibidem* 4. Diſtincta a fide & caritate, *ibid.* 6. Ejus objectum, *ibidem* 7. Ratio formalis, *ib.* pag. 52. 10. Secundaria objecta, *ibid.* pag. 53. 13. Non habetur ex meritis, *ib.* pag. 54. 1. Non habet medium proprie dictum, *ib.* 3. Præcedit ordine Caritatem, *ib.* 4. eſſe poteſt ſine illa, *ib.* pag. 55. 5. Reſpicit auxilia Dei, *ib.* 9. Et merita noſtra, *ibidem* 10. Et bonum ſperantis, *ib.* 56. 14. Eſſe poteſt informis & formata, *ibid.* 58. 1. Eſt in juſtis & peccatoribus, *ib.* 2. Non eſt in Beatis, *ib.* 3. Nec in damnatis, *ib.* 4. Quomodo in infidelibus & Hæreticis, *ibidem* 5. Certa eſt & firma, *ibid.* 59. 6. Eſt neceſſaria neceſſitate medii & præcepti, *ibidem* 10. *& ſeq.* In hac vita non excludit timorem, *ibidem* 9. Excluditur infidelitatis peccato, *ibidem* 61. 1.

62. 1. Falſæ de Spe doctrinæ, *ibidem* 7. Aliæ ab Eccleſia damnatæ, *ibidem* 63. 9. Spei opponitur deſperatio, *ib.* 72. 1. Quæ multiplex eſſe poteſt, *ib.* 2. Poteſt eſſe ſine infidelitate, *ib.* 4. Opponitur Spei etiam Præſumptio, *ibid.* 73. 9. V. *Præſumptio*.

Sponſalia definiuntur, T. 7. 254. 2. Qualis eſſe debeat promiſſio, *ibidem* 3. Libera & mutua, *ibidem* 4. Celebrari poſſunt a parentibus pro liberis, *ibidem* 255. 6. Conſenſus ſponſorum requiſitus, *ibidem* 7. Gravem inducunt obligationem, *ibidem* 256. 1. Metu inita quando nulla ſint, *ibidem* 3. Sponſalium violatio in Confeſſione aperienda, *ibidem* 258. 7. Ad illorum valorem non requiritur Parochi præſentia, *ibidem* 8. Ad ipſa inepti ratione carentes, *ib.* 1. Non vero qui aliquo ſenſu carent, *ibid.* 259. 2. Impuberes valide ineunt ſponſalia, *ibidem* 3. Ab eis reſilire poſſunt, *ibidem* 4. Quando, *ibidem* 5. Licet ſponſalibus conditiones apponere, *ibidem* 6. Et præſertim conſenſum Parentum, *ibidem* 260. 7. Et ſi Pontifex diſpenſaverit, *ibidem* 8. Sponſalia cum impedimento perpetuo nulla, *ibidem* 261. 2. Qui vovit Religionem non tenetur petere diſpenſationem, *ibidem* 262. 3. Poſteriora ſponſalia impleta conditione non fiunt abſoluta, *ibidem* 4. Qui impedit effectum conditionis a data fide non liberatur, *ibidem* 5. Quando implenda ſponſalia, *ibid.* 1. Reluctantes cogi poſſunt, *ibidem* 263. 2. Non licet ſponſalibus addere pœnam, *ibidem* 3. Arrhæ poſſunt apponi, *ibidem* 4. Secunda ſponſalia prioribus durantibus illicita & nulla, *ibidem* 5. Licet cum copula conjuncta, *ibidem* 264. 6. Non reviviſcunt ſi priora diſſolvantur, *ibidem* 266. 3. Cauſæ dirimendi ſponſalia, *ibidem* 1. Fornicatio juſta cauſa, *ibidem* 2. Conſenſus utriuſque, *ibidem* 3. Quando abſentia vel domicilii mutatio, *ibidem* 267. 4. Quando longa dilatio, *ibidem* 5. Profeſſio Religioſa, & Majorum Ordinum ſuſceptio, *ibid.* 6. Morbus ſuperveniens, *ibidem* 268. 8. Superveniens affinitas, *ibidem* 9. Infamia, *ibidem* 269. 10. Quando poſteriora ſponſalia priora tollant, *ibidem* 265. 7. Invalida ſunt celebrata a filiis-familias inſciis vel invitis parentibus, *ibidem* 269. 11. Quando valida eſſe poſſint, *ibidem* 270. 13. Impudicitia præbet juſtam cauſam diſſolvendi ſponſalia, *ibidem* 271. 1. Quando liceat detegere occultam fornicationem ad dirimenda ſponſalia, *ibidem* 2. Quando votum ſimplex caſtitatis dirimat ſponſalia, *ibidem* pag. 272. 5. Quando ſuſceptio Minorum Ordinum, *ibidem* p. 271. 3. Contradictio juſta parentum præbet legitimam dirimendi ſponſalia cauſam, *ibid.* 273. 7. Quando poſſint valide & licite ſponſalia contrahere filii-familias invitis parentibus, *ibidem* 8. Num requiratur ſententia judicis ad dirimenda ſponſalia, *ib.* 271. 5. V. *Sponſus*.

Sponſio quid ſit & quando licita, T. 5. 108. 15. Quando illicita, *ib.* 16. *&* 117. 5. Certus de victoria, ſponſionem facere non valet, *ib.* Quænam ſponſiones a jure vetitæ, *ib.* 7. V. *Ludus*.

Sponſiones in Baptiſmo, T. 6. 107. 7.

Sponſus ficte promittens ad quid teneatur, T. 7. 256. 4. Qui ſponſam deflorat, *ib.* 5. Quodnam jus obtineat ad ſponſalia, *ib.* 357. 6. V. *Sponſalia*.

Spurius an teneatur fidem adhibere Matri jurejurando teſtanti non eſſe legitimum, T. 5. 316. 17. Quando ſint irregulares, T. 7. 194. 7. V. *Irregularitas*.

Stuprator virginis libere & prompte conſentientis quid ipſi debeat, T. 5. 297. 6. Quid virginis parentibus & Tutoribus, *ibidem* 298. 7. Si repetitis precibus ſeduxit, tenetur vel ducere vel dotare, *ibidem* 8. Multo magis ſi vi vel minis oppreſſit, *ibidem* 9. Qui Matrimonium promiſit ſive vere ſive ficte tenetur eam ducere, *ibid.* 10. Quid vero ſi parentes eam juſte tradere nolint, vel ipſa nolit nubere, *ibidem* 303. 3. *& ſeq.* Quando teneatur ducere etiamſi non promiſerit Matrimonium, *ibid.* 4. Aut non teneatur etiamſi promiſerit, *ibid.* 301. 6. An ſemper teneatur obtemperare judici præcipienti matrimonium vel dotationem, *ib.* 300. 5. Quando quis teneatur puellam ducere etiamſi non præceſſerit ſtuprum, *ib.* 301. 7. Si ex ſtupro naſcatur proles ad quid teneatur parentes, *ibid.* 297. 7. Ad quid teneatur qui rem habuit cum honeſta vidua, *ibid.* 302. 8.

Stuprum quid ſit, T. 4. 228. 1. Quando habeatur, *ib.* 2. In Confeſſione manifeſtandus, *ibid.* 230. 1. V. *Stuprator*.

Subdiaconatus antiqua inſtitutio, T. 7. 236. 1. Ejus materia & forma, *ibidem* 2. Officia & miniſteria, *ibidem* 3. Lex continentiæ illi adnexa, *ibidem* 4. Et onus recitandi horas canonicas, *ibidem* 5. Quam ſcientiam habere debeat, *ibidem* 6. Quando Clericus a Confeſſario deterrendus a ſubdiaconatu, *ib.* 237. 3. Titulo indiget, *ibidem* p. 238. 1. V. *Titulus*.

Subdiaconus. T. 7. 236. 1. V. *Subdiaconatus*.

Suicidium & mutilatio vetita, T. 4. 205. 1. Quomodo excuſentur qui in Scriptura ſe occidiſſe leguntur, *ibidem* 3. Suicidii rei non ſunt qui carnifici obſequuntur, *ibidem* 206. 4. Juſta de cauſa licet aliquando mortis periculum ſubire, *ibidem* 6. *& ſeq.* *&* 210. 4. Quinam ſuicidii indirecti rei ſint, *ibidem* 206. 7. *& ſeq.* Non licet reo ſeipſum interficere, nec mandante judice, *ibidem* 209. 2. Non licet navem incendere cum certa ſui nece, *ib.* 208. 1. Licet aliquando vitam exponere, ad alterius vitam ſervandam, *ibidem* 209. 3. Et membrum abſcindere, *ibidem* 5. Non eſt licitum ad ſervandam pudicitiam, *ibidem* 6. Ad vitam ſervandam non tenemur uti remedio extraordinario, & violento, *ibid.* 210. 7. Sola dementia & phreneſis a ſuicidio excuſat, *ib.* 211. 8.

Superbiæ notio & malitia, Tom. 2. 195. 1. Ejus ſpecies, *ibidem* 2. Graphica deſcriptio ex S. Gregorio, *ibidem* 196. 3. Maxime cavenda, *ibidem* 206. 1. Ejus punitio, *ibidem* 2. Plures Chriſtiani ejus ignorantia tenentur, *ib.* 3. Viri ſancti eam cavere debent, *ib.* 4. Quinam hoc vitio inquinentur, *ib.* 6. *& ſeq.*

Superſtitio quid ſit, Tom. 3. 266. 2. Plures ejus ſpecies, *ibidem* 3. Aliæ ſubdiviſiones, *ibidem* 4. *& ſeq.* Superſtitio indebiti cultus, *ibidem* 1. *& ſeq.* Superſtitionis rei qui ritus Hebræorum adhibent, *ibidem* pag. 268. 1. Qui orationibus Eccleſiæ verba obſcæna immiſcent, *ibidem* 2. Qui auribus equorum inſuſſurant, *ibidem* 3. Quomodo & qui ſacras deferunt reliquias, *ibidem* 4. Et qui ignota nomina collo appenſa deferunt, *ibidem* 5. Aliæ ſuperſtitionis ſpecies, *ib.* 269. 1. V. *Divinatio*, & *Obſervantia Vana*.

Suſpenſio definitur, Tom. 7. 181. 1. Ejus diviſiones, *ibid.* 2. Suſpenſus ab Ordine quando ſit & ſuſpenſus a juriſdictione, *ibidem* 4. Suſpenſus a juriſdictio-

ctio-

ctione a quibus ſit etiam Ordinibus ſuſpenſus, *ibidem* 182. 5. Suſpenſus abſolute a Beneficio ab omnibus eſt ſuſpenſus, *ibidem* 6. Fructibus privatur, *ibidem* 7. Quinam poſſint ſuſpenſionem indicere, *ibidem* 8. Quomodo tollatur, *ibidem* 9. Ad ſuſpenſionem pertinet depoſitio & degradatio, *ibidem* 183. 11. Pœnæ in violantes ſuſpenſionem, *ibidem* 10.

Suſpicio definitur, T. 2. 96. 5. Quando lethale peccatum, *ib.* 6. Doctrina S. Th. *ib.* 7. Eſt contra juſtitiam, *ib.* 100. 5. Non obligat ad reſtitutionem, *ib.* 6. Aliquando peccatum non eſt, *ib.* 7. Cogitationes a ſuſpicione diſtinguendæ, *ib.* 8. Quando grave, quando leve peccatum, *ib.* 11. & T. 4. 198. 1. & 199. 1. & *ſeq.*

Suſſuratio definitur, Tom. 4. pag. 299. 1. Crimen eſt detractione gravius, *ibidem* 2. Quomodo in Confeſſione aperienda, *ibidem* 309. 6. Non ſunt ſuſſurationis rei qui pravas amicitias tentant diſſolvere, *ib.* 7.

T

TEmperantia definitur, Tom. 2. 123. 1. Ejus objectum, officium, & regula, *ib.* 124. 2. Graviter peccat qui carnis humanæ eſu vel potu ſanguinis delectatur, *ib.* 4. Qui delectationes ſenſibiles non ſecundum rationem quærit, *ib.* 137. 1. Partes temperantiæ integrantes, *ib.* 125. 3. Partes ſubjectivæ, *ib.* 4. Vitia temperantiæ oppoſita, *ib.* 130. 2. & *ſeq.* V. *Jejunium*.

Tentatio Dei quid ſit, T. 3. 284. 2. Quotuplex, *ib.* 3. In quo ſita, *ib.* 4. Eſt de ſe lethale peccatum, *ib.* 285. 5. Quinam Deum tentent, *ib.* 286. 1. & *ſeq.* Circumſtantia modi tentandi Deum aperienda, *ib.* 287. 6.

Teſtamentum quid ſit, T. 5. 203. 1. Quotuplex, *ibidem* 2. & *ſeq.* Quæ ejus valori non obſint, *ib.* 204. 4. & *ſeq.* Dolo extortum nullum eſt, *ibidem* 205. 7. Quodnam imperfectum, *ibid.* 206. 8. Cujus valoris, *ibid.* 9. & *ſeq.* Ad pias cauſas ſolemnitatibus deſtitutum, quando implendum, *ibid.* 207. 13. V. *Legatum*. Qui Teſtamentum condere valeant, *ibidem* 209. 1. & 211. 1. Quinam non poſſint, *ibidem* 2. Quinam ordo in teſtamentis ſervandus, *ibidem* pag. 213. n. 6. Non omnis inæqualitas in Teſtamento etiam reſpectu Filiorum injuſta, *ibidem* 7. V. *Hæres*.

Teſtes in Teſtamento quales, T. 5. 209. 2. In Matrimonio, T. 7. 254. 1.

Teſtimonium falſum dicens in judicio ſemper peccat mortaliter, Tom. 4. 283. 3. Non licet dicere in favorem alterius, *ibidem* 4. Pœnæ in falſum teſtimonium dicentes, *ibid.* 5. Qui ex errore dicit quando peccet, *ibidem* 292. 3. Detecto errore retractare ſe debet, *ibid.* Ad vitandam torturam non licet contra ſe aut alios falſum teſtimonium dicere, *ib.* 4. & *ſeq.* Laxæ Caſuiſtarum ſententiæ, *ib.* 291. 1. & *ſeq.*

Theatra de ſe mala, T. 5. 122. 10. Hodierna emendata non ſunt, *ibidem* 123. 11. Patres abſque diſtinctione Theatra reprobarunt, *ibid.* 12. Noxia eſſe ipſis Patronorum Theatri teſtimoniis oſtenditur, *ibid.* 124. 13. Ab omni nequitia purgari nequeunt, *ib.* 125. 14. Non excuſantur a culpa qui illis interſunt, *ib.* 130. 6. An neceſſitas excuſet, *ib.* 132. 7. Aliquorum Patrum teſtimonia adverſus Theatra, *ib.* 134. & *ſeq.* In Reflex. Peccatum auget illis intereſſe diebus feſtis, *ib.* 133. 9.

Theſaurus inventus cujus ſit, T. 4. 351. 12. & *ſeq.*

Thomaſius (Chriſtianus) inepte reprobat communem doctrinam, voluntatem non poſſe pati coactionem, T. 2. 26. 4.

Timoris generalis notio, Tom. 3. 64. 1. Timoris Dei objectum, *ib.* 2. Ejus diviſio, *ib.* 3. Timor mundanus pravus, *ib.* 65. 4. Caſtus & filialis bonus, *ib.* 66. 7. Ejus objectum, *ib.* Timoris ſervilis objectum, *ib.* 67. 12. Ejus diſcrimen a filiali & mundano, *ib.* 13. A timore ſervilitas ſejungi poteſt, *ib.* 68. 20. Timor initialis quinam, *ib.* 69. 21. Non differt a filiali, *ibidem* 22. Timor gehennæ bonus, *ibid.* 70. 24. & Tom. 7. 28. 3. Timor filialis perſeverat in Patria, Tom. 3. 24. Timor gehennæ non excludit voluntatem peccandi, Tom. 7. 27. 4. V. *Attritio*. *Metus*.

Titulus neceſſarius pro ſubdiaconatu, T. 7. 238. 1. Triplex, *ib.* 239. 2. Beneficia quid requirat, *ib.* 3. Quid Patrimonia, *ib.* 4. Quænam ficta Patrimonia, *ib.* 5. Pœnæ latæ contra ordinatos ſine titulo, *ibidem* 6. Sufficit partim ex Beneficio, partim ex Patrimonio, *ib.* 240. 3. Beneficium in titulum quale eſſe debeat, *ib.* 241. 6. Titulus alienari non poteſt, *ib.* 8.

Tranſactio quid ſit & quando licita, Tom. 5. 70. 16. Quænam tranſactioni non ſubjaceant, *ib.* Qui poſſint tranſigere, *ib.* 166. 13.

Tributum quid ſit, & quotuplex, Tom. 1. 125. 14. Datur poteſtas imponendi tributa, *ibidem* 15. Falſa & erronea doctrina quæ ſubditos a tributorum ſolutione eximit, *ibid.* 126. 16. & *ſeq.* Clerici & Religioſi minime a tributis immunes, *ibidem* 127. 18. Qui juſta tributa non ſolvunt, nec a peccato, nec a reſtitutione excuſantur, *ib.* 131. 20. Etſi non petantur ſolvenda, *ib.* 21. Doctrina Caſuiſtarum rejicitur, *ib.* 23.

Tutor quis dicatur, Tom. 5. 164. 5. Quis eſſe poſſit, *ib.* 7. Quotupliciter inſtitui, *ib.* 6. Quæ ejus erga pupillum obbligationes, *ib.* 8.

V

VAnagloria quid ſit, T. 2. 198. 9. S. Th. Doctrina, *ib.* 10. Quando ſit lethale peccatum, *ib.* 11. Quod non raro contingit, *ib.* 209. 15. Ejus fraudes cavendæ, *ib.* 16.

Venatio quando licita, Tom. 4. 350. 7. Quomodo dominium obtineant venantes in alieno fundo, *ibidem* 355. 5. Quid cavere debeant habentes jus venandi, *ibid.* 6. Beſtia ab uno vulnerata ab alio capta ad quem ſpectet, *ib.* 7. Quænam Clericis vetita T. 7. 248. 6.

Venditio quid ſit, T. 5. 41. 1. Quæ, & quibus vendere liceat, *ibid.* 2. & *ſeq.* Quæ vendere abſolute non licet, *ibid.* 42. 4. & *ſeq.* & 44. 2. Num liceat fucos vendere mulieribus, *ibidem* 3. Cartas luſorias, taxillos, aleas, *ibid.* 45. 4. Libros contra bonos mores vel Religionem, *ibidem* 8. Merces de-

fe-

feſtuoſas, ibidem 9. V. Defectus. Quinam fraudolenter vendant, ibid. 5. & ſeq. Re immobili vendita, & ejus partes venditæ cenſentur, ibid. 42. 6. Non licet rem pluris vendere quam valeat, ibidem 46. 1. Hujus Regulæ exceptiones, ibid. 2. V. Pretium. Vendere vaſa aurea argentea & ſolo ſpectato metalli valore licitum, ibidem 54. 11. Conditiones quæ venditioni adjungi poſſunt, ibidem 1. V. Pactum. Contractum. Re tradita & perſoluto pretio eſt perfecta venditio, ibidem 61. 2. Re ſola tradita, vel ſolo pretio dominium translatum eſt, ibidem 3. & ſeq. An ſola pactione ſit perfecta venditio, ibidem 5. Res determinata ante traditionem ſi pereat, cui pereat, ib. 6. Si vero non ſit determinata, ibidem 62. 7. Ad quem pertineant rei venditæ fructus, ibidem 8. & 65. 3. Num liceat venditori eos ſibi reſervare, ibidem 64. 2. cui pereant, ibidem 61. 6. & 62. 9. Quid ſi contractus diſſolvatur, ib. 63. 10. Ad quid teneatur emptor ſi venditor ob dilatam ſolutionem damnum patiatur, ibidem 11. Venditor tenetur de evictione, ibidem 12. Res duobus vendita cui ſit tradenda, ibidem 66. 4. Cui noceat mora culpabilis, ibidem 5. Rei alienæ venditio dominium non transfert in ementem, ibid. 6.

Verba otioſa in Divino judicio damnanda, T. 2. 43. 11. Genuina verbi otioſi notio ex SS. PP. aſſeritur, ib. 12. Ratio S. Th. ibid. 13. Plura in divino judicio otioſa & culpabilia, quæ laude digna judicantur, ib. 51. 13. Nonnullorum falſa doctrina de verbis otioſis refellitur, ib. 14.

Veritas neceſſaria in rerum electione, Tom. 1. 207. 1. Differentia veritatis ſpeculativæ & practicæ, ibidem 2. Veritas practica non eſt inventu valde difficilis, ibidem 3. Præceptum de inquirenda veritate in actionibus moralibus ex Scripturis, ibid. 208. 4. Ex Patrum traditione, ib. 209. 5. Ex ratione Theologica, ibid. 6. Quanta cura adhibenda pro invenienda veritate, ib. 210. 7. Regula generalis, ib. 9. Alia Regula, ibid. 211. 10. Sola veritas regula electionis rectæ, ibidem 212. 2. Diligentia in quærenda veritate quibus innitatur viribus, ib. 213. 7. Quinam ſint qui propria culpa veritatem non inveniunt, ibid. 8. & ſeq. Quinam veritatem inquirere negligunt, ibid. 214. 13. & ſeq. ſolicitudo de veritate quærenda, ibid. 216. 16. S. Auguſtini doctrina de invenienda veritate, ibid. 217. 1. Media apta ad illam inveniendam, ib. 218. 2. & ſeq. Sine auxilio Dei veritates morales cognoſcere non valemus, ib. 223. 6.

Veritas quando celari poſſit, T. 4. 6. 4. Non tamen reſtrictionibus mentalibus, æquivocationibus &c. ib. 7. & ſeq. Exceptiones nonnullæ, ib. 7. & ſeq. Exempla, ib. 8. 13. Regula ut veritas licite celari poſſit, ib. 18. & ſeq.

Veſtes virorum mulieribus aſſumere non licet, & e contra, T. 5. 133. 8. Veſtes pro Miſſæ celebratione neceſſariæ, T. 6. 252. 9. & ſeq.

Viaticum in extrema neceſſitate omnibus Sacerdotibus licitum eſt miniſtrare, Tom. 6. 179. 8. In periculo mortis ſumendum, ib. 185. 3. Num dandum pueris, ib. 192. 6. Num illi qui eodem die communicavit, ib. 190. 4. Num quotidie de vita periclitante, ibid. 191. 5. Non miniſtrandum ſub ſpecie vini, ib. 192. 7. Quomodo dandum, ib. 193. 8. Indigne ſumens non implet præceptum, ib. 194. 9. Quid agendum cum infirmo peccatore mox Viaticum ſuſcepturo, ib. 202. 5.

Vinum materia Euchariſtiæ, T. 6. 154. 1. Quale eſſe debeat, ibidem 2. Quando inepta materia, ibidem 158. 5. Illi miſcenda aqua, ib. 155. 6. & 161. 7. quæ probabiliſſime in ſanguinem convertitur, ibidem 8.

Violentia datur in actibus a voluntate imperatis, non elicitis, T. 2. 20. 2. abſoluta cauſat involuntarium, ib. 3. Voluntas violentiam non patitur dum a Deo movetur, ibid. 26. 1. Quod duplici modo præſtat, ib. 2. Aliæ facultates violentiam patiuntur, ib. 3. In actibus violentis nec meritum nec demeritum, ibid. 5. Nec imputantur ad culpam actus criminoſi ex violentia inducti, ibid. 6. Qui per violentiam ad Baptiſmum cogitur invalide ſuſcipit, ib. 8. V. Baptiſmus. Diverſo modo a metu violentia cauſat involuntarium, ibidem 11. Diſcrimen inter ea quæ per vim aguntur, & quæ per metum, ibid. 10. V. Metus.

Virginitas definitur, Tom. 4. 215. 5. Ejus eſſentia, ibidem 216. 6. Duplex materialis & formalis, ibidem 7. Perfecta Virginitas poteſt ſine voto conſiſtere, ibidem 8. Conjugio perfectior eſt, ibid. 217. 1. Poteſt amitti materialiter quin virtus amittatur, ibidem 218. 4. Quando irreparabiliter amittitur, ibidem 217. 5. Quando reparabiliter, ibid. 6. ſociari poteſt Matrimonio, T. 6. 281. 4. & T. 2. 127. 7.

Virtus definitur, T. 2. 68. 1. Ejus diviſiones, ibidem 69. 2. Eroica qualis, ibid. 3. In homine eſt quædam inchoactio virtutis, ibid. 70. 4. Non obtinetur tamen niſi ſtudio, labore, induſtria, & aſſuetudine, ibid. 5. Virtutis ſubjectum, ibidem 6. In quibus animæ partibus reſideat, ib. 72. 8. Doctrina S. Thom. ibid. 9. Medium virtutis in quo ſitum, ib. 10. Theologica medium non agnoſcit, ib. 73. 11. Ex parte tamen noſtra, & per accidens habet, ib. 12.

Virtutes morales ſupernaturales connexæ ſunt, Tom. 2. 74. 13. Doctrina S. Thom. declaratur, ibidem 14. Morales quoque acquiſitæ connexæ ſunt, ib. 15. Doctrina S. Thom. ib. 16. Quo ſenſu Auguſtinus virtutem per amorem definivit, ib. 78. 1. Ejus ſubjectum mens ſive ratio, ibid. 2. Diverſa virtutum ſemina in homine, ibidem 3. Quænam admiſſa a Caſſiano & Semipelagianis, ibid. Doctrina S. Th. ib. 4. Virtutes acquiſitæ vere tales non ſunt a Caritate ſejunctæ, ib. 5. Præter Theologales aliæ dantur virtutes infuſæ, ib. 79. 6. Quamvis omnes connexæ, non æqualis tamen excellentiæ fuere in Sanctis, ib. 7.

Vis. V. Violentia. Quando Matrimonium impediat, & dirimat, T. 7. 340. 4. V. Metus.

Vitia Prudentiæ contraria, Tom. 2. 84. 12. & ſeq. contraria juſtitiæ legali, ibidem 93. 10. juſtitiæ diſtributivæ, ib. 103. 2. Fortitudini, ibid. 117. 10. & ſeq. Temperantiæ, ib. 130. 1. & ſeq. De vitiis ex Superbia orientibus, ib. 197. 4. & ſeq. ex Avaritia, ib. 215. 6. & ſeq. ex Luxuria, ib. 228. 7. & ſeq. ex Gula, ib. 251. 8. ex Ira, ib. 265. 7. ex Invidia, ib. 273. 7. & ſeq. ex Accedia, ib. 281. 7. & ſeq.

Unctio extrema quænam, Tom. 7. 201. 1. Eſt Sacramentum, ibidem 2. Oleum ejus materia, ibidem pag. 202. 5. Debet eſſe benedictum, ibidem 6. Ab Epiſcopo, ibidem 7. Unctio materia proxima, ibidem 8. Forma debet eſſe deprecativa, ibid. pag. 203. 9. Adhibita aliquando & indicativa, ibid. 10. In-

Inſtituta a Chriſto, *ibidem* 1. Unctio in quibus membris facienda, *ibidem* 204. 3. Non omnia formæ verba de eſſentia, *ibidem* 4. Sacerdos Miniſter, *ibidem* 1. Unus ſufficit, *ibidem* 2. Plures adhiberi poſſunt, *ibidem*. Solis infirmis danda, *ibidem* 205. 4. Etiam quandoque pueris, *ibidem* 5. Quando & amentibus, *ibidem* 6. Quibus non miniſtrandum, *ibidem* 7. Quando mulieribus ex partu periclitantibus, *ibidem* 206. 4. Quando ſenſibus deſtitutis, *ibidem* 207. 5. Eſt in præcepto, *ibidem* 1. Danda poſt Viaticum, *ibidem* 2. Periclitantibus de vita ex infirmitate, *ibidem* 208. 3. Non differenda ad extremum halitum, *ibidem* 4. Recipienda in ſtatu gratiæ, *ibidem* 5. Cum actuali devotione, *ibidem* 6. Pluries dari poteſt, *ibidem* 209. 7. Ejus effectus, *ibidem* 211. 1. Gratiam ſanctificantem tribuit, *ibidem* 2. Auxilia gratiæ, *ibidem* 4. Peccati reliquias tollit, *ibidem* 212. 5. Sanitatem aliquando impertitur, *ibid.* 7. Sacræ Ceremoniæ ſervandæ in ejus adminiſtratione, *ibidem* 9. Unctio in Chriſmatione eſſentialis, T. 6. 119. 10. V. *Confirmatio*.

Voluntarium definitur, Tom. 2. pag. 10. 2. Dividitur, *ibidem* 3. Voluntarium tacitum quale, *ibid.* 4. Indirectum, *ibidem* 11. 5. Exemplis declaratur, *ibidem* 6. & 12. 7. Regulæ ad illud dignoſcendum, *ibidem* 7. 8. & *ſeq.* Doctrina S. Thom. explicatur, *ibidem* 18. 14. Voluntarium proprie dictum in brutis non invenitur, *ibidem* 16. 1. Cum libero non confundendum, *ibidem* 2. Ad omiſſionem voluntariam exigitur aliquis actus, *ibidem* 3. Voluntaria omiſſio quomodo a culpabili diſtinguatur, *ibidem* 4. Quando Medico & Chirurgo mors infirmi ſit indirecte voluntaria, *ibidem* p. 17. 9. Quando Clientis damnum ex ignorantia Advocati & Judicis, *ibidem* 10. Alia exempla, *ibidem* pag. 18. n. 12. & *ſeq.* Falſa Caſuiſtarum doctrina rejicitur, *ibidem* 15. Ad actum virtutis voluntarium indirectum non ſufficit, *ib.* 16.

Voluntas in ſuis actibus elicitis non ſubjacet coactioni. T. 2. 20. 2. V. *Voluntarium*.

Voluptatis uſus etiam moderatus propter ſe quæſitum eſt illicitus. T. 2. 52. 19. Peculiari diligentia opus eſt in electione delectabilium, *ib.* 53. 21. Matrimonii uſus ex ſola voluptate illicitus, T. 7. 316. 8.

Vota ceſſant ceſſante cauſa finali, T. 4. 73. 3. vel ſi materia fiat impoſſibilis, *ib.* 74. 6.

Voti obligatio gravis in re gravi T. 4. 45. 2. Levis in re levi, *ibidem* 4. Non poteſt vovens in re gravi ſe obligare ſolum ſub levi, *ibidem* 50. 5. & *ſeq.* Vota perſonalia ſolum voventem afficiunt, *ibid.* 51. 8. & *ſeq.* Realia per alium impleri poſſunt, & tenetur qui vovit, *ibidem* 10. & *ſeq.* Donatarius quomodo realia vota donantis debeat implere, *ibidem* 52. 12. Temporis circumſtantia in voto attendenda, *ibidem* 13. & *ſeq.* Votum tranſgrediens quando unum tantum peccatum committat, *ibidem* 53. 1. In votis realibus onus diei transfertur in alterum non vero in perſonalibus, *ibidem* 55. 5. Qui vovet rem ab alio faciendam, voti impletionem urgere debet, *ibidem* 6. Paupertas ſuperveniens quando impediat impletionem voti realis, *ibidem* 7. Hæredes vota perſonalia teſtatoris implere non tenentur, *ibidem* 56. 9. Bene vero realia, *ibidem* 10. & *ſeq.* Votum Communitatis poſteros non obſtringit, *ibidem* 57. 15. Qui dubitat num votum emiſerit vel impleverit, implere tenetur, *ibidem* 58. 2. & *ſeq.* & 66. 4. & *ſeq.* Vota indeterminata quomodo implenda, *ib.* 60. 10. & *ſeq.* Qui vovit abſtinentiam a vino ad ebrietatem vitandam ab omnibus liquoribus inebriantibus abſtinere tenetur, *ib.* 60. 13. Conditiones Voto adjici poſſunt, *ib.* 62. 18. Votum non poteſt obligare niſi impleta conditione, *ib.* 65. 35. Votum pœnale conditionatum eſt, & validum, *ib.* 63. 26. & *ſeq.* Error quando nullum reddat Votum, *ib.* 64. 30. & *ſeq.* Vota ex metu gravi ab intrinſeco valida ſunt, *ib.* 65. 35. Sicut & emiſſa ob timorem ab extrinſeco exceptis ſolemnibus, *ib.* 36. & *ſeq.* Qui vovet ſe nolle in ſeculo vivere, Religionem ingredi tenetur, *ib.* 66. 5. Qui vovet Religionem indeterminate voto ſatisfacit licet rigidiorem non eligat, *ibidem* 68. 6. Qui vovet rigidiorem non ſatisfacit ſi benigniorem deligat, *ibidem* 7. Qui indefinite ſtatum regularem vovit, curare tenetur ut in aliqua Religione recipiatur, *ibid.* 8. Qui determinatam Religionem vovit, illam ingredi tenetur, nec ex mero arbitrio egredi, *ib.* 69. 9. Qui duplex emittit votum, aliud principale, aliud acceſſorium, quando deficiente primo deficiat & poſterius, *ib.* Probabilius non tenetur voto, qui vovet Cartuſianam Religionem, putans in ea licere eſum carnium, *ib.* 70. 14.

Voti commutatio in aliud evidenter melius, quando privata auctoritate fieri poſſit, Tom. 4. 88. 3. & *ſeq.* In commutatione æqualitas moralis ſervanda, *ib.* 89. 6. & *ſeq.* Debet fieri legitima cauſa, *ib.* 8. Quænam præ oculis habenda in votorum commutatione, *ib.* 90. 11. & *ſeq.* Facta commutatione quando non teneatur ad priorem materiam reverti, *ibid.* 91. 18. & aliquando non liceat, *ibid.* 92. 19. & *ſeq.* Vota Summo Pontifici reſervata eſſe debent abſoluta & perfecta tum ex parte voventis, tum ex parte rei promiſſæ, *ibid.* 93. 3. Circumſtantiæ his votis adjectæ non ſunt reſervatæ, *ib.* 94. 7. Facta commutatione materia ſubſtituta non eſt reſervata, *ibid.* 8. Facultas hæc vota commutandi eſſe debet ſpecialis, *ib.* 95. 9. Non competit Regularibus nec in gravi neceſſitate, *ib.* 10. In quibus a rectitudine declinent fideles in votis concipiendis, eliciendis, implendis, *ib.* in Reflex.

Votum definitur, Tom. 4. 37. 1. Ejus conditiones, *ib.* 2. & *ſeq.* Quotuplex, *ib.* 38. 5. & *ſeq.* Requirit plenam & perfectam deliberationem, *ib.* 39. 1. Eſt promiſſio, *ib.* 2. Quæ ſtare poteſt ſine animo ſe obligandi, *ib.* 40. 4. & implendi, *ib.* 5. De re mala ſacrilega eſt, *ibid.* 1. & *ſeq.* De re bona licet ex fine malo quando obliget, *ibid.* 41. 2. & *ſeq.* Quando de re partim bona partim mala, *ib.* 42. 5. & 44. 17. Quando de re indifferenti, vana, vel inutili, *ibid.* 42. 7. & *ſeq.* Eſſe debet de meliori bono, *ibid.* 43. 10. Etiam quæ de præcepto ſunt voveri poſſunt, *ibidem* 11. Quando licitum votum Matrimonii celebrandi, *ibid.* 13. & *ſeq.* De re impoſſibili nullum eſt, *ib.* 44. 15. Si ex parte ſit poſſibilis quando obliget, *ibidem* 16. Sacrilega de re venialiter mala, vel Evangelicis conſiliis adverſa, *ibidem* 45. 4. & *ſeq.* Votum non ludendi validum, *ib.* 46. 8. Vitandi omnia venialia collective nullum, *ib.* 47. 10. Et nullum emittendi Votum, *ib.* 12. Voto caſtitatis obſtrictus non poteſt debitum petere, *ib.* Validum eſt votum non petendi diſpenſationem a Voto, *ib.* 48. 13. Quædam Vota quæ videntur majoris boni impedimenta, *ib.* 14.

Vo-

Votum tollitur irritatione, T. 4. 75. 1. Poteſtas irritandi in quo fundetur, *ib.* 4. Ad validam ſecus ad licitam irritationem nulla requiritur cauſa, *ibid.* 5. Quænam vota paternæ ſubſint irritationi, *ib.* 76. 6. *& ſeq.* Quænam irritare poſſint Tutores & Curatores, *ib.* 9. Quænam mariti reſpectu conjugum, Domini, Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum, *ib. & ſeq. &* 78. 4. *& ſeq.* Vota directe irritata non reviviſcunt, ſecus indirecte, *ib.* 78. 1. De licentia Superioris emiſſa non amplius ab eo irritari poſſunt, *ib.* 2.

In Votis diſpenſare poteſt Eccleſia, *ib.* 81. 1. Licet juris divini, *ib.* 82. 3. Exercetur per habentem ſpiritualem poteſtatem, *ib.* 4. Tum ad validam tum ad licitam diſpenſationem juſta requiritur cauſa, *ib.* 5. Diſpenſandi in votis alicujus peccati vitandi nulla videtur legitima cauſa, *ib.* 83. 10. Plures ſunt legitimæ cauſæ diſpenſationis, *ib.* 8. *&* 85. 3. *& ſeq.* Quibus ordinaria facultas diſpenſandi competat, *ib.* 83. 13. *&* 86. 7. *& ſeq.* Quænam vota Summo Pontifici reſervata, *ib.* 84. 14. Nullam obtinent Regulares poteſtatem diſpenſandi in votis, *ib.* 16. Bene vero commutandi, aliquibus exceptis, *ibid.* 85. 17. Quid poſſit Superior in dubio cauſæ legitimæ diſpenſationis, *ib.* 1. Nulla eſt diſpenſatio, ſi adducta cauſa quæ legitima putabatur, deprehendatur illegitima, *ibid.* 2. Qui ordinaria pollent poteſtate diſpenſandi poſſunt ea in ſui favorem uti, *ib.* 87. 10.

Vovere non poſſunt carentes uſu rationis, aut ſuarum actionum dominium non habentes, T. 4. 71. 1. *& ſeq.* Religioſi, Filii-familias, Pupilli, Uxores aliique vovere poſſunt, *ib.* 3. *& ſeq.* Religioſi vovere poſſunt aliquas eleemoſynas de licentia Superioris, *ib.* 72. 1. Epiſcopi ingreſſum Religionis vovere nequeunt, *ib.* 73. 3. Bene vero Parochi, *ib.* 4.

Uſufructuarii onera, T. 4. 236. 2.

Uſura definitur, T. 5. 170. 4. Illicita, *ib.* 5. *& ſeq.* Licet moderata, *ib.* 171. 8. & a quocumque expetita, *ib.* 9. Ejus diviſiones, *ibid.* 172. 10. Admittit parvitatem materiæ, *ib.* 176. 7. Titulus gratitudinis non excuſat, *ib.* 177. 8. Quinam mentalis uſuræ rei, *ib.* 9. Quodnam in mutuo lucrum uſurarium *ib.* 179. 2. Titulo damni emergentis aliquid licet accipere ultra ſortem, *ib.* 180. 4. Certæ ſervandæ conditiones, *ib.* 5. Si damnum ſit incertum nihil ultra ſortem recipere licet, *ib.* 183. 2. Aut Mutuatario non manifeſtatum, *ib.* 3. Lucrum ceſſans alter titulus aliquid recipiendi ultra ſortem, *ib.* 180. 6. Quæ fraudes in hoc irrepere poſſint, *ibid.* 181. 9. *&* 188. 5. *& ſeq.* Conditiones ad honeſtatem hujus tituli neceſſariæ, *ib.* 183. 12. *& ſeq.* Mutuum debet eſſe certa cauſa lucri ceſſantis, *ib.* 184. 4. Nihil licet a paupere exigere, *ib.* 183. 1. Nec compenſationem ſtatim in ipſa mutui datione exigere, *ib.* 186. 9. Duplex periculum juris & facti, *ib.* 187. 2. Num ob periculum juris aliquid poſſit ultra ſortem exigi, *ib.* 3. *& ſeq. &* 188. 5. *& ſeq.* Num ob ſtatutum Principis, *ib.* 191. 12. An ob difficultates & expenſas ſubeundas in recuperanda ſorte, *ib.* 193. 2. An ob incommodum & angorem mutuantis, *ibid.* 3. An ob pœnam conventionalem, *ib.* 195. 4. An ob alios titulos, *ib.* 5. *& ſeq.* Qui contractum uſurarium bona fide celebraſſe deprehendit quid præſtare debeat, *ib.* 196. 8. Uſura eſt quidquid pretio æſtimabile ultra ſortem ob mutuum exigitur, *ib.* 199. 3. *& ſeq.* Quid reſtituere debeat Fœnerator, *ib.* 200. 3. V. *Fœnerator*.

Uſusfructus definitur, T. 4. 333. 5. Ejus eſſentia, *ib.*

Uxor Marito quid debeat, T. 4. 155. 7. Illum ſequi debet, & cum illo cohabitare, *ibid.* 8. Quandoque illum alere & ſuſtentare, *ib.* 9. Debitum petenti ſive expreſſe ſive tacite reddere, T. 7. 307. 2. Quando recuſare poſſit, *ib.* 309. 9. Quandoque tenetur, *ib.* 313. 10. V. *Conjuges*.

W

W*Aldenſium* doctrina, T. 4. 179. 1.

Wiclephi doctrina rejicitur, T. 2. 100. 4.

F I N I S.

NOI

RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Concediamo licenza alla Dita *Giuſeppe Remondini e F.* Stampatori di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato *P. F. Joan. Vincentii Patuzzi Ord. Præd. Ethica Chriſtiana, ſive Theologia Moralis &c. riſtampa*, oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 17. Gennaro 1789.

(*Piero Barbarigo Rif.*
(
(*Girolamo Aſcanio Giuſtinian Cav. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 377. al Num. 2952.

Marcantonio Sanfermo Segretario.

239.02
P 278

31738

PATUZZI, JOANNES VINCENTIUS

AUTHOR

Ethica Christiana Vol. 7

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

31738